F

Anebise Arcaforti
Romano

E. I.T.C.

Int 22


Nr 64

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Tomus Secundus.

In quo { Quinta Pars agit, de obligationibus, & contractibus vniuersis.
Sexta, de Actionibus, exceptionibus, & interdictis.
Septima, de Iudicijs, prius de priuatis, posterius de publicis.

AVCTORE FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS
I. C. ET CANONICO VICENTINO.



VENETIIS, Apud Fœlicem Valgrisium. M D LXXXII.

Ex Tomo Secundo

INDEX TITVLORVM

Quinta Pars, Liber Primus.

Liber Tertius.

Liber Quartus.

Liber Quintus.

Liber Sextus.

Si

Liber Septimus.

De

Septimæ Partis.

Liber Primus.

De

Titulorum.

Liber Sextus.

Index Titulorum Finis.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißis ijs, quibus à iure Canonico, Nouellis Justiniani Constitutionibus, Imperij mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Primus.

DE OBLIGATIONIBVS.

Titulus Primus.

NVNC transeamus ad obligationes: Obligatio est iuris uinculum, quo necessitate astringimur alicuius soluendæ rei secundum ciuilia iura, Inst. de oblig. in prin.

Bonam fidem in contractibus considerari æquum est, C. de obligat. l. iiii.

Obligationum substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, aut seruitutem nostram faciat: sed ut alium nobis astringat ad dandum aliquid, uel faciendum, uel præstandum, ff. de obligat. l. iii. in princip.

Sub hac conditione SI VOLAM: nulla fit obligatio: pro non dicto enim est, quod dare nisi uelis, cogi non possis, nam nec hæres promissoris eius, qui nunquam dare uoluerit tenetur: quia hæc conditio in ipsum promissorem nunquam extitit, ff. eod. l. sub hac, viii.

Sicut initio libera potestas unicuique est habendi, uel non habendi contractus: ita renunciare semel constitutæ obligationi, aduersario non consentiente, nemo potest. quapropter uoluntariæ obligationes semel nexus ab hac non consentiente altera parte non potest, C. de oblig. l. v.

Naturales obligationes nō eo solo æstimantur, si actio aliqua earū nomine cōpetat. uerum etiam eo, si soluta pecunia repeti non posit, ff. eod. l. naturales, x.

Omnes debitores, qui speciem ex causa lucratiua debent, liberantur, cùm ea species ex causa lucratiua ad creditores peruenissent, ff. eod. l. omnes, xvii.

Contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solueret se obligauit, ff. eo. l. contraxisse, xxi.

Quoniam Parte Secunda Libro, & Titulo dictū est: quod res incorporales sunt; hereditas; usustructus, usus. & obligationes quoquomodo contractæ. & seruitutes prædiorū. Et postea de ipsis seruitutibus, vsufructu, & usu. itē de hæreditatibus tractatum est: nūc remanet ad obligationes transire.

Filius fam. ex omnibus causis, tanquam paterfam. obligatur, & ob id agi cum eo, tanquam cum patrefam. potest, ff. eod. l. filius, xxxix.

Obligari potest paterfamil. suæ potestatis pubes, compos mentis: pupillus sine tutoris authoritate non obligatur iure ciuili, ff. eod. l. obligari, xliii.

Item pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem iure naturali obligatur, ff. eod. l. pupillus, lix.

Obligationum ferè quatuor causæ sunt, aut enim dies in his est, aut conditio, aut modus, aut accessio. circa diem duplex inspectio est. nam uel ex die incipit obligatio: aut confertur in diem. ex die velut Klendis Martiis dare spondes? cuius natura est hæc, ut ante diem non exigatur. Ad diem autem usu ad Kalendas dare spondes? Placet autem ad tempus obligationem constitui non posse, non magis quam legatum. nam quod alicui deberi cœperit, certis modis deberi desinit. plane post tempus stipulator, vel pacti conuenti, uel doli mali exceptione summoueri poterit sic & in tradendo, si quis dixerit se solum sine superficie tradere: nihil proficit, quominus & superficies transeat, quæ natura solo cohæret. ¶ Conditio uero efficax est, quæ in constituenda obligatione inseritur, non quæ post perfectam causam ponitur: ueluti centum dare spōdes, nisi nauis ex Asia venerit? sed hoc casu existente conditione locus erit exceptioni pacti conuenti, uel doli mali. ¶ Modus autem obligationis est cùm stipulamur aut decem, aut equum. nam alterius solutio totam obligationem perimit: nec alterum peti potest, utique quandiu vtrumque est. ¶ accessio uero in obligatione, aut personæ, aut rei fit, personę cùm mihi, aut Titio stipulor. rei cùm mihi aut decē, aut Titio equum stipulor, ubi quæritur an ipso iure fiat obligatio soluto equo Titio, ff. de obligatio. l. obligationum, xliiii. usque ad § si ita.

Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur, ei potestas est, quolibet eius anni die dandi, ff. eod. l. quod quis, 50.

Omnium autem obligationum summa diuisio est, quod in quatuor species diuiduntur, aut enim ex cōtractu sunt, aut ex quasi contractu, aut ex maleficio, aut ex quasi maleficio, Inst. eod. § omnium, & ff. de obligat. l. 1. in princ.

Prius est, vt de his, quæ ex contractu sunt dispiciamus, harum æquè quatuor sunt species, aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu, de quibus singulis dispiciamus, Instit. de obligat. §. fin. & ff. eod. l. 1. §. obligationes.

DE REBVS CREDITIS.
Titulus II.

Quibus modis re contrahitur obligatio.

RE est, priusquam ad uerborum interpretationem perueniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Quoniam igitur multa ad contractus uarios pertinentia iura sub hoc titulo prætor inseruit: ideo rerum creditarum titulum præmisit: omnes enim contractus, quos alienam fidem secuti instituimus, complectitur. Nā (ut Libro Primo Quæstionum, Cellsus ait) credendi generalis appellatio est: ideoque sub hoc titulo prætor de commodato, & de pignore edixit. Nam cuicunque rei assentimur, alienam fidem secuti, mox recepturi, quod ex hoc contractu, credere dicimur: ¶ rei quoque uerbum, vt generale prætor elegit, ff. de rebus creditis, l. i.

Re contrahitur obligatio, veluti ex mutui datione. ¶ Mutui autem obligatio in

in iis rebus consistit,quæ pondere,numero, mensurave constat: veluti vino, oleo,frumento,pecunia numerata,ære,argento,auro: quas res, aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in hoc damus, vt accipientium fiant. & quamquam nobis non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ, & qualitatis redduntur: vnde etiam mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ uocatur certi conditio: Instit.quib. modis re cont. obligat.in princip. & ff.de reb.creditis,l.ii.& ff.de oblig.l.i.§.mutui.

Creditum à mutuo differt,quo genus à specie; nam creditum consistit extra eas res,quæ pondere,numero,mensurave continentur: sicuti si eandem rem recepturi sumus creditum est. ¶ Item mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia. Creditum autem fit interdum etiam si nihil proficiscatur: veluti si post nuptias dos promittatur,d.l.ii.§.creditum.

In mutui datione oportet dominum esse dantem. Nec obest, quòd si filiusfami. dans, peculiares numos obligat. Id enim tale est, quale si voluntate mea tu des pecuniam. Nam mihi actio acquiritur, licet numi mei non fuerint, d.l. ii.§.in mutui.

Verbis quoque credimus, quodam actu ad obligationem comparandam interpositi,veluti stipulatione,d.l.ii.§ fi.

Cùm quid mutuum dederimus, & si non cauimus, ut æquè bonum nobis reddatur; non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere, veluti vinum nouum pro uetere. Nam in contrahendo,quod agitur, pro cauto habendum est. Id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur,qua datum sit,ff.eod.l.iii.

Certum est cuius species,vel quantitas, quæ in obligatione uersatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione,quæ nominis uice fungitur, qualis, quantave sit, ostenditur. Nam & pædius l. I. de stipulationibus nihil referre ait, proprio nomine res appellentur, an digito ostendantur, an uocabulis quibusdam demonstrentur, quatenus mutua uice res fungantur, quæ tantundem præstent,ff.eod.l.vi.

Omnia, quæ inseri stipulationibus possunt, eadem possunt etiam numerationi pecuniæ, & ideo & conditiones. proinde mutui datio interdum pendet, ut ex postfacto confirmetur, ueluti si dem tibi mutuos numos, ut si conditio aliqua extiterit, tui fiant, sisque mihi obligatus. ¶ Item si legatam pecuniam hæres crediderit, deinde legatarius eam noluerit ad se pertinere; quia hæredis ex die aditæ hæreditatis uidentur, numi fuisse, ut credita pecunia peti posit. Nam & Iulianus ait traditiones ab hærede factas, ad id tempus redigi, quo hæreditas adita fuerit, cùm repudiatum sit legatum, aut appositum,ff.eod.l omnia,viii.cum l. seq.

Si quis empturus prædia desiderauerit mutuam pecuniam, nec uoluerit creditæ nomine, antequam emisset suscipere. Atque creditor, quia necesitatem forte proficiscendi habebat deposuerit apud illum hanc pecuniam, ut si emisset crediti nomine,obligatus esset. Hoc depositum periculo est eius, qui suscipit. Nam & qui rem vendendam acceperit, vt pretio vteretur, periculo suo rem habebit,ff.eod.l.iiii.in princi.

Si numos meos tuo nomine dedero, velut tuos, absente te,& ignorante,acquiritur tibi conditio; nec dubitatur, quin si meam pecuniam tuo nomine volũtate tua dedero,tibi acquiratur obligatio; cùm quotidie credituri mutuam

pecuniam ab alio poscamus, vt nostro nomine creditor numeret futuro debitori nostro, ff. eo. l. certi, ix. §. si numos.

Deposui apud te decem: postea permisi tibi uti: etiam antequam moueantur, condici quasi mutua hæc possunt: animo enim cæpit possidere. Ergo transit periculum ad eum, qui mutuum rogauit: & poterit ei condici. Quod si ab initio cùm deponerem, uti tibi si uoles permisero, credita non erit, antequam mota sit, quoniam debita iri non est certum, d. l. certi, ix. §. deposui, cum l. sequen.

Si absentis pecunia nomine eius mutua data est, ac reprobato nomine, mandatis actionibus experiris: præses prouinciæ iurisdictionem suam præbebit. Idem si cessare mandatum animaduerterit, utilem tibi aduersus debitorem actionem eo nomine competere non negabit, C. si cer. pet. l. iiii.

Quod te mihi dare oportuerat, si postea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum constat. ¶ Sed cùm quæritur an per te factum sit: animaduerti debebit, non solum si in potestate tua fuerit id, nec ne: aut dolo feceris, quo minus esset, uel fuerit, nec ne: sed etiam si aliqua iusta causa sit, propter quam intelligere deberes te dare oportere, ff. eod. l. v.

Periculum nominum, ad eum, cuius culpa deterius factum probari potest, pertinet, ff. eod. l. periculum, xxxv.

Rogasti me, vt tibi pecuniam crederem: ego cùm non haberem: lancem tibi dedi, vel massam auri, ut eam uendere, & numis utereris. Si uendideris, mutua pecunia facta erit: quod si lancem, aut massam sine tua culpa perdideris, priusquam uenderes, utrum mihi, aut tibi perierit distinctio Neruæ uerissima est, existimantis multum interesse, uenalem habui hanc lancem, uel massam, nec ne: vt si uænalem habui, mihi perierit, quemadmodum si alii dedissem uendendam. Quod si non fuit hoc proposito, vt venderem: sed hæc causa fuit uendendi, vt tu utereris: tibi eam periisse, & maximè si gratis credidi, ff. de rebus creditis, l. rogasti, xi. in princ.

Si tibi decem dedero sic, ut nouem debeas: proculus rectè ait, non amplius ipso iure debere, quàm nouem. sed si decem dedero, ut undecim debeas: putat Proculus amplius, quàm decem condici non posse, d. l. rogasti, §. si tibi decem dedero.

Si à furioso, cùm eum compotem mentis esse putares, pecuniam quasi mutuam acceperis, eaque in rem tuam uersa fuerit: conditio furioso acquiritur, ff. eo. l. si à furioso, xii.

Si alienam pecuniam credendi causa quis dederit, deinde furere cæperit, & consumpta sit ea pecunia: conditio furioso acquiritur, d. l. si à furioso, §. si.

Si fur numos tibi credendi animo dedit, accipientis non facit, sed consumptis eis, nascitur condictio. Vnde si alienos numos tibi mutuo dedi, non ante mihi teneris, quàm eos consumpseris. quod si per partes eos consumpseris, per partes tibi condicam, si admonitus alienos nummos fuisse, ideo per partem condico, quia nondum totos consumptos compereram, ff. eod. l. nam, & si, xiiii. in princ.

Si filiusfamiliàs contra Senatusconsultum pecuniam soluerit: patri numos uendicanti nulla exceptio obiicietur. Sed si fuerint consumpti, cessat conditio: quoniam toties conditio datur, quoties ex ea causa numerati sunt, ex qua, actio nasci potuisset, si dominium ad accipientem transisset, in proposito au-

tem

tem non ita esset. Denique per errorem soluti contra s. c. crediti magis est cessare repetitionem, ff. eo. l. si filiusfam. xiiii.

Singularia quædam præcepta sunt circa pecuniam creditam. Nam si tibi debitorē meum iussero dare pecuniā, obligaris mihi, quāuis numos meos non acceperis. ¶ quod igitur in duabus personis recipitur, hoc & in eadem persona recipiendum est: ut cum ex causa mandati pecuniam mihi debeas, & conuenerit, ut crediti nomine eam retineas: uideatur mihi data pecunia, & à me ad te profecta, ff. eod. l. singularia, xv.

Non unde originem pecunia, quæ mutuo datur, habebat: sed qui contraxit, si vt proprium numerauit in huiusmodi obligationibus requiritur, C. si certum peta. l. septima.

Si socius propriam pecuniam mutuam dedit: omnimodo creditam facit, licet cæteri dissenserint, quod si communem numerauerit: non alias creditam efficit, nisi cæteri quoque consentiant: quia suæ partis tantum alienationem habuit, ff. eo. l. si socius, xvi.

Si ego pecuniam tibi quasi donaturus dedero, tu quasi mutuam accipias. pecunia mutua non est, numique accipientis non fiunt, cum alia opinione acceperit. Quare si eos consumpserit: licet conditione teneatur; tamen doli exceptione uti poterit: quia secundum uoluntatem dantis numi non sunt consumpti. Et si ego quasi deponens tibi dedero, tu quasi mutuum accipias: nec depositum, nec mutuum est. Idem est, & si tu quasi mutuam pecuniam dederis, ego quasi commodatam ostendendi gratia accepi, sed in vtroque casu, consumptis numis, condictioni, siue doli exceptioni locus erit, ff. eo. l. si ego, xviii.

Non omnis numeratio, eum qui accipit, obligat: sed quoties id ipsum agitur, vt confestim obligetur. Nam is, qui pecuniam mortis causa donat: numerat quidem pecuniam, sed non aliter obligat accipientem, quàm si existat casus, in quem obligatio collata fuit: veluti si donator conualuit: aut is, qui accipiebat, prior decesit. Et cum pecunia datur, ut aliquid fieret, quandiu in pendenti est, an id futurum sit, cessabit obligatio. Cùm uero certum esse cæperit futurum id non esse, obligabitur, qui accepit, veluti si Titio decem dedero, aut equum intra Klendas Sempronio daret, ante Klendas nullam actionem habebo, post Klendas ita demum agere potero si equus datus non fuerit, ff. eod. l. non omnis, xix. in princ.

Si pupillus sine tutoris auctoritate crediderit, aut soluendi causa dederit: consumpta pecunia condictionem habet, uel liberatur: non alia ratione, quàm facto eius intelligitur ad eum, qui accepit, peruenisse. Quapropter si eandem pecuniam is, qui in creditum, uel insolutum acceperat, alii porro in creditum, uel in solutum dederit: consumpta ea, & ipse obligatur pupillo, uel eū à se liberat: & eum, cui crediderit, obligatum habebit, vel si ab eo liberabit. Nam omnino, qui alienam pecuniam credendi causa dat, consumpta ea, habet obligatum eum, qui accepit: Item qui in solutum dedit, liberatur ab eo, qui accepit, d. l. non omnis, §. si pupillus.

Si tibi pecuniam donassem, vt tu mihi eandem crederes, in huiusmodi propositionibus non propriis uerbis nos utimur. Nam talis contractus, neque donatio est, neque pecunia credita est. donatio non est, quia non ea mente pecunia daretur, ut omnimodo apud accipientem maneret. credita non est,

quia exoluendi causa magis daretur, quàm alterius obligandi. Igitur si is, qui pecuniam hac conditione accepit, ut mihi in creditum daret, acceptam dederit: non fore creditam. magis enim meum accepisse intelligi debeo. sed hæc intelligenda sunt, propter subtilitatem uerborum, benignius tamen est, utrumque ualere, ff. eod. l. si tibi, xx.

Non satis est dantis esse numos, & fieri accipientis, ut obligatio nascatur, sed etiam hoc animo dari, & accipi oportet, ut obligatio constituatur. Itaque si quis pecuniam suam donandi causa dederit mihi: quamquam & donantis fuerit, & mea fiat, tamen non obligor ei: quia non hoc inter nos est actum, ff. de obligatio. l. iii. §. non satis.

Si pecuniam militis procurator eius mutuam dederit, fideiussoremque acceperit: exemplo eo, quo si tutor pupilli, aut curator iuuenis pecuniam alterutrius eorum creditam stipulatus fuerit: actionem dari militi, cuius pecunia fuerit, placuit, ff. de reb. creditis, l. si pecuniam, xxvi.

Ciuitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem eius pecuniæ uersæ sunt. Alioquin ipsi soli, qui contraxerunt, non ciuitas tenebantur, ff. eod. l. ciuitas mutui, xxvii.

Creditor, qui non idoneum pignus accepit: non amittit exactionem eius debitæ quantitatis, in quam pignus non sufficit, ff. eo. l. creditor, xxviii.

Si institorem filium pater habuerit, potest dici etiam condici ei posse, quasi iussu eius contrahatur, à quo præpositus sit, ff. eod. l. si institorem filium, xxix.

Qui pecuniam creditam accepturus, spopondit creditori futuro: in potestate habet, ne accipiendo se ei obstringat, ff. eod. l. qui, xxx.

Si me & Titium mutuam pecuniam rogaueris, & ego meum debitorem tibi promittere iusserim: tu stipulatus sis: cum putares eum Titii debitorem esse: quamuis nullum negotium mecum contraxisti, proprius est, ut tu obligaris, non quia pecuniam tibi credidi: (hoc enim nisi inter consentientes fieri non potest) sed quia pecunia mea ad te peruenit: eam mihi à te reddi, bonum & equum est, ff. eo. l. si & me, xxxiii.

Qui prouinciam regunt, quive circa eos sunt prohibentur negotiari, mutuamve pecuniam dare, ff. eodem l. principalibus, xxxiii. & C. si cert. petat. l. iii.

Sed Præsidis prouinciæ officiales, qui perpetui sunt mutuam pecuniam dare possunt, aut cum honesto lucro eam exercere, ff. eod. l. præsidis, xxxiiii.

Item præses prouinciæ mutuam pecuniam sumere non prohibetur, d. l. præsidis, in fine.

Sed quis iudici pecuniam mutauerit, si in prouincia fuerit uersatus, quasi emptor legum, atque prouinciæ, vel si quis collectarius honoris pretium dederit ambienti exilii poena, vna cum ipso iudice plectetur, C. si cert. petat. l. penultim.

Cùm filiusfamil. uiaticum suum mutuum dederit, cùm studiorum causa Romæ ageret: extraordinario iudicio illi subueniendum est, ff. eod. l. cùm filiusfamil. xvii.

De

De ſoluto indebito.

Is, qui non debitum accepit ab eo, qui errore ſoluit, RE obligatur: daturque agenti contra eum propter repetitionem condictitia actio. Nam perinde ab eo condici poteſt, ſi apparet eum dare oportere, ac ſi mutuum accepiſſet. Vnde pupillus ſi ei ſine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum eſt, non tenebitur indebiti condictione, nō magis, quàm mutui datione. ſed hæc ſpecies obligationis non uidetur ex contractu conſiſtere. cùm is, qui ſoluendi animo dat, magis velit negotium diſtrahere, quàm contrahere, Inſt. quib. mo. re cont. oblig. §. is quoque, & ff. de oblig. l. prima, §. is quoque.

Titulus de condictione indebiti poterat hic ſequi, quia quamuis leges ipſius tituli non diſponant de accipiente indebitum, ſed de ſoluente: attamen ſoluens, & accipiens ſunt nomina correlatiua. Omittitur uero, quia melius cadet in Parte Sexta de actionibus.

De Rubricis commodati, & depoſiti Quia nullæ leges potuerunt accommodari Titulo de commodato, & depoſito, & de obligat. RE: hæ ſumptæ ſunt: reliquę relictæ ponendæ in Titulis de actione commodati, & depoſiti. Titulus uero de condictione indebiti non eſt diuiſus, quia leges omnes vniformes ſunt, & ponentur in Parte Sexta de actionibus.

DE COMMODATO.

Titulus III.

QVamuis inter commodatum, & utendum datum uideatur intereſſe, vt commodetur res mobilis: ea uero quæ ſoli ſunt utendum dantur: attamen propriè commodata res dicitur, & quæ ſoli eſt: nam & habitatio commodari poteſt, ff. commodati, l. 1. §. inter. Is cui res aliqua utenda datur, ideſt commodatur RE obligatur: & tenetur commodati actione. ſed is, qui ab eo, qui mutuum accipit, longe diſtat. Namque non ita res datur, ut eius fiat: & ob id de ea ipſa re reſtituenda tenetur. ¶ Et is quidem, qui mutuum accepit, ſi quolibet fortuitò caſu amiſerit, quod accepit: ueluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum, hoſtium ve incurſu, nihilominus obligatus remanet. ¶ At is, qui utendum accepit, ſanè quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare iubetur: nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus adhibere ſolitus eſt: ſi modo alius diligentior poterat eam rem cuſtodire, ſed propter maiorem uim, maioresve caſus non tenetur: ſi modo non ipſius culpa is caſus interuenerit. Alioquin ſi id, quod tibi commodatum eſt domi peregre tecum ferre malueris, & uel incurſu hoſtium, prædonumve, vel naufragio amiſeris: dubium non eſt, quin de reſtituenda ea re tenearis, Inſtit. quibus mod. re contr. oblig. §. item is cui, & ff. de oblig. l. prima, §. is quoque, & ff. com mod. l. v. §. quod vero.

Commodatum plerunque ſolam utilitatem continet eius, cui commodatur, & ideo uerius eſt, hoc caſu, & culpam, & diligentiam præſtandam, & ſi fortè res æſtimata data ſit omne periculum ab eo præſtandum, qui æſtimationem ſe

præstaturum recipit, ff. commod. l. v. §. commodatum. ¶ Sed interdũ & mortis damnum ad eum, qui commodatum rogauit, pertinet. Nam si tibi equum commodauero, ut ad villam duceres. Tu ad bellum duxeris commodati teneberis. Plane si sic commodaui, ut ad bellum duceres, periculum meum est, d. l. v. §. sed interdum.

Interdum planè dolum solum in re commodata, qui rogauit, præstabit: ut puta si ita conuenit, uel si sua tantum causa commodauit, sponsæ forte suæ, vel vxori, quo honestius culta ad se deduceretur: uel si quis ludos edens prætor scænicis commodauit, uel ipsi prætori quis ultro commodauit, d. l. v. §. interdum.

Eum, qui rem commodatam accepit, si in eam rem usus est, in quam accepit, nihil præstare, si eam in nulla parte culpa sua deteriorem fecit, uerum est. Nam si culpa fecit deteriorem, tenebitur, ff. eod. l. eum qui, x.

Vnde si commodauero tibi equum, quo utereris usque ad certum locum, si nulla culpa tua interueniente in ipso itinere deterior equus factus sit: non teneris commodati. Nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter equum commodarim, qui eum laborem sustinere non posit, ff. eod. l. si.

Non potest commodari id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam, uel ostẽtationem quis acceperit, ff. comm. l. tertia. §. si.

Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, vt ditis gratia numerationis loco intercedant, ff. eod. l. quarta.

Rei commodatæ & possessionem, & proprietatem retinemus. Nemo enim rem commodando, rem facit eius, cui commodat, ff. eod. l. viii. & seq.

Si rem inspectori dedi: an similis sit ei, cui commodata res est, quæritur. & si quidem mea causa dedi, dum uolo precium exquirere. dolum mihi præstabit tantum. si sua, etiam custodiam: & ideo furti habebit actionem. ¶ Sed & si dum refertur, periit: siquidem ego mandaueram, per quem remitteret. periculum meum erit. si uero ipse cui uoluit commisit, æquè culpam mihi præstabit, si sua causa accepit, ff. eod. d. l. eum qui, x. §. si rem.

Commodare possumus etiam alienam rem, quam possidemus: tametsi scientes alienam possidemus. Ita ut, & si fur, uel prædo commodauerit, habeat commodati actionem, ff. eod. l. commodare, xv. cum seq.

Commodata autem res tunc propriè intelligitur, si nulla mercede accepta, vel cõstituta res tibi utẽda data est, alioquin mercede interueniente locatus tibi usus rei uidetur. Gratuitum enim debet esse commodatum, Inst. quib. mod. re cont. oblig. §. commodata autem res.

DE DEPOSITO.

Titulus IIII.

IS apud quem res aliqua deponitur, RE obligatur, teneturque actione depositi; sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit: culpæ autem nomine, id est desidiæ, ac negligentiæ non tenetur. Itaque securus est, qui parum diligenter custodiendam rem furto amisit, quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed suæ facilitati, id imputare

rare debet: magnam tamen negligentiam placuit in doli crimine cadere, Inſtit quibus mod.re contr.oblig.§.præterea,& ff.de obliga.l.1.§. is quoque apud quem.

Latronem culpam dolum eſſe, uerisſimum uidetur: Nam ſi quis non ad eam modum, quem hominum natura deſiderat, diligens eſt: niſi tamen ad ſuum modum curam in depoſito præſtat, fraude non caret: nec enim ſalua fide minorem iis, qui ſuis rebus diligentiam præſtabit, ff. eodem l. quod Nerua, xxxii.

Depoſitum eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt, dictum ex eo, quod ponitur. Præpoſitio enim de, auget poſitum: vt oſtendat totum fidei eius eſſe commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet, ff. depoſiti, l. prima, in princip.

Qui rem ſuam deponi apud ſe patitur,vel utendum rogat: nec depoſiti,nec commodati actione tenetur:ſicuti,qui rem ſuam conducit,aut precario rogat, nec precario tenetur,nec ex locato,ff.eod.l.qui rem,xv.

Si is apud quem rem depoſueris,apud alium eam deponat,& ille dolo,qui admiſerit, ob dolum eius, apud quem poſtea ſit depoſitum, eatenus eum teneri, apud quem tu depoſueris, ut actiones ſuas tibi præſtet, ff. eodem l. ſi is apud quem,xvi.

Licet deponere tam plures,quàm unus poſsint,attamen apud ſequeſtrum non niſi plures deponere poſſunt. Nam tunc id ſit, cùm aliqua res in controuerſiam deducitur. Itaque hoc caſu inſolidum unuſquiſque uidetur depoſuiſſe. quod aliter eſt,cùm rem communem plures deponunt,ff.eod.l.licet,xvii.

Rei depoſitæ proprietas apud deponentem manet, ſed & poſſeſsio, niſi apud ſequeſtrum depoſita eſt; nam tunc demum ſequeſter poſsidet. Id enim agitur ea depoſitione, ut neutrius depoſitioni id tempus procedat, d. l. licet, xvii. §.rei depoſitæ.

Si ſine dolo malo rem depoſitam tibi amiſeris, nec depoſiti teneris, nec cauere debes,ſi depræhenderis eam reddi: ſi tamen ad te iterum peruenerit, depoſiti teneris,ff.eod.l.ſi ſine,xx.

Si apud filiumfamil. res depoſita ſit, & emancipatus rem teneat, pater nec intra annum de peculio debet conueniri, ſed ipſe filius, ff. eodem l.ſi apud filiumfamil.xxi.

Si duo hæredes rem apud defunctum depoſitam dolo interuerterint; quodam utique caſu in partes tenebuntur. Nam ſi diuiſerint decem millia, quæ apud defunctum depoſita fuerint,& quinque millia abſtulerint, & uterque ſoluendo ſit,in partes obſtituiti erunt.nec enim amplius actoris intereſt. Quod ſi lancem conflauerint,aut conflari ab alio paſsi fuerint, aliave quæ ſpecies dolo eorum interuerſa fuerit,inſolidum conueniri poterunt, ac ſi ipſi ſeruandam ſuſcepiſſent. Nam certè uerum eſt,inſolidum unumquemque dolo feciſſe,& niſi pro ſolido,res non poteſt reſtitui. Nec tamen abſurde ſentiet,qui hoc putauerit.planè niſi integræ rei reſtitutione eum,cum quo actum fuerit,liberari non poſſe,condemnandum tamen,ſi res non reſtituatur,pro qua parte hæres extiterit,ff.eod.l.ſi duo,xxii.

Lucius Titius Sempronio ſalutem: centum numos, quos hac die commendaſti mihi,adnumerante procuratore tuo eſſe apud me, ut notũ habes hac epiſtola manu mea ſcripta,tibi notum facio,quæ quãdo uoles, & ubi uoles, confeſtim tibi numerabo. Depoſiti actio locum habet; quid eſt.n. aliud cõmendare,quã deponere?

deponere? quod ita uerum est, si id actum esset, ut corpora nummorum eadem redderentur. Nam si tantundem solueretur, conuenit: egreditur ea res de positi notissimos terminos, & contra bonam fidem, & depositi naturam est interesse ab eo desiderare temporis ante moram, qui beneficium in suscipienda pecunia dedit. Si tamen ab initio de interesse præstando conuenit, lex contractus seruabitur, ff. eod. l. Lucius, xxiiii.

Publia Mæuia cùm proficisceretur ad maritum suum, arcam clausam cum ueste, & instrumentis commendauit Caiæ Seiæ, & dixit ei: cùm salua, sanaue venero, restitues mihi: cæterum si aliquid mihi humanum contigerit, filio meo, quem ex altero marito suscepi. defuncta ea intestata, res commendatæ non marito, sed filio restitui debent, ff. eod. l. publia, xxvi. in princ.

Titius Semproniis scripsit, se habere ab ipsis auri pondo, plus minus decem, & discos duos, & saccũ signatum ex quibus debentur sibi decem, quos apud Titium deposuerunt: item habere, quos trophimati decem, item ex ratione patris eorum x. & quod exercuit: & huiusmodi scriptura, nulla obligatio nata uidetur: sed probatio depositarum rerum impleri potest: an autem is quoque, qui deberi sibi cauit, in eadem epistola decem probare posit, hac quoque scripsit iudex æstimabit, d. l. publia, §. Titius Semproniis.

Reus capitalis iudicii deposuit apud te cẽtum: is deportatus est: & bona eius publicata sunt: ipsi hæc reddenda non sunt, sed in publicum deferenda sunt magis intuendo ius ciuile, & legum ordinem, quàm naturale, & gentium: nam malè meritus publicè, vt exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam ægestate laborare debet, ff. eo. l. bona fides, xxxi. in princ.

Latro spolia, quæ mihi abstulit, posuit apud Seium inscium de malitia deponentis, si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quæ negotio isto coniunguntur: impletur: non latroni, sed mihi reddenda sunt: quo facto scelestissimo adempta sunt: & hæc est iustitia, quæ suum cuique tribuit ita, ut non distrahatur ab ullius personæ iustiore receptione. Quod si ego ad petenda ea non ueniam, nihilominus ei restituenda sunt, qui deposuit, quamuis male quæsita deposuit. Si tamen ignorans latro cuius filio rem abstulisset apud patrem eius deposuit ignorantem, nec ex iure gentium consistet depositum: cuius hæc est potestas, ut alii non domino sua ipsius res, quasi aliena seruanda detur. ¶ Et si rem meam fur, quam me ignorante surripuit apud me etiam nunc delictum eius ignorantem deposuerit: rectè dicetur non contrahi depositum: quia non est ex bona fide rem suam dominum prædoni restituere compelli. ¶ Sed etsi etiamnum ab ignorante domino tradita sit, quasi ex causa depositi: tamen indebiti dati conditio competit, d. l. bona fides, xxxi. §. latro spolia.

DE

DE PIGNORIBVS, ET HYPOTHECIS, ET QVALITER EA CONTRAHANTVR, ET DE PACTIS EORVM.

Titulus V.

CReditor quoque,qui pignus accepit,re obligatur: quia & ipse de ea re,quam accepit restituenda tenetur actione pignoratitia. sed quia pignus utriusque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur. & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum: placuit si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat,quam si præstiterit,& aliquo fortuitò casu rem amiserit, securum esse, nec impedire creditum petere, Inst. quib. mod. re contrah. oblig. § fin. & ff. de oblig. l. 1. §. creditor quoque.

Contrahitur Hypotheca per pactum conuentum, cùm quis paciscatur, ut res propter aliquam obligationem sint hypothecæ nomine obligatæ. Nec ad rem pertinet,quibus fiat uerbis: sicuti est, & in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur. Et ideo sine scriptura, si conuenit, ut hypotheca sit, & probari poterit: res obligata erit, de qua conuenit. Fiant enim de his scripturæ, ut quod actum est,per eas facilius probari possit.& sine his autem ualet, quod actum est,si habeat probationem: sicuti & nuptiæ sunt,licet testationes in scriptis habitæ non sint, ff. de pign. l. iiii.

Res hypothecæ dari posse sciendum est, pro quacunque obligatione: siue mortua pecunia detur, siue dos,siue emptio,uel uenditio contrahatur, uel etiam locatio,& conductio,uel mandatum: & siue pura est obligatio uel in diem,vel sub conditione,& siue in præsenti contractus est, siue etiam præcedat. sed & futuræ obligationis nomine dari possunt: & non tantum soluendæ omnis pecuniæ causa,verum etiam de parte eius, & uel pro ciuili obligatione, uel honoraria,uel tantum naturali. sed in conditionali obligatione non alias obligantur,nisi conditio extiterit. Inter pignus autem,& hypothecam tantum nominis sonus differt. Dare autem quis hypothecam potest, siue pro sua obligatione,siue pro aliena, ff. eod. l. v.

Obligatione generali rerum,quam quis habuit,habiturusve est: ea non continebuntur, quæ uerisimile est, quemque specialiter obligaturum non fuisse: ut puta supellex, item uestis relinquenda est debitori. proinde & de ministeriis eius,perquam ei necessariis, vel quæ ad affectionem eius pertinent: uel quæ in usum quotidianum habentur,seruiana non competit, ff. eod. l. vi. cum l. sequen.

Sed & quod ad eas res,quas eo tempore,quo pasciscebatur,in bonis habuit, idẽ obseruari debet. Quod emptionem,uenditionemque recipit, etiam pignorationem recipere potest, ff. eod. l. sed &, ix.

Conuentio generalis in pignore dando bonorum,vel postea quæsitorum, recepta est. In speciem autem alienæ rei collata conuentione, si non fuerat ei, qui pignus dabat,debita: postea debitori dominio quæsito, difficilius creditori, qui non ignorauit alienum,utilis actio dabitur: sed facilior erit creditori possidenti retentio, ff. eo. l. 1. in princ.

Cùm prædium vxor viro donasset,idque prædium uir pignori dedisset: post diuortium mulier possessionem sui prædii recuperauit,& idem prædium ob debitum uiri pignori dedit. In ea duntaxat pecunia recte pignus à muliere con-

tractum apparuit, quam offerre uiro debuit, meliore prædio facto: sed si maiore sumptus, quàm fructus fuissent, quos uir ex prædio percepit. Etenim in ea quantitate proprium mulier negotium gessisse, non alienum suscepisse uidetur, d.l. prima. §. fin.

Si debitor res suas duobus pignori simul obligauit, ita ut utrique insolidum obligatæ essent: singuli insolidum aduersus extraneos Seruiana utentur. Inter ipsos autem si quæstio moueatur, possidentis melior est conditio. Dabitur enim possidenti hæc exceptio, si non conuenit, ut eadem res mihi quoque pignori esset insolidum. Si autem id actum fuerit, ut pro partibus res obligarentur: utilem actionem competere, & inter ipsos, & aduersus extraneos, per quā dimidiam partem possessionis appræhendant singuli in confesso est, ff. eod.l. si debitor, x.

Si is, qui bona Reip. iure administrat, mutuam pecuniam pro ea accipiat: potest rem eius obligare. ¶ Si antichresis facta sit, & in fundum, aut in ædes aliquis inducatur: eo usque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia soluatur, cum in usuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandoque. Itaque si amiserit possessionem, solet in factum actione uti, ff. eo.l. is qui, xi. in princi.

Vsusfructus an possit pignori, hypothecæve dari, quæsitum est: & scribit Papinianus l. xi. responsorum, siue dominus proprietatis conuenit siue ille, qui solum vsumfructum habet, tuendum creditorem, & si uelit cum creditore proprietarius agere, non esse ei ius uti frui inuito se: tali exceptione eum prætor tuebitur, si non inter creditorem, & eum, ad quem vsusfructus pertinet, conuenerit, vt vsusfructus pignori sit. Nam cum & emptorem vsusfructus tuetur prætor: cur non & creditorem tuebitur? eadem ratione, & debitori obiicietur exceptio, d.l. si is qui, §. vsusfructus.

Iura prædiorum vrbanorum pignori dari non possunt, igitur nec conuenire possunt, ut hypothecæ sint. At in uia, itinere, actu, aquæductu, si pactio fiat, ut quā diu pecunia soluta non sit, eis seruitutibus creditor vtatur, scilicet si uicinum fundum habeat: & si intra diem certum pecunia soluta non sit uendere eas uicino liceat propter vtilitatem contrahentium, tale pactum admittendum est, ff. eo. l. si is qui, xi. §. fi. cum l. seq.

Grege pignori obligato, quæ postea nascuntur, tenentur. sed & si prioribus capitibus decedentibus, totus grex fuerit renouatus, pignori tenebitur, ff. cod. l. grege, xiii. in princ.

Si fundus hypothecæ datus sit, deinde alluuione maior factus est, totus obligabitur, ff. eod. l. si fundus, xvi. in princ.

Quidquid vero commodi, siue incommodi fortuitò pignori accessit, id ad debitorem pertinet, ff. cod. l. si inter, xxi. § quidquid.

Et quæ nondum sunt, futura tamen sunt, hypothecæ dari possunt, vt fructus pendentes, fœtus pecorum, & ea quæ nascuntur sint hypothecæ obligata. Itaque seruandum est, siue dominus conuenerit, aut de vsufructu, aut de iis, quæ nascantur: siue is, qui vsumfructum habet, sicut Iulianus scribit, ff. cod. l. & quæ, xv. in princ.

Cùm prædium pignori daretur: nominatim vt fructus quoque pignori essent, conuenit eos consumptos bona fide, emptor vtili Seruiana restituere non cogetur. pignoris etenim causam nec vsucapione perimi placuit: quoniam quæstio pignoris ab intentione dominii separatur. Quod in fructibus dissimile est,

est, qui nunquam debitoris fuerunt, ff. eod. l. prima, §. cùm prædium.

Quod dicitur creditorem probare debere, cum conueniebat rem in bonis debitoris fuisse: ad eam conuentionem pertinet, quæ specialiter facta est, non ad illam, quæ quotidie solet cautionibus inseri: vt specialiter rebus hypothecæ nomine datis, cætera etiam bona teneantur debitoris, quæ nunc habet, & quæ postea acquisierit, perinde atque si specialiter hæ res fuissent obligatæ, ff. eod. l. & quæ, xv. §. quod dicitur.

Qui res suas iam obligauerunt, & alii secundo obligant creditori: vt effugiant periculum, quod solent pati, qui sæpius easdem res obligant, prædicere solent, alii nulli rē obligatā esse, quā fortè Lucio Titio: ut in id, quod excedit priorē obligationē, res sit obligata, vt sit pignori, hypothecæve id, quod pluris est: aut insolidum cùm primo debito liberata res fuerit, d. l. & quæ non, xv. §. qui res.

Si nesciente domino res eius hypothecæ data sit: deinde postea dominus ratum habuerit: dicendum est hoc ipso, quod ratum habet, uoluisse eum retro currere ratihabitionē ad illud tēpus, qđ cōuenit. Voluntas aūt ferè eorum demum seruabitur, qui & pignori dare possunt, ff. eod. l. si fundus, xvi. §. si nesciente.

Si res hypothecæ data, postea mutuata fuerit: æquè hypothecaria actio competit, veluti de domo data hypothecæ, & horreo facto. Idem si de loco conuenit, & domus facta sit. Item si de loco dato, deinde vineis in eo positis, d. l. si fundus, xvi. §. si res hypothecæ.

Aliena res utiliter obligari potest sub conditione, si debitoris facta fuerit. d. l. si fundus, xvi. §. aliena res.

Si duo pariter de hypotheca paciscuntur: in quantum quisq; obligatam hypothecam habeat, utrum pro quantitate debiti, an pro partibus dimidiis, quæritur: & magis est, vt pro quantitate debiti pignus habeat obligatū: sed vterq; si cum possessore agat, quemadmodum? utrum de parte quisq;, an de toto, quasi utrique insolidum res obligata sit? quod erit dicendū, si eodē die pignus utrique datum sit separatim. sed si simul illi, & illi: si hoc actum est, uterque rectè insolidum aget. si minus, aget unusquisque pro parte, d. l. si fundus, xvi. §. si duo.

Potest ita fieri pignoris datio hypothecave, vt si intra certum tēpus non sit soluta pecunia, iure emptionis possideat rem iusto pretio, tunc æstimandam. hoc enim casu uidetur quodāmodo cōditionalis esse uēditio, d. l. si fundus, xvi. §. fi.

Generalis quidem conuentio sufficit ad obligationem pignorum, sed ea, quæ ex bonis defuncti non fuerunt: sed postea ab hærede eius ex alia causa acquisita sunt, uendicari nō possunt à creditore testatoris, ff. eo. l. Paulus, xxix. in princ.

Si animalia in causam pignoris cæciderunt, ea quoque, quæ ex his nata sunt eodem iure habenda sunt: quod tamen diximus etiam nata teneri, siue specialiter de his conuenerit, siue non: ita procedit, si dominium eorum ad eum peruenit, qui obligauit, uel hæredem eius. cæterum si apud alium dominum pepererint, non erunt obligata, d. l. Paulus, xxix. §. si mancipia.

Domus pignori data exusta est: eamque aream emit Lucius Titius, & extruxit: quæsitum est, de iure pignoris. Paulus respondit, pignoris persecutionem perseuerare: & ideo ius soli superficiem secutam uideri, idest cum iure pignoris: sed bonæ fidei possessores non aliter cogendos creditoribus ædificium restituere, quam si sumptos in extructionem erogatos, quatenus res pretiosior facta esset, reciperent, d. l. Paulus, xvi. §. domus.

Si insula, quam tibi ex pacto conuento licuit uendere, combusta est, deinde à debitore suo restituta: idem in noua insula iuris habes, ff. eod. l. fin.

Cùm tabernam debitor creditori pignori dederit, quæsitum est, utrum eo facto nihil egerit, an tabernæ appellatione merces, quæ in ea erant, obligatæ uideantur: & si eas merces per tempora distraxerit, & alias comparauerit: easq; in eã tabernam intulerit, & decesserit: an omnia, quæ ibi depræhenduntur, creditor hypothecaria actione petere posit: cùm & mercium species mutatę sint, & res aliç illatæ: respondit Scæuola ea, quæ mortis tempore in taberna inuenta sunt, pignori obligata esse uidentur, ff. eo. l. cùm tabernam. penul. in princ.

Cùm epistola talis emissa sit, Mutuatus abs te quingentos denarios rogaui ne spõsorem, sed pignus à me acciperes. exacte enim & pro certo nosti nemini alii tabernam meam, quam tibi esse obligatam, & quod tanquam honesto uero fidẽ habueris; dubitatum fuit, an pignus contractum sit, an uero ea epistola nullius momenti sit, cum sine die, & consule sit, & responsum fuit, cùm conuenisse de pignoribus uidetur, non idcirco obligationem pignorum cessare, quod dies, & consules additi, vel tabulæ signatæ non sint, d. l. pen. §. idem quæsiuit.

Creditor pignori accepit à debitore, quidquid in bonis habet, habiturusve esset: corpora pecuniæ, quam idem debitor ab alio mutuo accepit, cùm in bonis eius facta sint obligata creditori pignoris esse cæperunt, d. l. pen. §. fi.

Si ab eo, qui Publiciana uti potuit (quia dominium non habuit) pignori accepi; sic tuetur me per Seruianam prætor, quemadmodum debitorem per Publicianam, ff. eo. l. si ab eo, xviii.

Qui pignori plures res accipit, non cogitur unam liberare, nisi accepto uniuerso quantum debetur, ff. eod. l. qui pignoris, xix.

Cùm conuenit, vt is, qui ad refectionem ædificii credidit de pensionibus iure pignoris ipse creditum recipiat: etiam actiones vtiles aduersus inquilinos accipiet cautionis exemplo, quam debitor cautionis pignori dedit, ff. eod. l. cùm conuenit, xx.

Si inter colonum, & procuratorem meum conuenerit de pignore, vel ratam habẽte me conuentionem, vel mandante: quasi inter me, & colonum meum conuenisse uidetur, ff. eo. l. si inter, xxi. in princ.

Creditor prædia sibi obligata ex causa pignoris locare rectè poterit, ff. eod. l. creditor, xxiii.

Pignoris obligatio ẽt inter absentes recte ex cõtractu obligatur, d. l. creditor, §. fi.

In quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere prohibetur, ff. eod. l. in quorum, xxiiii.

Cùm uitiose, vel inutiliter contractus pignoris intercedat, retentioni locus non est, nec si bona creditoris ad fiscum perueniant, ff. eo. l. cùm uitiosè, xxv.

Pater Seio emancipato filio suo, facile persuasit, ut quia mutuam quantitatem acciperet, à Septitio creditore, chirographum perscriberet sua manu filius, quia ipse impeditus esset scribere, sub commemoratione domus ad filium pertinentis pignori dandæ. Quærebatur an Seius inter cætera bona etiam hanc domũ iure optimo possidere posit, cùm patris se hæreditate abstinuerit; nec metuere debeat ex hoc solo, quod mandante patre manu sua perscripsit instrumentũ chirographi, cùm neque consensum suum accommodauerit patri, aut signo suo, aut alia scriptura? Modestinus respondit, cum sua manu pignori domum suam futuram Seius scripserit, consensum ei obligationi dedisse, manifestum est, ff. eo. l. fideiussor, xxv. §. pater Seio.

Si legati conditionalis nomine relicti filiofam. pater ab hærede rẽ propriã eius pignori acceperit, & mortuo patre, vel emancipato filio conditio legati extiterit,

titerit, incipit filio legatum deberi: & neque pater poteſt pignus uendicare, neque filius, qui nunc habere cœpit actionem: ſed nec ex præcedenti tempore poteſt quicquam iuris habere in pignore: ſicut in fideiuſſore dicitur, ff. eo. l. ſi ligati, xxviii.

Lex uectigali fundo dicta erat, ut ſi poſt certum tempus vectigal ſolutum non eſſet, is fundus ad dominum rediret. poſtea is fundus à poſſeſſore pignori datus eſt. Si pecunia interceſsiſſet, pignus erit. Item, ſi cùm in exolutione uectigalis, tam debitor, quàm creditor ceſſaſſent, & propterea pronuntiatum eſſet fundum, ſecundum legem domini eſſe: ſi uectigali non ſoluto dominus iure ſuo uſus eſſet, etiam pignoris ius euanuit, ff. eod. l. lex uectigali, xxxi.

Is, qui promiſit tibi, aut Titio, ſolutum quidem Titio repetere non poteſt: ſed pignus ei datum, & ante ſolutionem recipit, ff. eo. l. is qui, xxx.

Debitor, qui pignoribus profitetur, ſe creditoribus cedere, nihilomagis liberabitur, C. de pign. l. prima.

Creditor, qui ſpecialiter quædam, & uniuerſa bona generaliter pignori accepit, ſi certum eſt, poſſe eum ex his, quæ nominatim ei pignori obligata ſunt, uniuerſum redigere debitum: ea quæ poſtea ex eiſdem bonis pignori accepit, alter creditor. Interim ſibi non auferri præſes prouinciȩ iubebit, C. de pig. l. ſecunda. At nominatori pignori capere ſine præſidis auctoritate res nominati non licet, C. eod. l. nominatori, xi.

Creditores, qui non reddita ſibi pecunia, conuentionis legem ingreſsi poſſeſsionem exercent, cùm quidem facere non uidentur: attamen autoritate præſidis poſſeſsionem adipiſci debent, C. eo. l. tertia.

Qui pecuniam accepiſſe, & agros ſuos obligaſſe fatetur, non habet rationem, ſi quæritur ui ſe coactum pignori dare. ſi igitur recipere vult rem ſuã ſoluat creditori ſuo pecuniam debitam, C. eod. l. quarta.

Præſes prouinciæ creditorem, uis pignoris exequentem audiet, nec ſibi oberit ſententia aduerſum debitorem ſuum dicta, ſi eum colluſiſſe cum aduerſario ſuo, aut non cauſa cognita, ſed præſcriptione ſuperatum eſſe conſtiterit, C. eo. l. quinta.

In ſumma debiti computabitur etiam id, quod propter poſſeſsiones pignori datas ad collationem uiarum muniẽdarum, vel quodlibet aliud neceſſarium obſequium præſtitiſſe creditorem conſtiterit, C. eo. l. ſexta.

Vſucapio pignoris conuentionem non extinguit, C. eod. l. ſeptima.

Quamuis perſonali actione expertus creditor aduerſus reum, vel fideiuſſores, ſeu mandatores eius fecerit condemnationem: pignoris tamen adhuc habet perſecutionem, C. eod. l. quamuis, viii.

Diſtractis à debitore pignoribus, creditores poteſtatem habere, utrum ne perſonali obligatos ſibi, an pignora poſsidentes in rem actione conuenire uelint, non eſt incerti iuris, C. eo. l. diſtractis, xiiii.

Debitorem neque uendentem, neque donantem, neque legantem, vel fideicommiſſum relinquentem poſſe deteriorem facere creditoris conditionem certiſſimum eſt. ſi creditor probare poteſt obligatam rem ſibi eſſe, pignora perſequi debet, C. eod. l. debitorem, xv.

Cùm domina non minor, xxv. annis, ea quæ obligauerat creditori, iure dominii poſsidere permiſerit, & in ſolutum dederit: dominæ contractus, & uoluntas ad firmitatem ſufficit, C. eo. l. cum domina, xiii.

Et ſi frater non ſuam, ſed ad fratrem pertinẽtem pecuniam mutuam ſuo nomine

 dedit,

dedit,& pignus accepit, tamen fratri pignoris obligationem quærere non potuit, C. eod. l. & si frater. xvi.

Quamuis ea pecunia, quam à te mutuo frater accepit, comparauerit pretium: tamen nisi specialiter, uel generaliter hoc tibi obligauerit, tuæ pecuniæ numeratio in causam pignoris non deduxit, C. eod. l. xxii.

Res obligatas exterus debito soluto liberando, datum petere, non earum dominium adipisci potest, C. eod. l. res, xxi.

Secundus creditor offerendo priori debitum, confirmat sibi pignus, & à debitore sortem, eiusq; interesse, quod fuisset præstandum, C. eo. l. secundus, xxii.

Maior annis xxv. pignoris conuentionem remissam (secundum hoc solum pactũ, vel iurisdictio, secundum ipsius uoluntatem tueatur) persequi non potest, C. eod. l. maior, xxiii.

Persecutione pignoris omissa, debitores actione personali conuenire, creditor urgeri non potest, C. eod. l. persecutione, xxiiii.

Qui creditam pecuniam accipiunt: & liberis suis, uel alio modo cognatis, quamcunque militiam acquisierint (ea tamen, quę uendi, vel ad hæredes sub certa definitione transmitti potest) licitum est, creditoribus pecuniæ etiam nõ probantibus, ex pecuniis eorundem negociatorum liberos, negotiatores eorum, uel cognatos militasse (dum tamen contrarium non probatur alios ex suo patrimonio dedisse pecunias) creditum ab iis, qui militarint exigere, uel tantũ eos efflagitare, quanti uendi, eadem militia possit. Quod ita obtinet, & si extraneis quibusdam iidem negotiatores de suis pecuniis huiusmodi militiam acquisisse probentur: vt quid generaliter in ipsis debitoribus militantibus talem militiam, quæ uendi, vel ad hæredes transmitti potest, permissum est, vt liceat creditoribus, & adhuc uiuentium debitorum iure hypothecæ uendicare militias, nisi sibi satisfiat, & post mortem eorum exigere, quod pro iisdem militiis pro tenore communis militantium placiti, vel diuinæ sanctionis tale præstantis beneficium dari solet: hoc in negociatorũ personis, licet ipsi militantes minime debito obnoxii sint, integrum creditoribus eorum seruetur, C. eo. l. fi.

IN QVIBVS CAVSIS PIGNVS, VEL HYPOTHECA TACITE CONTRAHATVR.

Titulus VI.

SEnatusconsulto, quod sub M. Imperatore factum est, pignus insulæ creditori datum, qui pecuniam ob restitutionem ædificii extruendi mutuam dedit: ad eum quoque pertinebit, qui redemptori domino mandante numos administrauit, ff. in quib. cau. pig. uel hypothe. tacitè contrah. l. prima.

Non solum pro pensionibus, sed & si deteriorem habitationem fecerit, culpa sua Inquilinus, quo nomine ex locato, cùm eo erit actio, inuecta, & illata pignori erunt obligata, ff. eod. l. ii.

Si horreum fuit conductum, uel diuersorum, vel area, tacitam conuentionem de inuectis, illatis in his locum habebit, ff. eo. l. tertia.

Eo iure utimur, vt quæ in prædia vrbana inducta illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite conuenerit. In rusticis prædiis contra obseruatur. ¶ Stabula, quæ non sunt in continentibus ædificiis, quorum ea prædiorum numero habenda sint, dubitari potest. Et quidem vrbanorum sine dubio non sunt, cùm

cùm à cæteris ædificiis separata sint. quod ad causam tamen taciti pignoris pertinet, non multum ab vrbanis prædiis differunt, ff. eo. l. quarta.

Si gratuitam habitationem conductor mihi præstiterit: inuecta à me domino insulæ pignori non erunt. Item uoluntate domini induci pignus ita potest, ut in partem debiti sit obligatum, ff. eod. l. quinta in princ.

In prædiis vrbanis tacitè solet conuentum accipi, vt perinde teneantur inuecta, & illata, ac si specialiter conuenisset, ff. eod. l. sexta.

In prædiis rusticis fructibus, qui ibi nascuntur, tacitè intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiam si nominatim id non conuenerit, ff. eod. l. in prædiis, vii.

Quamuis fructus pignori datorum (& si id apertè non sit expressum) & ipsi pignori credantur tacita pactione inesse: prædia tamen, quæ emuntur ex fructuum pretio ad eandem causam uenire non placuit, C. eod. l. tertia.

Non omnia illata, & inducta, sed ea sola, quæ vt ibi illata fuerint, pignori sunt, d. l. in prædiis, §. fin.

Cùm debitor gratuita pecunia vtatur, potest creditor de fructibus rei siai pignoratæ ad modum legitimum interesse retinere, ff. eo. l. cùm debitor, viii.

Si quis fideiubebat, cùm res illius à debitore, pro quo fideiussit pignori data sit, bellissimè intelligitur hoc ipso, quod fideiubet, quodam modo mandare res suas obligatas esse. sanè si postea sint eius res hypothecæ datæ, non erunt obligatæ, ff. eod. l. quinta.

Tutoris hæres, cùm hærede pupilli transactione facta, cùm ex ea maiorem partē soluisset, in residuam quantitatem pignus obligauit, in ueterem contractum iure res obligata erit, ff. eod. l. fi.

Vniuersa bona eorum, qui censentur iure pignorum tributis obligata sunt, C. eod. l. prima.

Certum est eius, qui cum fisco contrahit, bona ueluti pignoris titulo obligari, quamuis specialiter id non exprimatur, C. eod. l. secunda.

Si mater legitimè suscepta tutela, ad secundas contra sacramentum præstitum aspirauerit nuptias, antequàm eis tutorem alium fecerit ordinari, eisq; quod debetur ex ratione tutelæ gestæ persoluerit: mariti quoque eius prę teritæ tutelæ ratiociniis bona iure pignoris tenebuntur obnoxia, C. eod. l. penul.

SI ALIENA RES PIGNORI DATA SIT.

Titulus VII.

PRocurator citra domini uoluntatem domum pignori frustra dat, si tamen pecuniam creditoris in rem domini uersam constiterit, nō inutilis erit exceptio dumtaxat, quod numeratum est exolui desideranti, C. si aliena res pign. data sit, l. prima.

Curator adulti, vel tutor pupilli, propriam rem mobilem eius, cuius negotia tuetur, pignoris iure obligare non potest: nisi in rem eius pecuniam mutuam accipiat, C. eod. l. tertia.

Qui probauerit prædia, uel hortos obligatos, suos esse: intelligit obligari eos creditori ab alio non potuisse, & si non sciens hoc agi in fraudem creditoris ignorantis dissimulauit, C. eod. l. secunda.

Filiusfamiliàs etiam maior xxv. annis in potestate patris, inuito patre rem suam obligare non potuit, C. eod. l. quarta.

Cùm res, quæ necdum in bonis debitoris est pignori data ab eo, postea in bonis eius esse incipiat: ordinariam quidem actionem super pignore non compete re manifestum est: sed tamen æquitatem facit, vt facile utilis persecutio exem plo pignoratitiæ detur, C. eod. l. quinta.

Quæ prædium in filios à se titulo donationis translatum creditori suo dat pigno ri, se magis contrario pignoratitio obligat iuditio, quàm quicquam dominis noceat: cùm Seruiana etiam actio declaret euidenter, iure pignoris teneri nō posse, nisi quæ obligantis in bonis fuerint: & per alium rem alienam inuito do mino pignori obligari non posse, certissimum est, C. eod. l. sexta.

Nexum non facit prædiorum, nisi persona, quæ iure potuit obligare: per procu ratorem autem, aut per colonum, seu conductorem ullum præiudicium posses sioni inuito, uel inscio domino imponi non posse: & iure, & legum auctoritati bus declaratur, C. eod. l. fi.

QVAE RES PIGNORI, VEL HYPOTHECAE DATAE OBLIGARI NON POSSVNT.

Titulus VIII.

PVpillus sine tutoris auctoritate hypothecam dare non potest, ff. quę res pig. oblig. non possunt, l. prima in princ.

Si filiusfam. pro alio peculiarem rem obligauerit, dicendum est, eā non teneri, licet liberam peculii sui administrationem habeat, sicut nec donare ei concedetur. Non enim usquequaque habet liberam administrationem, facti tamen est quæstio, quousque ei permissum uideatur peculium administrare, d. l. prima, §. si filiusfamiliàs.

Si alius pro muliere, quæ intercesit, dederit hypothecam, aut pro filiofamil. qui contra Senatusconsultum creditum est: an his succurritur quæritur, & in eo quidem, qui pro muliere obligauit rem suam facilius dicetur succurri ei. sicu ti fideiussori huius mulieris datur exceptio. sed in eo, qui pro filiofam. rem suā obligauit, eadem dicenda erunt, quæ tractantur, & in fideiussore eius, ff. eod. l. secunda.

Eam rem, quam quis emere non potest, quia commercium eius non est iure pignoris accipere non potest. Si vero prædium quis litigiosum pignori accepe rit, exceptione summouendus erit, quia etiam in pignoribus, & in rebus mobi libus exceptio locum habebit, ff. eo. l. prima, §. eam rem.

Res, quas neminem credibile est, pignori specialiter daturum fuisse generali pa cti conuentione, quæ de bonis alicuius facta non est, in causa pignoris nō fuis se rationis est, C. quæ res pig. obli. l. prima.

Cùm constat pignus consensu contrahi, non dubitamus eum, qui emptiones a grorum suorum pignori posuit de ipsis agris obligandis cogitasse, C. eod. l. secunda.

Etiam si ita contractum sit, vt antecedens pignus dimitteretur, non aliter in ius pignoris succedit, nisi conuenerit, ut sibi eadem res esset obligata: neque e nim in ius primi succedere debet, qui ipse nihil conuenit de pignore. quo casu emptoris causa melior efficietur. Denique si antiquior creditor de pignore uendendo cùm debitore pactum interposuit, posterior autem creditor de di strahendo omisit, non per obliuionem, sed cùm hoc ageretur, ne posset uende re: dici potest, hoc usq; transire ad eum ius pignoris, vt distrahere pignus huic

liceat.

liceat. sæpe enim quod quis ex sua persona non habet, hoc per extraneum petere potest, ff.eo.l.tertia.

Titius cùm mutuam pecuniam accipere uellet ei Mæuio, cauit ei, & quasdam res hypothecæ nomine dare destinauit. deinde postquam ex his rebus quasdam uendidisset, accepit pecuniam. Cùm in potestate fuerit debitoris post cautionem interpositam pecuniam non accipere; eo tempore pignoris obligatio cõtracta uidetur, quo pecunia numerata est, & ideo res uenditæ creditori non tenentur, sed inspiciendum est, quas res in bonis debitor numeratæ pecuniæ tẽpore habuerit, ff.eod.l.quarta.

Nomen quoque debitoris pignorari, & generaliter, & specialiter posse, iampridem placuit. Quare si debitor is satis non fecerit, cui tu credidisti; ille cuius nomen tibi pignori datum est (nisi ei, cui debuit soluit nondum certior à te, de obligatione tua factus) utilibus actionibus satis tibi facere, usque ad id, quod tibi deberi à creditore eius probaueris, compelletur: quatenus tamen ipse debet, C.quæ res pign.vel hypoth.dari, l.quarta.

Pignorum gratia aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non conuenit, C.eod.l.penult.

Si quis in cuiusque contractus instrumento ea uerba posuerit FIDE PERICVLO RERVM AD ME PERTINENTIVM, VEL PER EARVM EXACTIONEM SATISFIERI TIBI PROMITTO. Sufficiunt ea uerba ad rerum, tam earum, quas in præsenti debitor habet, quã futurarum hypothecam: cum sit iustum, voluntates contrahentium, magis quàm uerborum conceptionem inspicere. ¶ Super qua generali hypotheca illud, quoque ad conseruandam contrahentium uoluntatem sancitum est, ut si res suas supponere debitor dixerit, non adiecto, tam præsentes, quam futuras: ius tamẽ generalis hypothecæ etiam ad futuras res producatur, C.eo.l.fi.

QVI POTIORES IN PIGNORIBVS HABEANTVR.

Titulus IX.

QVI dotem pro muliere promisit, pignus, siue hypothecam promisit, pignus, siue hypothecam de restituenda sibi dote accepit. subsecuta deinde pro parte numeratione, maritus eandem rem pignori alii dedit. mox residuæ quantitatis numeratio impleta est. Quærebatur de pignore. Responsum est: cum ex causa promissionis ad vniuersæ quantitatis exolutionem, qui dotem promisit compellitur: non utique solutionum obseruanda sunt tempora, sed dies contractæ obligationis. nec probè dici potest in potestate eius esse, ne pecuniam residuam redderet, ut minus dotata mulier esse uideatur. Alia causa est eius, qui pignus accepit ad eam summam, quam intra diem certum numerasset: ac fortè prius quam numerasset, alii res pignori data est, ff.qui potio.in pig.hab, l.prima.

Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea prædiorum ex his bonis datur: quamuis ex cæteris pecuniam suam redigere posit, quod si ea conuentio prioris fuerit, vt ita demum cætera bona pignori haberentur, si pecunia de iis, quæ generaliter accepit, seruari non potuisset: deficiẽte secunda conuentione, secundus creditor in pignore postea dato, non tam potior, quàm solus inuenitur, ff.eo.l.secunda.

Creditor acceptis pignoribus, quæ ſecunda conuentione ſecundus creditor accepit, nouatione poſtea facta, pignora prioribus addidit. ſuperioris temporis ordinem manere primo creditori placuit, tamquam in ſuum locum ſuccedenti. Cùm ex cauſa mandati prædium Titio, cuius negotium fuerat geſtum, deberetur: priuſquàm ei poſſeſſio traderetur, id pignori dedit poſt traditā poſſeſsionem idem prædium, alii denuò pignori dedit. prioris cauſam potiorem eſſe apparuit, ſi non creditor ſecundus pretium ei, qui negotium geſſerat, ſoluiſſet: uerum in ea quantitate, quam ſoluiſſet, eiuſque intereſſe potiorem fore conſtitit, niſi forte prior, ei pecuniam offerat, quod ſi debitor pecuniam aliunde ſoluiſſet, prior præferendus eſt, ff. eod. l. tertia, in princ.

Poſt diuiſionem regionibus factam inter fratres, conuenit, vt ſi frater agri portionem pro indiuiſo pignori datam à creditore ſuo non liberaſſet, ex diuiſione quæſitæ partis partem dimidiam alter diſtraheret. Pignus contractum exiſtimatur. ſed priorem ſecundo non eſſe potiorem: quoniam ſecundum pignus ad eam partem directum uidebatur, quam ultra partem ſuam frater non conſentiente ſocio non potuit obligare, d. l. tertia, §. poſt diuiſionem.

Si debitor antequàm à priore creditore, pignus liberaret, idem illud ob pecuniam creditam, alii pignori dederit, & antequam utrique creditori ſolueret debitum, rem aliam priori creditori uendiderat, creditumque pēſauerat cum pretio rei uenditæ: dicendum eſt, perinde haberi debere, ac ſi priori creditori pecunia ſoluta eſſet. nec enim intereſt, exoluerit, an penſauerit, & ideo poſterioris creditoris cauſa eſt potior, ff. eod. l. quarta.

Interdum poſterior potior eſt priore, vt puta ſi in rem ipſam conſeruandam impenſum eſt, quod ſequens credidit: veluti ſi nauis fuit obligata, & ad armandam eam, uel reficiendam ego credidero. Huius enim pecunia ſaluam facit totius pignoris cauſam. quod poterit quis admittere, & ſi in cibaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus nauis ſalua uenire non poterat. Item ſi quis in merces ſibi obligatas crediderit, vel vt ſaluæ fiant, vel ut naulum exoluatur: potior erit, licet poſterior ſit. nam & ipſum naulum potius eſt. Tantundem dicetur, & ſi merces horreorum vel areæ, vel vecturæ iumentorum debetur. nam & his potior erit. Idemque erit ſi ex numis pupilli fuerit res comparata: ambo in pignus concurrent, pro his portionibus, quæ in rei pretium fuerint expenſæ. Quod ſi res non in totum ex numis cuiuſdam comparata eſt, erit concurſus utriuſque creditoris, ideſt & antiquioris, & eius, cuius numis comparata eſt, ff. eod. l. quinta, ſexta, & ſeptima, in princ.

Licet iiſdem pignoribus multis creditoribus diuerſis temporibus datis, priores habeantur potiores: tamen eum, cuius pecunia, prædium comparatum probatur, quod ei pignori eſſe ſpecialiter obligatum ſtatim conuenit, omnibus anteferri iuris auctoritate declaratur, C. eo. l. licet, vii.

Diuerſis temporibus eadem res duobus iure pignoris obligata, eum, qui prior data mutua pecunia pignus accepit, potiorem haberi, certi, ac manifeſti iuris eſt: nec alias ſecundum creditorem diſtrahendi poteſtatem huius pignoris conſequi, niſi priori creditori debita fuerit ſoluta quantitas, C. eod. l. diuerſis, viii.

Si tibi, quæ habiturus ſum obligauerim, & Titio ſpecialiter fundum, ſi in dominium meum peruenerit, mox dominium eius acquiſiero: putat Marcellus concurrere utrumque creditorem in pignore. Non enim multum facit, quod de ſuo numos debitor dederit: quippe cùm res ex numis pignoratis empta non

non sit pignorata ob hoc solum, quod pecunia pignorata erat, ff. eod.l.septima,§ fin.

Si pignus specialiter Respublica acceperit, dicendum est præferri eam fisco debere, si postea fisco debitor obligatus est: quia & priuati præferuntur, ff. eod.l. si pignus, vii.

Cùm Remp. Heliopolitanorum propter emolumentum sententiæ in rerum, tam hæredis, quàm hæreditariarum possessionem missam esse proponat. Syluanus intelligit, quamuis pater suus, cùm Sosiano contraxerit: tamen si personali actione eum habuit obligatum, præponi Rempub. iure pignoris, in iis, quæ ex auctoritate eius, qui iubere potuit, seruandi iudicati causa occupauit, C. eod. l. quarta.

Qui fundum pignori accepit, antequam Reipub. obligaretur, sicut prior est tempore, ita potior est iure, C. eod.l. tertia.

Qui balineum ex Klendis proximis conduxerat, pactus erat, vt equus pignori locatori esset, donec mercedes soluerentur. Idem ante Klendas Iulias eundem equum alii ob pecuniam creditam pignori dedit. hic locator aduersus hunc creditorem petentem equum tuebitur. licet enim eo tempore equus pignori datus esset, quo nondum quicquam pro conductione deberetur: quoniam tamen iam nunc in eam causam equus esse cæpisset, & inuito locatore ius pignoris in eo solui non possit potior eius causa habenda est, ff. eod.l. qui balneum, ix. in princ.

Si colonus conuenit, ut inducta in fundum, illata ibi nata, pignori essent: & antequam inducat, alii rem hypothecæ nomine obligauerit, tunc deinde eam in fundum induxerit: potior erit, qui specialiter pure accepit: quia non ex conuentione priori obligatur, sed ex eo, quod inducta res est: quod posterius factum est, ff. eo.l. potior, xi.§. si colonus.

Creditor sub conditione tuetur aduersus eum, cui postea quicquam deberi cæpisset: si modo non ea conditio esset, quæ inuito debitore impleri non posset, d.l. qui balineum, ix.§. amplius.

Cùm enim semel conditio extitit perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset, ff. eod.l. potior, xi. §. sed uereor.

Si hæres ob ea legata, quæ sub conditione data erant, de pignore rei suæ conuenisset, & postea eadem ipsa pignora ob pecuniam creditam pignori dedisset, ac postea conditio legatorum extitisset, hic quoque tuendus est is, cui prius pignus datum est, d.l. qui balneum, ix.§. sed & si.

Potior est in pignore, qui prius credidit pecuniam, & accepit hypothecam, quamuis cum alio ante conuenerat, ut si ab eo pecuniam acceperit. sit ei res obligata. poterat enim licet ante conuenerit, non accipere ab eo pecuniam, ff. eod.l. potior, xi. in princ.

Si de futura re conuenerit, ut hypothecæ sit, sicut est de fœtu: quæritur an animal conuentionis tempore in bonis debitoris fuerit: Et de fructibus si conuenerit, vt sint pignori æquæ quæritur an fundus, vel ius vtendi fruendi, conuentionis tempore debitoris fuerit, d.l. potior, xi.§. si de futura.

Creditor, qui prior hypothecam accepit, siue possideat eam, & alius uendicet hypothecaria actione, exceptio priori utilis est, SI NON MIHI ANTE PIGNORI HYPOTHECAEVE NOMINE SIT OBLIGATA: siue ab alio possidente, prior creditor uendicet hypothecaria actione,

& ille excipiat. SI NON CONVENIT, VT RES SIBI SIT OBLIGATA: relatum replicabit. ſed ſi cum alio poſſeſſore creditor. ſecundus agat, recte aget, & adiudicari ei poterit hypotheca: ut tamen prior cum eo agendo ei, rem auferat, ff. eod. l. creditor, xii. in princ.

Si, quoniam non reſtituebat rem pignoratam, poſſeſſor, condemnatus ex præfatis modis, litis æſtimationem exoluerit perinde ſecundo creditori tenebitur, ac ſi ſoluta ſit pecunia priori creditori, ff. eod. l. creditor, xii. in prin.

Si primus, ſiue hypotheca credidit, poſt ſecundum qui utrumque fecit, hypothecam accepit: ſine dubio poſterior in hypotheca eſt. Vnde ſi in diem de hypotheca conuenit: dubium non eſt, quin potior ſit, licet ante diem, cùm alio creditore, pure de eadem re conuenerit, d. l. creditor, §. ſi primus.

Si idem bis, ideſt ante ſecundum, & poſt eum crediderit: in priore pecunia potior eſt ſecundo: in poſteriore tertius eſt, d. l. creditor, xii. §. ſi idem.

Si tecum de hypotheca paciſcatur debitor, deinde cum alio tua voluntate: ſecundus potior erit, pecunia autem ſoluta ſecundo, an rurſus teneatur tibi, rectè quæritur. Erit igitur facti quæſtio agitanda, quid inter eos actum ſit: utrum ut diſcedatur ab hypotheca in totam, cùm prior conceſsit creditor alii obligari hypothecam: an ut ordo ſeruetur, & prior creditor ſecundo loco conſtituatur d. l. creditor, §. fin.

Si prior creditor poſtea nouatione facta, eadem pignora cum aliis accepit, in ſuum locum is ſuccedit. ſed ſi ſecundus non offerat pecuniam, poteſt prior uedere, vt primam tantum pecuniam expenſam ferat, non etiam, quam poſtea credidit: & quod ſuperfluum ex anteriore credito accepit, hoc ſecundo reſtituat, d. l. creditor, xii. §. Papinianus, aliàs l. ſi prior, xiii. in prin.

Sciendum eſt, ſecundo creditori rem teneri etiam ſoluto debitore, tam in ſuum debitum quàm in primi creditoris, & intereſſe ſuum, & quod primo creditori ſoluit, ff. eod. l. xiiii. d. l. creditor, xii. §. ſciendum, aliàs l. ſi prior, xiii.

Si ſimpliciter conueniſſet ſecundus creditor de hypotheca: ab omni poſſeſſore eam auferre poterit, præter priorem creditorem, & qui ab eo emit, d. l. creditor, §. ſi ſimpliciter, aliàs l. ſi prior, xiii. §. ſi ſimpliciter.

Si priori hypotheca obligata ſit, nihil uero de uenditione conuenerit, poſterior etiam de hypotheca uendenda conuenerit: uerius eſt priorem potiorem eſſe. Nam in pignore placet, ſi prior conuenerit de pignore, licet poſteriori res tradatur, adhuc potiorem eſſe priorem, d. l. creditor, xii. §. fin. aliàs l. ſi prior, xiii. §. fin.

Inſulam tibi uendidi, & dixi, prioris anni penſionem mihi, ſequentium tibi acceſſuram, pignorumque ab inquilino datorum ius utrumque conſecuturum, niſi ad utramque penſionem ſufficerent, ius omnium pignorum primum ad me pertinet, quia nihil aperte dictum eſſet, an communiter ex omnibus pignoribus ſumma pro rata ſeruetur, ſi quid ſupereſſet ad te: quia ueriſimile eſt id actum, ut primam quamque penſionem pignorum cauſa ſequeretur, ff. eod. l. inſulam, xiii. aliàs xiiii.

Si non dominus duobus eandem rem diuerſis temporibus pignorauerit, prior potior eſt: quamuis ſi à diuerſis non dominis pignus accipiamus, poſſeſſor melior ſit, ff. eo. l. ſi non, xiiii. aliàs xv.

Etiam ſuperficies in alieno ſolo poſita pignori dari poteſt: ita tamen, ut potior cauſa domini ſit ſoli, ſi non ſoluatur ei ſolarium, ff. eodem l. etiam ſuperficies, xv. aliàs xv.

Is, qui

Is,qui à debitore suo prædium obligatum comparauit,eatenus tuebitur, quatenus ad priorem creditorem ex pretio pecunia peruenit, ff. eod.l. eum, xvii. aliàs xviii.

Lucius Titius pecuniam mutuam,pro honesto lucro acceptis pignoribus, eidemque debitori Mæuius,sub iisdem pignoribus pecuniam dedit Titius non tantum sortis, & interesse nomine, quod accessit, antequàm Mæuius crederet, sed etiam quod postea accessit potior est,ff.eo.l.Lucius,xviii.aliàs xx.

Mulier in dotem dedit marito prædium pignori obligatum, & testamento maritum, & alios hæredes instituit, creditor cùm posset hæredes conuenire idoneos,ad fundum uenit.si iustus possessor offerat creditum,compellendus erit, ius nominis cedere,ff.eo.l.mulier,xix.aliàs xx.

Si post primum contractum tuum,antequam aliam pecuniam, tu crederes, eidẽ debitori crederes forte quadraginta. quod plus est in pretio, in quam primo credidisti,Seius potior est,& si offert summam primo ordine creditam, & interesse illius,postponitur primus creditor in summam, quam postea eidem debitori credidit,ff.eo.l.quærebatur,xx. aliàs xxxi.

Titius Seiæ ob summam,quam ex tutela ei condemnatus fuerat,obligauit pignori omnia bona sua,quæ habebat,quæque habiturus esset, postea mutuatus à fisco pecuniam,pignori ei res suas omnes obligauit, & intulit Seiæ partem debiti,& reliquam summam nouatione facta eidem promisit: in qua obligatione similiter,vt supra de pignore conuenit: Seia præferenda est fisco, & in illis rebus,quas Titius tempore obligationis habuit,item & in his rebus,quas post priorem obligationem acquisiuit,donec uniuersum debitum suum consequãtur,ff.eo.l.fi.in princ.

Negociatori marmorum creditor, sub pignore lapidum, quorum pretia uenditores ex pecunia creditoris acceperant,numerauit. Idem debitor, conductor horreorũ Cæsaris fuit: Ob quorum pensiones aliquot annis non solutas, procurator exactioni præpositus,ad lapidum uenditiones officium suum extẽdit. hoc non obstante creditor iure pignoris lapides retinere poterit,d.l.fi.§.fi.

Prior quidem compelli non potest tibi,qui posteriore loco pignus accepisti, debitum offerre: sed si tu illi id omne,quod debetur,solueris, pignoris tui causa firmabitur,C.eo.l.quinta.

Si generaliter bona sint obligata, & postea res alii generaliter pignori dentur: quoniam ex generali obligatione potior habetur creditor, qui antea contraxit, si ab illo priore tempore tu comparasti: non oportet te ab eo, qui postea credidit,inquietari,C.eod.l.sexta.

Eos, qui acceperunt pignora, cùm in rem actionem habeant: priuilegiis omnibus, quæ personalibus actionibus competunt, præferri constat, C. eodem l.eos, ix.

At qui decreto prætoris, qui de fideicommisso ius dixit in possesionem fundi hæreditarii fideicommissi conditionalis seruandi causa prius inducti sunt, quàm aduersarius suus in causam iudicanti eiusdem fundi pignus occupauit; eius iussu,qui sententiam exequitur, tempore potiores sunt: nam cùm de pignore utraque pars contendit, præualet iure, qui præuenit tempore, C.eod. l.secunda.

Scripturas,quæ sæpe assolent, à quibusdam secretè fieri, interuenientibus amicis nec ne,transigendi,vel paciscendi,vel societatis coeundæ gratia, seu de aliis quibuscunque causis, vel contractibus conficiuntur: siue tota series earum

rum manu contrahentium, uel notarii, uel alterius cuiuslibet scripta fuerit, ipsorum tamen habeant subscriptiones: siue testibus adhibitis, siue non: licet conditionales sint, quos vulgo tabularios appellant, siue non quasi publicè scriptas, si personalis actio exerceatur, suum robur habere decernitur. Sin autem ius pignoris, seu hypothecæ, ex huiusmodi instrumentis uendicare, quis sibi contenderit eum decernitur, qui instrumentis publicè confectis nititur, præponi, etiam si posterior is contineatur, nisi fortè probatæ, atque integræ opinionis trium, uel amplius uirorum subscriptiones eisdem idiochiris contineantur: tunc enim quasi publice confecta accipiuntur, C. eod. l. penul.

Cùm iam statutum sit, mulieres pro dote restituenda habere actionem ex stipulatu, cuique etiam tacita inest hypotheca. ipsæ mulieres potiora iura habent, contra omnes mariti creditores, licet anteriores sint, temporis priuilegio uallati: licet res dotales, vel ex his aliæ comparatæ non extent, sed quocunque modo, uel dissipatæ vel consumptæ sunt: si tamen re ipsa fuerint pacti mariti datæ: & siue liberos habeat mulier, siue ab initio non habuit, siue progenitos amisit, hoc ei priuilegium indulgetur. exceptis videlicet, contra nouercas anterioris matrimonii filiis, quibus pro dote matris suæ, iam data est, hypotheca contra paternas res, uel eius creditores, in præsenti autem similis prærogatiua eis seruatur: ne quod posteriori datum est uxori, hoc anteriori negetur: sed sic maneat eis ius incorruptum, quasi adhuc uiuente etiam matre eorum: duobus enim dotibus ab eadem substantia debitis ex tempore prærogatiua manet, C. eod. qui potio. in pign. hab. l. fi.

Sed hoc priuilegium datum est dotibus, ut contra antiquiores hypothecas potiora iura habeant, nimirum his, qui cum maritis contraxerunt: secutis fidem, & modum substantiæ illorum: non mulierum, quæ eo fortè tempore prius contrahentibus maritis, nondum iunctæ fuerunt, Nouell. Const. de æquali dotis, xcvii. §. sed & aliud.

Tacita hypotheca, quæ mulieribus data est, & qua præfertur aliis creditoribus in hypothecis, tunc habet locum, cum ipsa mulier de dote sua experitur, cuius solius prouidentia hoc inductum est, Inst. de act. §. fuerat. Nam sciendum est priuilegium dotis, quo mulieres utuntur in actione de dote ad hæredem non transire, C. de priuil. dotis, l. vnica.

Quamuis ex causa dotis uir uxori sit condemnatus: tamen si prius, quàm res ei ipsi vxori obligarentur, cum fisco contraxit, ius fisci causa præuenit. Quod si post bonorum eius obligationem rationibus fisci cæpit esse obligatus, in eius bona cessit priuilegium fisci, C. de priuil. fisci, l. secunda.

Quia data est licentia augumenta facere, ac permissum tam marito, quàm vxori, siue utrique, siue alter horum augumentum facere uellent. Ne qua fiat circumscriptio, illud sancitum est, ut si quis augere dotem, aut propter nuptias donationem uelit: non liceat alteri quidem id facere, alteri uero manere in prioribus, sed augumentum æquè ex utraque parte celebretur, neque ea res (ut prius) posita sit in arbitrio, sed in necessitate penitus tamen æquali quantitate, Et ne argumentum non re ipsa, & uitæ fieri contingat, sed simultanèe, & colore quæsito, & maxime ex parte mulieris, ut mariti creditores freta priuilegio circumscribat: siquidem res utrinque immobiles habeant, pulchrius fuerit, incrementum in mobilibus fieri, quo magis clarum, & extra cõtrouersiam positum sit, quid prius adfuerit, quid postea accesserit. Si res utrinque immobiles non sint; vxor quidem omnino augumentum consimiliter, ex omni parte

re contra antiquiores creditores priuilegium habeant, scilicet accessione nulla in recipiente controuersiam. Maritus vero etiam in mobilibus augumentum facito. nihil enim de damni oritur. Cæterum si mulier rem immobilem in bonis non habeat, sed augumentum in mobilibus conscribat: certa esto, quod priuilegium habitum non sit, nisi in pristina dote duntaxat. nō item in simultaneo fortè augumento. nam quod initio extitit, hoc in vniuersum omni suspicione solutum est: quod postea per machinationem accesit, inducit, & præfert defraudatorum creditorum consilium. nec ratione aliqua vult lex, & homines per priuilegium concessum dominus, abhæredantur. Si nullum æs alienum mariti sit, neque suspicio aliqua fraudatorum creditorum: tunc & in numerata pecunia & quo modo uolunt, augumenta ab ipsis celebrentur, ut tamen augumentum, uel sic celebratum, utrinque partem quantitatem habeat: quo magis tueatur: quæ enim ita ea re subesse posit. suspicio cum maritus nemini sit obnoxius, & propterea augumenta, absque negotio procedant, Noue. Const. de æqual. dot. xcvii. §. principio igitur.

HIS QVI IN PRIORVM CREDITORVM LOCVM SVCCEDVNT.

Titulus X.

Vi pignus secundo loco accipit, ita ius suum confirmare potest, si priori creditori debitam pecuniam soluerit, aut cùm obtulisset, isque accipere noluisset, obsignauit, & deposuit, nec in suos usus cōuertit, C. qui potio. in pig. hab. l. prima.

Non omnino succedunt in locum hypothecarii hi, quorum pecunia ad creditorem transit: hoc enim tunc obseruatur, cum is, qui pecuniam postea dat, sub hoc pacto credat, vt idem pignus ei obligetur: & in locum eius succedat. Quod cùm factum non sit; imo iudicatum sit soluentem pignus non accepisse frustra putatur, auxilio opus esse constitutionis Impp. seueri, & Antonini, ad eam iam pertinentis, quæ est lex supra primo loco descripta, C. de his, qui in prio. cred. locum suc. l. prima.

Si priores creditores pecunia ualentis dimisi sunt, quibus obligata fuit possessio: quam ualens emisse dicit, ut pretium perueniret ad eosdem creditores in ius eorum successit, & contra eos, qui inferiores illis fuerunt iusta defensione se tueri potest, C. eod. l. tertia.

Cùm pro parte, in cuius potestate non erat, filius pecuniam fisco intulerit, & iure priuilegio eius successerit, & in eius locum, cui pecuniam numerauit, consecutus sit, nec ii creditores patris sui, qui personalem actionem habuerunt, vel cū eo postea sub pignoribus contraxerunt, pignora filii ipso ignorante distrahendo iuri suo aliquid denegauerunt. Vnde si quid suo nomine se absente solutum est: vt indebitum restitui debet, pignoraque persequi potest. C. eod. l. secunda.

Si prior creditor contraxit, fundusque ei obligatus est: Carpochaio secundo creditori offerenti pecuniam potestas est, vt succedat etiam in ius Reip. C. eo. l. fi.

SI ANTIQVIOR CREDITOR PIGNVS VENDENDVM DEDERIT.

Titulus XI.

SI vendiderit, qui ante pignus accepit, persecutio secundo creditori hypothecaria superesse non potest. Cùm autem debitor ipsi priori creditori eadem pignora soluto, uel uendenda dederit: non magis ipsi secundo creditori adempta est, quàm si alius easdem res debitor uenum dedisset. sed ita persequens res obligatas audietur, si quod eidem possessori propter præcedentis contractus auctoritatem debitum est, obtulerit, C. si antiquior cred. l. prima.

Obligata pignoris iure, creditore rectè distrahẽte post debitor emptori precium offerens, vel creditori, quod debuit euincere non potest, C. eod. l. secunda.

Quominus creditor, qui ante pignus accepit, distrahat; non offerendo secundus priori debitum, interpellare non potest, C. eod. l. fin.

SI RES COMMVNIS PIGNORI DATA SIT.

Titulus XII.

FRater sicut inuitis aliis fratribus, portionem ipsis competentẽ obligare non potuit. Ita suam dando obligationem creditori profuit. Vnde nullum præiudicium domino fratrum contractum eius facere potuit. C. si res communis pig. l. unica.

DE PRAETORIO PIGNORE, ET VT IN ACTIONIBVS ETIAM DEBITOR MISSIO PRAETORII PIGNORIS PROCEDAT.

Titulus XIII.

SI prætorium pignus, quicunque iudices dandum alicui perspexerint: non solum super mobilibus rebus, & immobilibus, & se mouẽtibus, sed etiam super actionibus, quæ debitori competunt, licitum est decernere, C. de præt. pig. l. prima.

Duplum genus hypothecarum est, unum quidem, quod ex conuentionibus, & pactis humanis nascitur, aliud quod à iudicibus datur, & prætoriũ nuncupatur, & cum in conuentionalibus pignoribus, uel hypothecis, non solũ creditor tenens adiuuetur, sed etiam si ab ea possessione cadat, siue sua culpa, siue non, siue fortuito casu, humanius est, & in prætorio pignore dare recuperationem creditori, quocunque modo possessionem amittat, siue culpa sua, siue non, siue fortuito casu. licet enim debuerat incumbere suo pignori, ne aliquam patiatur inde iacturam; tamen ne quid amarum in creditoribus consequatur, benignius causa interpretatur, & ei recuperatio datur, C. eo. l. fi.

SI IN CAVSAM IVDICATI PIGNVS CAPTVM SIT.
Titulus XIIII.

RES ob causam iudicati datas, eius iussu, cui ius iubendi fuit, pignoris iure teneri, ac distrahi posse, sæpe rescriptum est. Nam in uicem iustæ obligationis succedit ex causa contractus, auctoritas iubentis, C. si in causam iudi. l. prima.

Cùm in causam iudicati aliqua res pignori capitur: per officium eius, qui ita decreuit, uenundari solet, non per eum, qui iudicatum fieri postulauit. Et si alio emptore non existente quidem, sed non dignum pretium offerente: is cui iudicatus satis non fecit, ad licitationem secundum cõstituta fuerit admissus, cuiuslibet alterius iure ex officio emere debet, C. eod. l. secunda.

In causa iudicati pignora ex auctoritate præsidis capta, potius distrahi, quàm iure dominii possideri consueuerunt. si tamen per caliditatem condemnati emptor inueniri non potest, tunc auctoritate principis, dominium creditori, addici solet, C. eod. l. fi.

SI PIGNVS PIGNORI DATVM SIT.
Titulus XV.

ETiam id, quod pignori obligatum est, à creditore pignori obstringi posse iamdudum placuit: scilicet, vt sequenti creditori utilis actio detur, tamdiuque eum is, qui ius repræsentat, tueatur, quamdiu in causa pignoris manet eius, qui dedit, sed qui vsumfructum possessionis tantummodo pignori dedit, isque qui accepit, alii eam possessionem, cuius vsumfructum nexum habebat sine uoluntate pignorauit, creditor eius, id in quo pignoris uinculum non constitit distrahens dominio priuare nequiuit. Quod si non fuit creditori vsusfructus, sed ipsa possessio pignorata, & ante exolutam à domino pecuniam, creditor secundus pignus acceptũ uendidit, non potest uenditio post solutam pecuniam rescindi, C. si pignus pigno. datum sit, l. prima.

Si creditor possessionem, quæ à parentibus pignoris iure fuerat obligata, non uẽdidit, sed alii creditori pignori dedit; poterit gemellus filius soluto, quod ex ea causa creditori debetur, recuperare, C. eod. l. fi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omißis ijs, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperij mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Secundus.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS.
Titulus Primus.

Supra Lib. 1. Tit. 1. dicitur ex contractu quatuor esse species obligationis RE, VERBIS, LITERIS, CONSENSV; & per totum Librũ Primum de obligationibus RE, tractatum fuit: nunc ergo uidendum est, de obligatione VERBIS.

VERBIS obligatio contrahitur ex interrogatione, & responsione, cum quid dari, fierive nobis stipulamur; ex qua duæ proficiscuntur actiones, tã condictio certi, si certa sit stipulatio: quam ex stipulatu, si incerta sit. quę hoc nomine inde utitur, quia stipulum apud ueteres firmum appellabatur, fortè à stipite descendens, Inst. de ver. obli. in princ.

Item stipulatio est uerborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturumve se id, quod interrogatus est, respondit, ff. eod. l. quinta, §. stipulatio.

In hac re solemnia antiqua uerba tradita fuerunt, SPONDES? SPONDEO, PROMITTIS? PROMITTO; FIDEIVBES? FIDEIVBEO: DABIS? DABO; FACIES? FACIAM: Vtrum autem Latina, an Græca, uel qualibet alia lingua stipulatio concipiatur, nihil interest: scilicet si uterque stipulantium intellectum eius linguæ habeat. Nec necesse est eadem lingua utrumque uti, sed sufficit cõgruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere possunt. sed hęc solemnia uerba, olim quidem in usu fuerunt: postea autem Leonina constitutio lata est, quæ solemnitate uerborum sublata, sensum, & consonantem intellectum ab utraque parte solum desiderat, quibuscunque tandem uerbis expressum sit, Inst. eod. §. in hac re.

Omnis stipulatio, aut purè, aut in diem, aut sub conditione fit. purè veluti QVINQVE AVREOS DARE SPONDES? idque confestim peti potest. In diem cum adiecto die, quo pecunia soluatur, stipulatio fit. ue-

luti

luti DECEM AVREOS PRIMIS KLENDIS MARTIIS DARE SPONDES? Id autem quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius, quàm dies uenerit, non potest. At ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest, quia totus is dies arbitrio soluentis tribui debet. Neque enim certum est, eo die, in quem promissum est, datum non esse, priusquam is præterierit. ¶ At si ita stipuleris; DECEM AVREOS ANNVOS quoad uiuam DARE SPONDES? & purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur, quia ad tempus non potest deberi. sed hæres petendo pacti exceptione summouebitur. sub conditione fit stipulatio, cum in aliquem casum differtur obligatio, vt si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur stipulatio, veluti SI TITIVS CONSVL FVERIT FACTVS, QVINQVE AVREOS DARE SPONDES? Institu. eodem. §. omnis stipulatio.

Continuus actus stipulantis, & promittentis esse debet, ut tamen aliquod momentum naturæ interuenire posſit, & comminus responderi stipulanti oportet. Cæterum si post interrogationem aliud agere cœperit, nihil proderit, quamuis eadem die spopondisset, ff. eodem. l. continuus actus, cxxxvii. in princip.

Qui præsens interrogauit, si antequam responderetur, sibi, mox discessit, inutilem efficit stipulationem. Si vero præsens Interrogauit, & antequam responderetur, discessit, & reuerso responsum est, obligatur. Interuallum enim medii temporis modicum non uitiauit obligationem, d. l. prima, §. qui præsens interrogauit.

Si quis interroget DABIS? responderit, QVID NI? is utique in ea causa est, ut obligetur, contra si sine uerbis annuisset, non tantum autem ciuiliter, sed nec naturaliter obligatur, qui ita annuit, & ideo rectè dictum est, non obligari pro eo, nec per fideiussorem quidem. d. l. prima. §. si quis interroget.

Si stipulanti mihi decem, tu uiginti spondeas, non esse contractam obligationem, nisi in decem non erit contracta: licet enim oporteat congruere summá: attamen manifestissimum est, in viginti, & decem inesse. sed si mihi equum stipulanti, tu equum, & bouem spoponderis, bouis adiectio pro superuacuo habetur. Nam si tot sunt stipulationes, quot sunt corpora: duæ sunt quodammodo stipulationes; una utilis, alia inutilis, neque uitiatur utilis per hanc inutilem. d. l. prima. §. si stipulanti.

Si stipulante me equum, & bouem, tu unum daturum te spoponderis. constat non teneri te, nec ad interrogatum esse responsum. diuersa causa est summarum: ueluti DECEM, AVT VIGINTI DARE SPONDES? hic enim & si decem spoponderis, rectè responsum est, quia semper in summis, id quod minus est, sponderi uidetur. Item si ego plures res stipuler, equum puta, & bouem: licet unum spoponderis, teneris. videris enim ad unam ex duabus stipulationibus respondisse. ff. de verb. oblig. l. inter stipulantem. lxxxiii. §. si stipulante.

Eadem an alia lingua respondeatur, nihil interest. Proinde si quis Latinè interrogauit, & respondeatur ei Grecè. dummodo congruenter respondeatur obligatio constituta est. Idem per contrarium. sed utrum

hoc usque ad Græcum sermonem, tantum protrahimus, an vero, & ad alium. Pœnum fortè, vel Assirium, vel cuiuslibet alterius linguæ, dubitari potest ex scriptura Sabini. sed verum puto, vt omnis sermo contineat uerborum obligationem: ita tamen ut uterque alterius linguam intelligat, siue per se, siue per uerum interpretem, d. l. prima. §. eadem.

Sub una significatione diuersis nominibus ea res, quæ in stipulatu deducitur, appellatur: non infirmat obligationem, si alter altero uerbo utatur, ff. eo. l. si sub una, cxxxvi. in prin.

Si in locando, conducendo, uendendo, emendo, ad interrogationem, quis non responderit: si tamen consentiat in id, quod responsum est, valet quod actum est: quia hi contractus, non tam uerbis, quàm consensu confirmantur, ff. eod. l. si stipulor, xxxv. §. fin.

Is, cui bonis interdictum est, stipulando sibi acquirit: tradere uero non potest, vel promittendo obligari: & ideo nec fideiussor pro eo interuenire poterit: sicuti nec pro furioso, ff. de verb. oblig. l. sexta.

Si Titius, & Seius separatim ita stipulati essent: FVNDVM ILLVM, SI ILLI NON DEDERIS, MIHI DARE SPONDES? finis dandi alteri erit, quoad iudicium acciperetur: & ideo actio occupantis erit, ff. eod. l. si Titius, ix.

Si ita stipulatus fuero DECEM, AVT QVINQVE DARE SPONDES? quinque debentur. & si ita KALENDIS IANVARIIS, VEL FEBRVARIIS DARE SPONDES? perinde est, quasi Klendis Februariis stipulatus sim: quia in stipulationibus id seruatur, ut quod minus est, quodque longius esse uidetur in obligationem deductum sit, ff. de verb. obli. l. si ita, xii. & l. cix.

Si equum, aut bouem mihi debeas, & alter ex eis meus factus sit ex aliqua causa: reliquus debetur mihi à te, ff. eod. l. si Stichum xvi. in prin.

Qui bis idem promittit, id eo iure amplius, quàm semel non tenetur, ff. eod. l. qui bis, xviii.

Si id, quod aurum putabam, cum æs esset, stipulatus à te fuero: teneberis mihi huius æris nomine: quoniam in corpore consenserimus, sed ex doli mali clausula tecum agam, si sciens me fefelleris, ff. eodem. l. si id, quod aurum, xxii.

Si ex legati causa, aut ex stipulatu equum certum mihi debeas: non aliter post mortem eius mihi teneberis, quàm si per te steterit, quominus uiuo eo mihi dares. quod ita fit. si autem interpellatus non dedisti, aut occidisti eum, ff. de verb. oblig. l. si ex legati, xxiii.

Sed si ex stipulatu equum debeat pupillus: non uidebitur per eum mora fieri, ut eo mortuo teneatur, nisi si tutore autore, aut solus tutor interpelletur, ff. eod. l. sed si, xxiiii.

Si certos numos, puta qui sunt in arca, stipulatus sim, & hi sine culpa promissoris perierint: nihil nobis debetur, ff. eo. l. si certos, xxxvii.

Si dari stipulet id, quod mihi iam ex stipulatu debeatur, cuius stipulationis nomine exceptione tutus sit promissor, obligabitur ex posteriore obligatione: quia superior, quasi nulla sit, exceptione obstante, ff. eodem l. si dari stipulet, xxv.

Si rem tradi stipulamur: non intelligimus proprietatem dari stipulatori, sed tantum

tum tradi, ff. eod. l. si rem, xxviii.

Si quis vacuam possessionem tradi promiserit: non nudum factum hæc stipulatio continebit, sed causam bonorum, ff. eodem. l. in conuentionalibus, lii. §. fina.

Scire debemus in stipulationibus tot esse stipulationes, quot summæ sunt, totque stipulationes esse, quot species sunt. secundum quod euenit, ut mista una summa, vel specie, quæ non fuerit in præcedenti stipulatione, non fiat nouatio, sed efficiat alias esse stipulationes. ¶ Quamuis autem placuerit tot esse stipulationes, quot sunt summæ, totque esse stipulationes, quot res; tamen si pecuniam quis, quæ in conspectu eius est, stipulatus sit, uel aceruum pecuniæ: non tot sunt stipulationes, quot sunt numorum corpora: sed una stipulatio. Nam per singulos denarios singulas esse stipulationes, absurdum est. ¶ Stipulationem quoque legatorum constat unam esse, quamuis plura corpora sint, vel plura legata. At si quis illud, & illud stipulatus sit: tot stipulationes sunt, quot corpora, ff. de ver. obli. l. scire, xxix. in princ.

Quod dicitur tot stipulationes, quot res: ibi locum habet, cùm res exprimuntur stipulatione. Cæterum si non fuerint expressæ, una est stipulatio, ff. eo. l. quod dicitur, lxxxvi. & Inst. de inut. stipu. §. quoties.

Quoties pluribus specialiter pactis stipulatio, una omnibus subiicitur: quamuis una interrogatio, & responsum unum subiiciatur: tamen perinde habetur, ac si simpliciter species in stipulationem deductæ fuissent, ff. eodem l. Titia, cxxxiiii. §. fin.

Pluribus rebus præpositis ita stipulatio facta est EA OMNIA, QVAE SVPRA SCRIPTA SVNT, DARI? propius est, ut tot stipulationes sint, quot sunt res, ff. eod. l. pluribus, cxl. in prin.

De hac stipulatione ANNVA, BIMA, TRIMA DIE ID ARGENTVM QVAQVE DIE DARI? apud veteres varium fuit, sed uerius est, & hic tres esse trium summarum stipulationes, d. l. pluribus, §. de hac stipulatione.

Si in nomine equi, quem stipularemur, erratum fuit, cum de corpore constitisset, placet stipulationem ualere, ff. eod. l. si in nomine, xxxii.

Multum interest utrum stipulet rem, cuius commercium habere non possum; an quis promittat si stipulet rem, cuius commercium non habeo, inutilem esse stipulationem placet. Si quis promittat rem, cuius commercium non habet, ipsi nocebit, non mihi, ff. eo. l. multum, xxxiiii.

Stipulationum quædam in dando, quædam in faciendo consistunt. ¶ Et harum omnium quædam partium præstationem recipiunt, veluti cùm decem dari stipulamur. Quædam non recipiunt, ut in iis, quæ natura diuisionem non admittunt. Veluti cum uiam, iter, actum, stipulamur. Quædam partis quidem præstationem natura sui recipiunt, sed nisi tota dentur, stipulationi satis non fit; veluti cum equum generaliter stipulor, aut lancem, aut quodlibet aliud uas: nam si equi pars soluta sit, nondum in vlla parte stipulationis liberatio nata est. sed aut statim repeti potest, aut in pendenti est, donec alius detur, Eiusdem conditionis est. hæc stipulatio, EQVVM, AVT BOVEM DARI? ex his igitur stipulationibus, ne hæredes quidem pro parte soluendo, liberari possunt, quandiu non eandem rem, omnes dederint; Non enim ex persona hæredum, conditio obligationis immutatur, & ideo si diuisionem res promissa,

ſa, non recipiat, ueluti uia, hæredes promiſſoris, ſinguli inſolidum tenentur, ſed quo caſu unus ex hæredibus ſolidum præſtiterit: petitionem habebit à cohærede de familiæ herciſcundæ iudicio. Ex quo quidem accidere poſſe Pomponius ait, ut & ſtipulatoris uiæ, uel itineris hæredes ſinguli inſolidum habeant actionem. ſed quidam hoc caſu extingui ſtipulationem putant: quia per ſingulos acquiri ſeruitus non poteſt. ſed non facit inutilem ſtipulationem difficultas præſtationis. ſi tamen equum ſtipulatus, equum cum uno ex hæredibus promiſſoris egere pars dumtaxat cæterorum obligationi ſupererit, vt exolui poſsit. Idemque eſt, & ſi uni ex hæredibus accepto latum ſit. Idem eſt in ipſo promiſſore, & fideiuſſoribus eius, quod diximus in hæredibus. Item ſi in facto ſit ſtipulatio, veluti ſi ita ſtipulatus fuero PER TE NON FIERI, NEQVE PER HAEREDEM TVVM, QVOMINVS MIHI IRE, AGERE LICEAT? & unus ex pluribus hæredibus prohibuerit: tenentur quidem, & cohæredes eius, ſed familiæ herciſcundæ iudicio ab eo reperent, quod præſtiterint. contra autem ſi ſtipulator deceſſerit, qui ſtipulatus erat ſibi hæredique ſuo, ire agere licere, & unus ex hæredibus eius prohibeatur: intereſſe dicimus, utrum inſolidum ſtipulatio committatur: an pro parte eius, qui prohibitus eſt. Nam ſi pœna ſtipulationi adiecta ſit: inſolidum committetur ſtipulatio. ſed qui non ſunt prohibiti, doli mali exceptione ſummouebuntur. Si vero pœna nulla appoſita ſit: tunc pro parte eius tantum, qui prohibitus eſt, committetur ſtipulatio, ff. de uerbor. obligatio. l. ſecunda.

Idem iuris eſt, & in illa ſtipulatione MIHI HAEREDIQVE MEO HABERE LICERE? ſed hæc differentia illam habet rationem, quod ubi unus ex hæredibus prohibetur, non poteſt cohæres ex ſtipulatu agere, cuius nihil intereſt, niſi pœna ſubiecta ſit. Nam pœna ſubiecta efficit, vt omnibus committatur: quia hic non quærimus, cuius intereſt. Enimuero ubi unus ex hæredibus prohibet, omnes tenentur hęredes. Intereſt enim prohibiti, à nemine prohiberi, ff. eod. l. tertia.

Eadem dicemus, & ſi dolum abeſſe à te, hæredeque tuo ſtipulatus ſim, & aut promiſſor, aut ſtipulator pluribus hæredibus relictis deceſſerit, ff. eodem l. quarta in princ.

Cato lib. xv. ſcribit, pœna certæ pecuniæ promiſſa, ſiquid alteri factum ſit, mortuo promiſſore, ſi ex pluribus hæredibus, unus contra quàm cautum ſit, fecerit: aut ab omnibus hæredibus pœnam committi, pro portione hæreditaria, aut ab uno proportione ſua. Ab omnibus, ſi id factum, de quo cautum eſt, indiuiduum ſit: ueluti ITER FIERI, quia quod in partes diuidi non poteſt, ab omnibus factum quodammodo uideatur. At ſi de eo cautum ſit, quod diuiſionem recipiat: ueluti AMPLIVS NON AGI. tum eum hæredem, qui aduerſus ea fecerit, pro portione ſua ſolum pœnam committere. Differentiæ hanc eſſe rationem, quia in priore caſu omnes commiſiſſe uidentur (quod niſi inſolidum peccati non poterat) illam ſtipulationem PER TE NON FIERI QVOMINVS MIHI IRE AGERE LICEAT? ſed uideamus, ne non idem hic ſit, ſed magis idē, quod in illa ſtipulatione TITIVM HAEREDEMQVE EIVS RATVM HABITVRVM? nam hac ſtipulatione ſolus tenebitur, qui non habuerit ratum, & ſolus

aget.

aget, à quo non fuerit petitum (idque & Marcello uidetur) quamuis ipse dominus pro parte ratum habere non potest, ff. eo. l. quarta, §. cato.

Si is, qui duplum stipulatus est, decesserit pluribus hæredibus relictis; unusquisque ob euictionem suæ partis, pro portione sua habebit actionem. Idemque est in stipulatione quoque fructuaria, & damni infecti, & ex operis noui nunciatione pro parte non potest. Hæc utilitatis causa ex parte stipulatorum recepta sunt. ipsi autem promissori pro parte, neque restitutio, neque defensio contingere potest, d. l. quarta, §. fi.

Iulianus scribit, si neque per te, neque per hæredem tuum Titium fiat, quominus mihi ire agere liceat, stipulor: non solum Titium teneri, si prohibeat, sed etiã cohæredes eius, ff. eo. l. Iulianus, cxxxi. in prin.

Si sortem promiseris, & si ea soluta non esset, pœnam: etiam si unus ex hæredibus tuis portionem suam ex parte soluerit, nihilominus pœna committetur, donec portio cohæredis soluatur. Idemque est, & de pœna ex compromisso, si unus paruerit, alter non paruerit sententiæ iudicis. sed à cohærede eius satisfieri debet. nec enim aliud in his stipulationibus sine iniuria stipulatoris, constitui potest, ff. eod. l. quinta. §. fi.

Stipulatio ista HABERE LICERE SPONDES? hoc continet, ut liceat habere, nec per quemquam omnino fieri, quominus liceat nobis habere, quæ res facit, ut uideatur reus promisisse per omnes futurum, vt tibi habere liceat. uidetur igitur alienum factum promisisse. nemo autem alienum factum promittendo obligatur. & ita utimur. sed si se obligat, ne ipse faciat, quominus habere liceat, obligatur etiam ne hæres suus, vel quis cæterorum successorum efficiat, ne habere liceat, ff. de verb. oblig. l. stipulatio, xxxviii. in prin.

Sed si quis promittat per alium, non fieri præter hæredem suum: dicendum est, inutiliter eum promittere factum alienum. ¶ At si quis factum alienum velit promittere: pœnam, vel quanti ea res sit, promittere potest. ¶ Sed quatenus habere licere uidebitur? Si nemo controuersiam faciat, hoc est, neque ipse reus, neque hæredes eius, hæredumque successores, d. l. stipulatio. §. sed si quis.

Quæsitum est, vtrum propriam demum rem, an & alienam promitti possit habere licere. Et magis est, vt & aliena promitti possit. quæ res ita effectum habebit, si propria promissoris esse cœperit. Quare si perseuerauerit aliena, dicendum erit stipulationem non committi, nisi pœna adiecta sit, cum neque per eum, neque per successorem eius, quicquam factum sit, d. l. stipulatio, §. quæsitum est.

Sicut autem ex parte rei successores eius, cum ipso tenentur; ita etiam ex parte actoris committitur stipulatio ipsi stipulatori, cæterisque, quicunque ei succedunt, scilicet si rem ipsius habere non licuerit. Cæterum si alii habere non licuerit: certo certius est, non committi stipulationem, & nihil intererit, utrum ita stipulor HABERE LICERE, AN MIHI HABERE LICERE. d. l. stipulatio, §. sicut autem.

Hi qui sunt in aliena potestate, his, in quorum sunt potestate, habere licere stipulari possunt, ea ratione, qua cætera quoque his possunt stipulari, d. l. stipulatio, xxxviii. §. hi qui.

Cùm vero stipulatur per promissorem non fieri, quominus sibi ire agere liceat, non ius stipulationis, sed factum versatur. sed uidetur. licet iuris uerba contineat, hæc stipulatio HABERE LICERE; tamen sic esse accipienda, ut in filiofamil. uideatur actum esse de possessione retinenda, non autem auferen-

da,

da, & uires habeat; hæc ſtipulatio, ff. eod. l. ſtipulatio, xxxviii. §. cùm vero ſtipulatur.

Hæc quoque ſtipulatio POSSIDERE MIHI LICERE SPONDES, vtilis eſt, d. l. ſtipulatio, §. hæc quoque ſtipulatio.

HABERE dupliciter accipitur: nam & eum habere dicimus, qui rei dominus eſt: & eum, qui dominus quidem non eſt, ſed tenet. denique habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere, d. l. ſtipulatio, §. habere.

Si quis ita ſtipulatus fuerit, VTI FRVI SIBI LICERE; ad hæredem iſta ſtipulatio non pertinet: ſed & ſi ſibi non addiderit SIBI ſtipulatio de vſufructu non tranſibit. ¶ Sed ſi quis VTI FRVI LICERE SIBI HAEREDIQVE SVO ſtipulatus ſit, hæres ex ſtipulatu agere poterit: licet diuerſi ſint fructus. Nam & ſi IRE AGERE ſtipuletur ſibi, hæredique ſuo LICERE: idem probauerimus, ff. de verbor. obligation. l. ſtipulatio, xxxviii. §. ſi quis ita.

Si ſtipulatus fuero per te non fieri, quominus mihi illa domo uti liceat: an etiam ſi me non prohibeas, vxorem tamen meam prohibeas: vel contra vxore mea ſtipulata, me prohibeas, committatur ſtipulatio? Et ſatius eſt hæc uerba ſic accipi. Nam & ſi cum ſtipulatus fuero per te non fieri, quominus mihi uia, itinere actuque uti liceat: non me, ſed alium nomine meo ingredientem prohibeas: ſciendum eſt committi ſtipulationem, ff. eod. l. ſi ſtipulatus. cxi.

Si ita ſtipulor PER TE NON FIERI QVOMINVS MIHI HAEREDIQVE MEO VINDEMIAM TOLLERE LICEAT? etiã hæredi datur actio, ff. eo. l. ſi ita, xcii.

Si quis dolum malum promiſſoris, hæredisque eius abeſſe velit, ſufficit abeſſe, affuturumque eſſe ſtipulari. Si vero de plurium loco cauere uelit, neceſſarium eſt, addici CVI REI DOLVS MALVS, SI NON ABEST, VEL NON ABFVERIT: QVANTI EA RES ERIT, TANTAM PECVNIAM DARE SPONDES? ſiue perſonæ adiungere quis hæredis perſonam poteſt, ſed & adoptiui patris perſona coniungi poterit, d. l. ſtipulatio, xxxviii. §. ſi quis dolum.

Si ſtipulatus ſim per te non fieri, quo minus mihi ire, agere liceat, & fideiuſſorem accepero: ſi per fideiuſſorem ſteterit, neuter tenetur: ſed ſi per promiſſorem uterque, ff. eod. l. cùm filiumfam. xlix. §. ſi ſtipulatus.

In hac ſtipulatione NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM FIERI; per hæredem fieri uidetur, quamuis abſit, & ignoret, & ideo non facit, quod fieri ex ſtipulatu oportet. Nõ uidetur autem per pupillum ſtetiſſe, ex huiuſmodi ſtipulatione, ſi pupillus hæres erit, d. l. cùm filiusfam. §. in hac ſtipulatione.

In illa ſtipulatione PER TE NON FIERI. non hoc ſignificatur, nihil te facturum, quominus facere poſſim: ſed curatorum, ut facere poſſim, §. eod. l. in illa, liii. in princip.

Si ſic ſtipulatus ſim, NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM VIM FIERI SPONDES? & egi, quod mihi uim feceris: rectè remanet factum hæredis in ſtipulatione. nam & ex ipſius poſteriore ui poteſt committi ſtipulatio. non enim ad unam uim tantum pertinet. nam ſicut & ipſius, & hæredis caput, ita & ipſius uis, & hæredis, vel ſæpius facta complectitur: ut condemnetur quanti intereſt. At ſi ſic uolumus factam eſſe ſtipulationem, NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM FIERI.

RI. vt ad unam uim primam pertineat: Si uim fecerit, amplius ex hæredis facto committi non poterit. hoc ita, si actum sit, quasi ex ipsius ui tota sit consumpta. quod non est uerum, ff. eod. l. si sic, cxxxiii.

Si stipuler alii, cùm mea intersit: uideamus an stipulatio committatur, & ait Marcellus stipulationem ualere, in specie huiusmodi, Is qui pupilli tutelam administrare cœperat, cessit administrationem contutori suo: & stipulatus est, rem pupilli saluam fore. ait Marcellus posse defendi, stipulationem ualere. interest enim stipulatoris fieri, quod stipulatus est: cùm obligatus futurus esset, pupillo si aliter res cesserit, ff. eod. d. l. stipulatio, xxxviii. §. si stipuler.

Possum utiliter à te ita stipulari, nomine Titii TE MIHI SOLVTVRVM SPONDES? neque enim hoc simile est, illi TITIVM DATVRVM? sed ex ea stipulatione, dum interest mea, agere tecum possum, & ideo si locuples sit Titius: nihil ex hac stipulatione consequi possum. Quid enim mea interest, id à te fieri, quod si non feceris, æquè saluam pecuniam habiturus sum? ff. eod. l. si ita, xcvii. §. possum.

Si quis insulam faciendam promiserit, aut conduxerit, deinde ab aliquo insulam stipulatori fieri stipulatus sit: aut si quis cum promisisset Titio fundum, Mæuium daturum, aut si is non dedisset, pœnam se daturum, stipulatus à Mæuio fuerit fundum Titio datum iri: item si quis locauerit id faciendum, quod ipse conduxerat: constat eum habere ex locato actionem. ¶ Si quis ergo stipulatus fuerit, cùm sua interesset ei dari: in ea erit causa, ut valeat stipulatio. Vnde & si procuratori meo, dari stipulatus sim, stipulatio uires habebit, & si creditori meo: quia interest mea, ne, vel pœna committatur, vel prædia distrahantur, quæ pignori data erant, ff. eod. l. stipulatio, xxxviii. §. si quis insulam.

Filius dum in ciuitate est, si stipuletur, patri reuerso ab hostibus uidetur acquisisse, ff. eo. l. filius, xi.

Pater stipulando filio sibi acquirit, secundum quod leges permittunt, ff. eod. l. dominus, xxxix.

Quodcunque stipulatur is, qui in alterius potestate est, pro eo habetur, ac si ipse esset stipulatus, ff. eod. l. quodcunque, xlv. in princ.

Filius patri dari stipulari uidetur, & si hoc non adiiciat, d. l. quodcunque, §. fi.

Cùm filiusfamiliàs equum dari spoponderit, & cum per eum staret quominus daret, decessit equus: Datur in patrem de peculio actio, quatenus maneret filius ex stipulatu obligatus, at si pater in mora fuit, non tenebitur filius, sed utilis actio in patrem danda est. quæ omnia, & in fideiussoris persona dicuntur, ff. eo. l. cùm filiusfami. xlix. in prin.

Si filiæ suæ, quam pater in potestate habebat pecuniam dari stipulatus est, paratam obligationem exercere non prohibetur, C. de contrahen. stipulatio. l. secunda.

Puberes sine curatoribus suis, possunt ex stipulatu obligari. ff. de uerbo. obliga. l. puberes, ci.

Pupillus licet ex quo fari cœperit, recte stipulari potest, tamen si in parentis potestate est, ne auctore quidem patre obligatur, pubes vero, qui in potestate est, perinde ac si paterfamiliàs, obligari solet. quod autem in pupillo dicimus, idem & in filiofamiliàs impubere dicendum est, ff. eod. l. si seruus, cxli. §. pupillus licet.

Neque tutoris, neque curatoris absentia, quicquam stipulationi nocet, cùm & fœminam minorem uigintiquinque annis, absente curatore, stipulari posse non ambiga-

ambigatur, C. de contrahen. stipu. l. septima.

Si decem cùm petiero, dari fuero stipulatus, admonitionem magis quandam, quo celerius reddantur, & quasi sine mora, quàm conditionem habet stipulatio, & ideo licet decessero prius, quàm petiero, non uidetur defecisse conditio, ff. de verb. oblig. l. si decem, xlviii.

In stipulationibus alias species, aliàs genera deducuntur, cùm species stipulamur, necesse est inter dominos, & inter hæredes, ita diuidi stipulationem, ut partes corporum cuique debebuntur, quotiens autem genera stipulamur numero fit inter eos diuisio, ueluti, cùm equum, & bouē quis stipulatus duos hæredes æquis partibus reliquit, necesse est, vtrique partem dimidiam equi, & bouis deberi. Si idem duos equos stipulatus fuisset, singuli equi hæredibus deberentur, ff. eod. l. in stipul. liiii. in prin.

Eum, qui dicat, MIHI DECEM, ET TITIO DECEM, eadem decem non alia decem dicere credendum est, ff. eod. l. stipulatio, xxxviii. §. eum qui dicat.

Eum, qui ita stipulatur. MIHI, ET TITIO DECEM DARE SPONDES? verosimilius est. semper una decem communiter sibi, & Titio stipulari, sicuti qui legat Titio, & Sempronio, non aliud intelligitur, quàm una decem communiter duobus legare, ff. eodem. l. eum qui ita stipulatur, lvi. in princip.

TE, ET TITIVM HAEREDEM TVVM DECEM DATVRVM SPONDES: Titii persona superuacua comprahensa est. siue enim solus hæres extiterit, in solidum tenebitur, siue pro parte eodem modo, quo cæteri cohæredes eius obligabitur, & quamuis conuenisse uideatur, ne ab alio hærede, quàm a Titio peteretur, tamen inutile pactum conuentum cohæredibus eius erit, d. l. eum qui, §. TE.

Si ita fuero stipulatus, MIHI, AVT TITIO? & tu mihi daturum spondeas: secundum omnium opinionem ad interrogatum te respondere, quia constat te mihi soli adquiri obligationem, Titio autem duntaxat rectè soluitur, ff. eo. l. fin. §. si ita.

Cùm mihi, aut Titio stipulor dicitur aliam quidem rem in personam meam, aliam in Titii designari non posse, veluti mihi decem Titio equum, si vero Titio ea res soluta sit, quæ in eius persona designata fuerit, licet ipso iure non liberetur promissor, per exceptionem tamen defendi possit. Tempora uero diuersa designari posse: veluti MIHI KLENDIS IANVARIIS, AVT TITIO KLENDIS FEBRVARIIS? imo etiam citeriorem diem in Titii personam conferri posse, veluti mihi Klendis Februariis, Titio Klendis Ianuariis? quo casu talem esse stipulationem intelligemus. SI TITIO KLENDIS IANVARIIS NON DEDERIS, MIHI KLENDIS FEBRVARIIS DARE SPONDES? Sed rursus mihi quidem pure, aut Titio sub conditione stipulari possum. Contra vero si mihi sub conditione, aut Titio pure, inutilis erit tota stipulatio, nisi in meam personam conditio extiterit: scilicet quia nisi quod ad me uim acceperit obligatio, adiectio nihil potest ualere. hoc tamen ita demum tractari potest. si euidenter apparet purè Titii persona adiecta, alioquin cùm ita stipulor. SI NAVIS EX AFRICA VENERIT, MIHI AVT TITIO DARE SPONDES? Titii quoque persona sub eadem conditione adiici uidetur ex hoc apparet, si diuersa conditio in meam personam diuersa in Titii posita sit: nec in meam

meam personam exstiterit conditio, totam stipulationem nullius momenti futuram: extante uero mea conditione. si quidem Titii quoque conditio extiterit, poterit uel Titio solui. Si uero in illius persona defecerit, quasi non adiectus habebitur, ex his omnibus apparet. licet alterius persona non recte adiiciatur, non ideo minus in nostra persona utiliter procedere stipulationem, d. l. fi. §. cùm mihi, usque in finem.

Qui proprietatem sine vsufructu habet, recte vsumfructum dari sibi stipulatur: id enim in obligationem deducit, quod non habet, sed habere potest, ff. eodem l. eum, qui, lvi. §. qui proprietatem.

Qui vsumfructum fundi stipulatur, deinde fundum similis est ei, qui partem fundi stipulatur. deinde totum. quia fundus dari non intelligitur, si usufructus detrahatur, & è contrario, qui fundum stipulatus est, deinde vsumfructum similis est ei, qui totum stipulatur deinde partem. sed qui actum stipulatur deinde iter, posteriore stipulatione nihil agit, sicuti qui decem, deinde quinque stipulatur, nihil agit. item si quis fructum, deinde usum fuerit stipulatus, nihil agit, nisi in omnibus nouandi animo hoc facere specialiter expresserit, tunc enim priore obligatione expirante, ex secunda introducitur petitio, & tam iter, quàm usus, nec non quinque exigi possunt, ff. eod. l. qui vsumfructum, lviii.

Titius à Mæuio fundum detracto usufructu stipulatus est, & ab eodem eiusdem fundi vsumfructum. duæ sunt stipulationes, & minus est in eo vsufructu, quem per se quis promisit, quàm in eo, qui proprietatem committatur. Denique si ille usumfructum dederit, cumque stipulator non utendo amiserit, tradendo postea fundum detracto vsufructu liberabitur. Non idem contingit ei, qui fundum pleno iure promisit, & vsumfructum dedit, deinde amisso eo proprietatem sine vsufructu tradidit ille liberatus est tradendo vsumfructum, hic nulla parte obligationis exoneratur, nisi pleno iure fundum effecerit stipulatoris, ff. eod. l. si ita, cxxvi. §. Titius à Mæuio fundum.

Illa stipulatio. DECEM MILLIA SALVA FORE PROMITTIS? ualet, ff. eod. l. illa, lxvii. in princ.

Eum, qui decem dari sibi curari stipulatus sit. non posse decem petere: quoniam possit promissor reum locupletem dando liberari, Labeo ait, d. l. illa, §. eum, qui.

Si Procuratori præsentis fuerit cautum ex stipulatu actionem utilem Domino competere nemo ambigit, ff. eod. l. si procurator, lxxix.

Stipulationes non diuiduntur earum rerum, quæ diuisionem non recipiunt, ueluti uiæ, itineris, actus, aquæductus, cæterarumque seruitutum. Idem & si quis faciendum aliquid stipulatus sit, vt puta fundum tradi, vel fossam fodiri, vel insulam fabricari, vel operas, vel aliquid his simile. horum enim diuisio corrumpit stipulationem. Celsus tamen Libro Trigesimo octauo Digestorum refert, Tuberonem existimasse, ubi quid fieri stipulantur: si non fuerit factum pecuniam dari oportere. Ideoque etiam in hoc genere diuidi stipulationem. secundum quem Celsus ait posse dici, iusta æstimatione facti dandam esse petitionem, ff. eod. l. stipulationes non diuiduntur, lxxii. in princip.

Stipulationum quædam certæ sunt, quædam incertæ. Certum est, quod ex ipsa pronuntiatione apparet, quid, quale, quantumque sit, ut ecce aurei decem fundus Tusculanus, equus, tritici Affrici optimi modii centum, uini campani optimi amphoræ centum, ff. eodem. l. stipulationum quædam, lxxiiii.

Vbi autem non apparet, quid, quale, quantumque est in stipulatione, incertam esse stipulationem dicendum est. ergo si qui fundum sine propria appellatione, uel animal sine proprio nomine, aut uinum, frumentumque sine qualitate dari, sibi stipulatur: incertum deducit in obligationem, usque adeo, vt si quis ita stipulatus sit. TRITICI AFRICI BONI MODIOS CENTVM. VINI CAMPANI BONI AMPHORAS CENTVM? incertum uideatur stipulari, quia bono melius inueniri potest. quo fit, ut boni appellatio, non sit certæ rei significatiua, cùm id quod bono melius sit, ipsum quoque bonum sit: at cùm optimum quisque stipulatur, id stipulari intelligitur, cuius bonitas principalem gradum bonitatis habet. quæ res efficit, ut ea appellatio certi significatiua sit, ff. eodem l. ubi autem non, lxxv. in princip.

Fundi certi, si quis vsumfructum stipulatus fuerit. incertum intelligitur in obligationem deduxisse: hoc enim magis iure utimur. Illud dubitationem recipit, si quis id, quod ex equa natum erit, aut fructus, qui in fundo Tusculano nati erunt, dari sibi stipulatus sit, an certum stipulatus uideatur. sed ipsa natura manifestissimum est, incerti esse hanc stipulationem, sed qui uinum, aut oleum, vel triticum, quod in horreo est. stipulatur, certum stipulari intelligitur, d.l.vbi autem, §. fundi certi, si quis usumfructum.

Qui uero à Titio ita stipulatur. QVOD MIHI SEIVS DEBET DARE SPONDES? & qui ita stipulatur, QVOD EX TESTAMENTO MIHI DEBES DARE SPONDES? incertum in obligationem deducit, licet Seius certum debeat, uel ex testamento certum debeatur, quamuis istæ species uix separari possint: ab ea quam proposuimus de uino, & oleo, uel tritico quod in horreo repositum est, & adhuc occurrit, quod fideiussores certum uidentur promittere: si modo, & is, pro quo obligentur certum debeat, cum alioquin ita interrogentur. ID FIDE TVA ESSE IVBES, dicta l. vbi autem, §. qui uero à Titio ita stipulatur.

Qui id, quod in faciendo, aut non faciendo stipulatur: incertum stipulari uidetur. in faciendo, veluti fossam fodiri, domum ædificari, uacuam possessionem tradi, in non faciendo, ueluti per te non fieri, quominus mihi per fundum tuum ire, agere liceat, per te non fieri, quominus mihi habere liceat, d.l.ubi autem.§. qui id, quod.

Qui illud, aut illud stipulatur, veluti decem, aut equum, utrum certum an incertum deducat in obligationem: non immerito quæritur: nam & res certe designantur, & utra earum potius præstanda sit, & incerto est. sed utrumque is, qui sibi electionem constituit, adiectis his uerbis. VTRVM EGO VELIM. potest uideri certum stipulatus, cùm ei liceat, uel equum tantum, uel decem tantum intendere, sibi dare oportere. qui vero sibi electionem non constituit incertum

incertum ſtipulatur, d. l. vbi autem, §. qui illud, aut illud.

Si ſtipulatus fuerim illud, aut illud, quod ego voluero hæc electio perſonalis eſt, & ideo filio talis electio cohæret, in hæredes tamen tranſit obligatio, & ante electionem mortuo ſtipulatore, ff. eodem l. ſi ſtipulatus fuerim, lxxvi. in princip.

Qui ſortem ſtipulatur, & intereſſe, quotcunque certum, & incertum ſtipulatus ui detur, & tot ſtipulationes ſunt, quot res ſunt, ff. eod. l. vbi autem, lxxv. §. qui ſor tem ſtipulatur.

Hæc ſtipulatio. FVNDVM TVSCVLANVM DARI? oſtendit ſe certi eſſe: continerque, ut Dominium omnimodo efficiatur ſtipulatoris quoquo modo, d. l. vbi autem, §. fin.

Qui ex pluribus fundis, quibus idem nomen impoſitum fuerat, unum fundum ſine ulla nota demonſtrationis ſtipulatur, incertum ſtipulatur, quem promiſſor dare uoluerit, tamdiu autem uoluntas promiſſoris eſt in pendenti eſt, quandiu id quod promiſſum eſt, ſoluatur, ff. eodem l. qui ex pluribus fundis, cvi.

Si pœnam ſtipulatus fuero, ſi mihi pecuniam non crediſſes, certa eſt, & utilis ſtipulatio. Quòd ſi ita ſtipulatus fuero. PECVNIAM TE MIHI CREDITVRVM SPONDES? incerta eſt ſtipulatio, quia id uenit in ſtipulationem, quod mea intereſt, ff. eo. l. ſi pœnam, lxviii.

Cùm ſtipulamur quidquid te dare, facere oportet id, quod præſenti die duntaxat debetur in ſtipulationem deducitur, non ut in iudiciis etiam futurum, & ideo in ſtipulatione adiicitur uerbum. OPORTEBIT, vel ita. PRAESENS IN DIEMVE. hoc ideo fit qui ſtipulatur, quid te dare oportet, demonſtrat eam pecuniam, quę iam debetur. quod ſi totam demonſtrare vult dicit. OPORTEBITVE: ITA PRAESENS IN DIEMVE, ff. eod. l. ſi ſtipulatus, lxxvi. §. cum ſtipulamur.

In ſtipulationibus, cùm quæritur, quid actum ſit, uerba contra ſtipulatorem interprætanda ſunt, ff. eodem l. ſtipulatio, xxxviii. §. in ſtipulationibus.

Quotiens uero in ſtipulationibus ambigua, oratio eſt. commodiſsimum eſt, id accipi, quo res de qua agitur in tuto ſit, ff. eod. l. quotiens uero in ſtipulationibus, lxxx.

Quidquid aſtringendæ obligationis eſt. id niſi palam uerbis exprimitur. omiſſum intelligendum eſt. ac ferè ſecundum promiſſorem interpretamur: quia ſtipulatori liberum fuit, uerba latè concipere: nec rurſum promiſſor ferendus eſt, ſi eius intererit, de certis potuis uaſis fortè, aut equis actum, ff. eod. l. quidquid, xcix. in prin.

Si ſtipulatus fuero de te. VESTEM TVAM QVAECVNQVE MVLIEBRIS EST: DARE SPONDES? magis ad mentem ſtipulantis, quam ad mentem promittentis, id referri debeat. ut quid in re ſit, æſtimati debeat, non quid ſenſerit promiſſor. itaque ſi ſolutus fuerat promiſſor muliebri quadam ueſte uti, nihilominus debetur, ff. eod. l. ſi mihi, cx. §. fina.

Quæ ſub tranſactione dari placita ſunt certi, uel incerti ſtipulatione ſubſecuta peti poſſunt, C. de contrah. ſtipu. l. ſexta.

Inter stipulantem, & promittentem negotium contrahitur: itaque alius pro alio promittens daturum, facturumve eum, non obligatur. nam de se quemq; promittere oportet, & qui spondet dolum malum abesse, affuturumque esse, non simplex abnutiuum spondet. sed curaturum se, ut dolus malus absit. idemque in illi stipulationibus. HABERE LICERE. ITEM NEQVE PER TE, NEQVE PER HAEREDEM TVVM FIERI, QVOMINVS FIAT, ff. de uerbor. obligat. l. inter stipulantem, lxxxiii. in princ.

Si nauem, quam spopondi, Dominus dissoluit, & isdem tabulis compegerit, quia eadem nauis esset, inciperet obligari. sed si nauis hac mente resoluta est, ut in alium usum tabulæ destinarentur, & postea mutato consilio perficiatur, & perempta prima nauis, & hæc alia dicenda est, sicut ædibus. nam deposita Tigna ea mente, ut reponantur ædium sunt, sed si usque ad aream deposita sit, licet eadem materia restituatur, eadem erit, d. l. inter stipulantem, §. & nauis, si hac mente, usque ad §. hic tractatus.

In executione obligationis sciendum est, quattuor causas esse. nam interdum est aliquid, quod a singulis hæredibus diuisum, consequi possumus, aliud quod totum peti necesse est, nec diuisum præstari potest. aliud quod pro parte petitur: sed solui nisi totum non potest, aliud quod solidum petendum est, licet in solutionem admittat secutionem. Prima species pertinet ad promissorem pecuniæ certæ, nam & petitio, & solutio ad portiones hæreditarias spectat, secunda ad opus, quod testator fieri iusserit. nam singuli hæredes in solidum tenentur: quia operis effectus in partes scindi non potest. Quod si stipulatus fuero. PER TE HAEREDEMVE TVVM NON FIERI, QVOMINVS EAM AGAM: SI ADVERSVS EA FACTVM, SIT TANTVM DARI? & unus ex pluribus hæredibus promissoris me prohibuit: uerior est sententia existimantium unius facto omnes teneri, quoniam licet ab uno prohibeor, non tamen in partem prohibeor. sed cæteri familiæ hercíscundæ iudicio sarcient damnum. Pro partem autem peti, solui autem nisi totum non potest. veluti cum stipulatus sum equum incertum, nam petitio eius scinditur, solui uero nisi solidus non potest. alioquin in diuersis equis rectè partes soluentur, quod non potuit defunctus facere, ne quod stipulatus sum consequar. Idem iuris est, ut si quis decem millia, aut equum promiserit. Insolidum uero agi oportet, & partis solutio adfert liberationem, cum ex causa euictionis intendimus. Nam auctoris hæredes insolidum denuntiandi sunt, omnesque debent subsistere, & quolibet defugiente omnes tenebuntur. sed unicuique pro parte hæreditaria præstatio iniungetur. Itẽ si ita stipulatio facta sit, SI FVNDVS TITIANVS DATVS NON ERIT CENTVM DARI? nisi totus detur, pœna committitur centum, nec prodest partes fundi tradere cessante uno, quemadmodum non prodest ad pignus liberandum partem creditori soluere, ff. eodem l. in executione obligationis sciendum est, lxxxv. in princip.

Si equum stipulatus fuero, & nulla mora intercedente equus decesserit: siquidem occidat eum promissor expeditum est. Sin autem neglegat infirmum, an teneri debeat promissor? considerantibus utrum quemadmodum

dum in uindicatione equi, si neglectus à possessore fuerit, culpæ huius nomine tenetur possessor, ita & eum dari promisit, an culpa quod ad stipulationem attinet, in faciendo recipienda sit, non in non faciendo, quod magis probandum est, quia qui dari promisit, ad dandum, non faciendum tenetur. sed si sit, quidem res in rebus humanis, sed dari non posit, vt fundus religiosus puta, vel sacer factus, culpa in hunc modus diiudicatur, ut siquidem ipsius promissoris res, vel tempore stipulationis, vel postea fuerit, & quid eorum acciderit, nihilominus teneatur. Idemque fiat, & si per alium postea quàm ab hoc alienatus sit, id contigerit. Sin autem alienus fuit, & ab alio tale quid accidit non tenetur: quia nihil fecit. nisi si posteaque moratus est, solutionem aliud quid huiusmodi acciderit, quam distinctionem, & Iulianus sequitur, ff. eod. l. si seruum, xci. in princ.

Sequitur uidere de eo, quod ueteres constituerunt, quotiens culpa interuenit debitoris, perpetuari obligationem quemadmodum intelligendum sit, & quidem si effecerit promissor. quominus soluere posit, expeditum habet intellectum constitutio, si uero moratus sit tantum hæsitatur, an si postea in mora non fuerit, extinguatur superior mora, & Celsus adolescens scribit, eum qui moram fecit in soluendo equo, quem promiserat posse emendare eam moram postea offerendo, esse enim hanc quæstionem de bono, & equo, in quo genere plerunque, sub auctoritate iuris scientiæ perniciosè, inquit, erratur. & sanè probabilis hæc sententia est quam quidem & Iulianus sequitur. nam dum quæritur de damno, & par utriusque causa sit, quare non potentior sit, qui teneat, quam qui persequitur, d. l. si seruum, xci. §. sequitur uidere de eo, quod.

Nunc uideamus in quibus personis hæc constitutio locum habeat. quæ inspectio duplex est. & primo quæramus, quæ personę efficiant perpetuam obligationem: deinde quibus eam perducant: utique autem principalis debitor perpetuat obligationem, accesiones an perpetuent, dubium est. Pomponio perpetuari placet, quare enim facto suo fideiussor suam obligationem tollat? cuius sententia uera est. Itaque perpetuatur obligatio, tam ipsorum, quàm successorum suorum. accesionibus quoque suis, idest fideiussoribus, perpetuat obligationem, quàm totam causam spoponderint. An filiusfamiliàs, qui iussu patris promisit, occidendo equum producat patris obligationem uidendum est: Pomponius producere putat, scilicet quasi accesionem intelligens eum, qui iubeat. Effectus huius constitutionis ille est. ut adhuc equus peti posit, sed & acceptum ei posse ferre creditur, & fideiussorem accipi eius obligationis nomine. Nouari autem an posit hęc obligatio, dubitationis est. quia neque equum, qui non est. neque pecuniam, quæ non debetur stipulari possumus. sed uerum est, nouationem fieri posse, si hoc actum inter partes sit, d. l. si seruum, §. fin.

Triticum dare oportere stipulatus est aliquis, facti quæstio est non iuris, itaque si de aliquo tritico cogitauerit, idest certi generis, certæ quantitatis, id habebitur pro expresso: alioquin si cùm destinare genus, & modum uellet, non fecit. nihil stipulatus uidetur. igitur ne unum quidem modium, ff. eod. l. triticum, xciiii.

Stipulatus sum equum, aut bouem dari, cùm equum dares, ego quominus exciperem in mora fuit. mortuus est equus, uerum est me ex stipula-

tu agere non posse, nam si per debitorem mora non esset, quominus id, quod debebat, solueret, continuo is debito liberatur, ff. eod. l. stipulatus, cv.

Item stipulatione emptæ hæreditatis. QVANTA PECVNIA AD TE PERVENERIT, DOLOVE MALO TVO FACTVM EST, ERITVE QVOMINVS PERVENIAT: nemo dubitabit quin teneatur qui id egit, ne quid ad se perueniret, ff. eodem l. in illa, 50. §. item stipulatione.

Si Post moram promissoris equus decesserit, tenetur nihilominus proinde, ac si equus uiueret, & hic moram uidetur fecisse, qui litigare maluit, quàm restituere, ff. eod. l. nemo, lxxxii. §. fi.

Equum, qui decessit, si stipuler, siquidem condici etiam mortuis potuit, ut furi, utiliter me stipulatum Sabinus ait, si uero ex aliis causis inutiliter, quia & si deberetur, morte promissor liberetur: idem ergo diceret, & si mora facta mortuũ stipularer, ff. eod. l. inter stipulantem, lxxxiii. §. Stichum.

Si quis stipulatus fuerit. ILLVM SISTAS? nulla causa est, cur non obligatio constet, ff. eod. l. stipulatio ista, xxxviii. §. penult.

Quotiens quis alium sisti promittit, nec adicit pœnam, & si non est huic stipulationi additum, nisi steterit pœnam in id, quanti interest sisti, continetur, nam, qui alium sisti promittit, hoc promittit, id se acturum ut stet, ff. de uerb. obl. l. quotiens, lxxxi. in princ.

Si Procurator sisti aliquem sine pœna stipulatus sit, potest defendi non suam, sed eius cuius negotium gessit utilitatem in ea re deduxisse, idque fortius dicendum. si QVANTI EA RES SIT, stipulatio proponatur, procuratoris, d. l. quotiens, § fin.

Si ita stipulatus fuero TE SISTI? NISI STETERIS HIPPOCENTAVRVM DARI? proinde erit, atque te sisti solummodo stipulatus essem, ff. eod. l. si ita. xcvii. in princ.

Si homo mortuus sisti non potest, nec pœna rei impossibilis committetur: quem admodum siquis æquum mortuum dare stipulatus, si datus non esset, pœnam stipuletur, ff. eod. l. si homo, lxix.

Ita stipulatus sum, TE SISTI IN CERTO LOCO, SI NON STETERIS QVINQVAGINTA AVREOS DARI SPONDES? Si dies in stipulationem per errorem ommissus fuerit, cùm id ageretur, ut certo die sisteres, imperfecta erit stipulatio, non secus ac si quod pondere, numero, mensura continetur, sine adiectione ponderis, numeri, mensuræ stipulatus essem, uel insulam ædificari non demonstrato loco, uel fundum dari non adiecto nomine, quod si ab initio id agebatur, ut quocumque die sisteres, & si non stetisses, pecuniam dares. quasi quælibet stipulatio sub conditione concepta uires habebit, nec antea committitur, quàm fuerit declaratum reum promittẽdi sisti non posse, ff. eod. l. ita, cxv. in princ.

Si ita stipulatus fuero te sisti & si non steteris aliquid dari, quod promittenti impossibile est, detracta secunda stipulatione prior utilis manet, & perinde erit, ac si te sisti stipulatus essem, ff. eod. l. si ita, cxxvi. §. fin.

Si quis ita stipulatus fuerit. PRO CENTVM AVREIS SATIS DABIS? & reum dederit in istam summam Proculus ait, semper in satisdationis stipulatione uenire, quod interesset stipulantis, ut aliàs tota sors inesset, ueluti si idoneus promissor non sit: aliàs minus, si in aliquid idoneus esset debitor: aliàs nihil si tam locuplex esset, ut nostra non intersit satis ab eo accipere, nisi

quod

quod plerunque idonei, non tam patrimonio, quàm fide quoque extimarentur, ff. eod. l. si quis stipulatus, cxii. §. fi.

Cùm uenderet aliquis promisit emptori fideiussores præstari, & rem uenditam liberari, quæ ut liberetur nunc desiderat emptor, in mora est is, qui in ea stipulatione id futurum promisit. quæritur quid iuris sit. Proculus respondit, tanti litem æstimari oportet, quanti actoris interest, ff. eodem l. cùm stipulatus, cxiii. §. fina.

Si fundum certo die præstari stipuler, & per promissorem steterit, quominus ea die præstetur, consecuturum me quanti mea intersit moram facti non esse, ff. eo. l. si fundum, cxiiii.

Decem stipulatus a Titio pòstea quanto minus ab eo consequi posset, si à Mæuio stipularis, sine dubio Mæuius vniuersi periculum, potest subire: sed & si decem petieris à Titio Mæuius non erit solutus, nisi iudicatum Titius fecerit. Paulus notat. non enim sunt duo rei Mæuius, & Titius eiusdem obligationis: sed Mæuius sub conditione debet, si a Titio exigi non poterit. igitur nec Titio conuento Mæuius liberatur, qui an debiturus sit, incertum est: & soluente Titio non liberatur Mæuius, qui nec tenebatur, cùm conditio stipulationis deficit, nec Mæuius pendente stipulationis conditione recte potest conueniri. à Mæuio enim ante Titium excussum non recte petetur, ff. de verbor. obligat. l. decem. cxvi.

Cohæredes cùm prædia hæreditaria diuiserant, unum prædium commune reliquerunt, sub hoc pacto, vt si quis eorum partem suam alienare uoluisset, eam vel cohæredi suo, vel eius successori uenderet. centum vigintiquinque. sed si quis aliter fecisset pœnam centum inuicem stipulati sunt. cùm cohæres mulier cohæredis liberorum tutores sæpius testato conuenerit, & desiderauerit, vt secundum conuentionem, aut ement, aut vendent, hique nihil tale fecerint, Et mulier extero vendiderit, pœna centum ab ea exigi non poterit, sed obstabit doli mali exceptio, ff. de verbo. obligat. l. qui Romæ, cxxii. §. cohæredes cùm prædia.

Seia hæres unius tutoris, cùm hærede pupillæ transactione pacto solo facta, maiorem partem soluit residuam cauit. sed illico negauit hæres, se transactionem seruare, & apud iudicem tutelæ egit, & uictus prouocauit ad competentem iudicem, & ab eo quoque ad principem idem prouocauit, & iniuncta hæc quoque prouocatio eius pronuntiata est. quæsitum est, cum per hæredem pupillæ mora intercesserit, quominus pecunia in stipulationem deducta ab hærede tutoris solueretur, nec unquam petierit, respondit Scæuola interesse pecuniæ non solutæ, non deberi. d. l. qui Romæ §. Seia.

Duo fratres hæreditatem inter se diuiserunt, & cauerunt, sibi, nihil se cõtra eam diuisionem facturos, & si contra quis fecisset, pœnam alter alteri promisit, post mortem alterius, qui superuixit petit ab hæredibus eius hæreditatem, quasi ex causa fideicommisi, sibi à patre relicti debitam, & aduersus eum pronuntiatum est, quasi de hoc quoque transactum fuisset, quæsitum est, an pœna commissa esset. respondit Scæuola pœnam esse commissam, d. l. qui Romæ, §. fi.

Cùm stipulamur, quidquid id dare facere oportet, nihil aliud in stipulationem deducitur, quam quod præsenti die debetur. hoc enim solum hæc stipulatio demonstrat, ff. eod. l. cum stipulamur. cxxv.

Qui fundum sibi, aut Titio dari stipulatur, quamuis fundus Titio traditus sit, nihilominus petere fundum potest, vt sibi de euictione promittetur. nam interest

reſt eius; quia mandati actione fundum recepturus ſit à Titio, ſed ſi donationis cauſa Titium interpoſuit, dicetur traditione protinus reum liberari, ff. eo. Iulianus, cxxxi. §. qui fundum.

Quidam cùm filium alienum ſuſciperet, tradenti promiſerat certę pecuniæ quantitatem, ſi eum aliter quàm ut filium obſeruaſſet, ſi poſtmodum domo eum propulerit, vel moriens nihil ei teſtamento reliquerit, ſtipulatio utilis eſt. Præterea ſi filium ſuum, quis legitimè in adoptionem dederit, & hæc ſtipulatio intercesserit: SI EVM EMANCIPASSET VEL EXHAEREDASSET: certum quidem promitteret, ſi eum pater adoptiuus exhæredauerit, aut emancipauerit ſtipulatio committetur, ff. de uerb. obli. l. quidam, cxxxii.

De in diem ſtipulatione.

Stipulatio in diem fit, cùm adiecto die, quo pecunia ſoluatur ſtipulatio fit: veluti DECEM AVREOS PRIMIS KLENDIS MARTII DARE SPONDES? id autē, quod in diem ſtipulamur, ſtatim quidem debetur, ſed peti prius, quàm dies uenerit non poteſt. at ne eo quidem ipſo die in quem ſtipulatio facta eſt, peti poteſt: quia totus is dies arbitrio ſoluentis tribui debet, neque enim certum eſt eo die, in quem promiſſum eſt, datum non eſſe, priuſquàm is præterierit, Inſt. de uer. oblig. §. in diem.

In illa ſtipulatione. SI KLENDIS EQVVM NON DEDERIS DECEM DARE SPONDES: mortuo equo quæritur, an ſtatim ante Klēdas agi poſsit. Sabinus Proculus expectandum diem actori putant. quod eſt uerius tota enim obligatio ſub conditione, & in diem collata eſt, & licet ad conditionem committi uideatur, dies tamen ſupereſt, ff. de uerb. oblig. l. in illa, octaua.

Hoc iure utimur, vt ex hac ſtipulatione. SI LVCIVS TITIVS ANTE KLENDAS MAIAS IN ITALIAM NON VENERIT, DECEM DARE SPONDES, non ante peti quicquam poſsit, quàm exploratum ſit, ante eam diem in Italiam uenire Titium non poſſe, neque ueniſſe, ſiue uiuo, ſiue mortuo, id acciderit, ff. eod. l. hoc iure, x.

Qui ante Klendas proximas ſtipuletur. ſimilis eſt, ei qui Klendis ſtipulatur, ff. eo. l. qui ante, xiii.

Si ita ſtipulatus eſſem abs te, DOMVM AEDIFICARI? vel hæredem meum inſulam ædificare: Celſo placet, non ante agi poſſe. ex ea cauſa, quam tempus præteriſſet, quo inſula ædificari poſſet. nec fideiuſſores dati, ante diē tenebuntur. Et ideo hæſitatur ſi aliqua pars inſulæ facta ſit, deinde incendio conſumpta ſit: an in integrum tempus computandum ſit, rurſus ad ædificandam inſulam. an uero reliquum duntaxat expectandum, quod deerat, & uerius eſt, ut in integrum ei detur, ff. eod. l. ſi ita, xiiii. & l. ſeq.

Stipulatio huiuſmodi IN ANNOS SINGVLOS vna eſt, & incerta, & perpetua, non quemadmodum ſimile legatum morte legatarii finiretur, ff. eo. l. ſi Stichum, xvi. §. ſtipulatio huiuſmodi.

Si ſtipulatus hoc modo fuero. SI INTRA BIENNIVM CAPITOLIVM NON ASCENDERIS, DARI? non niſi præterito biennio recte petam, ff. eo. l. veluti, xxvii. §. ſi ſtipulatus.

Si equus certo die dari promiſſus, ante diem moriatur non tenetur promiſſor, ff. de uerb. oblig. l. ſi Stichus, xxxiii.

Inter

Inter incertam, certamque die discrimen esse, ex eo quoque apparet, quod certa die promissum, uel statim dari potest: totum enim medium tempus ad soluendum liberum promissori relinquitur, & qui promisit. SI ALIQVID FACTVM SIT, VEL CVM ALIQVID FACTVM SIT: nisi cũ id factum fuerit, dederit: non uidebitur fecisse, quod promisit, ff. eo. l. stipulatio ista, xxxviii. §. inter incertam.

Eum qui Klendis Ianuariis stipulatur, si adiiciat primis, uel proximis nullam habere dubitationem palam est. sed & si dicat secundis, vel tertiis, vel quibus aliis, æque dirimit quæstionem, si autem nõ addat, quibus Ianuariis facti quæstionem inducit, quid forte senserit hoc est, quid inter eos actum sit: utique enim hoc sequimur, quod actum est. easque adsumemus, si autem non appareat dicendum est. quod Sabinus primas Klendas Ianuarias spectandas. Planè si ipsa die Klendarum quis stipulationem interponat, quid sequemur? videtur actum de sequentibus Klendis, ff. eod. l. eum qui, xli. in princi.

Quotiens autem in obligationibus, dies non ponitur, præsenti die pecunia debetur, nisi si locus adiectus spatium temporis inducat, quo illò possit perueniri: verum dies adiectus efficit, ut præsenti die pecunia debeatur, ex quo apparet diei adiectionem, pro reo esse, non pro stipulatore. idem in Idibus etiam, & nonis probandum est, & generaliter in omnibus diebus, d. l. eum qui, §. quotiens.

DECEM HODIE DARI SPONDES? dicitur posse, uel eo die pecuniam peti, nec uideri præmaturius agi, non finito stipulationis die, quod in aliis temporibus iuris est. nam peti non debet, quod intra tempus compræhensum solui potest: in proposito enim diem non differendæ actionis insertum, sed quo præsens ostendatur esse responsum, ff. eodem l. liber homo, cxviii. §. decem, primo.

Si quis arbitratu, puta, Lucii Titii restitui sibi stipulatus est. deinde ipse stipulator moram fecerit, quo minus arbitretur Titius, promissor quasi moram fecerit, non tenetur. Quid ergo si ipse, qui arbitrari debuit, moram fecerit? magis probandum est, a persona non esse recedendum eius, cuius arbitrium insertum est. Et ideo si omnino non arbitretur, nihil ualet stipulatio: adeo ut & si pœna adiecta sit, ne ipsa quidem committatur, ff. eo. l. si quis arbitratu, xliii. cum l. seq.

Si ita quis stipulatus sit. POST MORTEM MEAM FILIAE MEAE DARI? vel ita. POST MORTEM FILIAE MEAE MIHI DARI: vtiliter erit stipulatns, sed primo casu filiæ vtilis actio competit, licet hæres ei non existat. Non solum ita stipulari possumus CVM MORIERIS. sed etiam. SI MORIERIS. nam sicut inter hæc nihil interest. CVM VENERIS, AVT SI VENERIS. ita nec ibi interest, SI MORIERIS, ET CVM MORIERIS, ff. eod. l. quodcunque, xlv. § si ita quis.

Centesimis Klendis dari utiliter stipulamur, quia præsens obligatio est, in diem antem illata solutio. Id autem quod in facto est: in mortis tempus conferri nõ potest. veluti cum morieris, ALEXANDRIAM VENIRE SPONDES? ff. de ver. obli. l. centesimis, xlvi.

Si ita stipulatus fuero. CVM VOLVERIS, quidam inutilem esse stipulationẽ aiunt. alii ita inutilem, si antequam cõstituas morieris, quod uerum est. Illam autem stipulationem SI VOLVERIS DARI? inutilem esse constat, d. l. centesimis, §. fin.

Si sic stipulatus fuero. PER TE NON FIERI, QVOMINVS EQVVM EX HIS, QVOS HABES SVMMAM? electio mea erit, ff. eod. l. si sic stipulatus, xciii.

Si quis stipulatus sit equum, aut bouem utrum ipse ueller, quem elegerit petet, & is erit solus in obligatione: an autem mutare uoluntatem possit, & ad alterius petitionem transire quærentibus respiciendus erit, sermo stipulationis, vtrum ne talis sit, QVEM VOLVERO, AN QVEM VOLAM: nam si talis fuerit: QVEM VOLVERO, cùm semel elegerit voluntatem mutare non poterit, si autem tractatum habeat, sermo illius, & si talis, QVEM VOLAM, donec iudicum dictet, mutandi potestatem habebit, ff. eod. l. si quis, cxii.

Cùm pure stipulatus sum, illud aut illud dari, licebit tibi, quotiens uoles, mutare uoluntatem in eo, quod præstaturus sis, quia diuersa est, causa voluntatis expressæ, & eius quæ inest, ff. eod. l. eum qui, cxxxviii. §. fin.

Si filiusfamiliàs ita stipulatus sit, ILLAM REM, AVT ILLAM VTRVM EGO VELIM? pater, sed filius destinare de alterutra debet. Extranei quoque persona si compræhensa fuerit, veluti hoc modo, VRTVM EARVM TITIVS ELEGERIT, non aliter stipulator alterutrius petendę facultatem habet, quam si Titius elegerit, ff. eo. l. si seruus, cxli. in princi.

Qui sic stipulatur, QVOD TE MITTI ILLIS KLENDIS DARE OPORTET, ID DARE SPONDES? videtur non hodie stipulari, sed sua die, hoc est Klendis, ff. eod. l. qui sic stipulatur, xlvii.

At si ita stipuleris: DECEM AVREOS ANNVOS, QVOAD VIVAM DARE SPONDES? facta obligatio intelligitur, & perpetuatur. quia ad tempus non potest deberi, sed hæres petendo pacti exceptione submouebitur, Instit. de uerbor. obliga. §. at si ita.

Qui ita stipulatur. DECEM QVOAD VINAM DARI SPONDES? confestim decem recte dari petit, sed hæres eius exceptione pacti conuenti submouendus est. nam stipulatorem id egisse: ne hæres eius peteret palam est. quemadmodum is, qui usque ad Klendas dari stipulatur, potest quidem etiam post Klendas petere, sed exceptione pacti submouetur. nam & hæres eius, cui seruitus prædii, ita concessa est, vt quo ad uiueret ius eundi haberet, pacti conuenti exceptione submouebitur, ff. eod. l. eum qui, lvi. §. qui ita.

Quotiens in diem, vel sub conditione oleum, quis stipulatur eius æstimationem, eo tempore spectari oportet, quo dies obligationis uenit: tunc enim ab eo peti potest, alioquin aliàs captio rei erit. Idem erit, & si capuæ centum olei pondo dari, quis stipulatus sit. nam eius temporis sit æstimatio, cùm peti potest. peti autem potest, quo primum in locum perueniri potuit, ff. eodem l. quotiens, lix. & l. sequen.

Si quis ita stipulatus sit. SI ANTE KLENDAS MARTIAS PRIMAS OPVS PERFECTVM NON ERIT. TVM QVANTI ID OPVS ERIT, TANTAM PECVNIAM DARI? diem promissionis cedere, non ex quo locatum est opus, sed post Klendas Martias, reus promittendi poterat. Planè si INSVLAM FVLCIRI: quis stipulatus sit, non est expectandum, vt insula ruat, deinde agi possit. nec INSVLAM FIERI: vt tantum temporis prætereat, quanto insula fabricari possit. sed ubi iam cœpit mora faciendæ insulæ fieri, tunc agetur, dieſque obligationi cedit, ff. eod. l. stipulationes, lxxii. §. si quis ita, vsque in finem.

Interdum pura stipulatio, ex re ipsa dilationem capit, veluti si id quod in utero sit,

ſit,aut fructus futuros, aut domum ædificari ſtipulatus ſit: tunc enim incipit actio,cùm ea per rerum naturam præſtari poteſt. ſic qui Carthagini dari ſtipulatur,cùm Romæ ſit,tacitè tempus complecti uidetur,quo peruenire Carthaginem poteſt,ff.de uerb.obli.l.interdum,lxxiii.in princ.

Ad diem ſub pœna pecunia promiſſa, & ante diem mortuo promiſſore,committetur pœna,licet non ſit hæreditas eius adita,ff.eod.l.ad diem, lxxvii.

Si ſtipulatus fuero,ex fundo centum amphoras uini, expectare debeo donec naſcatur,& ſi natum ſine culpa promiſſoris conſumptum ſit, rurſum expectabo, donec iterum naſcatur,& dari poſsit,& per has uices,aut ceſſabit, aut ualebit ſtipulatio,ff.eo.l.inter ſtipulantem,lxxxiii.§.pro quo.

Cùm ſtipulatus ſim, mihi Proculè ſi opus arbitratu meo,ante Klendas Iunias effectum non ſit,pœnam,& protuli diem: putas ne uerè me poſſe dicere arbitratu meo, opus effectum non eſſe, ante Klendas Iunias, cùm ipſe arbitrio meo aliam operi laxiorem dederim? Proculus reſpondit: non ſine cauſa diſtinguendum eſt.intereſſe,vtrum per promiſſorem mora non fuiſſet, quo minus opus ante Klendas Iunias,ita uti ſtipulatione compræhenſum erat, perficeretur: an cùm iam opus effici non poſſet. ante Klendas Iunias, ſtipulator diem in Klendis Auguſtis protuliſſet.nã ſi tum diem ſtipulator protulit, cùm iam opus ante Klendas Iunias effici non poterat:pœnam eſſe commiſſam.nec ad rem pertinere, quòd aliquod tempus ante Klendas Iunias fuit, quo ſtipulator non deſiderauit,id ante Klendas iunias effici. ideſt quod non eſt arbitratus,aut fieri,quod fieri non poterat.aut ſi hoc falſum eſt, etiamſi ſtipulatus Pridiè Klendas Iunias mortuus eſſet. pœna commiſſa non eſſet quoniam mortuus arbitrari non poſſet,& aliquod tempus poſt mortem eius operi perficiendo ſuperfuiſſet,& propemodum,etiam ſi ante Klendas Iunias futurum eſſe cœpit,opus ante eam diem effici non poſſe: pœna commiſſa eſt,ff.eod.l. cùm ſtipulatus,cxiii. in princ.

Si quis certo tempore facturum ſe aliquid,uel daturum ſtipulari, uel quæ ſtipulator uoluit promiſerit,& ſi adiecerit, quod ſi ſtatuto tempore minus hæc perfecta fuerint pœnam dabit.ſcire debet, minime poſſe ad euictandam pœnam obiicere,quod nullus eum admonuit,ſed etiam citrà omnem admonitionem eidem pœnæ pro tenore ſtipulationis fuit obnoxius: cum eaque promiſit ipſe in memoria ſua ſeruare non ab aliis ſibi manifeſtari poſcere debeat, C.de contrah.ſtip.l.magnam, xii.

In inſulam deportato reo promittendi ſtipulatio iſta concepta. CVM MORIERIS DARI? non niſi moriente eo committitur,ff.de verb. obli.l. ex ea parte,cxxi.§.in inſulam.

Si inſulam fieri ſtipulatus ſim,& tranſierit tempus quo potueris facere, quamdiu litem conteſtatus non ſim poſſe te facientem liberari placet, quod ſi iam litem conteſtatus ſim, nihil tibi prodeſſe, ſi ædifices, ff. eod. l. ſi inſulam fieri, lxxxiiii.

Qui inſulam fieri ſtupulatur, ita demum adquirit obligationem, ſi apparet quo in loco fieri inſulam uoluerit,ſi & ibi inſulam fieri intereſt eius, ff. eod. l. qui inſulam,xcv.

INSVLAM INTRA BIENNIVM ILLO LOCO AEDIFICARI SPONDES? ante finem biennii ſtipulatio non committitur. quamuis reus promittendi non ædificauerit,& tantum reſidui temporis ſit, quo ædificium extrui non poſsit: neque enim ſtipulationis ſtatus, cuius dies certus

in exordio fuit, ex postfacto mutatur: itaque & in stipulatione sistendi causa facta: placuit scilicet, ut ante diem stipulationem committatur, si certum esse cœperit, parere stipulationi residuo tempore non posse, ff. eodem l. insulam, cxxiiii.

Si quis promiserit DECEM TIBI DABO QVA DIE PETIERIS, ET EORVM INTERESSE IN DIES TRIGINTA, interesse ex die stipulationis debetur. non ex die qua petita sors fuerit, nisi aliud actum manifeste probaretur, item dies, quo stipulatio facta esset initium est reddendi pecuniam, ff. eo. l. si ita quis, cxxxv.

De conditionali stipulatione.

Sub conditione stipulatio fit, cum in aliquem casum defertur obligatio, ut si aliquid factum fuerit, uel non fuerit, committatur stipulatio, veluti. SI TITIVS CONSVL FVERIT FACTVS QVINQVE AVREOS DARE SPONDES? Inst. de verb. oblig. §. sub conditione.

Si ita quis stipulatur, SIVE NAVIS EX ASIA VENERIT, SIVE TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT, utra prius conditio extitisset stipulatio committetur, & amplius committi non potest. sed enim cùm ex duabus disiunctiuis conditionibus, altera defecerit, necesse est, ut ea, quę extiterit, stipulationem committat, ff. eo. l. si ita quis, lxiii.

Huiusmodi stipulatio interposita est, SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT. TVM EX HAC DIE IN ANNO SINGVLOS DENA DARI SPONDES? post triennium conditio extitit, an huius temporis nomine agi possit, non immeritò dubitabitur: & respondit Africanus eam stipulationem utilem esse, ita ut in ea eorum quoque annorum, qui ante impletam conditionem intercesserit, præstatio in id tempus intelligatur, ut sententia eius sit talis, tunc cùm Titius consul factus fuerit, in annos singulos etiam præteriri temporis habita ratione, dena præstentur, ff. eod. l. huiusmodi, lxiiii.

Si ita stipulatus fuero: SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT, TVNC EX HAC DIE IN ANNO SINGVLOS DENA DARE SPONDES? post triennium conditione existente. triginta peti possunt, ff. eod. l. si ita, cxxvi. in princ.

Quicunque sub conditione obligatus curauerit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur, ff. eod. l. in executione, lxxxv. §. fi.

Si quis ita stipuletur. SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERO DARE SPONDES? perinde erit, ac si stipulatus esset, cùm morietur sibi dari. Inst. de uerb. oblig. § si quis ita.

Sicuti cùm morietur, quis stipulari potest, ita etiam hi, qui subiecti sunt alienæ potestati, cùm morientur stipulari possunt, ff. de verbo. oblig. l. quodcunque, xlv. § sicuti.

Ea, quæ stipulata est. cùm moreretur partem dimidiam dotis, cui uelit relinquere reddi, sibi cùm moreretur eam partem dotis stipulata uidetur, C. de contrah. stipu. l. quarta.

Omnia, quæ vel quocunque contractu, vel stipulati, vel pacti sunt contrahentes, vel testator in suo testamēto disposuit, etiam si post mortem, uel pridiæ, quàm moreretur scripta esse noscuntur pro tenore contractus, vel testamenti ualent,

lent. C. eod. l. scrupulosam, xi.

Si quis spoponderit insulam cùm moriebatur ædificare: non est imposibilis stipulatio, sed verisimile uidetur hoc inter contrahentes actum, ut incipiat quidem contra morientem obligatio, immineat autem hæredibus eius, donec ad effectum perducatur, quod & in legatis simili modo relictis obseruatur. C. eodem. l. finali.

Si ita stipulatus fuero. SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIS, VEL ALEXANDRIAM NON IERIS CENTVM DARI SPONDES? non statim committetur stipulatio, quamuis Capitolium ascendere, uel Alexandriam peruenire potueris, sed cùm certum esse cęperit, te Capitolium ascendere, vel Alexandriam ire non posse. item si quis ita stipuletur. SI EQVVM NON DEDERIS CENTVM DARI SPONDES? Pegasus respondit non ante committi stipulationem quàm desiisset equus posse dari. Sabinus autem existimabat ex sententia contrahentium postquàm equus potuit dari confestim agendum, & tamdiu ex stipulatione nõ posse agi, quamdiu per promissorem non stetit, quominus equum daret, idque defendebat exemplo pœnus legatæ. Mutius etenim hæredem si dare potuisset pœnum nec dedisset, confestim in pecuniam legatam teneri scripsit. idque utilitatis causa receptum est ob defuncti uoluntatem, & ipsius rei natura. Itaq; potest Sabini sententia recipi, si stipulatio non à conditione cœpit: ueluti SI EQVVM NON DEDERIS TANTVM DARE SPONDES? sed ita concepta sit stipulatio. EQVVM DARI SPONDES SI NON DEDERIS TANTVM DARI SPONDES? quod sine dubio verum erit, cum id actum probaret, & si equus datus non fuerit, & equus, & pecunia debeantur, sed & si ita cautum sit, ut sola pecunia non soluto equo debeatur, idem defendendum erit, quoniam fuisse volũtas probatur, vt equus soluatur, aut pecunia petatur. ff. eo. l. ita stipulatus, cxv. §. sed si ita stipulatus.

Ex conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri: eamque ipsam spem in hæredem transmittimus si priusquam conditio extet, mori nobis contigerit. Inst. de verb. oblig. §. ex conditionali.

Loca etiã inseri stipulationi solent, VELUTI CARTHAGINI DARE SPONDES? quæ stipulatio licet purè fieri videatur, tamen re ipsa habet tempus adiectum, quo promissor vtatur ad pecuniam Carthagini dandum, & ideo si quis Romæ stipuletur. HODIE CARTHAGINI DARE SPONDES? inutilis erit stipulatio cùm imposibilis sic repromisio: Inst. eod. §. loca.

Si inter eos, qui Romæ sunt, talis fiat stipulatio HODIE CARTHAGINE DARE SPONDES? quidam putant non semper videri imposibilem causam stipulationi contineri, quia posit contingere, vt tam stipulator, quàm promissor ante aliquod tempus suo quisq;, dispensatori notum fecerit in eum diem futuram stipulationem, ac demandasset promissor quidem suo dispensatori, ut daret stipulator autem suo, ut acciperet, quod si ita factum fuerit, poterit valere stipulatio. ff. de verborum obligationib. l. si seruus, cxli. §. si inter eos.

Cùm ita stipulatus sum EPHESI DARI? inest tempus, quod autem accipi debeat, quæritur: & magis est, ut totam eam rem ad iudicem, idest ad uirum bonum remittemus, qui æstimet quanto tempore diligens paterfamilias conficere posit, quod factum se promiserit, & qui Ephesi daturum se spo-

ponderit, neque duplomate diebus, ac noctibus, & omni tempestate contempta iter continuari cogatur: neque tam delicatè progredi debeat, ut reprehensione dignus appareat. sed habita ratione temporis, ætatis, sexus, ualetudinis, cum id agat, ut maturè perueniat, idest eodem tempore, quo plerique eiusdem conditionis homines solent peruenire. eoque transacto quamuis Romæ remanserit, nec possit Ephesi pecuniam dare, nihilominus ei rectè condicetur, uel quia per ipsum steterit, quominus Ephesi daret, uel quoniam per alium Ephesi dari possit, uel quia ubique potest soluere. nam & quod in diem debetur, ante solui potest, licet peti non potest, quòd si duplemate usus, aut fęlici nauigatione, maturius quàm quisque peruenerit Ephesum: confestim obligatus est, quia in eo, quod tempore, atque facto finitum est; nullus est coniecturæ locus. ff. eod. l. continuus, cxxxvii. §. cum ita stipulatus.

Item qui insulam fieri spopondit, non utique conquisitis undique fabris, & plurimis operis adhibitis, festinare debet, nec rursus utroque aut altero contentus esse, sed modus adhibendus est, secundum rationem diligentis ædificatoris, & temporum locorumque item si non inchoetur opus id tantum æstimetur, quod in illo interuallo effici potuit, transactoque tempore, quo insulam consummare oportuerit si postea ædificetur, liberetur reus: sicut liberatur qui se daturum spopondit, si quandoque tradit. dicta l. continuus. §. item qui insulam.

Si ab eo stipulatus sim, qui efficere non possit, cùm alio possibile sit: iure factam obligationem Sabinus scribit, d. l. continuus, §. si ab eo.

Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim confirmant obligationem, aut omnino non differunt: ueluti si Titius consul factus fuit, uel si Mæuius viuit, dare spondes? nam si ea ita non sunt, nihil ualet stipulatio: sin autem, ita se habent, statim valet, quæ enim per rerum naturam sunt certa; non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. Instit. de verb. oblig. §. conditiones, & ff. eod. l. conditio. c.

Si ita stipulatus fuero, HANC SVMMAM CENTVM AVREORVM DARI SPONDES? & si maxime exaudiatur ille sermo. SI MODO CENTVM AVREORVM EST. non facit conditionem hæc adiectio, quoniam si centum non sint: stipulatio nulla est. nec placet instar habere conditionis sermonem, qui non ad futurum, sed ad præsens tempus refertur; & si contrahentes rei veritatem ignorant. ff. eo. l. si ita. cxx.

Si quis ita stipulatus fuerit. DECEM AVREOS DAS SI NAVIS VENIT, ET TITIVS CONSVL FACTVS EST? non alias dabitur, quàm si vtrunque factum sit. Idem in contrarium. DARE SPONDES SI NEC NAVIS VENIT, NEC TITIVS CONSVL FACTVS EST? exigendum erit, vt neutrum factum sit. huic similis scriptura est. SI NEQVE NAVIS VENIT, NEQVE TITIVS CONSVL FACTVS EST? AT SI SIC, DABIS SI NAVIS VENIT, AVT TITIVS CONSVL FACTVS SIT? sufficit unum factum, & contra. DABIS SI NAVIS NON VENIT, AVT TITIVS CONSVL FACTVS NON EST? sufficit vnum non factum. ff. eod. l. si quis ita stipulatus fuerit, cxxix.

Non solum res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta, ut si stipulamur aliquid

quid fieri, uel non fieri, & in huiusmodi ſtipulationibus optimum erit pœnam ſubiicere, ne quantitas ſtipulationis in incerto ſit, ac neceſſe ſit actori probare, quod eius interſit. itaque ſi quis, ut fiat aliquid ſtipuletur ita adiici pœna debet, ſi ita factum non erit, tunc pœnæ nomine centum dare ſpondes? ſed ſi quædam fieri, quædam non fieri una eadem conceptione ſtipuletur quis, clauſula huiuſmodi erit adiicienda, ſi aduerſus ea factum fuerit, ſiue quid ita factum non fuerit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare ſpondes? Inſt. de uerborum oblig. §. fin.

Cùm quid vt fiat ſtipulemur pœnam ſi rectè concipiemus. SI ITA FACTVM NON ERIT, cùm quid ne fiat, ſic SI ADVERSVS ID FACTVM SIT, ff. de uerb. oblig. l. cum quid. lxxi.

Si ut aliquid fiat ſtipulemur: uſitatur ſic ſubiici pœnam, SI ITA FACTVM NON ERIT, at cùm quid ne fiat ſtipulemur tunc hoc modo, Si ADVERSVS EA FACTVM ERIT. & cùm alia fieri alia non fieri coniuncti ſtipulemur ſic comprehenditur, SI NON FECERIS, SI QVOD ADVERSVS EA FECERIS. Præterea ſciendum eſt, quod dari ſtipulemur non poſſe nos uni ex hæredibus adquiri: ſed neceſſe eſſe omnibus adquiri. at cum quid fieri ſtipulemur, etiam unius perſonam rectè comprehendi. ff. eod. l. continuus cxxvii. §. final.

Si equum, quem à Titio purè ſtipulatus fueram: Seius Mihi ſub conditione promiſerit, & is pendente conditione poſt moram Titii deceſſerit confeſtim cum Titio agere potero. nec Seius exiſtente conditione obligetur, at ſi Titio acceptum feciſſem, Seius exiſtente conditione obligari poteſt. idcirco hæc tam uariè, quod equo mortuo deſinit eſſe res in quam Seius obligaretur, acceptilatione interpoſita ſupereſt equus, quem Seius promiſerat. ff. eod. l. eum qui, lvi. §. ſi hominem.

Si quis, ſi Titius conſul factus erit, decem dari ſpoponderit, quamuis pendente cõditione promiſſor moriatur, relinquet hæredem obligatum. ff. eo. l. ſi quis, lvii.

Si filiusfamilias ſub conditione ſtipulatus emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit, quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus. ff. eod. l. filiusfam. lxxviii.

Si ſtipulatus hoc modo fuero. SI INTRA BIENNIVM CAPITOLIVM NON ASCENDERIS DARI? non niſi præterito biennio rectè petam. nam etſi ambigua uerba ſunt, ſic tamen exaudiuntur, & immutabiliter uerum fuit, te Capitolium non aſcendiſſe. ff. eod. l. quidquid, xcix.

Qui Romæ mutuam pecuniam acceperat ſoluendam in longinqua prouincia per menſes tres, eamque ibi dari ſtipulanti ſpopondiſſet, poſt paucos dies Romæ teſtato creditori dixit. paratum ſe eſſe Romæ eam numerare detracta ea ſumma, quam creditori ſuo intereſſe nomine dederat. quæſitum eſt cùm in integrũ ſummam, qua ſtipulatione obligatus eſt, obtulerit, an eo loco, in quo ſoluenda promiſſa eſt, ſua die integra peti poſſet. Scæuola reſpondit, poſſe ſtipulatorem ſua die ibi, vbi ſoluendam ſtipulatus eſt petere. ff. eo. l. qui Romæ, cxxii. in prin.

DE DVOBVS REIS STIPVLANDI, ET PROMITTENDI.

Titulus II.

ET stipulandi & promittendi duo pluresvè rei fieri possunt stipulandi ita. Si post omnium interrogationem promissor respondeat. SPONDEO, ut puta cum duobus separatim stipulationib. ita promissor respondeat utriq; uestrum dare spondeo. nam si prius Titio spoponderit, deinde alio interroganti spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo rei stipulandi esse. Inst. de duob. reis, in princip. & ff. de duob. reis. l. prima.

Duo, pluresvè rei promittendi ita fiunt. MAEVI DECEM AVREOS DARE SPONDES, ET SEI EOSDEM DECEM AVREOS DARE SPONDES, si respondeant singuli separatim. SPONDEO. Inst. eod. §. duo plures.

Et stipulationum prætoriarum duo rei fieri possunt. ff. eodem. l. & stipulationum, xiiii.

Duo rei promittendi siue ita interrogati. SPONDETIS. respondeant. SPONDEO. aut SPONDEMVS, siue ita interrogati. SPONDES. respondeant, SPONDEMVS. recte obligantur. ff. eodem. l. quarta.

Duos reos promittendi facturus, si utrumque interrogauero sed alter duntaxat responderit, uerius est eum, qui responderit, obligari, neq; enim sub conditione interrogatio in utriusque persona fit, ut ita demum obligetur, si alter quoque responderit. ff. eod. l. sexta, in princ.

Duo rei sine dubio ita constitui possunt; ut temporis ratio habeatur, intra quod uterque respondeat, modicum tamen interuallum temporis, item modicus actus, qui modo contrarius obligationi non sit, nihil impedit, quominus duo rei sint: fideiussor quoque interrogatus inter duorum reorum responsa si responderit potest uideri non impedire obligationem reorum: quia nec longum spatium interponitur, nec is actus contrarius sit obligationibus. dicta l. sexta. §. final.

In duobus reis promittendi frustra timetur nouatio: nam licet ante prior responderit, posterior & si ex interuallo accipiatur, consequens est dicere, pristinam obligationem durare & sequentem accedere & parui refert, simul spondeant, an separatim promittant, cum hoc actum inter eos sit, ut duo rei constituantur, neque vlla nouatio fiet. ff. eod. l. tertia, in princ.

Si ex duobus, qui promissuri sunt, hodie, alter ab altero postera die responderit, non esse duos reos at ne obligatum quidem intelligi eum, qui postera die respondeat, verum est: cum actor ad alia negotia discesserit, vel promissor: licet peractis illis rebus responderit. ff. eod. l. si ex duobus, xii. in princ.

Si à Titio, & pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fuero eadem decem, & quasi duos reos promittendi constitui, obligatumque Titium solum Iulianus scribit. d. l. si ex duob. §. fi.

Si id, quod ego, & Titius stipulamur in singulis personis proprium intelligatur, non poterimus duo rei stipulandi constitui, ueluti cum usumfructum,

aut

Si id quod ego, & Titius ſtipulamur in ſingulis perſonis proprium intelligatur, non poterimus duo rei ſtipulandi conſtitui, veluti cum vſumfructum aut dotis nomine dari ſtipulemur. idem eſt ſi Titius, & Seius decem, aut equũ qui Titii ſit ſtipulati ſint, quia non uidentur duo rei ſtipulandi, cùm Titio decem tantum, Seio equus, aut decem debeantur, quæ ſententia eò pertinet, vt quamuis vel huic, vel illi decem ſoluerit, vel Seio æquum, nihilominus alteri obligatus manet, ſed dicendum eſt, vt ſi decem altero ſoluerit: ab altero liberetur, ff. eod. l. ſi id, xv.

His verbis, EA QVAE PRAESTARI STIPVLANTI SPOPONDIMVS, intereſt quid inter contrahentes actum ſit: nam ſi duo rei facti ſint. eum qui abſens fuit non teneri. præſentem autem inſolidum eſſe obligatum, aut ſi minus in partem fore obſtrictum, ff. eo. l. octaua.

Eandem rem apud duos pariter depoſui, utriuſque fidem in ſolidum ſecutus, uel eandem rem duobus, ſimul commodaui: fiunt duo rei promittendi, quia non tantum uerbis ſtipulationis, ſed & cæteris contractibus, veluti emptione, venditione, locatione, conductione, depoſito commodato, teſtamento. utputa, ſi pluribus hæredibus inſtitutis, teſtator dixit. TITIVS, ET MAEVIVS SEMPRONIO DECEM DATO. ſed ſiquis in deponendo penes duos paciſcatur, vt ab altero culpa quoque præſtaretur: verius eſt, nõ eſſe duos reos, à quibus impar ſuſcepta eſt obligatio. Non idem probandum eſt, cùm duo quoque culpam promiſiſſent, ſi alteri poſtea pacto culpa remiſſa ſit: quia poſterior conuentio, quæ in alterius perſona interceſsit, ſtatum, & naturã obligationis, quæ duos initio reos fecit, mutare non poteſt, quare ſi ſocii ſint, & cõmunis culpa interceſsit, etiam alteri pactum cum altero factum proderit, ff. eod. l. nona, in princ.

Siue à certis perſonis hæredum nominatim legatum eſſet, ſi ab omnibus excepto aliquo: Atlicinus, Sabinus, Caſsius, pro hæreditariis partibus totum eos legatum debituros aiunt. quia hæreditas eos obligat. idem eſt cùm omnes hæredes nominantur, ff. eo. l. ſiue a certis, xvii.

Cùm duos reos promittendi facerem ex diuerſis locis Capuæ pecuniam dari ſtipulatus ſim, ex perſona cuiuſque ratio proprii temporis habebitur. nam & ſi maximè parem cauſam ſuſcipiunt, nihilominus in cuiuſque perſona propria ſingulorum conſiſtit obligatio, ff. eodem. l. eandem nona.

Cùm tabulis eſſet compræhenſum, illum, & illum centum aureos ſtipulatos: neque adiectum, ita ut duo rei ſtipulandi eſſent, uirilem partem ſinguli ſtipulati uidebantur, & è contrario: cùm ita cautum inueniretur, TOT AVREOS RECTE DARI STIPVLATVS EST IVLIVS CARPVS SPOPONDIMVS, EGO ANTONINVS ACHILLEVS, ET CORNELIVS DIVS: partes uiriles debentur, quia non fuerat adiectum, ſingulos in ſolidum ſpopondiſſe. ita vt duo rei promittendi fierent, ff. eod. l. reos, xi. §. fin.

Cùm duo eandem pecuniam, aut promiſerint, aut ſtipulati ſunt, ipſo iure ei ſinguli inſolidum debentur, & ſinguli debent, ideoque petitione acceptilatione unius tota ſoluitur obligatio, ff. eod. l. ſecunda.

Ex huiuſmodi obligationibus, & ſtipulationibus ſolidum ſingulis debetur & promittentes ſinguli in ſolidum tenentur. utraque tamen obligatione, vna res uertitur, & vel alter debitum accipiendo, vel alter ſoluendo omnium

perimit obligationem, & omnes liberat, Inst. eod. §. ex huiusmodi.

Vbi duo rei facti sunt potest, uel ab uno eorum solidum peti. hoc est enim duorum reorum, vt vnus quisque eorum in solidum sit obligatus, possitque ab alterutro peti, & partes aũt à singulis peti posse, nequaquam dubium est. quemadmodum, & à reo, & fideiussore petere possumus. utique enim cum una sit obligatio, una & summa est: ut siue vnus soluat, omnes liberantur: siue soluatur ab altero, liberatio contingat, ff. eo. l. tertia, §. vbi duo.

Duobus autem reis constitutis, quin liberum sit stipulatori, vel ab vtroque, uel ab altero duntaxat fideiussorem accipere, non dubitatur. sed si à duobus reis stipulandi interrogatus respondisset, uni se spondere ei soli tenetur, ff. eod. l. sexta, §. duobus.

Reos promittendi uice mutua fideiussores non inutiliter accipi conuenit, reus itaque stipulandi actionem suam diuidere si uelit, (neque enim diuidere cogendus est,) poterit eundem, vt principalem reum, item, qui fideiussor pro altero extitit in partes conuenire, non secus ac si duos promittendi reos actionibus conueniret, ff. eod. l. reos, xi. in princ.

Si reus promittendi altero reo hæres extiterit, duas obligationes eum sustinere dicendum est. nam ubi quidem altera differentia obligationum esse possit, vt in fideiussore, & reo principali, constitit alteram ab altera perimi, cùm vero eiusdem duæ potestatis sint, non potest reperiri, qua altera potius quam alterã consumari: ideoque & si reus stipulandi hæres extiterit, duas species obligationis is sustinere debet, ff. eod. l. si reus, xii.

Si duo rei promittendi sotii non sint, non proderit alteri, quod stipulator alteri reo pecuniam debet, ff. eod. l. x.

Ex duobus reis stipulandi si semel unus egerit, alteri promissor offerendo pecuniam, nihil agit, ff. eod. l. ex duobus, xvi.

Ex duobus reis eiusdem equi promittendi factis alterius factum alteri, quoque nocet, ff. eod. l. penult.

Cùm duo eandem pecuniam debent: si unus capitis deminutione exemptus est obligatione, alter non liberatur, multum enim interest, utrum res ipsa soluatur, an person a liberetur, cum persona liberatur, manente obligatione alter durat obligatus, & ideo si aqua, & igni interdictum est, alicuius fideiussor postea ab eo datus tenetur, ff. eo. l. fi.

Ex duobus reis promittendi, alius purè, alius in diem, vel sub conditione obligari potest. nec impedimento erit dies, aut conditio, quominus ab eo, qui pure obligatus est petatur, Inst. de duob. reis, §. fi. & ff. eod. l. septima.

Propter mutuam uni datam pecuniam aliis reis promittendi factis, ob nõ numeratam sibi pecuniam obligationem, remitti desiderio postulantium iura refragantur, C. de duob. reis, l. quarta.

Si duo pluresve rei cuiusdam traditione conuentionem in solidum inierint, cuicunque eorum, quamdiu res in eadem causa manserit, si casus obtulerit, actio in solidum competit, C. eod. l. prima.

Quando sunt duo rei promittendi eiusdem pecuniæ seruatur dispositio Nouellæ Constitutionis, xcix. de duob. reis promitt. qui uice mutua fideiussores ac cepti sunt. Pro eadem Constitutione quoniam describetur suo Titulo de fideiussorib. hic annotatio fit, quia omittitur lex secunda in princip. C. de duob. reis, qua disponitur creditorem non prohiberi exigere debitum, à quo uelit cum duo sint promittendi Rei.

Qui probauerit se conuentum in solidum exsoluisse à Præside prouinciæ adiuuabitur

bitur aduersus eum, cum quo communiter mutuam pecuniam accepit, C. de duob. reis, l. secunda, §. & ideo.

Cùm quidam rei stipulandi certos habeant reos promittendi, vel vnus forte creditor duos, vel plures debitores habebat: uel è contrario multi creditores unũ debitorem, & alii ex reis promittendi ad certos creditores debitum agnouerunt, vel per solutionem, vel per alios modos in anterioribus sanctionibus positos, si forte ad unum creditorem quidam ex debitoribus deuotionem suam ostenderunt; vel cùm plures essent creditores, debitor qui solus existeret ad vnum ex his, vel quosdam debitum agnouit. quærebatur si eis, vel ei daretur licentia aduersus alios in deuotionem suam exercere, & quasi tempore emenso exactionem recusare, vel quibusdam ex debitoribus debitum agnoscentibus, vel in iudicio pulsatis, deberent, & alii ab omni contradictione repelli: pietate suggerente, videtur esse humanum semel in uno eodemque contractu, qualicunque interruptione, vel agnitione adhidita omnes simul compelli ad persoluendum debitum, siue plures sint rei, siue unus, siue plures sint creditores, siue non amplius, quàm unus. Sancitum est in omnibus casibus, supra compræhensis aliorum deuotionem, uel agnitionem, vel ex libello admonitionem aliis debitoribus præiudicare, & aliis prodesse creditoribus, C. de duob. reis, l. fin.

In duobus reis promittendi constitutum est, ex vnius rei electione præiudicium creditori, aduersus alium fieri non conceditur. Sed remanent, & ipsi creditori actiones integræ, & personales, & hypothecariæ, donec per omnia ei satisfiat. Si enim pactis conuentis hoc fieri conceditur, & in usu quotidiano semper hoc versari aspicimus: quare non ipsa legis authoritate hoc permittatur, ut nec simplicitas suscipientium contractus, ex quacunque causa posſit ius creditoris mutilare, C. de fideiuss. l. fi. §. idemque in duobus reis.

DE DIVISIONE STIPVLATIONVM.
Titulus III.

STipulationum aliæ sunt iudiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conuentionales aliæ communes, tàm prætoriæ, quàm iudiciales, Inst. de diuisione stipul. in princ. & ff. de ver. obli. l. quinta in princ.

Iudiciales sunt duntaxat, quæ à mero iudicis officio proficiscuntur, veluti de dolo cautio, Inst. eo. §. iudiciales.

Prætoriæ sunt, quæ à mero prætoris officio proficiscuntur, ueluti damni infecti, vel legatorum. Prætorias autem stipulationes sic exaudiri oportet, ut in iis etiam contineantur ædilitiæ. nam & hæ in iurisdictione Prætoris veniunt, Inst. eod. §. prætoriæ.

Conuentionales sunt, quæ ex conuentione utriusque partis concipiuntur. hoc est, neque iussu iudicis, neque iussu prætoris: sed ex conuentione contrahentium, quarum totidem genera sunt, quot (pene dixerim) rerum contrahendarum, Inst. eodem, §. conuentionales, & ff. de uerbo. obliga. l. quinta, §. conuentionales sunt.

In conuentionalibus stipulationibus, contractui formam contrahentes dant. enimuero prætoriæ stipulationes legem accipiunt, de mente prætoris, qui eas proposuit, denique prætoriis stipulationibus nihil immutare licet, neque addere,

dere,neque detrahere.Si quis vacuam possessionem tradi promiserit, non nudum factum hæc stipulatio continebit,sed causam bonorum,ff.de uerb.oblig. l.in sti pulationibus,lii.

Communes sunt,veluti rem saluam fore pupillo (nam & prætor iubet rem saluã fore pupillo caueri,& interdum iudex,si aliter hæc res expediri non potest)vel de rato stipulatio,Inst.de diuis.stip.§ fin.

Communes sunt stipulationes,veluti rem saluam fore pupillo.nam & prætor iubet,rem saluam fore pupillo caueri, & interdum iudex, si aliter expediri, hæc res non potest.item duplę stipulatio uenit a iudice, aut ab ædilis ædicto, ff. de verb.obli.l.quinta,§.communes.

DE PRAETORIIS STIPVLATIONIBVS. *Titulus IIII.*

PRætoriarum stipulationum tres uidentur esse species iudiciales cautionales,communes.iudiciales eas dicimus, quæ propter iudicium interponuntur,vt ratum fiat.vt iudicatum solui, & ex operis noui nunciatione. Cautionales sunt autem, quæ instar actionis habent,& ut sit noua actio intercedunt,vt de legatis stipulationes, & de tutela,& ratam rem haberi, & damni infecti. Communes sunt stipulationes,quæ fiunt iudicio sistendi causa,& sciendum est,omnes stipulationes, natura sui cautionales esse. hoc enim agitur in stipulationibus, vt quis cautior sit,& securior interposita stipulatione,ff.de prætoriis stip.l.prima,in prin.

Stipulationum istarum prætoriarum,quædam sunt, quæ satisdationem exigunt, quædam nudam repromissionem. sed perpaucæ sunt, quæ nudam repromissionem habent, quibus enumeratis apparebit, cæteras non esse repromissiones,sed satisdationes,d.l.prima,§.stipulationum.

Stipulatio,itaque ex operis noui nunciatione, aliàs satisdationem, aliàs repromissionem habet.Ex qua operis noui nuntiatione satisdari oporteat? quemadmodum satisdetur? namque de eo opere, quod in priuato factum erit, satisdatio est.de eo quod in publico,repromitti oportet.sed hi quidem, qui suo nomine cauent repromittunt,qui alieno,satisdant.item ex causa damni infecti interdum repromittitur.interdum satisdatur. nam siquid in flumine publico fiat,satisdatur.de ædibus autem repromittitur. stipulatio duplæ repromissio est.nisi si conuenerit,vt satisdetur,d.l.prima,§.stipulatio itaque.

Quod si sit aliqua controuersia,vtputa si dicatur per calumniam desiderari,vt stipulatio interponatur: ipse prætor debet super ea re summatim cognoscere, & cautum iubere,aut denegare.sed & siquid,vel addi,vel detrahi, vel immutari in stipulatione oporteat,prętoriæ erit iurisdictionis,d.l.prima,§. fi.

Prætoriæ stipulationes,aut rei restitutionem continent, aut incertam quantitatem, sicuti stipulatio ex noui operis nuntiatione,qua cauetur, vt opus restituatur. ideoque, siue actor, siue reus decesserit pluribus hæredibus relictis, uno uincente,vel uicto totum opus restitui debebit.quandiu enim aliquid superest, tamdiu non potest videri opus restitutum. Incertam quantitatem continet stipulatio iudicatum solui, & rem ratam dominum habiturum, & damni infecti,& his similes,in quibus respondetur scindi eas in personas hæredum, quamuis posit dici ex persona hæredum promissoris, non posse descendentem a defuncto stipulationem, diuersam conditionem cuiusque facere, at in

contrarium

contrarium ſumma ratione fit,ut uno ex hæredibus ſtipulatoris vincēte in partem eius committatur ſtipulatio. hoc. n. facere verba ſtipulationis quanti ea res eſt. ſed ſi unus ex hæredibus promiſſoris totam rem poſſideat inſolidum eum damnandum Iulianus ſcribit: in quantum autem ipſe ea ſtipulatione,vel fideiuſſores an omnino teneantur dubitari poteſt. & uidendum ait,ne non cōmittatur. ſed ſi lite conteſtata poſſeſſor deceſſerit unum ex hæredibus non maiore ex parte damnandum licet totum fundum poſſideat: quàm ex qua hæres eſt.ff.eod.l.ſecunda.

Generaliter in omnibus prętoriis ſtipulationibus,& procuratoribus ſatiſdatur.ff. eod.l.tertia.

Prætoriæ ſtipulationes ſæpius interponuntur, cùm ſine culpa ſtipulatoris cautum eſſe deſiit.ff.eod.l.quarta.

In omnibus prętoriis ſtipulationibus hoc ſeruandum eſt,ut ſi procurator meus ſtipuletur mihi cauſa cognita ex ea ſtipulatione actio competat. idem eſt,& cum inſtitor in ea cauſa eſſe cœpit. ut interpoſita perſona eius dominus mercis rē amiſſurus ſit,ueluti bonis eius uenditis. ſuccurrere enim domino Prætor debet. ff. eod. l.quinta.

In omnibus prætoriis ſtipulationibus,in quibus primo fieri aliquid,deinde ſi factum non ſit,pœnam inferimus: pœnæ nomine ſtipulatio committitur. ff. eodem. l.ſexta.

Prætoriæ ſatiſdationes perſonas deſiderant pro ſe interuenientium,& neque pignoribus quis,neque pecuniæ vel auri,vel argenti depoſitione in uicem ſatiſdationis fungitur. ff.eod.l.ſeptima.

Qui ſub conditione inſtitutus eſt adgnita bonorum poſſeſsione cogitur ſubſtituto in diem cauere longiorem. Prætor enim beneficium ſuum nemini uult eſſe captioſum. & poteſt videri calumnioſè ſatis petere,quem aliis antecedit. ff. eodem.l.octaua,in princ.

Cùm ſub contrariis conditionibus Titio, & Mæuio legatum ſit utrique cauetur. quia uterq; ex uoluntate defuncti ſperat legatum d.l.octaua.§.fin.

In prætoriis ſtipulationibus ſi ambiguus ſermo acciderit, prætoris erit intetpretatio,eius enim mens æſtimanda eſt.ff.eo.l.nona.

Si præſes prouinciæ,qui ante in triennium caueri iuſſerat: poſtea in longum tempus caueri præcepit,qui à prima ſtipulatione prorſus diſcedi voluerat,exceptionem primæ ſtipulationi obligaris peperiſſe uidetur.ff.eod.l.x.

In eiuſmodi ſtipulationibus,quę quanti res eſt promiſsionem habent,commodius eſt certam ſummam comprehendere,quoniam plerunque difficilis probatio eſt,quanti cuiuſq; interſit,& ad exiguam ſummam deducitur.ff.eo.l.fin.

In prætoriis ſtipulationibus ſi rem,quam ex cauſa lucratiua ſtipulatus ſum, nactus fuero,ex cauſa euaneſcit ſtipulatio. ſed ſi hæres extitero, dominio extinguitur ſtipulatio. Si vero à me hærede defunctus eam legauit: poteſt agi ex ſtipulatu. idemq; eſſe etſi ſub conditione legata ſit,quia etſi ipſe debitor rem ſub conditione legatam dediſſet non liberaretur. ſed ſi conditione deficiente remanſerit, petitio infirmabitur. ff. de verbor. obligat. l.inter ſtipulantem,lxxxiii. §.hic tractatus.

Quia inter iudiciales ſtipulationes prætoriarum eſt. VT RATVM IVDICIVM FIAT, ET IVDICATVM SOLVI. *ideo De ſtipulatione iudicatū ſolui ſequitur.*

DE STIPVLATIONE IVDICATVM SOLVI.
Titulus V.

IVdicatum solui stipulatio tres clausulas in unum collatas habet, de re iudicata, de re defendenda, de dolo malo. ff. iudicatum solui. l. sexta.

In stipulatione iudicatum solui post rem iudicatam: statim dies cedit, sed exactio in tempus reo principali indultum differtur. ff. eod. l. prima.

Si quis apud aliquem iudicem iturus, stipulatus est iudicatum solui, & agit apud alterum, non committitur stipulatio, quia non huius iudicis sententiæ fideiussores se subdiderunt. ff. eod. l. tertia, in princ.

Cùm apud Sempronium iudicem datum reus defenderetur, stipulatione cautum est, ut quod Sempronius iudex iudicasset, præstaretur. à cuius sententia petitor appellauit, & cum apud competentem appellationi iudicem res ageretur, defensore condemnato. quæsitum est, an stipulatio commissa esset. respondit Scæuola non esse iure commissam, & ideo ut cõmittatur stipulatione adiicitur. QVIVE' IN EIVS LOCVM SVBSTITVTVS ERIT. ff. eod. l. penult.

Stipulationem iudicatum solui, & procurator, & tutor, & curator stipulari possũt. Procuratorem eum accipere debemus, cui mandatum est, siue huius rei tantum mandatum susceperit, siue etiam uniuersorum bonorum. sed & si ratum fuerit habitum, procurator uidetur. sed & si fortè ex liberis uel parentibus aliquis interueniat, uel vir vxoris nomine à quibus mandatum non exigitur an committatur stipulatio, quæritur. magisq; erit, ne committi debeat: nisi fuerit ei mandatum vel ratum habitum, quod enim eis agere permittitur edicto prætoris, non facit eos procuratores, itaq; si talis persona interueniat, ex integro erit cauendum. sed & quod de tutore diximus, ita accipiendum est, ut si is fuerit, qui tutelam administrabat, cùm tutor non esset, tutoris appellatione eum non contineri. sed & si quidem tutor sit, non tamen quasi tutor negotia administret, vel dum ignorat, vel alia ex causa, dicendum erit non committi stipulationem. nam edicto prætoris illi tutori agendi facultas datur, cui à parente, maioreve parte tutorum, eorumve, cuius ea iurisdictio fuit, tutela permissa erit. sed & curatorem accipiemus furiosi furiosæ: item pupilli, pupillæ cæterorum quoq; curatores puta adolescentis, uel si alterius, cuius curator sit, committi stipulationem. Si tutor esse proponatur regionis alicuius, uel prouinciæ, uel rerum Italicarum: consequens erit dicere, stipulationem ita demum committi, si ex causa egerint, quæ ad administrationem eorum pertinebat. Si reus postquam iudicatum solui promisit, demens factus sit, an stipulatio committatur ob rem non defensam quæritur, magisque est, ut committatur, si nemo eũ defendat. ff. eod. l. tertia. §. stipulationem, vsq; ad §. ob rem.

Ob rem non defensam stipulatio non cõmittitur quandiu potest existere, qui defendat. d. l. tertia. §. ob rem.

Si ante acceptum iudicium prohibitus fuerit procurator à domino, & actor ignorans, prohibitum eum esse, egerit an stipulatio committatur? & nihil aliud dici potest, quam committi. Quòd si quis sciens prohibitum esse, egerit, Iulianus non putat stipulationem committi. nam vt committatur. nõ sufficere ait, cum ea persona acceptum esse iudicium, quę stipulationi comprehensa est: sed oportere etiam causam personę eandem esse, quæ stipulationis interponendæ tempore

pore

pore fuit. & ideo ſi is, qui procurator datus eſt, hæres extiterit domino atq; ita acceperit iudicium, ſiue etiam prohibitus acceperit, non committitur ſtipulatio, nam & aliàs ac ſponſum eſſe, ſi quis abſentem defendens ſatis dederit, deinde vel procurator ab eo datus, uel poſt quàm hæres ei extitit, iudicium acceperit fideiuſſores non teneri. ff. eod. l. ſeptima.

Si ad defendendum procurator datus fuerit, ſatiſdare iubetur iudicatum ſolui ſtipulatione, quæ non ab ipſo procuratore, ſed à domino litis interponitur, quod ſi procurator aliquem defendat ipſe cogitur ſatiſdare iudicatum ſolui ſtipulatione. ff. eodem. l. decima.

Si fuero à fideiuſſore procuratoris ſtipulatus iudicatum ſolui, quaſi in rem acturus, & poſtea in perſonam egero, uel alia actione acturus aliam autem dictaue ro actionem, non committitur ſtipulatio, quia de alia actum uidetur, de alia ſtipulatio interpoſita. ff. eo. l. cùm quærebatur, xiii. §. fin.

Cùm lite mortua nulla res ſit, ideo conſtat fideiuſſores ex ſtipulatu iudicatum ſolui non teneri. ff. eo. l. ſecunda.

Si petitor poſt ſatiſdationem ante iudicium acceptum hæres poſſeſſori extiterit, extinguitur ſtipulatio. ff. eodem. l. octaua.

Hæc ſtipulatio QVANDIV RES NON DEFENDATVR, ſimul atque defendi cœperit, aut defendi debere deſierit, reſoluitur. ff. eod. l. hæc ſtipulatio, xv.

Vir bonus non arbitrabitur indefenſam eſſe rem, de qua prætor iudicium accipere non cogat. ff. eod. l. vir bonus, xviii.

Cùm quærebatur, ſi interpoſita iudicatum ſolui ſtipulatione, cùm quis rē non defenderet, poſtea ex hære modicio ſententiam eſſet paſſus, an ob rem iudicatam clauſula committatur, dicitur vnam clauſulam in ſtipulatione iudicatum ſolui, & ob rem non defenſam, & ob rem iudicatam in re habere. cùm igitur iudicatum ſolui ſtipulatio vna cludatur clauſula, ſiue res iudicetur, ſiue res non defendatur, meritò quæritur ſi altera cauſa committatur. an ex altera rurſum cōmitti poſsit. ecce enim ſi quis ſtipuletur. SI NAVIS EX ASIA VENERIT, aut, SI TITIVS CONSVL FVERIT, conſtat ſiue nauis prior venerit, ſiue Titius conſul ante factus ſit, committi ſtipulationem, ſed vbi commiſſa eſt ex priore cauſa, ex altera licet exiſtat conditio, amplius non committitur. altera cauſa enim non vtraq; inhæret ſtipulationi proinde videndum, ſtipulatio ob rem non defenſam vtrum commiſſa eſt re non defenſa. an non prius creditur commiſſa, niſi ex ſtipulatione his fuerit conteſtata, quod magis eſt. & ideo nec fideiuſſoribus videtur ſtatim dies cedere, vbi res cœperat non defendi. proinde ſi fortè lis finita fuerit ad quē defenſio erat neceſſaria vel ſolutione, vel tranſactione, vel acceptilatione, vel quo alio modo conſequenter placuit euaneſcere ob rem non defenſam clauſulam. ff. eo. l. cùm quærebatur, xiii. in princ.

Si plures fuerint fideiuſſores poſteaquam cùm vno lis conteſtata eſt, ex clauſula ob rem nō defenſam ipſe reus poteſt ſuſcipere defenſionem, is autem cùm quo actum fuit, abſolui debet: iam tamen fideiuſſore, qui iudicium acceperat, damnato. fruſtrà defenſionem reus ſuſcipit, cæterum etſi ſolutum fuerit poſteaquàm iudicatum eſt, repetitionem conſtituerimus eius, quod ſolutum eſt. ff. eodem. l. tertia. §. fin. cum l. ſequen. & l. quinta, in princip.

Vnus ex fideiuſſoribus, vel hæredibus pluribus, alio ceſſante ſuſcipere defenſionem poteſt. d. l. quinta. §. vnus.

Nunc videamus qualis defenſio exigatur, ne committatur ſtipulatio, & quarum perſonarum. & ſi quidem ex perſonis enumeratis in defenſionem quis ſucce-

dat

dat palàm est, rectè rem defendi, nec committi stipulationem: si vero extrinsecus personam defensoris interueniat æquè stipulatio non committetur. si modo ille paratus sit rem boni uiri arbitratu defendere hoc est satisdare. sic.n.uidetur defendere, si satisdet, cæterum si simpliciter paratus sit interuenire, nec admittatur, committetur ista stipulatio ob rem non defensam. quòd si quis eũ, uel cum satisdatione, vel sine satisdatione admiserit. consequens erit dicere stipulationis istius nullam partem committi: quia sibi imputari debet, qui talem defensorem admisit. d.l.quinta.§.nunc.

Si ex fideiussoribus, qui iudicatum solui cauerant. existat defensor, placuit ob rem iudicatam stipulationem non committi, cæteraq; eadẽ esse, atque si extraneus defensor existat. d.l.quinta.§.si ex fideiussoribus.

In hac stipulatione hoc tractatur, an hi, qui fideiusserint, si defensionem omiserint mandati iudicio teneantur. & est uerius non teneri: hi enim in quantitatem interuenerunt, & hoc illis fuit mandatum, non in defensione, quid tamen si & hoc sibi assumpserint, ut defendant? an mandati posint agere? & si quidẽ victi sunt, utique quod ob rem iudicatum præstiterunt consequentur. sumptus tamen litis minimè petent, si autem obtinuerunt, poterunt sumptus litis consequi quasi iuxta mandatum, & si non mandatum fecerint. d. l. quinta. §.in hac stipulatione.

Si tamen plures fideiussores defendere fuerint parati, uideamus vtrum vnum defensorem debent dare, an vero sufficiat, vt vnusquisq; eorum pro parte sua defendat, vel defensorem substituat. & magis est, vt nisi vnum dent procuratorẽ desiderante, scilicet hoc actore committatur stipulatio ob rem non defensam, nam & plures hæredes rei necesse habebunt vnum dare procuratorem, ne defensio per plures scissa incommodo aliquo afficiat actorem. aliud est in hæredibus actoris, quibus necesitas non imponitur, vt per vnum litigent. d.l.quinta.§.si tamen.

Illud sciendum est, ibi rem esse defendendam, vt rectè defendatur, vbi debet agi dicta l.quinta.§.fi.

Si ex duobus fideiussoribus, qui iudicatum solui spoponderant: alter ob rem nõ defensam partem suam soluerit, nihilo minus res defendi poterit, nec tamen is, qui soluerit, repetet: stipulatio enim eius pro parte perempta est; proinde ac si acceptum ei factum fuisset. ff. eod. l. si ex duobus, xiiii. in princip.

Quoties ex stipulatione iudicatum solui ob rem non defensam agitur cum fideiussoribus non est iniquum caueri, dominum priore iudicio absolui, quia ommissa cautione fideiussores mandati iudicio non consequentur, aut certe cogantur dominum priore iudicio defendere. d.l.si ex duobus, §.fin.

Si unus ex fideiussoribus ob rem non defensam conuentus sit, deinde postea res defendatur, alter fideiussorum ob rem iudicatam conueniri potest, & si reus promittendi duobus hæredibus relictis decesserit, alter rem non defendat, alter defendat, is, qui non defendat ob rem non defensam conueniri potest: ille, qui defendat ob rem iudicatam quoniam in unius eiusdemque persona non posse committi has duas clausulas creditur, & nos dicimus semper prævalere rei iudicata clausulam, eamque solam committi. ff. eod. l. finali.

Ex iudicatum solui stipulatione ob rem non defensam cum uno ex fideiussoribus agere uolo, is, quod pro parte eius sit soluere mihi paratus est non debet mihi in eum dari iudicium, neque enim æquum est aut iudicio destringi, aut ad inficiationem compelli eum, qui sine iudice dare paratus est, quo non amplius aduersarius

uersarius eius per iudicem ab eo consequuturus est,ff. eo.l. ex iudicatum. 16.

Ex clausula re iudicata, dolo malo, ob rem non defensam insolidum committitur stipulatio, non enim uidebitur defensa res boni uiri arbitratu, quæ non insolidum defensa sit.ff.eo.l.ex clausula.17.

Nouissima clausula iudicatum solui stipulationis. DOLVM MALVM ABESSE ABFVTVRVMQVE ESSE, & in futurum tempus permanens factum demonstrat. itaque etsi forte decesserit is, qui dolo fecerit, tenebitur hæres eius. uerbum enim, ABFVTVRVMQVE ESSE plenissimum est, & ad omne tempus refertur, ut si aliquo tempore non auferit dolus, quoniam uerum sit non afuisse committatur hæc clausula. Si autem adiectum sit, SI HVIVS REI DOLVS MALVS NON ABERIT, QVANTI EA RES EST, DARI SPONDES? & ob extranei dolum promissor pœna tenebitur. doli autem mali clausula, sicut reliquiæ stipulationes, in quibus tempus nominatim adiectum non est, non ad principium stipulationis refertur.ff. eod.l.nouissima.xix.

Quia uero inter cautionales stipulationes prætoriarum est Ratam rem haberi. ideo sequitur hic titulus

RATAM REM HABERI, ET DE RATI HABITIONE.

Titul. VI.

CVM quis de rato stipularetur, quamuis non idem, sed alius à Domino conueniretur, qui conueniri non posset, si ratum habuisset comitti stipulationem placuit. ueluti si cum fideiussor, aut alter ex reis promittendi, qui solius est conuenitur.ff. rem ratam haberi.l.prima.

In stipulatione de rato habendo non est cogitandum rei promittendi, uel stipulandi compendium, sed quid interfuerit eius, qui stipulatus est ratum haberi, quod gestum est.ff.eo.l.2.

Nam si commissa est stipulatio ratam rem dominnm habiturum in tantum competit, in quantum mea interfuit, idest quantum mihi abest, quantumque lucrari potui.ff.eo.l.si commissa.xiii.

Interdum ex conuentione stipulatio ratam rem interponi solet, utputa si quid procurator, aut uendat, aut locet, aut si ei soluatur. uel paciscitur, uel quodlibet aliud absentis nomine gerit, quo enim tutiore loco sit, qui contrahit de rato solet stipulari.ff.eo.l.interdum x,& l.uel si xi.cum l.seq.in princ.

Iulianus ait interesse qn̄ habemus ratā habere deberet solutionē in procuratorem factam, an tunc demum cum primum certior factus esset, hoc autem, EN FATEI accipiendum & cum quodam spacio temporis, nec minimo, nec maximo & quod magis intellectu percipi, quàm ellocutione exprimi posit, q̄d ergo si quòd primo ratum non habuit, postea habebit ratum? nihilo magis proficere ad impediendam actionem suam, & ob id quod primò non habuit ratū actionem saluam habere ait. ideoq; si quod procuratori solutum fuit exegerit, agi perinde ex ea stipulatione poterit, ac si ratum habere se postea non dixisset, sed exceptio doli mali locum habebit.ff.eo.l.quo enim.xii.§.Iulianus.

Siue quis petat, siue compensatione utatur committitur statim ratam rem domi num habiturum stipulatio. nam qualiter quis eundem actum retractet, qui à procuratore actus est, committi stipulationem oportet.d.l.quo.n.§.fi.

Cum minor uigintiquinque annis creditor pecuniam recuperare uellet interpo

ſitus procurator debitori de rato habendo cauit, reſtitutione in integrum data, neque indebiti condictionem, neque ſtipulationem committi conſtabat, idemque eueniret ſi falſi procuratoris actum minor annis ratum habuerit, & ideo ita cauendum erit precedente mandato. SI ILLE IN INTEGRVM RESTITVTVS FVERIT, HAERESVE EIVS AVT IS, AD QVEM EA RES, QVA DE AGITVR PERTINEBIT QVANTI EA RES ERIT TANTAM PECVNIAM DARI. mandato uero non interueniente uulgaribus uerbis de rato habendo. hæc quoque prudentius inter conſcentientes adſtruentur, alioquin ſi non conueniat, nec creditor minor conſentiat actionem dari oportebit. ff. eo. l. 3. in prin.

Falſus procurator de rato habendo cauit atque ita dominus à ſententia iudicis procuratore uicto prouocauit. ſtipulationis defeciſſe condictionem apparuit, cum ad auxilium commune ſuperatus confugiſſet, quod ſi dominus qui ratum non habuit pecuniam exegerit, ſtipulatio de rato committetur in eam pecuniã, q̃ dominus accepit, quamuis nihil procurator acceperit. d. l. 3. §. fi.

Rem ratam haberi hoc eſt, comprobare adgnoſcereque, quod actum eſt à falſo procuratore. ff. eo. l. quo. n. xii. §. rem.

Procurator quinquaginta petit, ſi dominus centum petat tenebuntur fideiuſſores qui de rati habitione cauerunt in quinquaginta, & quantum interfuit differri quinquaginta actionem. ff. eo. l. 4.

Procurator ad exhibendum egit, & aduerſarius abſolutus eſt, quia non poſsidebat, at cum poſſeſsionem eiuſdem rei nactus eſſet, agit cum eo dominus ad exhibendum. Sabinus ait fideiuſſores non teneri, quoniam hæc alia res ſit, nam etſi dominus egiſſet mox abſoluto aduerſario, quia non poſsideret, ex integro ageret, non obſtatura eſt rei iudicatæ exceptio. ff. eo. l. 8. in princ.

Si procurator à debitore pecuniam exegerit, & ſatiſdederit dominum rem ratam habere, mox dominus de eadem pecunia egit, & litem amiſerit: committi ſtipulationem placet, etſi procurator eandem pecuniam domino ſine iudice ſoluerit, condicturus eſt, ſed cum debitor ex ſtipulatu agere cæperit poteſt dici dominum, ſi defenſionem procuratoris ſuſcipiat non inutiliter doli mali exceptione aduerſus debitorem uti, quia naturale debitum manet. d. l. 8. §. ſi procurator.

Si indebitum procuratori ſolutum ſit, agi ſtatim ex hac ſtipulatione aduerſus procuratorem poteſt, ut ratum habeat dominus. ut poſsit dannoſci, utrũ ne domino condici debeat id quod indebitum ſolutum ſit, ſi is ratum habeat, an uero procuratori condicendum ſit, ſi dominus ratum non habeat. ff. eo. l. ſi in debitum xvi. in prin.

Si procurator fundum petiiſſet, & cauiſſet, uti adſolet, ratam rem dominum habiturum deinde dominus poſtea eundem fundum uendidiſſet, eumque emptor petere, ſtipulationem ratam rem haberi committi Iulianus ſcribit dicta l. xvi. §. fin.

Si Procurator ratam rem dominum hæredemve eius habiturum cauerit, & unus ex hæredibus domini ratum habeat, alter non habeat ſine dubio committetur ſtipulatio pro ea parte, pro qua ratum non habebitur. quia in id committitur quod ſtipulatoris interſit. nam etſi ipſe dominus pro parte ratum habuerit, pro parte non habuerit non ultra quàm in partem committetur ſtipulatio: quia in id committitur quod interſit agentis, & ideo ſæpius ex ea ſtiplõne agi pt. ꝑut interſit agentis, ꝙ litigat, ꝙ cõſumit, ꝙ aduocat, ꝙ damnatus ſoluit,

ſicut

ficut in ſtipulatione damni infecti accidere poteſt, ut is qui ſtipulatus ſit ſubinde agat: cauet enim ſi quid ibi ruet, ſcindetur, fodetur ædificabitur. finge ergo ſubinde damnum dari non erit dubium quàm agere poſsit. nam ſi toto damno computato tunc agendum eſt, propemodum non ante aget, quàm dies ſtipulationis præterierit intra quem ſi damnum datum ſit ſtipulatione cautum erit, quod uerum non eſt, ff. eodem l. ſi procurator. xviii.

In ſtipulatione qua procurator cauet tatam rem dominum habiturum, id continetur, quod interſit ſtipulatoris. Idemque iuris eſt in clauſulis omnibus de dolo malo. ff. eod. l. in ſtipulatione, xix.

Non ſolum in actionibus, quas procurator intendit uerum in ſtipulationibus, quoque. quas interponi deſiderat, ſi uice repræſentat actionum, cauere enim de rato oportet. quare ſi duplæ ſtipulationem procurator iaterponat, de rato cauere debet, ſed & ſi damnum infecti ſtipulatio à procuratore interponatur, de rato debet procurator cauere, ff. eo. l. non ſolum xx.

Ne ſatiſdatio ratam rem dominum habiturum exigatur in his, quæ nomine eius ageret, qui eum ſe feciſſe procuratorem libello principi dato profeſſus eſt, prodeſt, quod ſi iudicatum ſolui ab eo procuratore poſtularetur, neceſſe eſt, ut iuri manifeſto pareatur, ff. eo. l. ne ſatiſdatio. xxi.

Si ſine iudice non debitam pecuniam exegerit procurator, & dominus ratam ſolutionem non habuerit, ſed eandem pecuniam petere inſtituerit fideiuſſores tenentur, & condictio, qua procurator teneretur, ſi ſtipulatio interpoſita non fuiſſet, peremitur, quotiens enim procuratori pecunia ſoluitur, & dominus eam ſolutionem ratam non habet, id agitur, ut condictio perematur, & ſola actio ei, qui indebitum ſoluit aduerſus procuratorem ex ſtipulatu competat. Hoc amplius præſtant fideiuſſores impenſas, quæ in iudicium factæ fuiſſent: quod ſi dominus ratam habuiſſet, fideiuſſores quidem liberantur, ſed ab ipſo domino eadem pecunia per condictionem peti poteſt. Quod ſi procurator debitam domino pecuniam ſine iudice exegiſſet idem iuris eſt hoc ſecus, quod ſi dominus ratam rem habuiſſet nulla eius pecuniæ petitio futura eſt, ff. eod. l. ſi ſine xxii.

Si ſine iudice procuratori legatum ſoluatur cauere eum debere Pomponius ait. ff. eod. l. ſi commiſſa xiii. §. fin.

Quod ſi procurator per iudicem non debiram pecuniam exegiſſet, dici poteſt ſiue ratum dominus habuiſſet, ſiue non habuiſſet, fideiuſſores non teneri, uel quia nulla res eſſet, quam dominus ratam habere poſsit, uel quia nihil ſtipulatoris intereſt ratum haberi: adficietur ergo iniuria is, qui procuratori ſoluit, magis tamen eſt, ut ſi dominus ratum non habuerit, fideiuſſores teneantur. quòd ſi debitam pecuniam procurator per iudicem, cui nihil mandatum fuerit, petierit, magis eſt, ut inſolidum fideiuſſores teneantur, ſi dominus ratum non habuerit. ff. eo. l. ſi ſine. §. quòd ſi procurator.

Cum autem procurator rectè petit, dominus perperam, non debet procurator præſtare, ne iniuria iudicis dominus aliquid conſequatur, nunquam enim propter iniuriam iudicis fideiuſſores obligantur, uerius tamen eſt hoc caſu fideiuſſores non niſi in impenſas litis teneri. Marcellus: ſi ratam rem dominus non habuerit, ſed lite mota rem amiſerit, nihil prætor impendia in ſtipulatione ratam rem deducitur. d. l. ſi ſine. §. cum autem.

Si ꝓcuratori eius ꝙ mortuus erat ſine iudice ſoluta fuerĩt legata, ſtiplõ cõmittẽ, niſi hr̃s ratũ habuerit, utiq; ſi d̃bita fuerĩt. tũc. n. nõ dubiè ĩtereſt ſtiplõnis ratã

ſolutionem ab hærede haberi ne bis eadem præſtet, d.l.ſi ſine §.ſi procuratori.

Si procurator iudicium de hæreditate ediderit, deinde dominus fundum ex ea hæreditate petierit, ſtipulatio ratam rem haberi committetur. quia ſi verus procurator fuiſſet exceptio rei iudicatæ dominum ſubmoueret. Plerunque autem ſtipulatio ratam rem haberi his caſibus committetur, quibus, ſi verus procurator egiſſet domino aut ipſo iure, aut propter exceptionem actio inutilis eſſet, d.l.ſi ſine.§.ſi procurator.

Procurator cum peteret pecuniam ſatiſdedit amplius non peti: poſt iudicium acceptum extitit, qui & ipſe procuratorio nomine eandem pecuniam peteret. quæſitum eſt cum is qui poſtea peteret, procurator non eſſet, & propter hoc exceptionibus procuratoriis excludi poſſet: num fideiuſſores, prioris procuratoris tenerentur. Iulianus reſpondit, verius eſt non obligari fideiuſſores nam in ſtipulatione cauetur, non petiturum eum, cuius de ea re actio, petitio perſecutio ſit. & ratum habituros omnes ad quos ea res pertinebit. hic autem qui procurator non eſt, nec actionem nec petitionem habere intelligendus eſt, ff.eo.l.procurator, xxiii.

Procurator cum ab eo æs alienum exegerat, qui tempore liberaretur, ratam rem dominum habiturũ cauit, deinde poſt tẽpus liberato iam debitore dominus ratam rem habet, poſſe debitorem agere cũ procuratore exiſtimauit. cum iã debitor liberatus ſit; argumentum rei quòd ſi nulla ſtipulatio interpoſita ſit, condictio locum aduerſus procuratorem habitura ſit, in locum autem condictionis interponi ſtipulationem, ff.eod.l.fi.§.fin.

Non tantum verbis ratum haberi poſſe, ſed etiam actu. denique ſi eam litem quã procurator inchoaſſet dominus comprobans perſequeretur, non erit commiſſa ſtipulatio. ff.eod.l.quinta.

Tutore ſuſpecto poſtulato defenſor ſi velit reſpondere cautionem rem ratã dominum habiturum cauere compellendus eſt. ff.eod.l.ſexta.

Actor à tutore datus cauet, actor ciuitatis nec ipſe cauit nec magiſter vniuerſitatis, nec curator bonis conſenſu creditorum datus, ff.eo.l.actor.ix.

Si quis vni ex reis promiſerit ratam rem dominum habiturum, aut amplius eam non petiti. dicendum eſt ſtipulationem committi ſi ab eo petatur, qui eiuſdẽ obligationis ſocius eſt, ff.eod.l.ſi quis uni, xiiii.

Pater dotẽ a ſe datam abſente filia petit, & ratam rẽ habituram eã cauit, ea prius quam ratum haberet, mortua eſt. negauit Africanus cõmitti ſtipulationẽ, quia & ſi verũ ſit ratũ eam non habuiſſe, nihil tamen mariti interſit dotem reſtitui, cum patri etiam mortua filia ſalua eſſe dos debeat, ff.eod. l. fi. in princ.

Amplius non peti verbum labeo ita accipiebat, ſi iudicio pretium eſſet. ſi autem in ius eam vocauerit, & ſatis iudicio ſiſtendi cauſa acceperit, iudicium tamen cæptum non fuerit, non committitur ſtipulatio. AMPLIVS NON PETI: hic.n.non petit ſed petere uult. ſi verò ſoluta eſſet pecunia, licet ſine iudicio, committitur ſtipulatio. nam & ſi quis aduerſus petentem compenſatione, deductioneve vſus ſit: rectè dictum eſt petiſſe eum videri, & ſtipulationẽ cõmitti, AMPLIVS NON PETI. nam & hæres qui damnatus non petere, ſi horum quicquam feciſſet, ex teſtamento teneretur, ff.eod.l.amplius, xv.

Si in ſtipulatione ratam rem haberi hactenus comprehenſum fuerit, LVCIVM TITIVM RATVM HABITVRVM? cum id aperte ageretur, ut hæredis cæterorumque perſonæ ad quos ea res pertineret, omitterentur, difficile eſt exiſtimari doli clauſulam committi. ſanè cum per imprudentiam hæ perſonæ omit-

omittãtur. actio ex doli clauſula cõpetit, ff. eo. l. ſi ſine, xxii. §. ſi in ſtipulatione.

Qui patris nomine iniuriarum agit ob eam rem quod filius eius verberatus pulſatuſve ſit, in ſtipulatione cogẽdus eſt filii quoque perſonam comprehendere. præſertim cum fieri poſsit, vt pater ante decedat quàm ſciret procuratorem ſuum egiſſe, & ita iniuriarum actio redeat ad filium. ſed & ſi nepoti iniuria facta fuerit, & procurator aui propter hanc cauſam iniuriarum aget. non ſolum filii ſed etiam nepotis perſona comprehendenda erit in ſtipulatione quid enim prohibet & patrem & filium, antequam ſcirent procuratorem egiſſe, decedere? quo caſu iniquum eſt, fideiuſſores non teneri, nepote iniuriarum agẽte, d. l. ſi ſine. §. fin.

De noui operis ſtipulatione.

Ex operis noui nuntiatione ſi caueatur, tanti ſtipulatio committitur, quanti iudicatum ſit, ff. de noui ope. nunc. l. ex operis, xii.

Cùm procurator opus nouum nuntiat, & ſatiſdat rem ratam dominum habiturũ, & remiſsio in domini perſonam confertur, ff. eod. l. cùm procurator, xiii.

Si dominus nouum opus nuntiauerit, intra diem, quæ ſtipulatione ex operis noui nuntiatione interpoſita comprehenſa eſſet, committitur ſtipulatio. Si præterita ea die dominus nuntiaret, non committitur nam & ipſi domino cum ſemel nũtiauerit, non permittitur iterum nuntiare, quandiu ſtipulatio ex operis noui nuntiatione tener et, d. l. cum procuratr. §. ſi dominus.

Stipulatio de operis noui nuntiatione interponi ſolet quotiens vicinus dicit, ius ſibi eſſe prohibere vicinum opus nouum inuito ſe facere, ff. eod. l. ſtipulatio. xxi. in princ.

Si quis autem vult poſt opus nouum nuntiatum impunè ædificare offerre debet ſatis nuntiatori. quod ſi fecerit, vtrique conſultum eſt: tam ei qui nuntiauit, quoniam cautum habet de opere reſtituendæ, quam ei cui nuntiatum eſt: quia molitio eius non impeditur: antequam enim caueat quidquid ædificauerit, interdicto reſtitutorio deſtruere compellitur, d. l. ſtipulatio, §. ſi quis.

Habet autem iſta ſtipulatio cõditionem, vt ita demum committatur, ſi iudicatum fuerit, ſiue ante rem iudicatam cauſa quæ acciderit neque res defendatur, & de dolo malo ſubiicitur clauſula, d. l. ſtipulatio. §. habet.

Opus autem factum accipimus, non ſi unum uel alterum cementum fuit impoſitum, ſed ſi proponatur inſtar quoddam operis, & quaſi facies quædam facta oris. Siue autem res iudicetur, ſiue res non deffendatur, ſtipulatio in id committitur, ut res uiri boni arbitratu reſtituatur. quod ſi ita reſtitutam non erit, quãti ea res erit, tantam pecuniam dabit, ſi hoc petitori placuerit, d. l. ſtipulatio. §. opus autem.

Quæſitum eſt, ſi plures domini ædificent, an omnes cauere debeant. & ait labeo vnum cauere debere, quia reſtitutio operis fieri pro parte non poſsit, idem ait & ſi plures nuntient, curandum eſſe, ſi inter eos conueniat. Planè ſi non conueniat, & ſingulis erit cauendum. idem dicit adiiciendum eſſe in ſtipulatione, vt tantum præſtetur, quanti vniuſcuiuſque interſit, ſi hoc malierint, cæterum ſi ita fuerit inquit, cautum, QVANTI EA RES ERIT: dubitabitur ad totius corporis æſtimationem hæc verba referuntur an vero ad quod eius intereſt, qui ſtipulatur. Sed & ſi ſic vni fuerit cautũ QVANTI EA RES ERIT, defendi poteſt ſtipulationem ſufficere: ad operis enim quantitatem ea refertur, d. l. ſtipulatio. §. quæſitum finali.

Prætoriæ stipulationes sunt rem saluam fore pupillo & de legatis quæ in prima, & tertia parte descriptæ sunt ideo hic non ponuntur: in tit. vero damni infecti nulla est lex, quæ congruenter inseri possit. ideo totus ille tit. erit in sexta parte: nã datur actio, quia non cauetur, materia uero tituli opresis noui nunciatione ferè tota erit in eadem sexta parte, quia aliquæ leges positæ sunt paulo superius. De duplici uero stipulatione; quia est titulus de euictionibus, & de duplici stipulatione paucæ leges describuntur ut infra.

DE DVPLICI STIPVLATIONE. *Tit. VII.*

EMptori duplam promitti à uenditione oportet, nisi aliud conuenit non tamen ut satisdetur, nisi specialiter id actum proponatur. Quod autem diximus duplam promitti oportere sic erit accipien dum, vt non ex omni re id accipiamus, sed de his rebus quæ prætiosiores sunt, si forte Margarita, aut ornamenta prætiosa, uel uestis serica, uel quid aliud non contemptibile venierit, ff. de euiction. & duple stipulat. l. emptori, xxxvii. in prin.

Si simplam pro dupla per errorem emptor stipulatus sit: re euicta, consecuturum eum ex empto Neratius ait quanto minus stipulatus sit, si modo omnia fecit emptor, quæ in stipulatione continentur, quod si non fecerit, ex empto id tamen consecuturum, ut ei promittatur quod minus in superiorem stipulationem deductum est. ff. d. l. emptori. 37. §. si simplam.

Si dupla non promittetur, & eo nomine agetur dupli condemnandus est reus, ff. eod. l. secunda.

Si fundus uenierit, ex consuetudine eius regionis, in qua negotium gestum est, pro euictione caueri oportet. ff. eod. l. sexta.

Sciendum est nihil interesse, ex qua causa duplæ stipulatio fuerit interposita, utrum ex causa emptionis, an ex alia, ut committi possit. ff. eod. l. sciendum. lii.

DE INVTILIBVS STIPVLATIONIBVS. *Tit. VIII.*

OMnis res, quæ dominio nostro subiicitur in stipulationem deduci potest, siue mobilis sit, siue soli. at si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest. dari stipulatus fuerit ueluti hypocentaurum, qui esse non potest, inutilis erit stipulatio. inst. de inutil. stip. in princ. & ff. de uerborum oblig. l. inter stipulantem, lxxxiii. §. sacram, & l. continuus, cxxxviii. §. cùm quis.

Idem iuris est si rem sacram, quam humani iuris esse credebat, uel publicam rem quæ vsibus populi perpetuo exposita sit, ut forum uel teatrum, uel cuius commertium non habuerit, uel rem suam quis dari stipuletur, nec in pendenti erit stipulatio ob id, quod publica res in priuatum deduci, & commercium adipisci stipulator potest, & res sua stipulatoris desinere esse potest sed protinus inutilis est, inst. eod. §. idem iuris &, ff. de obligat. & actio. l. prima. §. idem iuris.

Item contra licet initio utiliter res in stipulatu deducta sit, si tamen postea in ali-

quam

quam eorum causam, de quibus supra dictum est: sine facto promissoris deuenerit extinguitur stipulatio, inst. eod. §. item contra.

Stipulatio hoc modo concepta. Si HAEREDEM ME NON FECERIS TANTVM DARE SPONDES? inutilis est, quia contra bonos mores est hæc stipulatio. ff. de uerb. obli. l. stipulatio lxi.

Si quis alium daturū facturumve quid promiserit, non obligabitur ueluti si spondeas. Titium quinque aureos daturum, quod si effecturum se, ut Titius daret, spoponderit, obligabitur inst. de inut. stip. §. si quis alium.

Si quis spoponderit insulam cum moriebatur ædificare stipulatori imposibilis ueteribus uidebatur huiusmodi stipulatio, sed contrahentium sensum bene discutienti uisum fuit, hoc inter eos actum, ut incipiat quidem contra morientem obligatio, immineat autem hæredibus eius, donec ad effectum perducatur. Nemo enim ita stultus inuenitur, ut tali animo faceret stipulationē, ut putaret posse tantum ædificium in uno momento horæ extollere: uel eum, qui moritur, talem habere sensum, qui ipse sufficeret ad huius operis complectionem. Sancitum est itaque si quid tale euenerit hæredes eius teneri, ut factum quod mortis tempore facere promisit, hoc hæredes eius adimpleant; quasi speciali hæredis mentione habita, licet hoc minime fuerit expressum. Quemadmodum enim si in dando concepta fuerit stipulatio, & contra hæredes transmittebatur: ita & si in faciendo est. licet in mortis tempore colligatur attamen ad similitudinem in dando conceptæ stipulationis, & hæredes obligari, ut non discrepet factum a datione. quod & in legatis simili modo relictis obseruari sancitum est. C. de contrah. & commit. stip. l. fina.

Si quis alii, quàm ei cuius iuri subiectus est stipuletur, nihil agit. inst. de inut. stipu. §. si quis alii.

Planè solutio etiam in extraneam personam conferri potest, ueluti si quis ita stipuletur MIHI AVT SEIO DARE SPONDES? ut obligatio stipulatori acquiratur, solui tamen Seio, etiam inuito eo rectè posit: ut liberatio ipso iure contingat, sed ille, aduersus Seium habeat mandati actionem. instit. eodem §. planè.

Si auia sibi & Austolio, quam mortuo dederat, pecuniam dari fuerat stipulata, nihil ei cuius uiri subiecta non fuerat, quærere potuit, sanè si ipse quod ei solui placuerat in stipulationem suo nomine deduxit: obligationem in eius etiam personam constitisse non ambigitur, C. eo. de inut. stip. l. stipulatio.

Cum quis sibi aut Titio dari stipulatus est, soli Titio non etiam successoribus eius rectè soluitur, ff. de uerb. obl. l. cum quis, lv.

Qui sibi aut filio suo dari stipulatur, manifeste personam filii in hoc complectitur, ut ei rectè soluatur, neque interest, sibi aut extraneo cuilibet, an sibi aut filio suo, quis stipulatur: quare uel manente in potestate, uel emancipato filio rectè soluitur. neque ad rem pertinet, quod qui filio suo dari stipulatur, sibi adquirit: quia coniuncta sua persona stipulator efficit, ut non adquirendæ obligationis gratia, sed solutionis causa personam filii adprehendisse intelligatur, quod si soli filio suo, qui in potestate sua sit, dari quis stipulatus sit, non rectè filio soluetur, quia filii persona obligationi magis, quàm solutioni applicatur. ff. eo. l. eum qui, lvi. §. qui sibi.

Quod si quis sibi, aut alii, cuius iuri subiectus non sit, dari decem aureos stipulatus est. ualet quidem stipulatio, sed utrum totum debeatur stipulatori, quod in stipulationem deductum est, an uero pars dimidia dubitatum est: Sed placuit

cuit non plus quàm dimidiam partē adquiri.inſt.de inutil.ſtip.§.quod ſi quis.

Si mihi & Titio in cuius poteſtate non ſim,ſtipuler decem, non tota decem, ſed ſola quinque mihi debentur.pars enim aliena deducitur,ut quod extraneo in utiliter ſtipulatus ſum,non augeat meam partem, ff. de uerb. oblig. l. ſi mihi. C.x.in princ.

Eum qui ita ſtipulatur. MIHI ET TITIO DECEM DARE SPONDES? vero ſimilius eſt ſemper vna decem communiter ſibi & Titio ſtipulari, ſicuti qui legat Titio, & Sempronio, non aliud intelligitur quàm vna decem communiter duobus legare,ff.eod.l.eum qui.lvi. in prin.

Ei verò qui tuo iuri ſubiectus eſt,ſi ſtipulatus ſis tibi adeuiris, quia uox tua tanquam filii ſit.ſicuti & filii uox tanquam tua intelligitur in iis rebus, quæ tibi adquiri poſſunt,inſt.de inut.ſtip.§.ei verò.

Quod dicitur patrem filio utiliter ſtipulari,quaſi ſibi ille ſtipularetur, hoc in his verum eſt: quæ iuris ſunt quæque adquiri patri poſſunt. alioquin ſi factum cōferatur in perſonam filii vtilis erit ſtipulatio,veluti vt tenere ei, vel ire agere liceat.contra autem filius etiam vt ire patri liceat ſtipulando, adquiret ei,immo & quòd in ſuam perſonam conferre non poteſt, hoc patri adquirat, ff. de verb.oblig.l.quod dicitur,cxxx.

Præterea inutilis eſt ſtipulatio,ſi quis ad ea,quæ interrogatus fuerit, non reſpondeat,veluti ſi quis decem aureos a te dari ſtipuletur,tu quinque promittas,uel contra: aut ſi ille pure ſtipuletur tu ſub conditione promittas,vel contra:ſi modo ſcilicet id exprimas,ideſt.ſi cui ſub conditione vel in diem ſtipulanti, tu reſpondeas, PRAESENTI DIE SPONDEO. nam ſi hoc ſolum reſpondeas. Promitto breuiter uideris in eandem diem,vel conditionem ſpopondiſſe.neque enim neceſſe eſt in reſpondendo eadem omnia repeti, quæ ſtipulator expreſſerit,inſt.de inut.ſtip.§.Præterea.

Si quis ſimpliciter interrogatus reſponderit. SI ILLVD FACTVM ERIT DABO, non obligari eum conſtat, aut ſi ita interrogatus. INTRA CALENDAS QVINTAS? reſponderit. DABO INIBVS. ęque non obligatur: non enim ſic reſpondit, vt interrogatus eſt. & uerſa iure ſi interrogatus fuerit ſub conditione reſponderit purè dicendum erit cum non obligari.cum adiecit aliquid,vel detrahit obligationi ſemper probandum eſt, vitiatam obligationem: niſi ſtipulatori,diuerſitas reſponſionis illico placuerit: tunc enim alia ſtipulatio contracta eſſe videtur, ff. de verborum obligatio. l. prima, §.ſi quis ſimpliciter.

Si ſtipulante me equum aut bouem, TV VNVM DATVRVM TE SPOPONDERIS, conſtat non teneri te,nec ad interrogationem eſſe reſponſum, ff.eod.l.inter ſtipulantem,lxxxiii.§.ſi ſtipulante me.

Item inutilis eſt ſtipulatio,ſi vel ab eo ſtipuleris,qui tuo iuri ſubiectus eſt. vel is a te ſtipuletur,filii verò familias aliis obligari poſſunt, inſt. de inutili ſtipu.§. item inutilis.

Mutum neque ſtipulari neque promittere poſſe palam eſt. quia & is qui ſtipulatur verba promittentis,& is qui promittit uerba ſtipulātis audire debet, inſt. eod.§. mutum.

Mutum nihil pertinere ad obligationem uerborum natum manifeſtum eſt, ſed & de ſurdo idem dicitur,quia etiam ſi loqui poſſit,ſiue promittit,verba ſtipulantis exaudire debet,ſiue ſtipuletur debet exaudire verba promittentis,Vnde apparet non de eo nos loqui,qui tardius exaudit, ſed eo qui omnino non audit,

audit,ff.de uerbo.oblig.& act.l.prima,§.finali.

Stipulatio non potest confici nisi vtroque loquente: & ideo neque mutus neque surdus neque infans stipulationem contrahere possunt, nec absens quidem quoniam exaudire se inuicem debent,ff.de verb. oblig.l.i. in princ.

Furiosus nullum negotium gerere potest,quia non intelligit quod agit, siue stipuletur siue promittat insti.de inutil.stipul.§.furiosus,& ff.de oblig. & actio.l. prima.§.furiosum,

Pupillus omnē negotium rectè gerit: ita tamen ut ubi,tutoris auctoritas necessaria sit,adhibeatur tutor: veluti si ipse obligetur. Nam aliuin sibi obligare etiam sine tutoris auctoritate potest,sed quod diximus de pupillis, utique de iis verum est,qui iam habent aliquem intellectum. Nam infans; & qui infanciæ proximus est,non multum à furioso distant,quia huiusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum; sed in proximis infanciæ propter utilitatem eorum,benignior iuris interpretatio facta est: vt idem iuris habeant,quod pubertati proximi,sed qui in potestate parentis est impubes,ne auctore quidem patre obligatur,inst.de inutilib.stipul.§.pupillus.

Pupillus si præsens sit,& fari potest,etiam:si eius ętatis erit, vt nō intelligat quid agat,tamen propter vtilitatem receptum est,rectè eum stipulari,& agere, ff.rē pupil.vel adul.sal.fore l.sexta vers.nam si patris.

Ex stipulatione,in qua impubes sine tutore,aut hore spopondisti non est obligatus,l.i.de inutilib.stipul.

Si impossibilis condicio obligationibut adiiciatur,nihil ualet stipulatio: impossibilis autē conditio habetur,cui natura impedimento est; quominus existat; veluti si quis ita dixerit,si digito cœlum attigero dare spondes? at si ita stipuletur,si digito cœlum non attigero dare spondes? purè facta obligatio intelligitur,ideoque statim peti potest,insti.de inutilibus stip. §. impossibilis, & ff. de oblig.& actio.l.prima,§.item sub.

Non solum stipulationes impossibili conditione aduplicatæ nullius momenti sunt,sed etiam cæteri quoque contractus. (veluti emptiones locationes) impossibile conditione interposita æquæ nullius momenti,sunt quia in ea re, quæ ex duorum pluriumuè consensu agitur omnium uoluntas spectatur: quorum proculdubio in huiusmodi actu talis cogitatio est,ut nihil agi existimēt, posira ea condicione,quam sciunt esse impossibilem, ff.de obligationibus & actionibus.l.non solum,xxxi.

Impossibilis conditio cum in faciendum concipitur,stipulationibus obstat; aliter atque si talis conditio inseratur stipulationi, SI IN COELVM NON ASCENDERIS. nam hæc vtilis & præsens est,& pecuniam creditam continet,ff.de verborum obligationibus.l.septima.

Cùm eo qui ita promisit SI INTRA KALENDAS DIGITO COELVM NON TETIGERIT: agi protinus potest,ff.de uerbo.oblig.l.octaua in fine.

Si id quod dari stipulemur,tale sit,vt dari non posit,palam est,naturali ratione inutile esse stipulationem,veluti si de ædibus deustis facta sit stipulatio inter eos qui ignorauerint ædes deustus esse,ff.de oblig.& actio. l.i. §.si id quod.

Item verborum obligatio inter absentes concepta inutilis est,sed scripturæ quę præsto esse partes indicant.omnino sunt credendæ,nisi ipsi qui absentiam allegant manifestissimis probationibus, uel per scripturam, uel per testes idoneos probauerint toto eo die,quo conficiebatur instrumentum se uel aduersarium suum in aliis locis esse.insti.de inutilibus stipul.§. item uerborum, &

C.de

C.de contract.& cont.stipul.l.optimam.

Vt inter absentes verborum obligatio contrahi non potest, ita alteri cuius viri subiectus non est aliquid dari, vel restitui(nisi sua intersit) nemo stipulati potest, C.de inutilibus stipul.l.tertia.

Cùm ex consensu contrahentium stipulationes valeant, placuit, vt siue post mortem, siue pridiequã moriatur stipulator, siue promissor, stipulatio cõcepta est, stipulatio valeat, prout etiam ualet si præpostere concepta sit, vt putà si quis ita stipuletur, si nauis ex Asia venerit hodie dare spondes? alias si erras est non solum in dotibus, sed etiam in omnibus valere huiusmodi conceptionem stipulationis placuit, Insti.de inutilibus stipul.§.cum iam, & de contrati. stipul.l. scropulosam.

Ita autem stipulatio concepta valet, si Titius dicat cùm moriar dare spondes? vel cùm morieris. Item post mortem alterius rectè stipulamur, Insti. de inutilibus stip.§.ita autem stipulatio.

Si scriptum in instrumento fuerit promisisse aliquem, perinde habetur, atque si interrogatione præcedente responsum sit, Insti.de inutilibus stipu. §. scriptũ.

Alteri stipulari (vt supra dictum est) nemo potest inuentæ enim sunt huiusmodi stipulationes, vel obligationes ad hoc, vt unusquisque acquirat sibi, quod sua interest. Cęterum si alii detur, nihil interest stipulatoris. Planè si quis velit hoc facere, pœnam stipulari conuenit: vt nisi ita factum sit, ut est comprehensum, committatur pœnæ stipulatio etiam ei, cuius nihil interest. Pœnam enim cùm stipulatur quis, non illud inspicitur, quod intersit, eius, sed quæ sit quantitas in conditionem stipulationis. ergo si quis ita stipuletur, Titio dari? nihil agit. sed si adiecerit pœnam, nisi dederis; tot aureos dare spondes? tunc committitur stipulatio, Insti.de inutilib. stipul.§.alteri.

Sed, & si quis stipuletur aliis, cum eius interesset placuit stipulationem valere; nã si is, qui pupilli tutellam administrare cœperat, cessit administrationem contutori suo, & stipuletur rem pupilli saluam fore: quoniam interest stipulatoris fieri, quod stipulatus est, (cum obligatus futurus esset pupillo, si male res gesserit) tenet obligatio: ergo & si quis procuratori suo dari stipulatus sit, habebit vires stipulatio, & si creditori suo quis stipulatus sit, quod sua interest, forte ne pœna committatur, uel prædia distrahantur, quæ pignori data erant, valet stipulatio. Insti.de inutilib. stipulat.§. sed & si quis.

Quæcunque gerimus, ut ex nostro contractu origenem trahunt nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficiunt, & ideo neque stipulari, neque emere, vendere contrahere, ut alter sub nomine recte agat possumus.ff.de oblig.& actio.l.quæcunque, xi.

DECEM MIHI AVT TITIO, VTRVM EGO VELIM DARE SPONDES? ex eo quod mihi dandum est, certi stipulatio est: ex eo, quod illi soluendum, incerti. finge mea interesse Titio potius qua mihi solui, quoniam pœnam promiseram, si Titio solutum non fuisset, ff.de uerbo. obligat. l.liber. cxviii.§.finali.

Si auia sibi, & Eustolio, quam mutuam dederat pecuniam dari fuerit stipulata, nihil ei, cui subiecta iuri non fuerat, quærerere potuit. sanè si ipse, quod ei solui placuerat in stipulationem suo nomine deduxit: obligationem in eius etiam personam constitisse non ambigitur. C.de inutilibus stipu. l.finali.

Versa uice, qui alium facturum promisit, uidetur in ea esse causa, vt non teneatur nisi pœnam ipse promiserit, insti.de inutilib. stipul.§. versa uice.

Item

Item nemo rem ſuam futuram in eum caſum.quo ſua ſit,utiliter ſtipulatur,Inſt. de inutilib.ſtipul.§.item nemo,ff.de verborum oblig.l.nemo.lxxxvii.

Nec minus inutilis eſt ſtipulatio,ſi quis rem ſuam,ignorans ſuam eſſe, ſtipulatus fuerit,ff.de oblig.& actio.l.prima,§.nec minus.

Nemo rem ſuam vtiliter ſtipulatur,ſed pretium rei ſuæ non vtiliter,ſanè rem meam mihi reſtitui,recte ſtipulari videtur,ff.eod.l.nemo,82.in prin.

Sed ſi rem meam ſub conditione ſtipulet,vtilis ſtipulatio erit,ſi conditionis exiſtentis tempore mea non ſit,ff.de verborum oblig.l.ſi rem.xxxi.

Exiſtimo inquit Marcellus poſſe id,quod meum eſt ſub conditione ſtipulari : itẽ uiam ad fundum poſſe,quàmquam interim fundus non ſit meus. aut ſi hoc verum non eſt,& alienam fundum ſub conditione ſtipulatus fuero, iſque ex lucratiua cauſa meus eſſe cæperit: confeſtim perimetur ſtipulatio , & ſi fundi dominus ſub conditione viam ſtipulatus fuerit : ſtatim fundo alienato euaneſcit ſtipulatio,& maxime ſecundum illorum opinionem,qui etiam ea,quæ rectè conſtiterint , reſolui putant cum in eum caſum reciderunt à quo non potuiſſent conſiſtere,ff.eod.l.exiſtimo.98.

Si de alia ſtipulator ſenſerit.de alia promiſſor perinde nulla contrahitur obligatio,ac ſi ad interrogatum reſponſum non eſſet.veluti ſi equum frontinum à ſe quis ſtipulatus fuerit Tu de equo perſico ſenſeris,quem frontinum vocari credideris,Inſti.de inutilib.ſtip.§.ſi de alia.

Si equum ſtipulatus ſim,& ego de alio ſenſero,tu de alio, nihil actum erit , nam ſtipulatio ex vtriuſque conſenſu perficitur,ff.de verbo. obligat. l. continuus. cxxxvii.§.primo.

Quod turpi ex cauſa promiſſum eſt,veluti ſi quis homicidium , vel ſacrilegium facturum promittit,non valet,Inſti.de inutilib.ſtipul.§. quod turpi.

Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti,ſi quis homicidium,vel ſacrilegium promittat ſe facturum , ſed & officio quoque prætoris continetur ex huiuſmodi obligationibus actiones denegari.ff.de verb.oblig. l.generaliter.xxvi.cum l.ſeq.

Dolo,vel metu adhibito actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatio ſit per doli mali tamen,vel metus exceptionem ſummoueri petitio debet . C. de inutil. ſtip.l.penultima.

Ex eo inſtrumento nulla habetur actio,in quo contra bonos mores de futura ſucceſsione interpoſita fuit ſtipulatio cum omnia,quæ contra bonos mores, uel in pacto,vel in ſtipulatione deducuntur nullius momenti ſint,C. de inutilib. ſtipul.l.quarta.

Obligationes quæ non propriis viribus conſiſtunt , neque officio iudicis , neque prætoris imperio,neque legis poteſtate confirmatur,ff.de oblig.& actio.l.obligationes,xxvii.

Cùm quis ſub aliqua conditione ſtipulatus fuerit,licet ante conditionem deceſſerit,poſtea exiſtente conditione hæres agere poteſt. idem eſt ex promiſſoris parte,Inſti.de inutilib.ſtipul.§.cùm quis.

Qui hoc anno,aut hoc menſe dari ſtipulatus eſt,niſi omnibus partibus anni , vel menſis præteritis non recte petet.Inſti.de inutilib.ſtipul. §. penultima , & ff. de verb.obl.l.qui hoc anno.xlii.

Eum,qui certarum nundinarum diebus dari ſtipulatur quandiu vel exiguum tẽpus ex nundinarum ſpacio ſupererit peti non poteſt,ff.eodem.l.eum qui,138.

Si fundum dari ſtipuleris,non poteris continuo agere,niſi tantum ſpacium præ-

terierit

terierit quo traditio fieri poſsit. Inſti.de inutilib·ſtipul.§.finali.

Illud inſpiciendum eſt,an qui centum dare promiſit,confeſtim teneatur: an vero ceſſet obligatio,donec conferre pecuniam poſsit. quid ergo ſi neque domi habeat nec inueniat creditorem? ſed hæc recedunt ab impedimento naturali, & reſpiciunt ad facultatem dandi,eſt autem facultas perſonæ commodum, incommodumque non rerum,quæ promittuntur.alioquin ſi quis equum Perſicum dare ſpoponderit,quæremus ubi ſit equus, ut ſi non multum referre uideatur Epheſi daturum ſe an quod Epheſi ſit,cũ ipſe Romæ ſit;dare ſpondeat. Nam hoc quoq; ad facultatem dandi pertinet:quia eſt in pecunia, & in equo Perſico.illud commune eſt,quod promiſſor in præſentia dare non poteſt,& generaliter cauſa difficultatis,ad incommodum promiſſoris,non ad impedimẽtum ſtipulatoris pertinet ne incipiat dici,eum quoque dare non poſſe qui alienum equum,quem dominus non uendat,dare promiſerit, ff.de verborum oblig.l.continuus.cxxxvii.§.illud.

Verborum quoque obligatio conſtet,ſi inter contrahentes id agatur: nec enim ſi per locum puta vel demõſtrandi intellectus cauſa tibi dixero, SPONDES? & tu reſpondeas SPONDEO: naſcitur obligatio,ff.de obligatio. & actio.l. tertia.§.finali.

Procurator Seii admiſsit ſubſcriptionem ad argentarium uaſcularium in uerba infraſcripta, LVCIVS CALANDIVS RECOGNOVI QVEMADMODVM SVPRA SCRIPTVM EST, RELIQVA A NOBIS DEBENTVR TOT ILLI: quæſitum eſt,an Gaium Seium obligare potuit: Reſpondit Scæuola,Seium,ſi alioquin obligatus non eſſet,non propter quod ea ſcriptura interpoſita ſit,obligatum eſſe,ff.eod.l.fi.in prin.

Seia,cum Salarium conſtituere uellet,ita epiſtolam emiſit LVCIO TITIO SALVTEM. SI IN EODEM ANIMO, ET EADEM AFFECTIONE CIRCA ME ES: QVI SEMPER FVISTI: EX CONTINENTI ACCEPTIS LITTERIS MEIS, DISTRACTA RE TVA VENI. HOC TIBI QVAMDIV VIVAM PRAESTABO, ANNVOS DECEM. SCIO ENIM. QVIA VALDE ME BENE AMES. quæſitum eſt cum & rem ſuam diſtraxerit Lucius Titius, & ad eam profectus ſit, & ex eo cum ea ſit: an ei ex his epiſtolis ſalarium annuum debeatur: Reſpondit Scæuola, ex perſonis cauſiſque eum cuius notio ſit æſtimaturum an actio danda ſit, d. l.finali,§.fina.

DE FIDEIVSSORIBVS. *Tit. IX.*

PRO eo qui promittit,ſolent alii obligari,qui fideiuſſores appellant, vt quos homines accipere ſolent,dum curant, ut diligentius ſibi cautum ſit, Inſt.de fideiuſſoribus,in prin.& l.grece.§. præterea. Sed aut proprio nomine quiſque obligatur,aut alieno. Qui autem alieno nomine obligatur,fideiuſſor vocatur, & plerunque ab eo, quem proprio nomine obligamus,alios accipimus,qui eadem obligatione teneantur: dum curamus,ut quod in obligationem deduximus totius nobis debeatur,ff.de oblig.& actio.l.prima,§.ſed aut proprio.

Pro eo qui iure honorario obligatus eſt,poſſe fideiuſſorem accipi ſciendum eſt, d.l.grece,9.§.pro eo.

Pro

Pro fideiussore accipi fideiussorem posse, nequaquā dubium est, d. l. Græce. in fi.

Fideiubere pro alio potest quisque etiam si promissor ignoret, ff. eodem l. fideiubere, 30. alias 31.

In omnibus autem obligationibus adsumi possunt. i. si vere, siue uerbis, siue literis, siue consensu contractæ fuerint. At nec illud quidem interest vtrum ciuilis an naturalis sit obligatio, cui adiicitur fideiussor, Inst. eod. §. in omnibus, & ff. eod. l. prima.

Et commodati & depositi fideiussor accipi potest: & tenetur, & si apud pupillum depositum commodatumve fuerit, sed ita demum, si aut dolo malo, aut culpa hi fecerunt pro quibus fideiussum est, ff. eod. l. secunda.

A tutore etiam, qui testamento datus est tenetur, sed & si ex delicto oriatur actio magis putamus teneri fideiussorem. Et generaliter omnium obligationnm fideiussorem accipi posse nemini dubium est, ff. eod. l. græcè. 9. §. à tutore.

Id quod vulgo dictum est maleficiorum fideiussorem accepi non posse, non sic intelli debet ut in pœna furti is, cui furtum factum est, fideiussorem accipere non posit (nam pœnas ob maleficia solui, magna ratio suadet) sed ita potius ut quis cum alio, cum quo furtum admisit, in partem, quàm ex furto sibi restitui desiderat, fideiussorem obligare nō posit: & qui alieno hortatu ad furtum faciendum prouectus est, ne in furti pœnam fideiussorem accipere posit. in quibus casibus illa ratio impediet fideiussorem obligari: quia scilicet in nulla ratione adhibeatur fideiussor: cum flagitiosæ rei societas coita nulla uim habeat, ff. eod. l. si à reo. lxx. §. finali.

Potest accipi fideiussor eius actionis, quā habiturus sum aduersus eum, pro quo fideiussi, vel mandati, uel negotiorum gestorum, ff. eod. l. 4. in princ.

Quis satisdare promisit: ita demum implesse stipulationē satisdationis vr̄, si eum dederit accessionis loco, qui obligari potest, & conueniri: Cæterum si dederit filiumfamilias ex quib. causis de peculio actio non datᷣ uel mulierem, quæ auxilio Senatusconsulti utitur: dicendum est, nō esse impletam satisdationis stipulationem. Planè si non idoneum fideiussorem dederit: magis est, ut satisfactum sit: quia qui admisit eum fideiubentē, idoneum esse cōprobauit, ff. e. l. 3.

Fideiussor non tantum ipse obligatur, sed etiam hæredem relinquit obligatum, Insti. eod, §. fideiussor. & ff. eo. l. 4. §. fin.

Fideiussoris quidem hæres exemplo rei principalis tenetur. Sed si idem utrisq; succedat, intercessionis obligatione finita, veluti principalis tantum debitoris hæres conueniri potest. C. eod. l. fideiussoris. xxiiii.

Fideiussor & præcedere obligationem & sequi potest dummodo sit aliqua, uel naturalis futura obligatio: quod. n. solutum repeti non potest conueniens est huiusmodi naturalis obligationis fideiussorem accipi posse, Insti. de fideiuss. §. fideiussor, & ff. eod. l. stipulatus, 6. §. finali, & l. seq.

Sed fideiussor anteq̄ reus debeat conueniri nō p̄t. ff. e. l. fideiussor, 57. alias, 58.

Stipulatus sum à reo nec accepi fideiussorem: postea uolo adiicere fideiussorē: si adiecero: fideiussor obligatᷣ, & parui refert, utrum pure fideiussorem obligem, an ex die, an sub conditione, ff. eod. l. stipulatus. 6. in princ.

Et post litem contestatā fideiussor accipi p̄t: q̄a & ciuilis & naturalis subest obligatio. an ergo condemnato reo exceptione uti fideiussor posit? quæritᷣ. nā ipso iure non liberatᷣ, & si quidem iudicati actionis acceptus non est, sed tm̄ litis exercitationis, rectissime dicetur, uti eum exceptione posse. Si uerò acceptus fuerit, etiam totius causæ cessabit exceptio. ff. eod. l. græce, 9. §. & post litem.

Sicut reus principalis non alias, quàm si de sua persona promittat, obligatur: ita fideiussores non alias tenentur, quàm si se quid daturos, vel facturos promittant nam reum principalē daturum aliquid vel facturum, frustra promittunt: quia factum alienum inutiliter promittitur, ff. eod. l. sicut. lxv. alias lxvi.

Si plures fuerint fideiussores quot quot erunt numero singuli, insolidam tenentur itaque liberum est creditori à quo velit solidum petere sed ex epistola diui Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modo soluendo sunt litis contestatæ tempore, partes petere. Ideoque si quis ex fideiussoribus, eo tempore soluendo non sit: hoc cæteros onerat. Sed si ab uno fideiussore creditor totū consecutus fuerit: huius solius detrimentum erit si is, pro quo fideiussit, soluendo non sit: & sibi imputare debet, cùm potuerit se iuuare, ex epistola diui Hadriani, & desiderare, ut pro parte in se detur actio. inst. e. §. si plures fuerint.

Inter fideiussores non ipso iure diuiditur obligatio ex epistola diui Hadriani. Et ideo si quis eorum ante exactam à se partem sine hærede decesserit, vel ob inopiā peruenit, pars eius ad cæterorū onus respicit, ff. e. l. inter fideiussores, 26.

Cùm duo fideiussores accepti sunt & bona unius ad fiscum peruenerint, si alter idoneus est diuisa quantitate creditor partem competentem à procuratore fisci petere debet & aduersus alium fideiussorem experiri. Nam licet adiectum sit in obligatione, vt singuli in solidum tenerentur: tamen nihil hæc res mutat conditionem. Nam & cùm hoc non adiiciatur, singuli tamen in solidum tenētur: sed ubi sunt omnes idonei, in portionem obligatio diuiditur, C. eo. l. 3.

Liberum fuit ante, quàm lis aduersus omnes fideiussores contestaretur, unum eorum eligere creditori, si modo cæteros minus idoneos existimaret. At nunc post litis contestationem, petitionem diuisam redintegrari iuris ratio non patitur, C. eod. l. liberum. 16.

Si plures sint fideiussores & unus purè, alius in diem uel sub conditione acceptus, succurri oportet ei, qui pure acceptus est dum existere conditio potest: scilicet ut interim in uirilem conueniatur sed si cùm conditio extitit, non est soluendo, qui sub conditione acceptus est restituendam actionem, in purè acceptum Pomponius scribit, ff. eod. l. si plures, xxviii. in prin.

Si dubitet creditor, an fideiussores soluendo sint: & unus ab eo electus paratus sit offerre cautionem, ut suo periculo cæteri fideiussores conueniantur in partem audiendus erit: ita tamen, vt & satisdationem offerat, & omnes fideiussores, qui idonei esse dicuntur, præsto sint: nec enim semper facilis est nominis emptio, cùm numeratio totius debiti non sit ex expedito, ff. eod. l. si dubitet, xi. in princ.

Ita demum inter fideiussores diuiditur actio, si non inficientur. nam inficiantib. auxilium diuisionis non est indulgendum. d. l. si dubitet, xi. §. ita demum.

Si contendat fideiussor cæteros soluendo esse etiam exceptionem ei dandam. SI NON ET ILLI SOLVENDO SIT, ff. eod. l. si contendat, xxix.

Inter eos fideiussores actio diuidenda est, qui solidum & partes uiriles fide sua esse iusserunt. Diuersum erit uerbis ita conceptis. SOLIDVM, AVT PARTEM VIRILEM FIDE TVA ESSE IVBES? tunc enim ab initio non nisi uiriles partes, singulos debere conuenit, ff. eodem. l. inter eos. 52. in princ.

Si qs mutuum dederit & ī eā rē fideiussorē, aut mādatorē, aut cōstitutę pecuniæ reū accepit, nō sanè initio statim mādatorē, aut fideiussorē, aut cōstitutę pecunię reū agrediat, & eo neglecto, q mutuum cōtraxit, negotium ītercesſionib. fa

cessat,

cessat, sed primum eum, qui aurum suscepit, quique mutuum contraxit, conueniat, atque ab eo si id receperit ab aliis abstineat: quid.n. cùm extraneis habere potest negocii, cui iam a contrahente ipso satis factum est? si vero ab eo, qui mutuum contraxit, id pro parte, uel insolidum recipere nequierit, pro eo quantum ab illo recipere non potuit, fideiussorem uel constitute pecunię reum, uel mandatorem conueniat, & ab illo, quod reliquũ & ferat, atq; hæc quidem omnino seruentur, ei utriq; tum principalis q̃ cui fideiussit, aut mandatũ dedit, ait pecuniam constituit creditori præsto fuerint. cæterum si fide·iussor, aut mãdator, aut qui de constituta pecunia obligationem subiit, præsens sit, principalẽ uero debitorẽ abesse cõtingat, acerbũ uidetur creditorem alio mittere, cũ in re præsenti possit fideiussorẽ, aut mandatorem, aut constitutæ pecuniæ reũ exigere. Postulet igitur creditor in iudicio fideiussorem, aut constitutæ pecuniæ reum, aut mandatorem, & iudex, qui disceptandæ causæ præsidet tẽporis spacium addat fideiussori, item constitutæ pecunię reo, & mandatori (idem.n. de singulis licet dicere) ad principalẽ debitorem adducẽdũ, si velint, ut prius actionem excipiat ille, eoq; ipsi pacto in subsidium reseruentur. ac tueatur in ea quoq; re fideiussorem, & constitutæ pecuniæ reum, & mandatorem, iudex, (fideiussoribus.n. atq; id genus hominibus auxilium ferre pium est) ut tantisper dum ille adducitur, libri à suscipiendo iudicio sint, qui pro illo molestantur. Quod si tempus huic rei præfixum prætereat (oportet.n. & tempus à iudice finiri, tunc fideiussor aut mandator, aut constitutæ pecuniæ reus, causam dicat simul, & cessis à creditore actionibus cõtra eum pro quo uel fideiussorem exposuit, uel mandatum conscripsit, vel pecuniam constituit, debitum exsoluat. Nouel. constitutio iiii. ut creditores primum aggrediantur princ. debit. §. si quis igitur usque ad. §. enimuero.

Enimuero neque ad res debitorum, si ab aliis detineantur, prius perueniet quã personali actione contra mandatores, & fideiussores, & constitutæ pecuniæ reos experiatur, simul ac uero ad res principalis debitoris, quamuis ab aliis detineantur progressus, earumq; detentatoribus negotio facto satis illi ex iis factum non fuerit, tunc etiam fideiussorum, aut mandatorum, aut reorum constitutæ pecuniæ res aggrediantur. Idem dicere licebit, & si omnes hi aliquos sibi obligatos habent, quive hypothecariis actionibus teneri queunt; certè contra principalem debitorem, & res. quas penes se habere dinoscitur, omnis illi facultas datur siue personalibus exemplo siue hypothecariis, siue actionibus vtrisque uti uoluerit. d. Nouel. Const. iiii. §. enimuero.

Neque hoc tantum in creditoribus procedunt, sed etiam si quis quid emat ab aliquo, deinde fideiussorem ob euictionem accipiat, quem auctorẽ secundum appellant, & pro parte res empta euincatur, nata contra uenditorem actione, non protinus ad auctorem secundum emptor procedet, neque ad tentatorem rerum uenditoris, sed prius ad uenditorem ipsum mox, ad auctorẽ secundum, & denique ad detentatorem, eadem uidelicet distinctione, & in præsentibus, & in absentibus existente quam ante tam in fideiussoribus, & mandatoribus, & constitutæ pecuniæ reis, quàm etiam iis, qui mutuum contraxerunt. sancitum est. d. Nouel. consti. iiii. §. nec hoc tantum.

Cùm duo rei constituti sunt: siue ab utroque, siue ab altero fideiussor datus fuerit: insolidum rectè accipietur. ff. de fideiussoribus. l. cum duo 40.

Fideiussores ita obligari nõ possunt, ut plus debeat, q̃ debet is, pro quo obligantur. Nã eorũ obligatio accessio est principalis obligationis, nec plus in accessione

esse potest quàm in principali re. At ex diuerso, ut minus debeát obligari pos sunt. Itaque si reus decem aureos promiserit fideiussor in quinque rectè obligatur, contra vero obligari non potest. Item si ille purè promiserit fideiussor sub conditione promittere potest, contra uero non potest. Non solum autē in quantitate, sed etiam in tempore minus, aut plus intelligitur. Plus est.n. statim dare: minus est, post tempus dare, Insti. eod. §. fideiussores.

Si a reo sub conditione fuero stipulatus: potero fideiussorem & in aliam conditionem obligare, si modo eas coniungam. nisi enim vtraque extiterit non tenebitur cum reus ex vna conditione teneatur, quod si eas disiungam: durior fit conditio fideiussoris, atque ob id obligatur: quippe siue communis vtriusque conditio extiterit, siue alterutra uidetur adprehendi cum reus non aliter teneatur, quàm si communis extiterit, aut igitur nullo modo tenebitur fideiussor: aut (quod magis est) ita tenebitur, si prius extiterit communis, ff. eod. l. si à reo, 70. in prin.

Sub diuersis conditionibus si fuerint interrogati: interest, utra earum prior exstiterit. si reo iniuncta: tenebitur etiam fideiussor, cùm conditio eius extiterit, tamquam si statim ab initio reus purè fideiussor sub conditione acceptus esset. Ex diuerso autem, si fideiussoris conditio prior extiterit, nō tenetur. perinde ac si statim, ab initio purè acceptus esset reo sub conditione obligato, d. l. si a reo, 70. §. sub diuersis.

Si reo in fundum obligato fideiussor in usumfructum accipiatur. quæsitum est, utrum obligetur fideiussor, quasi in minus; an non obligetur, quasi in aliud. in eo videtur dubitatio esse, an usus fructus pars rei sit, an proprium quidam. sed cum usus fructus fundi ius est: in ciuile est, fideiussorem ex sua promissione non teneri, d. l. si a reo, 70. §. si reo.

Si filiusfamilias in causa peculiari ita fideiussorem acceperit, quantam pecuniā credidero fide tua esse iubes? & emancipatus credat: patri quidem, si non est reus obligatus, non tenebitur, filio uero humanitatis intuitu obnoxius esse debet, ff. eod. l. si debitori, 47. alias, 48. §. finali.

Fideiussor obligari non potest ei, apud quem reus promittendi obligaturus non est, ff. eod. l. fideiussor. vi. in prin.

Stipulatione in diem concepta fideiussor si sub conditione acceptus fuerit; ius eius in pendenti erit, ut si ante diem conditio impleta fuerit, non obligetur, si concurrerit dies, & conditio, uel etiam itidem conditio secuta fuerit, obligetur, ff. eo. l. fideiussor, 17. §. stipulatione.

Si fideiussori sub conditione obligato, si nauis ex Asia venerit, quē sub hoc modo accepi, ut usque ad tempus uitæ suæ duntaxat obligaretur, & pendente cō ditione acceptum latum fuerit, & is fideiussor adhuc pendente conditione mortuus fuerit: confestim à Reo petere possum: quia existens conditio, neq; obligationem in personam iam mortui efficere, neque acceptilationem confirmare posit, ff. eod. l. si fideiussori, 73.

Si ultra id, quod accepit, & pro qua mandatorio nomine quis intercesit se daturum scripsit. Præses prouinciæ, ex hoc quod ultra mandatum suum numeratum est à se nihil exigi patietur, C. eod. l. si ultra xxii.

Illud commune est in vniuersis, qui pro aliis obligantur, quod si fuerint in duriorem causam adhibiti placuerit eos non omnino obligari. in leuiorem planè causam accipi posunt, propter quod in minorem summā rectè fideiussor accipietur. Itē accepto reo purè ipse fideiussor ex die, uel sub cōditione accipi

potest

potest. Enimverò si reus sub conditione sint acceptus: fideiussor purè non obligabitur, ff. eod. l. græce. ix. §. illud commune.

Si quis equum stipulatus fuerit, & fideiussorem ita acceperit, EQVVM AVT DECEM FIDE TVA ESSE IVBES? non obligari fideiussorem Iulianus ait, quia durior eius fuerit conditio: vt puta cùm futurum sit, vt mortuo equo teneatut. Marcellus autem notat, non ideo tantum non obligari, quia in duriorem conditionem acceptus est: sed & quia in alia potius obligatione acceptus est. denique pro eo, qui decem promiserat, non poterat fideiussor ita accipi, ut decem aut equum promittat: quamuis eo casu non sit eius conditio durior, d. l. Græcè, ix. §. si quis.

Idem Iulianus ait si is qui equum aut decem stipulatus fuerat fideiussorem ita acceperit EQVVM AVT DECEM VTRVM EGO VELIM. non obligabit eum, quia durior eius conditio facta est. contra autem si is qui equum aut decem vtrum ipse stipulator volet, stipulatus est rectè, fideiussorem DECEM AVT EQVVM VTRVM tu voles fiet etenim (inquit) hoc modo fideiussoris conditio melior est, sed & si reum sic interrogauero, EQVVM AVT DECEM, AVT BOVEM DARE SPONDES? fideiussorem equũ aut bouem recte interrogem quia latior fideiussoris conditio est. d. l. græcè, ix. §. finali.

Qui certo loco dare promisit aliquatenus duriori conditioni obligatur, quàm si purè interrogatus fuisset: nullo enim alio loco quàm in quem promisit, soluere inuito stipulatore potest. quare si purè reum interrogauero, & fideiussorem cùm adiectione loci accepero non obligabitur fideiussor. sed & si reus Romæ constitutus Capuæ dare promiserint, fideiussor Ephesi: perinde non obligabitur fideiussor, iuri reus sub conditione promisisset, ff. eodem. l. fideiussor, xvii. §. qui certo.

Hi qui accesionis loco promittũt in leuiorem causam accipi possunt, in deteriorem non possunt, ideo si à reo mihi stipulatus sum à fideiussore mihi aut Titio meliorẽ causam esse fideiussoris Iulianus putat, quia posit vel Titio soluere, quod si à reo mihi aut Titio stipulatus à fideiussore mihi tantum interrogem; in deteriorem causam acceptum fideiussorem Iulianus ait. quid ergo si à reo equum aut bouem interrogem. vtrum in deteriorem causam acceptus est sublata electione an in meliorem? quod & verum est, quia & mortuo eo liberari potest, ff. eo. l. hi qui, 34. alias, 35.

Quæsitum est an fideiussor, qui Capuæ pecuniam se daturum Romæ promisit, si reus promittendi Capùæ esset, statim conueniri posit? Papinianus dixit non magis fideiussorem confestim teneri quàm si ipse Capuæ spopondisset. nec ad rem pertinere, quod nemo dubitet, nondum fideiussorem teneri: quia nec ipse reus promittendi teneretur, nam è contrario quoque si quis responderit, quoniam debitor Capuæ sit, fideiussorem confestim teneri, non habita ratione taciti proprii temporis: euenturum, vt eo casu fideiussor conueniatur itaque nobis placet fideiussoriam obligationem conditionem taciti temporis ex utriusque persona recipere tam rei promittendi quàm ipsius fideiussoris: quoniam aliud respondentibus contra iuris formam in duriorem conditionem acceptus intelligetur, ff. eod. l. si testamento, 49. alias, 50. §. quæsitum.

Si, (ut proponitur) cùm pecunia mutua daretur ita conuenit, ut in Italia solueretur: intelligendum est mandatorem quoque simili modo contraxisse. ff. eod. l. si ut proponitur, lxi. alias, lxii.

Non possunt conueniri fideiussores, liberato reo transactione, ff. eod. l. fideiussores. 68. alias, 69. in fine.

Cùm procurator in rem agebat cautionem dederat ratam rem dominum habiturum. postea victo eo reuersus dominus iterum de eadem re agitabat, & cùm reus haberet possessionem, & noluit eam restituere, & ideo magno condemnatus est, in amplius fideiussores non tenentur: hoc. n. non debet imputari fideiussoribus, quod ille propter suam pœnam præstitit, ff. eo. l. fina.

Fideiussores, & in partem pecuniæ, & in partem rei rectè accipi possunt, ff. eod. l. fideiussores. x.

Si Lysias adempta parte bonorum exsulare iussus est: non nisi pro parte bonorũ, quam retinuit creditoribus obligatus est. Verum qui pro eo fidem suam adstrinxerunt: iure pristino conueniri possunt, C. eod. l. prima.

Græce fideiussor ita accipitur mea fide iubeo ego: sed si dixerit quis volo Cupio, perinde erit, atque si dixerit dico, ff. de fideiussoribus. l. græce nona, in princ.

Græce fideiussor dicitur, qui plerunque ita accipitur quod pro eo est ac si dixerit dico quod fideiubeo volo, Insti. de fideiuss. §. Græce fideiussor.

Blanditus tibi est, qui non teneri te persuasit, quod cùm pro alio interuenires dixisti, cum, & his verbis obligationem verborum contrahi pridem receptum sit, C. eod. l. blanditus, xii.

In stipulationibus fideiussorem sciendum est hoc generaliter accipi, vt quodcunque scriptum sit, quasi actum videatur etiam actum. Ideoq; constat, si quis scripserit se fideiussisse, videri omnia solenniter acta, Insti. eod. l. §. finali.

Cùm fideiussor hoc modo acceptus esset, SI REVS QVADRAGINTA, QVAE EI CREDIDI NON SOLVERIT FIDE TVA ESSE IVBES? verisimile est id esse actum, vt cùm appellatus reus non soluisset, fideiussor teneretur, sed & si reus antequam appellaretur decessisset: fideiussor obligatus erit: quasi hoc quoque casu verum esset, reum non soluisse. ff. eod. l. fideiussor. xvi. alias xvii. §. finali.

Si pater pro Cornelio cùm pecuniam mutuam acciperet se non obligauerit, frustra ex eo quod tabulas obligationis, vt testis signauit, filius conuenitur, C. eodem. l. sexta.

Si creditor conditioni mandato adscriptæ, cùm pecuniam mutuam daret, in accipiendis hypothecis non potuit. frustra te iudicio mandati conuenit: quando non aliter te obligasse intelligaris, quàm si pignoribus contraheretur obligatio, C. eod. l. septima.

Si fideiussor nullam quidem cautionem faciat, ostendens se fideiussorem extitisse, præsentibus autem tabulariis hoc confessus est, quod in fide sua eum susceperit, nisi confessio, literis, exposita fuerit sine scriptis erit fideiussio videlicet in causis priuatis: & duobus mensibus effluentibus ab huiusmodi nexu fideiussores liberantur, sine autem publica causa interueniat, tunc omni modo attestacio pro scripta habetur, C. eod. l. penultima.

Filiusfamilias pro patre quamuis in venditione fundi fideiussit tenetur, C. eodem l. octaua.

Filiusfamilias pro patre poterit fideiubere, nec erit sine effectu hæc fideiussio: primò quidem, quod sui iuris effectus poterit teneri in id, quod facere pōt: de in quod, & dum in potestate manet, condemnari potest. Sed pater ex hac causa, quod iussu tenebitur, quia ad omnes contractus, quod iussu refertur. sed

si igno

si ignorante patre pro eo fideiusserit: cessat ista actio: tamen quasi in uera patris uersum sit, potest agi cum patre. Plane si emancipatus soluerit: utilis, ei actio debebit competere. in potestate etiam manenti eadem actio competit, si de peculio castrensi pro parte soluerit. ff. de fideiuss. l. si dubitet. x. §. filius familias.

Fideiussor accipi potest, quoties est aliqua obligatio ciuilis, uel naturalis, cui adplicetur: naturales autem obligationes non in eo solo æstimantur, si actio aliqua eorum nomine competit: uerum etiam, cum soluta pecunia repeti nõ potest. nam licet minus propriè debere dicantur naturalis actionis debitores: per abusionem tamen intelligi possunt debitores. & qui ab his pecuniam recipiunt debitum sibi recipisse. ff. eo. l. fideiussor. 16. alias, 17. §. fideiussor.

Qui contra senatusconsultum filiofamilias credidit, mortuo eo, fideiussores à patre accipere non potest: quia neque ciuilem, neque honorariam aduersus patrem actionem habet: nec ulla hæreditas est: cuius nomine fideiussores obligari possint. Planè eius actionis nomine, quæ de peculio aduersus eum cõpetit, fideiussor rectè accipitur. ff. eod. l. qui contra, xi. aliàs xii. cum l. seq.

Si filius à patre stipuletur, nec fideiussor acceptus tenetur: quia non potest pro eodem: & eidem esse obligatus. ex diuerso ergo patre à filio stipulato fideiussor acceptus tenetur. ff. eo. l. si quis, 56. aliàs, 57. §. item si filios.

Si numos alienos, quasi tuos mutuos dederis, sine stipulatione, nec fideiussorem teneri Pomponius ait, quid ergo si consumptis numis nascatur condictio? fideiussor obligatus erit, in omnem enim causam acceptos uidetur, quæ ex ea numeratione nasci potest, d. l. si quis. §. si numos.

Fideiussor accipi potest. pro eo qui in legem Aquiliam commisit diuersa causa est popularium actionum, d. l. si quis. §. fin.

Si à colono stipulatus fideiussorem accepi: una stipulatio est plurium pensionũ. & ideo in uniuersis pensionibus fideiussor tenetur. ff. eod. l. si à colono. 58. alias, 59. in princ.

Cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fideiussoris durat obligatio, ueluti si moram fecerit in equo tradendo, & is decesserit. d. l. si à colono. §. finali.

Si mihi, autem Titio decem stipulatus fuerim, Titius fideiusorem accipere non potest: quia solutionis tantũ causa adiectos est. ff. eo. l. si mihi aut. 23. alias, 24.

Mortuo reo promittendi, etiam ante aditam hæreditatem fideiusor accipi potest: quia hæreditas personæ uice fungitur, sicuti municipium, & curia, & societas. ff. eo. l. mortuo. 22. alias, 23.

Non est nouum, ut fideiussor duabus obligationibus eiusdem pecuniæ nomine teneatur, nam si in diem acceptus, mox purè accipiatur: ex vtraque obligabitur, etsi fideiusor confideiusori hæres extiterit idem erit, ff. eod. l. hæres. xxi. alias, xxii. §. non est nouum.

Cum tu, & Titius eiusdem pecuniæ rei essetis: eum, qui pro te fideiussit, posse, & pro Titio fideiubere responsum est: quamuis eandem pecuniam eidem debiturus sit: non tamen inanem eam creditori futuram, nonnullis etiã casibus emolumentum habituram: veluti si ei, pro quo ante fideiussisset hæres existat, tunc enim confusa prima obligatione posterior durabit, ff. eod. l. hæres, xxi. alias xxii. §. cùm tu, et Titius.

Si quis pro pupillo sine tutoris authoritate, prodigovè, vel furioso fideiusserit: magis est, ut non ei subueniatur: quoniam his mandati actio non competat,

ff. eo.

ff.eo.l.Marcellus,25.alias,26.

Si à furioso stipulatus fueris, non posse fideiussorem accipere, certum est: quia non solum ipsa stipulatio nulla intercesfit, sed ne negocium quidem ullum gestum intelligitur, quod si pro reo furioso, iure obligato fideiussorem accepero: tenetur fideiussor, ff.eo.l.si à reo,70.alias 71.§.si à furioso.

Cum lex uenditionibus occurrere uolerit fideiussor quoque liberatur, eo magis quod per huiusmodi actionem ad rerũ peruenitur, ff.eo.l.cum lex.46.alias 47.

Si debitori deportatio irrigata est non posse pro eo fideiussorem accepi scribit Iulianus, quasi tota obligatio contra eum exstincta sit, ff.eodem l.si debitori.47.alias 48.

Si sub impossibili conditione stipulatus sim, fideiussor adhiberi non potest, ff. eod.l.si sub.29.alias 30.

Si quis postquam transacto tempore liberatus est fideiussorem dederit, fideiussor non tenetur; quoniam erroris fideiussio nulla est, ff.eodem l. si quis.37. alias 38.

Qui in debitam pecuniam quasi ex causa fideiussionis obstrictus in cautionem per errorem deduxit, tamen doli mali exceptione uti quam condicere, ut obligatio sibi accepto feratur potest. non est autem dubium, fideiusorem rei pro mittendi bonis ad fiscum deuolutis, si idem fiscus ob debitum restituendum fuerit conuentus, & soluerit: liberis. C.eo.l.si indebitum.xv.

Si equum, aut bouem stipulatos esem, utrum promisor uoluiset non posum fideiusorem ita accipere equum, aut bouem, utrum fideiusor uellet: quia futurum eset in eius potestate, alium, uelle, quam reus uoluiset, ff.eo.l.si stichum 38.alias 39.in princ.

Si fideiusores in id accepti sunt, quod à curatore seruari non posit: & post impletam legitimam ætatem, tàm ab ipso curatore, quàm ab hæredibus eius solidum seruari posuerit; & cesante eo, qui pupillus fuit, soluendo ese desierit: non temerè utilis in fideiusores actio competit, ff.eod.l. si fideiusores,41.alias 42.in princ.

Si ita fideiusores accepero, QVOD EGO DECEM CREDIDI, DE EA PECVNIA MILLE MODIOS TRITICI FIDE TVA ESSE IVRIS? non obligatur fideiusor: quia in aliam rem, quam quæ credita est, fideiusor obligari non potest, quia non ut æstimatio rerum, quæ mercis numero habentur, in pecunia numerata fieri potest, ita pecunia quoque merce æstimanda est, ff.eo.l.si ita 42.alias 43.

Si à Titio stipulatus fideiusorem te acceperim, deinde eandem pecuniam ab alio stipulatus, alium fideiusorem accipiam, confideiusores non etunt, ff.eodem, l.si à Titio,43.alias,44.

Stipulatus es opus arbitratu tuo ante certam diem fieri, quod si effectum non eset, quanti ut efficeretur, opus locases. tanti fideiusores accepisti, & quia opus effectum non erat, alii locasti, & cum posterior conductor satis non daret ipse opus fecisti: quæsitum est, an fideiusor teneatur, & responsum est non teneri, non enim id fecisti, quod in stipulatione conuenerat: id est opus alii non locasti, tametsi postea locasti, ea enim locatio, quam secutus es, perinde est, ac si interposita non eset, etsi statim tu opus facere cœpiset, ff.eo.l.stipulatus,44.alias 45.

Si Titius & Seia pro Meuio fideiuserint: subducta muliere, dabimus insolidum aduersus Titium actionem: cum scire potuerit, aut ignorare non debuerit,

buerit, Mulierem frustra intercedere. Huic similis & illa quæstio uideri potest. ob ætatem si restituatur in integrum unus fideiussor, an alter onus obligationis in integrum excipere debeat? sed ita demum onus alteri totum irrogandum est, si post ea minor intercessit, propter incertum ætatis, ac restitutionis. Quod si dolo creditoris inductus sit minor, ut fideiubeat: non magis creditori succurrendum erit aduersus confideiussorem, quam si facta nouatione circumuēto minore desideret in ueterem debitorem utilem actionem sibi dari, ff. eo. l. si Titius, 48. alias, 49.

Si quis uice mutua fideiussores accipiat aliquos, nisi adiecerit, ut unusquisq; insolidum teneatur omnes ex æquo actionem sustinebunt, quod si & tale aliquid adiectum fuerit conseruabitur quidem pactum conuentum: non tamen protinus ab initio à singulis insolidum exigetur, sed pro parte, pro qua quisque tenetur, si modo soluendo, & in loco presto sint. Si reliqui siue quidam ex iis, siue in partem, siue in solidum soluendo non uideantur, aut & absentes sint, in illud etiam tenetur obnoxius, quod ab aliis recipi non potuerit, Nouell. const. De duobus reis promitt. xcix. §. primo.

Duo rei promittendi separatim fideiussores dederunt. inuitus creditor inter omnes fideiussores actiones diuidere non cogitur: sed inter eos duntaxat, qui pro singulis interuenerunt. planè si uelit inter omnes actionem suam diuidere, non erit prohibendus, non magis, quam si duos reos pro partibus conueniret, ff. eod. l. inter eos, 51. alias 52. §. duo rei.

Cùm inter fideiussores actione diuisa, quidam post litem contestatam soluendo esse desierunt: ea res ad onus eius, qui soluendo est non pertinet, nec auxilio defendetur ætatis actor. non enim deceptus uidetur, qui iure communi usus est. Bonis damnati fideiussoris fisco uindicatis inter fideiussores actio postea si diuidi cœperit, ut hæredis, ita fisci rationem haberi oportet, d. l. inter eos, §. cum inter.

Capitis rei postulati fideiussores ex contractu citra ullam præscriptionem à creditore, qui reum postulauerat rectè cōueniuntur, ff. eo. l. Capitis, 53. alias 54.

Amissi ruina pignoris damnum, tàm fideiussoris, quàm rei promittendi periculum spectat, nec ad rem pertinebit si fideiussor ita sit acceptus, QVANTO MINVS EX PRETIO PIGNORIS: DISTRACTI SERVARI POTEST. istis enim uerbis etiam totum conuenit contineri, ff. eo. l. amissi, 52. alias 53. in princ.

Inter fideiussores actione diuisa condemnatus si desierit esse soluendo; fraus uel segnicia tutoribus, qui iudicatum persequi potuerint damnum dabit, quod si diuisam actionem inter eos, qui non erant soluendo constabit, pupilli nomine restitutionis auxilium implorabitur, d. l. amissi, §. inter fideiussores.

Fideiussores à colonis datos etiam ob pecuniam dotis prediorum teneri conuenit, cum ea quoque species locationis uinculum ad se trahat: nec mutat confestim, an interiecto tp̄e fidem suam adstrinxerint, d. l. Amissi. §. fideiussores

Plures eiusdem pecuniæ credendæ mandatores, si unus in iudicio eligatur, ob solutione quoque secuta, non liberantur, sed pecunia soluta omnes liberantur, d. l. Amissi. §. finali.

Si in pignore contrahendo deceptus sit creditor, qui fideiussorem pro mutuo accepit: aget contraria pignoratitia actione, in quam actionem uenit, quod interest creditoris. sed ea actio fideiussorem onerare non potuit. non enim pro pignore, sed pro pecunia mutua fidem suam obligauit, ff. eodem l. si in

pigno-

pignore, 54. alias 55.

Fideiussores magistratuum in pœnam vel multam, quam non spopondisset, non debere conueniri decretum est, ff. eo. l. fideiussores, 68. alias 69. in princ.

Pro Aurelio Romulo conductore uectigalis centum annua Petronius Thallus, & alii fideiusserant. bona Romuli fiscus occupauerat, ut obligata sibi, & conueniebat fideiussores, tàm in sortem, quàm in interesse, qui depræcabantur tecta subscriptione fideiussionis, quoniam in sola centum annum se obligauerant non in omnem conductionem: decreuit Imperator fideiussores ad interesse non teneri: sed quidquid ex bonis fuisset redactum, prius in interesse cedere, reliquum in sortem: & ita in id, quod defuisset, fideiussores conueniendos exemplo pignorum à creditore distractorum, d. l. fideiussores, §. pro Aurelio.

Fideiussor seu mandator si ad interesse quoque obligatus est iustam causam recusandi id soluere non habet, ut autem is qui cum altero fideiussit, non solus conueniatur, sed diuidatur actio inter eos, qui soluendo sunt: ante condemnationem ex ordine postulari solet, C. eo. l. fideiussor, x.

Si ita stipulatus à Seio fuero, QVANTAM PECVNIAM TITIO QVANDOQVE CREDIDERO DARE SPONDES? & fideiussores accepero. Deinde Titio Sæpius credidero: nempe is seius in omnes summas obligatus est, & per hoc fideiussores quoque: & id quod ex bonis eius seruari potest, omnibus æquo iure proficere debet, ff. eo. l. si ita 55. alias 56.

Si fideiussor creditori denuntiauerit, ut debitorem ad soluendam pecuniam compelleret, uel ut pignus distraheret, isque cessauerit, an posit eum fideiussor doli mali exceptione submouere? respondit Scæuola non posse, ff. eod. l. si fideiussor 62. alias 63.

Creditori, qui pro eodem debito pignora, & fideiussorem accepit, licet, si malit, fideiussorem conuenisse in eam pecuniam, in qua se obligauerit, quod cum facit debet ius pignorum in eum transferre, sed cum in aliam quoque causam eadem pignora, uel hypothecas habet obligatos: non prius compellendus est transferre pignora, quam omne debitum exsoluatur, C. eo. l. 2.

Inter creditorem, & debitorem pactum intercesserat, ut si centum, quæ mutua dederat, ubi primum petita fuissent non solueretur ornamenta pignori data intra certum tempus liceret ei uendere: etsi quo minoris uenissent, quam quod sortis, uel interesse nomine deberetur id creditori redderetur: & fideiussor acceptus est, quæsitum est. an fideiussor in uniuersam obligari summam potuerit, responsum est teneri fideiussorem in id, quod minus ex pignoribus uenditis redactum esset, ff. eo. l. inter 63. alias 64.

Generaliter Iulianus ait, eum, qui hæres extiterit ei, pro quo interuenerat liberari ex causa bccessionis, & solummodo quasi hæredem rei teneri, denique scripsit si fideiussor hæres extiterit ei, pro quo fideiussit, quasi reum esse obligatum, & causa fideiussionis liberari, reum uero reo succedentem ex duabus causis esse obligatum. nec enim potest reperiri, quæ obligatio quam perimat. at in fideiussore & reo repetitur, quia rei obligatio plenior est: nam ubi aliqua differentia est obligationum, potest constitui alteram per alteram perimi. cum uero duæ eiusdem sunt potestatis: non potest reperiri, cur altera potius quam altera consumetur. refert autem hæc ad speciem, in qua uult ostendere, non esse nouum, ut duæ obligationes in unius persona concurrant. est autem species talis, si reus promittendi hæres extiterit reo promittendi,

tendi, duas obligationes sustinet. Item si reus stipulandi extiterit hæres reo stipulandi. duas species obligationis sustinebit. planè si ex altera earum ege rit: utrànque consumit: uidelicet, quia natura obligationum duarum, quas habet ea esset, ut cum altera earum in iudicium deduceretur, altera consume retur, ff.eo.l.5.alias 5.& 6.

Cùm reus promittendi fideiussori suo hæres extitit: obligatio fideiussoria perl mitur, quid ergo est? si tanquam à reo debitum petatur, & si exceptione fideiussori competente usus fuerit: in factum replicatio dari debebit, aut doli mali proderit, ff. eo.l.cùm reus, 14.alias 15.

Cùm fideiussor reo stipulandi hæres extiterit: quæritur, an quasi ipse à se exegerit, habeat aduersus reum mandati actionem? responsum est, cùm reus obli gatus maneat non posse intelligi, & ipsum à se fideiussorem pecuniam exigis se, itaque ex stipulatu potius, quàm mandati agere debebit, ff.eod.l.hæres, 21. alias 22.§.finali.

Lucius Titius cùm pro Seio fratre suo apud Septicium interuenire uellet, episto lam ita emisit: SI PETIERIT A TE PATER MEVS PETO DES EI NVMMOS ET PERICVLO MEO; post quam epistolam Septitius Seio pecuniam numerauit, deinde Titius inter reliquos, & Seium fratrem pro ter tia parte reliquit hæredem, quæsitum est, an quia aduersus Seium debitorem Septicii confusa sit actio pro tertia parte, qua Titio fratri suo hæres extitit: cum cohæredibus eius agere in solidum possit? Marcellus respondit, cum cohærede Seii, non pro maiore, quàm hæreditaria parte, mandati agi posse, ff. eo.l.Lucius, 24.alias 25.

Præterea si fideiussor extiterit hæres, siue unus, siue plures: æquè hic quoque pertinebit ad eandem causam; in quorum personæ æquè locum habebunt ea, quæ sunt à Diuo Hadriano constituta, ff. eo.l. si plures, 27. alias 28.§. p̄terea.

A Titio qui mihi ex testamento sub conditione decem debuit, fideiussorem ac cepi, & ei hæres exstiti, deinde condicio legati extitit, quæsitum est an fideiussor mihi teneatur, respousum est, me non posse habere fideiussorem obli gatum, quia nec reus est pro tuo debeat, sed nec res ulla, quæ possit deberi, ff.eo.l.si Stichum 38.alias 39.§.à Titio.

Si debitori creditor pro parte hæres extitit, accepto cohærede fideiussore (quod ad ipsius quidem portionem attinet) obligatio ratione confusionis intercidit aut (quod est uersus) solutionis potestate. sed pro parte cohæredis obligatio salua est, non fideiussoria, sed hæreditaria: quoniam maior tollit minorem, ff.eod.l.si debitori, 50.alias 51,

Vrannius Antonius pro Iulio Pollione, & Iulio Rufo pecuniam mutuam accipientibus, ita ut duo rei eiusdem debiti essent, apud Aurelium Palmam mã dator extitit. Iulii bona ad fiscum deuenerunt · similiter, & creditori fiscus successerat; & mandator allegabat se liberatum iure confusionis: quia fictus tam creditori, quàm debitori successerat. Et quidem si unus debitor fuisset: non dubitatur, sicut fideiussorem, ita & mandatorem liberatum esset. quamuis enim iudicio conuento debitore mandator non liberetur, tamen ubi successit creditor mandatori, ueluti solutionis iure sublata obligatione, etiam mandator liberatur, uel quia non potest procedere apud eundem, quis mandator esse. Sed cum duo uti promittendi sint, & alteri extiterit hæres creditor iusta dubitatio est, utrum alter quoque liberatus sit, ac si fuisset soluta pecunia: an persona tantum exempta, confusa obligatione. Et Paulus

putat

putat aditione hæreditatis confusione obligationis eximi personam, sed & accessiones ex eius persona liberari propter illam rationem: quia nõ possunt pro eodem apud eundem obligati esse, ut quemadmodum incipere alias non possunt, ita nec remaneant, igitur alter reus eiusdem pecuniæ non liberatur, & per hoc ne fideiussor, uel mandator eius: planè quia is mandati iudicio eligere potest, uel creditorem: competitum est ei exceptio doli mali, si cæperit conueniri. cum altero autem reo, uel insolidum, si non fuerit societas: uel in partem, si socii fuerunt, potest creditor agere, quod si creditor fideiussori hæres fuerit, uel fideiussor creditori, conueniens est confusione obligationis non liberari reum, ff.eo.l.Vrannius, 71. alias 72. in princ.

Si quid autem fideiussor pro reo soluerit eius recuperandi causa habet cum eo mandati iudicium, Inst. de fideiuss.§.si quid autem.

Si mandato meo Titio decem credideris, & mecum mandati egeris: non liberatur Titius. sed ego tibi non aliter condemnari debebo, quam si actiones, quas aduersus Titium habes, mihi præstiteris. item si cum Titio egeris ego non liberabor: sed in id duntaxat tibi obligatus ero, quod à Titio seruare non poteris, ff.eo.l.si mandato 13. alias 14.

Si ex duobus, qui apud te fideiusserant in uiginti, alter ne ab eo peteres, quinque tibi dederit, uel promiserit, nec alter liberabitur, & si ab altero quindecim petere institueris, nulla exceptione submoueris. reliqua autem quinque si à priore fideiussore petere institueris: doli mali exceptione submoueris, ff. eod.l.si stipulatus, 15. alias 16.§.fin.

Fideiussoribus succurri solet, ut stipulator compellatur ei, qui solidum soluere paratus est, uendere cæterorum nomina, ff.eod.l.fideiussorib.18.

Qui debitorem suum delegat, pecuniam dare intelligitur, quanta ei debetur, & ideo si fideiussor debitorem suum delegauerit (quamuis eum, qui soluendo non erat) confestim mandati agere põt, ff.eo.l.qui debitorem, 18. alias 19.

Si fideiussor, uel alius quis pro reo ante diem creditori soluerit: expectare diem debebit, quo eum soluere oportuit, ff.eo.l.si fideiussor, 31. alias 32.

Cùm is qui, & reum & fideiussores habens, ab uno ex fideiussoribus accepta pecunia prestat actiones. poterit quidem dici nullas iàm esse, cùm suum perceperit, & perceptione omnes liberatos, sed non est ita. non enim in solutum accepit, sed quodammodo nomen debitoris uendidit. & ideo habet actiones: quia tenetur ad id ipsum, ut præstet actiones, ff.eo.l.cum is qui, 36.

Si insolidum condemnatus est unus ex mandatoribus: cùm iudicati conueniri cæperit, potest is desiderare, ut aduersus eos, qui idem mandauerunt actiones sibi mandentur, ff.eo.l.si fideiussores, 41. alias 42.§.fin.

Fideiussor qui partem pecuniæ soluit: quominus residui diuisione facta portionis iudicium accipiat, recusare non debet. eam enim quantitatem inter eos. qui soluendo sunt diuidi conuenit, quam litis tempore singuli debent, sed humanius est, si & alter soluende sit, litis contestationis tempore per exceptionem ei, qui soluit, succurri, ff.eo.l.inter eos, 51. alias 52.§. fideiussor.

Ex duobus fideiussoribus hæredibus si per errorem alter solidum exsoluat: quidam putant eum habere condictionem, & ideo manere obligatum cohæredem. condictione quoque cessante, durare obligationem cohæredis probãt: propterea quod creditor, qui dum se putat obligatum partem ei, qui totum dedit exsoluit nullam habeat condictionem, ff. eod.l.si testamento, 49. alias 50.§.ex duobus.

Quod

Quod si duo fideiussores accepti fuerint (uerbi gratia) in uiginti, & alter ex duobus hæredibus alterius fideiussoris totum creditori exsoluerit: habebit quidem decem, quæ ipso iure non debuit, condictionem, an autem, & alia quinque repetere possit. si fideiussor alter soluendo est, uidendum est. ab initio enim hæres fideiussoris, siue hæredes, ut ipse fideiussor audiendi sunt: ut scilicet pro parte singuli, qui fideiussores sunt, conueniantur. sed uerior, & utilior est in utroque casu illa sententia, solutionem non indebitæ quantitatis non debere reuocari: quod etiam Epistola Diui Pii significatur in persona fideiussoris, qui totum exsoluerat, dicta lege si testamento, §. quod si duo.

Paulus respondit fideiussorem, in quem pignora à confideiussoribus data transacta sunt, non emptoris loco substitutum uideri, sed eius, qui pignora accepit, & ideo rationem fructuum haberi oportere, ff. eodem l. Paulus, lix. alias lx.

Fideiussor, qui minori uigintiquinque annis pecuniam obtulit & in publico loco metu in integrum restitutionis consignatam deposuit, confestim experiri mandati poterit, ff. eo. l. fideiussor, 64.

Tutor datus eius filio, cui ex fideiussoria causa obligatus erat à semetipso exigere debet, & quamuis tempore liberatus erit, tamen tutelæ iudicio eo nomine tenebitur. item hæres eius, quia cum eo ob tutelam non ex fideiussione agitur, Et quamuis non quasi fideiussor, sed quasi tutor soluerit: etiam si tempore liberatus est, mandati actionem habere aduersus reum promittendi potest. inhæret enim in utroque causa adhuc illius debiti persecutio. nam eius solutione liberauit, reum promittendi ab obligatione, in qua pro eo fideiusserat: & non titulus actionis, sed debiti causa respicienda est, licet enim is tutor, qui fideiussor apud pupillum pro eo obligatus est, soluit se authore pupillo: quia reo promittendi liberato. & ipse tutor idemque fideiussor liberabitur: quod sua authoritate efficere non potest, tamen si non pro se soluendi animo, sed pro Titio fecit, ut maximè eum liberet, cum eo mandati actionem habebit, ff. eod. l. Tutor, 69. alias 70.

Si ponamus unum ex reis promittendi pactum esse, nè à se peteretur, deinde mandatorem soluisse: mandati iudicio conuenire potuerit etiam eum, cum quo pactum est: non enim pactum creditoris tollit actionem alienam, ff. eod. l. Vranius, 71. alias 72. §. si ponamus.

Si stipulatus esses sine causa, & fideiussorem dedissem, & nollem eum exceptione uti. sed potius soluere, ut mecum mandati iudicio ageretur: fideiussori etiam me inuito exceptio dari debet. interest enim eius pecuniam retinere, potiusquam solutam stipulatori à reo repetere, ff. eodem l. si stipulatus. 15. alias 16. in princ.

Si quæratur an soluendo sit principalis fideiussor: etiam uires sequentis fideiussoris ei adgregandæ sunt, sicut ipsi fideiussori, ita hæredibus quoque eius succurrendum Pomponius scribit, ff. eodem l. si plures, xxvii. §. penulti.

Si fideiussor fuerit principalis, & fideiussor fideiussoris, non poterit desiderare, fideiussor, ut inter se, & eum fideiussorem, pro quo fideiussit, diuidatur obligatio. ille enim loco rei est, nec potest reus desi

derare, ut inter se, & fideiussorem diuidatur obligatio. Proinde si ex duobus fideiussoribus alter fideiussorem dederit, aduersus eum quidem non diuiditur obligatio, pro quo interuenit, sed aduersus confideiussorem magis est, ut diuidatur, d.l. si plures, §. finali.

Vt fideiussor aduersus confideiussorem suum agat, actio danda non est. Ideoque si ex duobus fideiussoribus eiusdem quantitatis, cum alter electus à creditore totum exsoluerit, nec ei cessæ sint actiones: alter nec à creditore, nec à fideiussore rectè conuenietur, ff. eo. l. ut fideiussor, 39. alias 40.

Cum alter ex fideiussoribus insolidum debito satisfaciat actio ei, aduersus eum, qui etiam fideiussit, non competit. potuit sanè cùm fisco solueret fiesiderare, ut ius pignoris, quod fiscus habuit in se transferretur. & si hoc ita factum est: cessis actionibus uti potest, quod & in priuatis debitis osseruandum est, C. eodem l. cum alter, xi.

Ex persona rei, & quidem inuito reo, exceptio, & cetera rei incommoda fideiussori, ceterisque acccessionibus competere possunt, ff. eodem l. ex persona. xxxii. alias xxxiii.

Fideiussor pro uenditore fundorum tuorum, altero euicto, conuentus ab emptore, condemnatus est in certam quantitatem. quæsitum est, an cùm hærede uenditoris ante diem, quo iudicatum facere compelleretur, agere possit? responsum est, agere quidem posse, sed ex iusta causa ad officium iudicis pertinere, quo fideiussor aut defendatur, aut liberetur, ff. eodem l. fideiussor, xlv. alias xlvi.

Si testamento liberatum debitorem hæres omittat, fideiussorem autem eius conueniat: proderit exceptio doli fideiussori propter improbitatem hæredis, quæ prodesse reo debuerat, si conueniretur, ff. eodem l. si testamento, xlix. alias l. in princ.

Vbicunque reus ita liberatur à creditore, ut natura debitum maneat: teneri fideiussorem respondit Scæuola, cum uerò genere nouationis obligatio transeat, fideiussorem, aut iure, aut exceptione liberandum, ff. eodem l. ubicunque lx. alias lxi.

Nouatione legitima perfecta, debiti in alium translati prioris contractus fideiussores, uel mandatores liberatos, non ambigitur: si modo in sequenti se non obligauerunt, C. eo. l. 4.

Exceptione, quæ tibi prodesse debebat, usus, iniuria iudicis damnatus es, nihil tibi præstabitur iure mandati, quia iniuriam illam, quæ tibi facta est penes te manere, quam ad alium transferri, æquius est: scilicet si culpa tua in iustæ damnationis causam præbuisti, ff. eodem l. exceptione, lxviii. alias lxix.

Creditor pignus distrahere non cogitur, si fideiussorem simpliciter acceptum omisso pignore uelit conuenire, ff. eodem lege inter eos, li. alias lii. §. creditor.

Omissis quoque pignoribus fideiussorem à creditoribus utiliter conueniri: nisi in id, quod ex iis refici non potuerit acceptas sit explorati iuris est, C. eodem l. omissis. 17.

Iure nostro est potestas creditori, relicto eo, eligendi fideiussores; nisi inter contrahentes aliud placitum doceatur, C. eo. l. 5.

Qui alienam reo principaliter constituto obligationem suscepit, uel fideiussorio, uel mandatario, uel quocunque alio nomine pro debitore inter-

intercessit, non posse urgeri creditorem eum, qui mutuam accepit pecuniam, magis quam se conuenire scire debuerat: cùm si hoc initio contractus specialiter non placuit, habeat liberam electionem, C.eo.l.si alienam, 19.

Sententia bonorum omnium ademptionem continente rei damnati principalis intercessores eligendi creditori potestas non adimitur, C. eodem l.sententia xx.

Sicut eligendi fideiussores creditor habet potestatem: ita intercessorem postulantem cedi sibi hypothecæ siue pignori obligata, non prius ad solutionem, nisi mandata super hac re fuerit persecutio, conuenit urgeri, C. eodem l.sicut, xxi.

Reos principales, uel mandatores simpliciter acceptos eligere, uel pro parte conuenire, uel satis non faciente contra quem, actum sit primo, post illum ad alium reuerti (cum nullus de iis electione liberetur) licet, C. eodem l.reos, xxiii.

Generaliter quemadmodum in mandatoribus statutum est, ut in contestatione, contra unum ex his facta, alter non liberaretur: ita & in fideiussoribus obseruatur, & ideo generali lege sancitum est nullomodo electione unius ex fideiussoribus uel ipsius rei alterum liberari, uel ipsum reum, fideiussoribus uel uno ex his electo, liberationem mereri, nisi satisfactum sit creditori: sed monere ius integrum, donec insolidum ei pecuniæ persoluantur, uel alio modo eis satisfiat. C.de fideius.l.fin.

Etiamsi de iure obligationis pignorum actum fuerit, fideiussoribus liberatio non contingit, C.eo.l.etiamsi.ix.

Mandati actio personalis est, quæ si nomine fideiussoris, uel aduersus debitorem, seu hæredes eius competit præses prouinciæ, quæ deberi compererit, reddi iubebit. pignora etenim, quæ reo stipulandi nexa fuerunt, ita demum ad fideiussores transeunt, si facta nominis redemptione solutio celebrata est, mandatæque sunt actiones. quod si factum est. ea quoque fideiussoribus per sequentibus aduersus pignorum possessores, extraordinariam iurisdictionem id uir clarissimus impertietur, C.eo.l.Mandati xiiii.

Si proponatur fundum ob debitum obligatum, non iusto precio uenditum esse, residuam quantitatem, quam ex precio eiusdem seruare potuisset debitor refundi sibi à fideiussore non iure petit, C.eodem l.si ut proponis, 18.

Pignoribus datis à reo principali distractis, nec post longi temporis interuallum, residuum à fideiussore creditot petere prohibetur, C. eodem l. pignoribus, xxv.

Si proxeneta interuenerit faciendi nominis causa (ut multi solent) quasi mandator non tenetur, quia hic monstrat magis nomen, quam mandat tametsi laudat nomen idem dicitur & si aliquid phylantropii nomine acceperit, ne ex locato, & conducto erit actio. planè si dolo & calliditate creditorem circumuenerit: de dolo actione tenebitnr, ff. de proxenetis, l. 2.

AD SENATVSCONSVLTVM VELLEIANVM.

Titulus X.

VELLEIANO Senatusconsulto plenissimè comprehensum est, ne pro ullo fœminæ intercederent. nam sicut moribus ciuilia effi cia adempta sunt fœminis. & pleraque iure ipso non ualent: ita multò magis adimendum eis fuit id officium, in quo non sola opera nudumque ministerium earum uersaretur, sed etiam periculum rei familiaris. æquum autem uisum est, ita mulieri succurri. ut in ueterem debitorem, aut in eum, qui pro se constituisset mulierem ream actio daretur. magis enim ille, quam creditor mulierem decepit, ff. ad senatusconsul. Velleian. l. prima.

Et quidem temporibus diui Augusti, mox deinde claudii, edictis eorum erat interdictum, ne fœminæ pro uiris suis intercederent, postea factum est senatusconsultum, quo plenissimè fœminis omnibus subuentum est, cuius senatusconsulti uerba hæc sunt. QVOD MARCVS SYLLANVS, ET VELLEIANVS TVTOR CONSVLES VERBA FECERVNT DE OBLIGATIONIBVS FOEMINARVM, QVAE PRO ALIIS REAE FIERENT: QVID DE EA RE FIERI OPORTERET DE EA RE, ITA CONSVLVERVNT. QVOD AD FIDEIVSSIONES, ET MVTVI DATIONES PRO ALIIS, PRO QVIBVS INTERCESSERVNT FOEMINAE PERTINENT (TAMETSI ANTEA VIDETVR ITA IVS DICTVM ESSE, NE EO NOMINE AB HIS PETITIO FIAT NEVE IN EAS ACTIO DETVR) CVM EAS VIRILIBVS OFFICIIS FVNGI, ET EIVS GENERIS OBLIGATIO TRIBVS OBSTRINGI NON SIT AEQVVM ARBITRARI SENATVM RECTE ATQVE ORDINE FACTVROS, AD QVOS DE EA RE IN IVRE ADITVM ERIT: SI DEDERINT OPERAM, VT IN EA RE SENATVS VOLVNTAS SERVETVR, Verba itaque senatusconsulti excutiamus prius prouidentia amplissimi ordinis laudata: qua opem tulit mulieribus propter sexus imbecillitatem multis huiuscemodi casibus suppositis, atque obiectis. sed ita demum eis subuenit, si non callidè sint uersatæ. hoc enim diuus Pius, & seuerus rescripserunt, nam deceptis non decipientibus iura opitulantur, & est egregium seueri rescriptum. Decipientibus. mulieribus senatusconsultum auxilio non est. infirmitas enim fœminarum non calliditas auxilium commeruit, ff. eo. l. 2. in princ.

Omnis omnino obligatio senatusconsulto Velleiano comprehenditur: siue uerbis, siue re, siue quocunque alio contractu intercesserint, dicta l. 2. §. omnis omnino.

Mulieribus quidem, quæ alienam obligationem suscipiunt, uel in se transferunt, si id contrahentes non ignorent, senatusconsulto subuenitur. sed si pro aliis cum obligatæ non essent pecuniam exsoluerit: intercessione cessante, repetitio nulla est, C. eo. l. 1.

Frustra senatusconsulti, exceptione, quod de intercessionibus fœminarum factum est, uti tentasti, quoniam principaliter ipsa debitrix fuisti.

eius

eius enim senatusconsulti exceptio tunc mulieri datur, cum principaliter ipsa nihil debet, sed pro alio debitore, apud creditorem eius intercessit, sine autem pro creditore suo alii se obligauerit, uel ab eo se, uel debitorem suum delegari passa est, huius senatusconsulti auxilium non habet, C. eodem l. secunda.

Si cùm ipse mutuam pecuniam acciperes mater tua amplissimi ordinis consultũ fidem suam interposuit, exceptione se tueri potest, C. eo. l. 2.

Senatusconsultum locum habet, siue eam obligationem, quæ in alterius persona constitit, mulier in se transtulit, uel participauit, siue cum alius pecuniam acciperet, ipsa se ab initio ream constituit, quod in rerum etiam habitis pro aliis obligationibus admissum est. sed si prædia tua annis maior uigintiquinque uendidisti, & pro merito pecuniam soluisti, deficit auxilium senatusconsulti, C. eod. l. 4.

Sed & si mulier defensor alicuius extiterit: proculdubio intercedit. Suscipit. n. in se alienam obligationem: quippè cum ex hac re subeat condemnationem. proinde neque maritum, neque filium, neque fratrem permittitur mulieri defendere, d. l. 2. §. sed & si. finali.

Sed si eum defendat, qui damnatus regressum ad eam habeat: ueluti cum uenditori hæreditatis sibi uendita, uel fideiussorem suam defendat: intercedere non uidetur, ff. eo. l, 3.

Sed si ego cum muliere ab initio contraxerim, cùm ignorarem, cui hoc factum uellet: non dubito senatusconsultum cessare, & ita Diuus Pius, & Imperator noster rescripserunt. proinde si dum uult Titio donatum, cepit à me mutuam pecuniam, & eam Titio donauit, senatusconsultnm cessabit. sed, & si tibi donatura, creditori tuo numos numerauit: non intercedit senatusc. n. obligatæ mulieri succurrere uoluit, non donanti, hoc ideo: quia facilius se mulier obligat, quam alicui donat, ff. eo. l. 4.

Nec interest, pecuniam soluendi caussa numeret, an qualibet suam rem in solutum det. nam & si uendiderit rem suam, siue precium acceptum pro alio soluit, siue emptorem delegauit creditori alieno: senatusconsulto locum non erit, ff. eod. l. 5.

Si fideiussores pro defensore absentis filii mandatu matris eius intercesserint: quæritur, an etiam his senatusconsulto subueniatur? & ait Papinianus exceptione eos usuros, nec multum facere, quod per defensore fideiusserunt: cnm contemplatione mandati matris interuenerint: planè (inquit) si is, qui accepit eos fideiussores, matrem eius mandasse ignorauit: exceptionem senatusconsulti replicatione doli repellendam, ff. eo. l. 6.

Quamquam igitur fideiussor doli replicatione opposita defensionem exceptionis amittit, nullam tamen replicationem aduersus mulierem habebit, quia non poterit facti ignorationem prætendere. sed non erit iniquum, dari negociorum gestorum actionem in defensorem; quia mandati causa per senatusconsultum constituitur irrita, & pecunia fideiussoris liberatur, ff. eodem l. septima.

Quamuis pignoris datio intercesionem faciat; tamen Iulianus scribit, redhibitionem pignoris (si creditrix mulier rem, quàm pignori acceperat, debitori liberauerit) non esse intercesionem, ff. eodem lege quamuis, in principio.

Si mulier interuenerit apud tutores filii sui, nec prædia eius distra-

herent, & indemnitatem eis repromiserit: Papinianus non putat eam intercessisse. nullam enim obligationem alienam recepisse, neque ueterem, neque nouam: sed ipsam fecisse hanc obligationem, d.l. quamuis, §. si mulier.

Si mater, cum filiorum patrimonium gereret tutoribus eorum securitatem promiserit, & fideiussorem præstiterit, vel pignora dederit: quoniam quodammodo suum negocium gesisse uidetur: Senatusconsulti auxilio, neque ipsa, neque fideiussor ab ea præstitus, neque res eius pignoratæ adiuuantur. sinautem tutore se excusare uolente ipsa re interposuit, indemnitatem ei repromittens: auxilio Senatusconsulti uti minimè prohibetur, si uerò tutores petiit, & sponte periculum suscepit: quominus teneatur authoritas eam iuris tuetur, C. eodem, l. 6.

Si mulier apud primum, pro secundo interuenerit, mox pro primo apud creditorem eius: duas intercessiones factas esse, Iulianus scribit, unam per secundo apud primum, aliam per primo apud creditorem eius, & ideo primo restitui obligationem, & aduersus eum. Marcellus autem notat, esse aliquam differentiam: utrum hoc agatur, ut ab initio mulier in alterius locum subdatur, & onus debitoris à quo obligationem transferre creditor uoluit, suscipiat, an uerò quasi debitrix delegetur: scilicet, ut cum quasi debitrix est delegata, una sit intercessio. proinde secundum hanc suam distinctionem in prima uisione, ubi quasi debitrix delegata est, exceptionem ei Senatusconsulti Marcellus non daret, sed condemnata, uel ante condemnationem condicere utique ei à quo delegata est, poterit: uel quod ei abest, uel si nondum abest, liberationem, ff. eod. l. quamuis, 8. §. si mulier ad primum.

Interdum intercedenti mulieri, & condictio competit, utputa si contra senatusconsultum obligata debitorem suum delegauerit: nam hic ipsi competit condictio, quemadmodum, & si pecuniam soluisset, condiceret. soluit enim & qui reum delegat, sed si is, qui à muliere delegatus est debitor eius non fuerit: exceptione senatusconsulti poterit uti, quemadmodum mulieris fideiussor, d.l. quamuis, §. interdum.

Planè si mulier intercessum debitorem suum delegauit senatusconsultum cessat: quia, & si pecuniam numerasset cessaret senatusconsultum, mulier enim per senatusconsultum reuelatur, non in his, quæ deminuit, restituitur. sed si eum delegauerit, qui debitor eius non fuit; fraus senatusconsulto facta uidebitur, & idcirco exceptio datur, d.l. quamuis, §. planè.

Quoties pro debitore intercesserit mulier; datur in eum pristina actio, & si ille prius acceptilatione liberatus sit, quàm mulier intercesserit, d.l. quamuis, §. quotiens.

Si conuenerit cum debitore, ut expromissorem daret, & acceptò ei latum sit: deinde is mulierem dederit, quæ auxilio Senatusconsulti munita est: potest ei condici, quasi non dedisset. quid enim interest, non det, an talem det, nō erit igitur actio utilis necessaria cum condictio competat. Marcellus quoque scribit: si mulieri post intercessionem accepto tulerit creditor: nihilominus restitutoriam actionem ei dari debere. inanem enim obligationem ei dimissam, d.l. quamuis, 8. §. si conuenerit.

Si mulier post intercessionem sit soluerit, ne repetere possit: iustè prior debitor actionem recusat, sed cū releuatur reus, si mulier sic soluit, ut repetere non possit: & cum ei mulieri: quæ repetere non poterat, si soluisset, accepti tulerit creditor: similiter releuatur reus, d.l. quamuis. §. si mulier.

Quam-

Quamquam in omnes, qui liberati ſunt reſtituitur actio: non tamen in omnibus reſtituitur, vt puta duo rei ſtipulandi fuerunt, apud alterum mulier interceſſit: ei ſoli reſtituitur obligatio, apud quem intercesſit. d. l. quamuis. §. quanquam in omnes.

Si mulieris hæres extitit creditor: videndum an reſtitutoria uti non poſsit, & ait Iulianus, reſtitutoria eum nihilominus uſurum, nec immeritò: cum non obligatæ cum effectu ſucceſſerit. denique in falcidia hoc æs alienum non imputabitur. planè ſi proponatur, mulierem veteri debitori ſucceſsiſſe, dicendum erit reſtitutoria eam conueniri poſſe, ſed & directa actione: nihil enim eius intereſt qua actione conueniatur. ſi cum eſſem tibi contracturus mulier interuenerit, ut cum ipſa potius contrahã, videtur interceſsiſſe. quo caſu datur in te actio, quæ inſtitit magis, quàm reſtituit obligationem: vt perinde obligeris eodem genere obligationis, quo mulier obligata eſt. verbi gratia, ſi per ſtipulationem mulier: & tu quaſi ex ſtipulatu conueniaris, d. l. quãuis, §. ſi mulieri.

Illud uidendum eſt: ſi mulier pro eo interuenit, qui ſi cum ipſo contractum eſſet non obligaretur: an hac actione illud debeat teneri. ut puta ſi pro pupillo interceſsit, qui ſine tutoris authoritate non obligatur, & non obligatur pupillus niſi locupleſtior factus eſt ex hoc contractu. item ſi minor uigintiquinque annis ſit, pro quo mulier interceſsit: in integrum reſtitutio non poterit implorare, uel cum filius contra Senatuſconſultum contracturus eſſet, dicta l. quamuis. §. finali.

Hæ actiones, quæ in eos, pro quibus mulier interceſsit, dantur & hæredibus, & in hæredes, & perpetuo competunt. habent enim rei perſecutionem, ff. ad Senatuſconſul. uel leg. l. hæ actiones, x.

Si mulier, tanquàm in uſus ſuos, pecuniam acceperit alii creditura; non eſt locus ſenatuſconſulto, alioquin nemo cùm fœminis contrahet; quia ignorari poteſt, quid acturæ ſint. Immò tunc locus eſt ſenatuſconſulto, cùm ſcit creditor eam intercedere, ff. eo. l. ſi mulier. xi. cum l. ſeq.

Aliquando, licet alienam obligationem ſuſcipiat mulier, non adiuuatur hoc Senatuſconſulto quod tum accidit, cum prima facie quidem alienam, reuera autem ſuam obligationem ſuſcipit. ut ſi hæreditatem emerit, & æs alienum hæreditarium in ſe tranſcribat: aut ſi pro fideiuſſore ſuo intercedat, ff. eodem l. aliquando, xiii.

De pignoribus prioris debitoris non eſt creditori noua actione opus, cum quaſi ſeruiana, quæ hypothecaria uocatur, in his utilis ſit, quia verum eſt de pignoribus conueniſſe, nec ſolutam eſſe pecuniam, d. l. aliquando. §. de pignoribus.

Si mulier alienam ſuſcepit obligationem cum ei per exceptionem Velleiani Senatuſconſulti ſuccurratur: creditori contra priores debitores reſciſſoria actio datur, C. eo. l. ſi mulier, 16.

Si ſub conditione, uel in diem mulier pro alio interceſſerit: etiam pendente conditione, uolenti creditori cum priore debitore experiri, actio danda eſt reſtitutoria: quo enim bonum eſt, expectare conditionem, uel diem? cum in ea cauſa ſit prior iſte debitor. ut omnino ipſe debeat ſuſcipere actionem, ff. eo. l. aliquando, 13. §. finali.

Si mulier contra Senatuſconſultum interceſſerit: æquum eſt non ſolum in ueterem debitorem, ſed & in fideiuſſores eius actionem reſtitui. nam cum mulieris perſona ſubtrahatur creditori propter Senatuſconſultum, integra cauſa priſtina reſtituenda eſt, ff. eod. l. ſi mulier, xxiiii.

Si

Si mulieri soluero id quod tibi debebam,& ab ea ratam rem te habiturum stipulatus fuero,& fortè te ratum non habente agere ex stipulatu instituero, exceptio senatusconsulti, quod de intercessionibus fœminarum factum est, nõ proderit mulieri: non enim videri potest alienam obligationem recusare. cùm manam debito obligatus,& ipse de lucro agat: ac potius reddere cogatur, quod non debitum acceperat, quàm pro alio soluere, ff. eod. l. si mulieri, xv.

Si mulier contra senatusconsultum Velleianum pro me intercessisset Titio, ego que mulieri id soluisse,& ab ea Titius eam pecuniam peteret: exceptio senatusconsulti non est profutura mulieri: neque enim potuit periclitari, ut eam pecuniam perdat, cum iam eam habeat, ff. eod. l. si mulier, xvi. in prin.

Si ab ea muliere, quæ contra senatusconsultum intercessisset, fideiussorem accepissem: Caius Cassius respondit. ita demum fideiussori exceptionem dandã, si à muliere rogatus fuisset. sed rectè fideiussori exceptio dandum est, etiam si mandati actionem aduersus mulierem non habeat: quia totam obligationem senatus improbat,& à prætore restituitur prior debitor creditori, dicta. l. si mulier. §. si ab ea.

Mulierem contra senatusconsulti Velleiani authoritatem non posse intercedere, eademque exceptione fideiussores eius uti posse, iuris authoritas probat. Vnde si mater tua marito quondam suo hæres non exstitit: satis idoneæ exceptionis remedio tuta est. C. eod. l. mulierem. 14.

Si uxor pro marito contra senatusconsultum intercessura te rogauit, mandatorio nomine pro ea tuam fidem adstringeres: inuito contractus per exceptionis auxilium obligationi tuæ adhæsit securitas, qua conuentus defendi potes, C. eod. l. si uxor. 15.

Hæredes quoque mulieris aduersus creditores eadem exceptione, quæ ex senatusconsulto introducta est, vti posse, non dubium est, C. eod. l. hæredes. xx.

Vir uxori donationis causa rem uiliore pretio addixerat,& in id pretium creditori suo delegauerat, responsum est, uenditionem nullius momenti esse;& si creditor pecuniam à muliere peteret, exceptionem utilem fore: quamuis creditor existimauerit, mulierem debitricem mariti fuisse. nec id contrarium uideri debere ei, quod placeat: si quando in hoc mulier mutuata esset, ut marito cederet: non obstaturam exceptionem si creditor ignorasset, in quam causam mulier mutuaretur: quando quidem plurimum intersit, utrum cum muliere quis ab initio contrahat, an alienam obligationem in eam transferat: tunc enim diligentiorem esse debere, ff. eod. l. uir uxori. 17. in prin.

Si mulier dixisset sibi rem dotis nomine obligatam,& creditor curasset ei pecuniam dotis solui, quo idem pignus acciperet,& cũ mulieri etiam pecunia credita deberetur, possessor creditor aduersus eam seruiana agentem exciperet; SI NON VOLVNTATE EIVS PIGNVS DATVM ESSET: replicationem mulieri senatusconsulti non profuturam, nisi creditor scisset, etiam aliam pecuniam ei deberi, d. l. vir uxori, §. si mulier.

Si sciens creditor à marito propter proprium debitum fundum mulieris, licet ea consentiente, pignori accepit propter senatusconsulti auxilium uendendo cum dominium mulieris auferre nequiuit, nec filio necesse est, præstito pretio emptori vindicare, si matri hæres exstitit, C. eod. l. 7.

Mulier & Titius, cum in rem communem mutuarentur, eiusdem pecuniæ rei facti sunt, non omnimodo mulierem pro parte socii uideri intercessisse dictum est, nam si ob eam causam mutuati fuerint, ex qua si creditor pecuniam non

dediſſet maius damnum mulier paſſura fuerat, ueluti quod communis inſula fulta non eſſet, uel quod fundus communis in publicum committeretur: potius eſſe, ut ſenatuſconſulto locus non ſit. at ſi in aliquam emptionem mutua pecunia ſit accepta; tunc pro parte interceſsionem factam uideri, & ideo creditorem partem duntaxat pecuniæ à muliere petere poſſe, quod ſi totum petierit exceptione pro parte ſubmouebitur, d.l. vir uxori, §. mulier.

Idem eſt ſi pro debitore meo Titius, & mulier duo rei, interceſſerint, ff. eodem, l. idem, xviii.

Tutor pupilli deceſſerat, hærede inſtituto Titio. cùm de adeunda hæreditate dubitaret, quoniam male geſta tutela exiſtimaretur: perſuadente matre pupilli, ut ſuo periculo adiret, adiit: ſtipulatuſque de ea cauſa eſt, indemnem ſe eo nomine præſtari, ſi ex ea cauſa Titius pupillo aliquid præſtitiſſet, iſque matrem conueniret: negatū eſt exceptioni ſenatuſconſulti locū eſſe: quando uix ſit aliqua apud eundem pro eo ipſo interceſsiſſe intelligi poſsit, nec diſsimilem huic propoſitioni ex facto agitatam, cum quidam uir prætoris deceſsiſſet duobus filiis ſuperſtitibus, quorum alter impubes, alter legitimus fratri tutor eſſet: & cum paterna hæreditate ſe abſtinere uellet, mandata uxoris defuncti, quæ mater pupillo eſſet abſtento pupillo ſolum ſe hæreditati miſcuiſſet. ubi ſimiliter ſe reſpondiſſe ait, Africanus ſi ex cauſa agente pupillo damnum eo nomine paſſus eſſet: non impediri eum ſenatuſcōſulto, quominus à muliere rem ſeruaret, ff. eod. l. tutor. 19. in prin.

In propoſita ſpecie, & illud tractatum eſt: an is, qui mandatu mulieris adierit, ſi damnum ob id patiatur, quod debitores hæreditarii ſoluendo non fuerint: ſenatuſconſulto locus ſit, quaſi mulier quodammodo eorum obligationes ſuſceperit, magis autem eſt, utve ob hanc quidem cauſam ſenatuſconſultum locū habeat: quando non ea mente fuerit, ut pro his intercederet, ſed ut tutoris aduerſus pupillum, & cæteros fortè creditores indemnem præſtaret hæredem. Deinde ſi proponas mulierem in emptione hæreditatis eo nomine damnum pati, quod debitores hæreditarii ſoluendo non ſint, nulla dubitatio erit, quin ſenatuſconſulto locus non ſit: etiam ſi maximè creditoribus aliquantum præſtiterit, quid ergo ſi cum propterea de adeunda hæreditate dubitaret Titius, quod parum idonea nomina debitorum uiderentur. mulier hoc ipſum repromiſit, vt quanto minus à quoquo eorum ſeruari poſsit, ipſa præſtaret? propè eſt ut ſit interceſsio. d.l. Tutor. §. in propoſita ſpecie.

Cùm haberes Titium debitorem, & pro eo mulier intercedere uellet, nec tu mulieris nomen propter ſenatuſconſultum ſequereris: petiit à me mulier mutuā pecuniam ſolutura tibi, & ſtipulanti mihi promiſit, ignoranti in quam rem mutuaretur; atque ita numerare me tibi iuſsit. deinde ego, quia ad manum numos non habebam ſtipulanti tibi promiſi. qoæſitum eſt, ſi eam pecuniam à muliere petam, an exceptio ſenatuſconſulti ei proſit? Reſpondit Africanus uidendum ne non ſine ratione dicatur: eius loco, qui pro muliere fideiuſſerit, haberi me debere: ut quemadmodum illi (quamuis ignorauit mulierem intercedere) exceptio aduerſus creditorem datur, ne in mulierem mandati actio cōpetat: ita mihi quoq; aduerſus te utilis exceptio detur inque mulierem actio denegetur, quando hæc obligatio periculo mulieris futura ſit. & hæc paulo expeditius dicenda, ſi priuſquàm ego tibi pecuniam ſoluerem, comprererim eā interceſsiſſe. cæterum ſi ante ſoluerim uidendum vtrumve nihilominus mulieri quidem exceptio aduerſus me dari debeat, & ego tibi condicere pecu-

niam

niam possim. an uerò perinde habendum sit, ac si ab initio ego pecuniam mulieri credidissem, ac rursus tu mihi increditum esses, quod quidem magis dicẽdum existimatur: ut sic senatusconsulto locus non sit, sicuti, & cum debitorem suum mulier deleget intercessioni locus non est, sed postea non rectè comparare dicitur quando delegatione debitoris facta mulier non obligetur, si, (ut in proposito) alienam obligationem in se transtulerit: quod certè senatus fieri noluit, d.l.tutor.§.cum haberes.

Si pro uno reo intercesserit mulier: aduersus utrumq; restituitur creditori actio. ff.eod.l.si pro uno,xx.

Si pro aliquo mulier intercesserit, & in rem eius quod acceptum est, uertatur, exceptio senatusconsulti locum non habet: quia non fit pauperior, ff. eo.l.si pro aliquo,xxi.in princ.

Item si quid liberaliter fecerit: veluti ne iudicatus pater eius propter solutionem uexaretur: non erit tuta senatusconsulto Velleiano: oneribus enim earum senatus succurrit.d.l.si pro aliquo.§.fin.

Si mulieri dederim pecuniam, ut eam creditori meo soluat, uel expromittat: si ea expromiserit, locum non esse senatusconsulto, Pomponius scribit: quia mãdati actione obligata in rem suam uidetur obligari, ff.eod.l.si mulieri,xxii.

Si mulier in iure interrogata, responderit se hæredem esse: si sciens se hæredem non esse, responderit, minime intercessisse uidetur, quia decepit, quod si existimauit se hæredem & eo nomine decepta respondit: in eam actionem quidem dari plerique existimauerunt, sed exceptione senatusconsulti addiuuari. ff.eod.l.si mulier,xxiii.

Debitrix mulier à creditore delegata pro eo cui delegata est, promisit. non utetur exceptione, sed si pecuniam promisit vt delegetur: intercessisse uidetur. si senatusconsulti beneficium interuenerit: utrum statim cum mulier intercesserit, actio in priorem debitorem competit: an si mulier solutum condicat? fuit ut Paulus statim, & non expectandam solutionem, ff.eodem, l. debitrix. xxiiii. in principio.

Si pro eo, qui temporaria actione tenetur, mulier intercesserit: temporaria actio restituetur: sic tamen, ut ex præcedente causa continua tempora numerentur post restitutionem: quamuis statim, atque intercessit mulier, competierit, d. l.debitrix.§. finali.

Bona fide personam mulieris in contrahendo secutus ob ea, quæ inter uirum, & uxorem, accepta pecunia gesta sunt: exceptione senatusconsulti non submouetur, ff.eod.l.bona fide.27.in princ.

Vxor debitricem suam uiro delegauit, vt uir creditori eius pecuniam solueret, & si fidem suam pro ea, quam delegauit, apud uirum obligauerit: locum exceptio senatusconsulti non habebit, quia mulier suum negotium gessit. d.l. bona fide,§.uxor.

Seia animalia emit, & mutuam pecuniam accepit sub fideiussore marito, eamque soluit uenditori, postea maritus decedens non soluendo, in fraudem creditoris cauit testamento, se eam pecuniam uniuersam debere. quęritur an intercessisse mulier uideatur. respondit Scæuola non intercessisse. ff.eod.l. seia mancipia, 28.in princ.

Fundum uxoris suę maritus obligauit sempronio ob conductionem. mox mulier à Numerio sua fide mutuam pecuniam acceptam, sub obligatione eiusdem fundi, soluit statim sempronio pro marito suo. Quæsitum est, an aduersus senatus

natuſconſultum obligata ſit? reſpondit ipſe Scæuola. ſi Numerius ſciſſet eam intercedere: fore ſenatuſconſulto, locum. d. l. Seia. §. fundum.

Si ſine voluntate tua res tuæ à marito tuo pignori datæ ſunt, nõ tenentur. Quod ſi conſenſiſti obligationi ſciente creditrice; auxilio ſenatuſconſulti, uti potes. Quod ſi patiẽtiam præſtitiſti, vt quaſi ſuas res maritus obligaret, decipere uoluiſti mutuam pecuniam dantem. & ideo tibi non ſuccurretur ſenatuſconſulto, quo infirmitati, non calliditati mulierum conſultum eſt. C. eod. l. v.

Quidam uoluit hæredibus Lucii Titii mutuam pecuniam dare, & cum eis contrahere: ſed quoniam facultates eorum ſuſpectas habuit, magis uoluit uxori teſtoris dare pecuniam, & ab ea pignus accipere. mulier eandem pecuniam dedit hæredibus, & ab eis pignus accepit, quæritur, an interceſsiſſe uideatur: & an pignora quæ ipſa accepit, teneantur creditori. Paulus reſpondit, ſi creditor, cùm contrahere uellet cum hæredibus Lucii Titii euitatis iis, magis mulierem ream elegit: & in ipſius perſona ſenatuſconſultum quod de interceſſionibus factum eſt, locum eſſe: & pignora data nõ teneri, eas autem res, quas mulier ab his, pro quibus intercedebat, pignori accepit: creditori mulieris obligatos non eſſe. Sed non ſine ratione prætorum facturum: ſi non tantum perſona mulieris ſubducta, in principales debitores, dederit actionem: ſed etiam in res, quæ mulieri obligatæ ſunt, ff. eo. l. quidam. 29. in prin.

Si pecunia iuxta fidem ueri à creditore tibi data eſt: ſiue tota quantitas, ſiue pars eius in vſum mariti proceſsiſſe proponatur, decreto patrum non adiuuaris, licet creditor cauſam contractus non ignorauerit, C. eo. l. fæneberis. 13.

Paulus reſpondit. ea, quæ in fraudem ſenatuſconſulti, quod de interceſsionibus fœminarum factum eſt, excogitata probari poſſunt: rata haberi non oportere, ff. eod. l. quidam 29. §. finali.

Si decipiendi animo, uel cum ſciret, ſe non teneri, mulier pro aliquo interceſſerit, exceptio ei ſenatuſconſulti non datur actionem. enim, quæ in dolum mulieris competit, ampliſsimus ordo non excludit. ff. eodem. l. ſi decipiendi, 30. in principio.

Procurator ſi mandatu mulieris pro alio interceſſerit: exceptione ſenatuſconſulti Velleiani adiuuatur, nec alias actio intercidit, d. l. ſi decipiendi. §. fin.

Si mulier, quod ex interceſsione ſoluit, nolit repetere, ſed mandati agere, & cauere uelit de indemnitate reo: audienda eſt. ff. eod. l. pen.

Si mulier hæreditatem alicuius adeat, ut æs alienum eius ſuſcipiat: uix eſt, ut ſuccurri ei debeat, niſi ſi fraude creditorum conceptum id ſit: nec enim loco minoris vigintiquinque annorum circunſcripti per omnia habenda eſt mulier, ff. eodem. l. finali. in princ.

Si mulier rem a ſe pignori datam per interceſsionem recipere uelit: fructus etiã liberos recipit, & ſi res deterior facta fuerit eo nomine: magis æſtimetur. ſed ſi creditor, qui pignus per interceſsionem accepit, hoc alii uendidit: uera eſt eorum opinio, qui petitionem dandam ei putant, etiam aduerſus bonæfidei emptorem: ne melioris conditionis emptor ſit, quàm fuerit venditor, d. l. fi. §. ſi mulier.

Itẽm ſi mulier creditori uiri fundum uendidit, ea conditione, ut emptor acceptam pecuniam uiro referret, & hunc fundum uindicat: exceptio quidem opponitur ei de re empta, & tradita; ſed replicabitur à muliere AVT SI EA VENDITIO CONTRA SENATVSCONSVLTVM FACTA SIT, & hoc procedit: ſiue ipſe creditor emerit, ſiue interpoſuerit alium, quo mulier

ea ratione careat re sua, idem est, & si non pro viro, sed pro alio debitore rem suam tradidit, d.l.fi.§. Item si mulier.

Si mulier ne ipsa intercederet, alii mandarit, ut id faceret: an in huius persona locus huic senatusconsulto sit, qui rogatu mulieris id faceret? totus enim sermo senatusconsulti ad petitionem non dandam aduersus ipsam mulierem spectat. Sed ita est distinguendum: ut si quidem creditor, cui me obligaui, mandante muliere, hoc in fraudem senatusconsulti egisset, ne ipsa interueniret cõtra senatusconsultum, daret autem alium: excludendum eum exceptione fraudis factæ senatusconsulto, si uerò is ignorasset, ego autem scissem: tunc mandati me agentem cum muliere excludendum esse, me autem creditori teneri, d.l.fi.§.si mulier.

Si mulier pro eo, pro quo intercesit iudicium parata sit accipere, ut non in veterem debitorem actio detur: quoniam senatus exceptionem opponere potest, cauere debet, exceptione se non usuram, & sic ad iudicem ire, dicta l. final. §. penultimo.

Intercedere mulierem intelligendum est, & pro eo, qui obligari non possit, uelut si pro filio alieno intercedat. sed rescissa intercessione, in patrem restituenda est actio, d.l. finali.§. finali.

Si paternam obligationem non tantum masculini sexus filii verum etiam filiæ emancipatæ in se receperunt: quamuis filiæ uiribus obligationibus eximant, propter exceptionem. quæ ex senatusconsulto Velleiano descendit, tamen filios in id, quam se obligauerunt, teneri: filiorumque subducta persona, patrem in id conueniri posse in quo conueniretur, si filiæ nõ intercessissent: dubium non est, pignora tamen patris, & si in posteriorem obligationem accepta sunt, sine dubio tenentur: sed & si in priore fuerint, quatenus ad patrem per restitutoriam actionem redit, hactenus tenebantur, C.eod.l.si paternam viii.

Quamuis mulier pro alio soluere possit: tamen si præcedente obligatione, quàm senatusconsultum de intercessionibus efficacem esse non sinit, solutionem fecerit, eius senatusconsulti beneficio munitam se ignorans: locum habet repetitio, C.eodem.l. quamuis. 9.

Si aduersarius Triphonæ, non cum marito suo, sed secum negotium gesit: reliqua conductionis, quæ dicit esse contracta obtentu eiusmodi obligationum non potest recusare. Enimuero si cum eosdem fundos non sibi sed marito suo locaret personam Triphonæ, ut idoneum secutus est: beneficio amplissimi ordinis, quod factum est de intercessionibus fœminarum se tueri petet, C.eod. l.si aduersarius. x.

Etiam constante matrimonio ius hypothecarum seu pignorum marito remitti posse. explorari iuris est. C.eodem l. etiam, xi.

Si dotare filiam uolens, genero res tuas obligasti: pertinere ad te beneficium senatusconsulti falso putas: hanc enim causam ab eo beneficio esse remouendam, prudentes uiri putauerunt. C.eodem.l.si dotare, xii.

Si cùm pater uester à Gallistrato mutuam sumpsisset pecuniam, uelut hanc eius uxor accepisset, instrumentum conscriptum est, nec ad exceptionis tractatum ex senatusconsulto venientem peruenire necesse est: cum eam ueritatis substantia constituta potior, quam simulata gesta tueatur, C. eodem l.si cum pater. 17.

Fœminis alienas, uel ueteres, vel nouas obligationes aliqua ratione suscipientibus subuenitur: nisi creditor aliqua ratione per mulierem deceptus sit. nam tunc

tunc replicatione doli ſenatuſconſulti exceptionem remoueri conſtitutum eſt. C. eod. l. fœminis, 18.

Cùm ad eas etiam obligationes, quæ ex mulieris perſona calliditate creditoris ſumpſerint primordium decretum patrum, quod de interceſsione fœmininũ factum eſt, pertinere perpetuo edicto declaratur: ſi tamen creditor, qui contrahere cum alio propoſuerat, mulieris perſonam eligit: exceptione contra petitores ſecundam ea, quæ adſeueras, defendi potes, C. eodem l. cum ad eas, xiiii.

Licitum eſt mulieribus, & pro uno contractu, uel certis contractibus, ſeu pro vna, uel certis perſonis ſeu rebus iuri hypothecarum ſibi competenti per conſenſum proprium renunciare: quodque ita geſtum eſt, authoritate legis firmum, illibatumque cuſtodiri: ita tamen, ut & ſi generaliter tali renunciatione pro vno (vt dictum eſt) contracta, ſeu certis contractibus, vel ad unam, uel ad certas res, ſeu perſonas conſenſum proprium accommodantes, uſæ ſunt, vel fuerint, eadem renunciatio illos contractus, & illas res ſeu perſonas, quibus conſenſum ſuum proprium accommodauerunt, uel accommodauerint coartet: nec aliis quibuſdam contractibus, quibus minime mulieres conſenſerunt, uel conſenſerint, prætendentibus eam opponendi licentia præbeatur, C. eodem. lege. iubemus, xxi.

Si mulier perfectæ ætatis conſtituta, poſt interceſsionem, uel cautionem conſcripſerit, uel pignus aut interceſſorem præſtiterit. Si quidem intra biennale iuge tempus poſt priorem cautionem numerandum pro eadem cauſa fecerit cautionem, uel pignus, aut interceſſorem dederit: nihil ſibi præiudicat, quod adhuc ex conſequentia ſuæ fragilitatis in ſecundam iacturam incideret. Sin autem poſt biennium hæc fecerit: ſibi imputet, ſi quod ſæpius cogitare poterat, & euitare, non fecit, ſed ultro firmauit. Videtur etenim ex huiuſmodi temporis prolixitate non per aliena obligatione ſe illigare, ſed pro ſua cauſa aliquid agere: & tam ex ſecunda cautione ſeſe obnoxiam facere, in quantum hoc fecit, quam pignus, aut interceſſorem utiliter dare, C. eodem. lege. ſi mulier, xxii.

Si qua mulier in inſtrumento mutui marito ſuo conſentiat, uel patrimonium ſuum ſubſcribens, aut etiam ſe ipſam reddens obnoxiam: nihil valet aut obtinet, ſiue ſemel, ſiue ſæpius huiuſmodi aliquid in eo ipſo fiat negocio, ſiue priuatum, ſiue publicum debitum ſit: ſed perinde habetur, quaſi nec ſcriptum ſit: niſi manifeſtè oſtendatur, quod pecunia numerata in proprios ipſius vxoris vſus inſumpta fuerit. Nouella. Conſtitutioni. de Vicariis, & aliis Capitulis, cxxxiiii. §. illud quoque alias collatione. nona. conſtitutio. Nona.

Si mulier interceſſerit, ſiue ab initio, ſiue poſtea aliquid accipiens, vt ſe ſe interponat omnimodo tenetur, nec poteſt. Senatuſconſultum Velleiani auxilio, uti, ſiue ſine ſcriptis, ſiue per ſcripturam ſe ſe interpoſuerit. Et inſtrumento publico tribus teſtibus conſignato, in quo dixerit ſe aliquid accepiſſe creditur. ſin autem ſine ſcriptis interceſſerit tunc ſi poteſt ſtipulator: oſtendere enim accepiſſe pecuniam, vel res, & ſic ſubiiſſe obligationem, repelletur à Senatuſconſulto. Iuuamine, quo non probato mulieri ſupereſt auxilium, & antiqua actio

ſeruatur creditori aduerſus eum, pro quo mulier interceſsit. ſed ſi minus idoneæ mulieri aliquis pecunias uel res dedit, ut pro ſeſe obligaret mulieri, quæ reuera hæc accepit ſenatuſconſultum . non iuuatur : creditori autem licitum eſt aduerſus eam uenire, & quod poteſt ab ea exigere, & in reliquum antiquum debitorem aggredi vel impartem, ſi aliquid, à muliere poſsit accipere, uel in totum ſi ea penitus inopia fatigetur, C. ad Velleianum. lege. antique . xxiii.

Nè autem mulieres perperam ſe ſe pro aliis interponant. diſpoſitum eſt in tali cõtractu poſſe ſe obligare pro aliis, niſi inſtrumento publicè cõfecto, & à tribus teſtibus ſubſignato accipiant homines à muliere pro aliis confeſsionem: tunc enim tãtummodo eas obligari: & ſic omnia tractari, quæ de interceſsionibus fœminarum, uel ueteribus legibus cauta, uel ab imperiali authoritate introducta ſunt. Si autem extra eandem obſeruationem ſuſceperint mulieres intercedentes; pro nihilo habeatur huiuſmodi ſcriptura, uel ſine ſcriptis obligatio tamquam nec confecta, neque penitus ſcripta : ut nec ſenatuſconſulti auxiliũ imploretur, ſed ſit libera, & abſoluta, quaſi penitus nullo in eadem cauſa ſubſecuto. d. l. antiquam. §. fina.

Si quis maior vigintiquinque annis, ſiue maſculis, ſiue fœmina, dotem pollicitus ſit, uel ſpoponderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum eſt: omnimodo compelletur ſuam confeſsionem adimplere, neque enim ferendum eſt, quaſi caſu fortuito interueniente, mulierem fieri indotatam: cum. n. ſcimus: fauore dotium, & antiquos iuris conditores ſeueritatem legis ſæpius molliri, merito, & hoc ſancitum eſt. nam ſi ſpontanea uoluntate ab initio liberalitatem ſuam oſtendit; neceſſe eſt eum, uel eam ſuis promiſsionibus ſatisfacere : ut quod ab initio ſponte ſcriptum, aut in pollicitatione deductum eſt, hoc ab inuitis poſtea compleatur: omni authoritate Velleiani ſenatuſconſulti in hac cauſa ceſſanta, C. eod. l. fina.

DE LITERARVM OBLIGATIONIBVS.

Tit. XI.

OLIM ſcriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non ſunt in uſu. Planè ſi quis debere, ſe ſcripſerit, quod ſibi numeratum non eſt de pecunia minime numerata poſt multum temporis exceptionem opponere non poteſt : hoc enim ſæpiſsimè conſtitutum eſt. ſic fit, ut hodie, dum quæri non poteſt, ſcriptura obligetur, & ex ea naſcatur conditio, ceſſante uerborum obligatione . Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex principalibus conſtitutionibus uſque ad quinquennium procedebat : ſed ne creditores diutius poſsint ſuis pecuniis forſitan defraudari, per conſtitutionem noſtram tempus coartatum eſt, vt ultra biennii metus huiuſmodi exceptio minimè extendatur . Inſtitution. de literarum obligationum. titulo . vnico.

Non figura literarum, ſed oratione, quam exprimunt literæ, obligamur: quatenus placuit non minus ualere, quod ſcriptura, quàm quod uocibus l[illegible]

gua figuratis significaretur, ff. de obligationibus, & actionibus, lege non figura, xxxviii.

Quamuis materia huius tituli sit tertia species principalis obligationum, non est liber, sed titulus, quia nullæ leges indigestis extant de hac obligatione disponente, sed tantummodo de exceptione non numeratæ pecuniæ, Quæ materia erit in sexta parte, & libro sexto.

Finis Libri Secundi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Tertius.

DE OBLIGATIONIBVS EX CONSENSV. *Titulus I.*

EX conſenſu fiunt obligationes in emptionibus, uenditionibus,locationibus,conductionibus,ſocietatibus mandatis. Ideo autem iſtis modis obligatio dicitur conſenſu contrahi, quia neque ſcriptura,neque præſentia omnimodo opus eſt, ac nec dari quicquam neceſſe eſt,ut ſubſtantiam capiat obligatio: ſed ſufficit eos, qui negotia gerunt, conſentire : unde inter abſentes quoque talia negocia cõtrahuntur,veluti per epiſtolam,uel per nuncium.Item in his contractibus alter alteri obligatur in id,quod alterum alteri ex bono, & æquo præſtare oportet: cùm alioquin in verborum obligationibus alius ſtipuletur , alius promittat. Inſtitut.de obligatio.ex conſenſu.& ff,de oblig.& actio.l.ſecunda.

In quibuſcumque negotiis ſermone opus non eſt,ſufficiente conſenſu : in his etiam ſurdus interuenire poteſt,quia poteſt intelligere,& conſentire: ueluti in locationibus,conductionibus,& emptionibus,& cæteris,ff. de oblig. & actio. l.in quibuſcunque,47.

Contractus imaginarii etiam in emptionibus iuris uinculum non obtinent, cùm fides facti ſimulantur, non intercedente veritate, ff. eodem lege contractus. 53.

In omnibus , quæ dominum transferunt concurrat oportet,effectus ex utraque parte contrahentium. nam ſiue ea uenditio,ſiue donatio, ſiue alia quælibet cauſa contrahendi ſit: niſi animus utriuſque conſentit, perduci ad effectum, quod inchoatur,non poteſt.ff.eod.l.in omnibus,54.

DE

DE PACTIS.
Tit. II.

HVIVS edicti æquitas naturalis est: quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt seruare? Pactum autem à pactione dicitur. inde etiam pacis nomen appellatum est. & est pactio duorum pluriumque in idem placitum consensus. Conuentionis uerbum generale est ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi, transigendique causa consentiunt. qui inter se agunt. Nam sicuti conuenire dicuntur qui ex diuersis locis in unum locum colliguntur, & ueniunt, ita & qui ex diuersis animi motibus in unum consentiunt, idest in unam sententiam decurrunt. Adeo autem conuentionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius nullum esse contractum, nullam obligationem, quę non habeat in se conuentionem. siue re, siue uerbis fiat. Nam & stipulatio, quę uerbis fit, nisi habeat conseusum nulla est. sed conuentionum pleræque in aliud nomen transeunt. ueluti in emptionem, in locationem, in pignis, uel in stipulationem, ff. de pactis. l. prima.

Labeo ait, conuenire posse, uel re, uel per epistolam, uel per nuncium. inter absentes quoque posse, sed etiam tacitè consensu conuenire intelligitur. & ideo si debitori meo reddiderim cautionem, uidetur inter nos coouenisse ne peterem: profuturamque ei conuentionis exceptionem placuit, ff. eodem. l. secunda.

Postquam pignus uero debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse dubio non est nisi specialiter contrarium actum esse probetur, ff. eod. l. tertia.

Item quia conuentiones etiam tacitè ualent, placet in urbanis habitationibus locandis inuecta, illata pignori esse locatori, etiam si nihil nominatim conuenerit, secundum hæc, & mutus pacisci potest huius rei argumentum etiam stipulatio dotis causa facta est. Nam ante nuptias male petitur, quasi si hoc expressum fuisset: & nuptis non secutis, ipso iure euanescit stipulatio idem Iuliano placet. Ex facto etiam consultus cum conuenisset, ut donec interesse soluerentur, sors non peteretur: & stipulatio purè concepta fuisset: conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset, ff. eod. l. quarta.

Conuentionum aatem tres sunt species: aut enim ex publica causa fiunt, aut ex priuata. priuata aut legitima, aut iurisgentium. Publica conuentio est, quæ fit per pacem quotiens inter se duces belli quædã paciscuntur. Legitima conuentio est, quæ lege aliqua confirmatur, & ideo interdum ex pacto actio nascitur uel tollitur, quotiens lege, vel senatusconsulto adiuuatur. Iurisgentium conuentiones quædam actiones pariunt, quædam exceptiones. quæ pariunt actiones in suo nomine stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: ut emptio, uenditio, locatio, conductio, societas, commodatum, depositum, & cæteris simiies contractus sed & si in alium contractum non transeat, subsit tamen causa: eleganter Aristo celso respondit esse obligationem. ut puta dedi tibi rem, ut mihi aliam dares: dedi, ut aliquid facias hoc contractum esse & hinc nasci ciuilem obligationem. Si ob maleficium ne fiat promissum sit, nulla est obligatio ex hac conuentione. Sed cum nulla subest causa, propter conuentionem hic constat non posse constitui obligationem. Igitur nuda

pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem, ff. de pactis, lege quinta, sexta, & septima. in princ.

Traditionibus,& vsu capionibus dominia rerum non nudus pactis transferuntur,C.de pactis l.traditionibus.xx.

Si certis annis quod nudo pacto conuenerat datum fuerit ad præstandum in posterum indebitum solutum obligare non potuit eum qui pactum fecit: nisi placitis stipulatio intercesserit,C.eo.l.si certis annis,xxviii.

Legem cum dos pro alumna datur seruari oportet,nec obesse poterit, quod dici solet ex pacto actionem non nasci. Tunc enim hoc iure utimur cum pactum nudum est.alioquin cum pecunia datur,& aliquid de reddenda ea conuenit utilis est conditio,C.eod.l.x.

In bonæfidei contractibus ita demum ex pacto actio cõpetit,si in continenti fiat, nam quod postea placuit,id non petitionem,sed exceptionem parit.C. eod.l. in bonæ.xiii.

Pactum quod bona fide interpositum docebitur: &si scriptura non existente, tamen si aliis probationibus rei gestæ ueritas comprobari potest,præses prouinciæ secundum ius custodiri efficiet,C.l.eo.pactum,xvii.

Quinimmò interdum format ipsam actionem,vt bonæ fidei iudiciis. solemus.n. dicere pacta conuenta inessæ bonæ fidei iudiciciis. Sed hoc sic accipiendũ est, ut si quidem ex continenti pacta subsecuta sunt etiam ex parte actoris insint: ex interuallo non inerunt:nec ualebunt si agat:ne ex pacto actio nascatur. vt puta post diuortium cõuenit ne tempore statuto dilationis dos reddatur, sed statim: hoc non ualebit,ne ex pacto actio nascatur: ea enim pacta insunt, quæ legem contractui dant,id est quæ in ingressu contractus facta sunt. Idem responsum scio a Papiniano,& si post emptionem ex interuallo aliquid extra naturam contractus conueniat: ob hanc causam agi ex empto non posse propter eandem regulam,ne ex pacto actio nascatur. quod & in omnibus bonæ fideiudiciis erit dicendum.ff.eod.l.7.§.quinimo.

Sed ex parte rei locum habebit pactum quia solent & ea pacta,quæ postea interponuntur,parere exceptiones,ff.eo.l.7.§.sed ex parte.

Adeæ autem bonæfidei iudiciis exceptiones postea factæ quæ ex eodẽ sunt contractu,insunt,ut constet in emptione,ff.l.7.§.adeo autem.

Sed cum duo hæredes emptori extiterunt, uenditor cum altero pactus est, ut ab emptione recederetur: ait Iulianus ualere pactionẽ,& dissolui pro parte emptionem: quoniam & ex alio contractu paciscendo alter ex hæredibus adquirere sibi potuit exceptionem. Vtrũque recte placet,& quod Iulianus, & quod Pomponius,ff.l.7.§.sed cum duo.

Cùm proponat Eusebius sine scriptura,placuisse fratrũ suorũ successiones,ex æquis partibus,diuidi: & transactionibus causa probari possit hãc intercessisse conuentionẽ: exceptione se tueri potest. si Eusebius possidet quod si aduersarius suus teneat: ex hoc placito nullã actionem nactam esse, si sibi stipulatione non prospexit debet intelligere: nec aduersario suo transactione uti concedendum est, nisi ea, quæ placita sunt adimplere paratus sit. C.de pact.l.cum proponas, xxi.

Ait prætor, PACTA CONVENTA, QVAE NEQVE DOLO MALO, NEQVE ADVERSVS LEGES PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA, EDICTA PRINCIPVM: NEQVE

NEQVE QVO FRAVS, QVI EORVM FIAT FACTA ERVNT, SERVABO. Pactorum quædam in rem sunt, quædam in personam. in rem sunt. quotiens generaliter paciscor ne petam. in personam quoties ne à persona petam, idest ne à Lucio Titio petam. Vtrum autem in rem, an in personam pactum factum est, non minus ex uerbis, quàm ex mente conuenientium æstimandum est. plerunque enim, ut & Pedius ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur cum quo pactum factum est. DOLO MALO ait prætor pactum se non seruaturum. Dolus malus fit calliditate & fallacia: & ut ait Pedius, dolo malo pacto fit, quotiens circumscribendi alterius causa aliud agitur & aliud agi simulatur. Sed si fraudandi causa pactum factum dicatur, nihil prætor adicit. sed eleganter labeo ait hoc aut iniquum esse, aut superuacuum iniquum, si quod semel remisit creditor debitori suo bona fide, iterum hoc conetur destruere: superuacuum, si deceptus hoc fecerit. inest enim dolo & fraus. Siue autem ab initio dolo malo pactum factum est, siue post pactum dolo malo, aliquid factum est, nocebit exceptio propter hæc uerba edicti, NEQVE FIAT, ff. l. 7. §. ait prætor.

Quod ferè nouissima parte pactorum, ita solet inseri. ROGAVIT TITIVS SPOPONDIT MAEVIVS; hæc uerba non tantum pactionis loco accipiuntur, sed etiam stipulatronis. ideoque ex stipulatu nascitur actio: nisi contrarium specialiter adprobetur, quo non animo stipulantium hoc factum est, sed tantum paciscentium, ff. l. 7. §. quod ferè.

Si pascisçar ne pro iudicati, uel incensarum ædium agatur: hoc pactum ualet. Si pascisçar ne operis noui nontiationem exequar: quidam putant non ualere pactionem, quasi in ea re prætoris Imperium uersetur, Labeo autem distinguit: ut si ex re familiari operis noui nuntiatio sit facta, liceat pascisi: si de republica non liceat, quæ distinctio uera est. Et in ceteris igitur omnibus ad edictum prætoris pertinentibus, quæ non ad publicam lesionem, sed ad rem familiarem respiciunt, pacisci licet. nam & de furto pacisci lex permittit. Sed & si quis paciscatur ne depositi agat: secundum Pomponium ualet pactum. Item si quis pactus sit, ut ex causa depositi omne periculum præstet: Pomponius ait pactionem ualere. nec quasi contra iuris formam factam non esse seruandam. Et generaliter quotiens pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet. nec legari, nec iusiurandum de hoc adatum ne quis agat, seruandum Marcellus scribit. & si stipulatio sit interposita de his pro quibus pacisci non licet seruanda non est: sed omnimodo rescindenda, l. 7. §. si pascisçar.

Si ante aditam hæreditatem paciscatur quis cum creditoribus, ut minus soluatur, pactum ualiturum est. Sed & sui hæredes purè scripti paciscentes priusquam se imisceant rectè paciscuntur. Idem & in extraneo hærede: qui si mandatu creditorum adierit, & mandati habet actionem. Sed an uel doli ei prosit exceptio puæritur. Marcellus in similibus speciebus, licet antea dubitabit, tamen admisit. utputa filiusfamilias hæres institutus pactus est cum creditoribus, & emancipatus adiit hæreditatem: & dicit doli eum posse uti exceptione. Idem probat & si filius uiuo patre cum creditoribus paternis pactus sit. nam & hic doli exceptionem profuturam. Hodie tamen ita demum pactio huiusmodi creditoribus obest, si conuenerint in unum, & communi consensu declarauerint quota parte debiti contenti sint. Si uerò dissentiant, tunc prætoris partes necessariæ suut, qui decreto suo sequetur maioris partis uoluntatem.

tatem. Maiorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum placuit. quod si æquales sint in cumulo debiti, tunc plurius numerum creditorum præferendus est. in numero autem pari creditorum, authoritatem eius sequetur prætor, qui dignitate inter eos præcellit. sin autem omnia undique in unam æqualitatem concurrant, humanior sententia à prætore eligenda est. hoc enim ex diui Marci rescriptio colligi potest, d.l.7.§. si ante aditam usque ad finem cum l.seq.

Si plures sint, qui eandem actionem habent, unius loco habentur, utputa plures sunt rei stipulandi, uel plures argentarii, quorum nomina simul facta sunt unius loco numerabuntur, quia unum debitum est. Et cum tutores pupilli creditoris plures conuenissent unius loco numerantur, quia unius pupilli nomine conuenerant. Nec non & unus tutor plurium pupillorum nomine unum debitum prætendentium, si conuenerit, placuit unius loco esse. nam difficile est, ut unius homo duorum uicem sustineat. nam nec is, qui plures actiones habet aduersus eum, qui unam actionem habet, plurium personarum loco accipitur. Cummulum debiti & ad plures summas referemus: si uni fortè minutæ summæ centum aureorum debeantur, alii uero una summa aureorum quinquaginta. nam in hunc casum spectabimus summas plurs: quia illæ excedunt in unam summam coadunatæ. summæ autem applicare debemus etiam interesse debitum ex pecunia, ff. eo. l. si plures, 9.

Rescriptum autem Diui Marci sic loquitur, quasi omnes creditores debeant conuenire. quid ergo si quidam absentes sint? num exemplum præsentium absentes sequi debeant? Sed an & priuilegiariis abscentibus nec pacto noceat, eleganter tractatur: si modo ualet pactio, & contra abscentes. Et reperitur ante formam à Diuo Marco datam diuum Pium rescripsisse fiscum quoque in his casibus, in quibus hypothecas non habet, & ceteros priuilegiarios exemplum creditorum sequi oportere. hæc enim omnia in his creditoribus, qui hypothecas non habent, conseruanda sunt, ff. eo. l. rescriptum. x. in princ.

Si pacto subiecta sit pœnæ stipulatio, quæritur utrum pacti exceptio locum habeat, an ex stipulatu actio. Sabinus putat, quod est uerius, utraque uia uti posse, prout elegerit qui stipulatus est. si tamen ex causa pacti exceptione utatur, æquum erit accepto eum stipulationem ferre, d.l. rescriptum, §. si pacto.

Petens ex stipulatione quæ placidi seruandi causa secuta est, antecessit pactum seu post pactum interposita sit: rectè secundum se ferri sententiam postulat, C. de pactis l. petens, 27.

Plerunque solemus dicere, doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis. quosdam denique, qui exceptione pacti uti non possunt, doli exceptione usuros & Iulianus scribit, & alii plerique consentiunt. utputa si procurator meus pasciscatur, exceptio doli mihi proderit, ut Trebatio uidetur qui putat sicuti pactum procuratoris mihi nocet, ita & prodesse. Quia & solui ei possit. Nam & nocere constat siue ei mandaui ut pacisceretur, siue omnium rerum mearũ procurator fuit: cum placuit eum etiam rem in iudicium deducere. Sed & si tantum ad actionem procurator factus sit, conuentio facta domino. Non nocet: quia nec solui possit. Sed si in rem suam datus sit procurator, loco domini habetur, & ideo seruandum erit pactum conuentum. Item magistri societatum pactum & prodesse & obesse constet. Tutoris quoque pactum pupillo prodest, d.l. rescriptum, x. §. fin. cum legibus quinque seq.

Si cum emptore hæreditatis pactum sit factum, & uenditor hæreditatis petat, doli

doli exceptio nocet. nam ex quo rescriptum est à Diuo Pio utiles actiones emptori hæreditatis dandas, meritò aduersus uenditorem hæreditatis exceptione doli debitor hæreditarius uti potest. Sed & si inter dominium rei uenditæ & emptorem conuenisset, ut equus qui emptus erat, redderetur ei qui pro domino rem uendidit: petenti ei pretium doli exceptio nocebit, ff. eodem l. si cum emptore, 16.

Si pactus ne hæreditatem peterem singulas res, & hæres petam: ex eo, quod pactum erit, pacti conuenti exceptio aptanda erit, quemadmodum si conuenerit ne fundum peterem, & usufructum petam: aut ne nauem ædificiumue peterem, & dissolutis his singulas res petam. nisi specialiter aliud actum est, ff. eo. l. si unus, 27. §. item si pactus.

Si tibi decem dem & paciscar, ut uiginti mihi debeantur, non nascitur obligatio ultra decem. Re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit, ff. eo. l. si tibi, 17. in prin.

Si cum decem mihi deberes, pepigero ne à te uiginti petam: in decem prodesse tibi pacti conuenti, uel doli exceptionem placet. Item si cum uiginti deberet, pepigerim ne decem petam: efficeretur per exceptionem mihi opponendam, ut tantum reliqua decem exigere debeam. Sed si stipulans decem, aut equum de decem pactus sim: & petam equum, aut decem exceptionem pacti conuenti in totum obstabit. nam ut solutione, & petitione, & acceptilatione unus rei tota obligatio soluetur: ita pacto quoque conuento de una re non petenda interposito totam obligationem summouebit. Sed si actum, inter nos sit, ne decem mihi, sed equus præstetur possum efficaciter de equo agere nulla exceptione opponenda, idem est & si de equo non petendo conuenerit, ff. eod. l. si unus, 27. §. si cum decem.

Sed si generaliter mihi equum debeas, & paciscar ne equum persicum petam persicum quidam petendo, pacti exceptio mihi opponetur, alium aut equum si petam rectè agam, d. l. si unus, 27. §. sed si generaliter.

Actio iniuriarum per pactum ipso iure tollitur de pignore iure honorario nascitur pacto actio, tollitur autem per exceptionem quoties paciscor ne petam, ff. eo. l. si tibi 17. §. quodam.

Si quis paciscatur ne à se petatur, sed ut ab hærede petatur, hæredi exceptio non proderit. Si pactus sim ne à me, neue à Titio petatur, non proderit Titio etiã si hæres extiterit: quia ex post facto id confirmari non potest. hoc Iulianus scribit in patre, qui pactus erat ne à se, neue à filia peteretur: cum filia patri hæres extitisset, d. l. si tibi, 17. §. si quis.

Pactum conuenctum cum uenditore, factum si in rem constituatur, secundum plurium sententiam, & emptori prodest, & hoc iure nos uti, Pomponius scribit. secundum Sabini autem sententiam etiam si in personam conceptum est: Et hoc extimatur etiam si per donationem successio facta sit, d. l. si tibi 17. §. Pactum.

Cum possessor alienæ hæreditatis pactum est hæredi si euicerit, neque nocere, neque prodesse plerique putant, ff. eo. d. l. si tibi. §. cum possessor.

Filius si paciscatur ne à patre petatur siue de eo paciscatur, quod cum ipso, siue de eo, quod cum patre contractum est aquirit exceptionem. item si filiusfamilias pactus fuerit, ne à se petatur proderit & patri quoq; si de peculio conueniatur. Vel de in rem uerso, uel is quasi defensor filii, si hoc maluerit conueniatur. Et hæredi patris uiuo filio. Post mortem uerò filii, nec patri, ne hæredi

eius: quia personale pactum est, ff. eo. l. si tibi, 17. §. fin. cum tribus seq. & quarta quæ est, 21. in princ.

Nos autem his, qui, in nostra potestate sunt, paciscendo prodesse non possumus: sed nobis id profuturum si nomine eorum conueniamur proculus ait. quod ita rectè dicitur, si in paciscendo id actum sit. cæterum si paciscar ne à Titio petas, deinde actionem aduersus me nomine eius instituas: non est danda pacti conuencti exceptio. nam quod ipsi inutile est, nec defensori competit. Iulianus quoque scribit si pater pactus sit ne à se, nèue à filio petatur, magis est, ut pacti exceptio filiofamilias danda non sit: sed doli prosit, ff. eo. l. & hæredi, 21. §. nos autem.

Filiafamilias pacisci potest ne de dote agat cum sui iuris esse ceperit. Item filiusfamilias de eo, quod sub conditione legatum est, rectè paciscetur, d. l. & hæredi 21. §. filia.

Auus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promisit & pactus est ne à se, nèue à filio suo dos peteretur si à cohærede filii dos petatur, ipse quidem exceptione conuentionis tuendus non erit: filius verò exceptione conuentionis rectè utetur: quippe hæredi consuli concessum est. nec quicquam obstat uni tantum ex hæredibus prouidere si hæres factus sit: cæteris autem non consuli, ff. eo. l. auus 33.

Pater, qui dotem promisit, pactus est, ut post mortem suam in matrimonio sine liberis defuncta filia portio dotis apud hæredem suum fratrem remaneret, ea cōuentio liberis à socero postea susceptis, & hæredibus testō relictis per exceptionem doli proderit: cum inter contrahentes id actum sit, ut hæredibus consulatur: & illo tempore, quo pater alios filios non habuit, in fratrem suum iudicium supremum contulisse uideatur, ff. eo. l. tale 40. §. pater.

Ex conuentione quidem qua nouerca: capitonis Cum patre suo pactum fecit cū fundum in dotem daret, ut creditoribus quibus fuerant prædia obligata satisfacerent: actio ipsi Capitoni aduersus eam competere non potest, & si pactum in stipulationē deductum probetur. Sed si fundus æstimatus, ita ut pars instrumenti significat in dotem datus est, ex uendito actio, ut placitis stetur competit, C. de pac. l. ex conuentione xi.

In his qui eiusdem pecuniæ exactionem habent insolidum, vel qui eiusdem pecuniæ debitores sunt, quatenus alii quoq; prosit, uel noceat pacti exceptio, quæritur & in rem pacta omnibus prosunt, quorum obligationem dissolutam esse eius, qui paciscebatur, interfuit. itaq; debitoris conuentio fideiussoribus proficiet. Nisi hoc actum est ut duntaxat à reo non petatur, à fideiussore petatur: tunc enim fideiussor exceptione non utetur. fideiussoris autem conuentio nihil proderit reo: quia nihil eius interest à debitore pecuniam non peti. imò nec confideiussoribus proderit: neq; enim quoquo modo cuiusque interest. Cùm alio conuentio facta prodest: Sed tunc demum cum per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pacths est, proficiat: sicut in reo promittendi & his qui pro eo obligati sunt. Sed si fideiussor in rem suam spopōdit hoc casu fideiussor pro reo accipiendus est: & pactum cum eo factum cum reo factum, esse uidetur. Idem in duobus reis promittendi, & duobus argentariis. Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem labeo ait, ff. eo. l. & hæredi 21. §. fin. cum tribus seq. & quarta quæ est, 25. in prin.

Sed quamuis fideiussoris pactum reo non prosit, plerunque tamen doli exceptionem reo profuturum Iulianus scribit, uidelicet si hoc actum sit, ne a reo quo-

que

que petatur idem & in confideiussoribus est, ff. eodem idem in duobus, 25. sed quamuis cum l. seq.

Si vnus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit an etiam alteri noceat exceptio, Neratius, Atilicinus, Proculus, nec si in rem pactus sit alteri nocere, tantum enim constitutum vt solidum alter patere prosit, idem labeo, nam nec nouare alium posse, quamuis ei recte soluatur. sic enim & iis qui in nostra potestate sunt recte solui quod crediderint, licet nouare, non possint: est verum. idemq; in duobus reis stipulandi dicendum est. ff. eod. l. si vnus, 27. in princ.

Si cum reo ad certum tempus pactio facta sit, vltra neque reo, neque fideiussori prodest, quod si sine persona sua reus pepigerit ne à fideiussore petatur nihil id prodesse fideiussore quam putant, quamquam id rei intersit: quia ea demum competere ei debebat exceptio, quæ & reo. ego didici prodesse fideiussori exceptionem non sic enim illi per liberam personam adiquiri, quam ipsi qui pactus sit consuli uidemur quo iure utimur. d. l. si vnus. §. si cum reo.

Quod dictum est si cum reo pactum sit, vt non petatur, fideiussori quoq; cõpetere exceptionem: pp rei personam placuit ne mandati iudicio conueniatur. Igitur si mandati actio nulla sit forte si donandi animo fideiusserit, dicendum est non prodesse exceptionem fideiussori. ff. eod. l. quod dictum. 32.

Si pactus sim, ne equum, qui mihi debebatur, petam non itelligitur mora mihi fieri mortuoque equo non tenetur reus, qui ante pactum moram non fecerat. ff. eod. l. si conuenerit. 56.

Inter debitorẽ, & creditorem conuenerat, ut creditor onus tributi prædii pignerati non adgnosceret, sed eius soluendi necessitas debitorem spectaret, talem conuentionem quantum ad fisci rationem non esse seruandam placuit pactis etenim priuatorum formam iuris fiscalis conuelli nõ placuit. ff. eo. l. inter 42.

Pactus ne peteret, si postea conuenerit, vt peteret: prius pactum, per posterius elideretur, non quidem ipso iure, sicut tollitur stipulatio per stipulationem si hoc actum est, quia in stipulationibus ius continetur, in pactis factum uersatur, & ideo replicatione exceptio elidetur. Eadem ratione contingit ne fideiussoribus prius pactum prosit. ff. eod. l. si vnus, xxvii. §. pactus cum seq.

Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt obseruanda; ueluti si paciscar, ne furti agam, uel iniuriarum, si feceris. expedit enim timere furti, uel iniuriarum pœnam. sed post admissa hæc pacisci possumus. Item ne experiar interdicto VNDE VI, quatenus publicam causam contingit, pacisci possumus. Et in summa si pactum conuentum à re priuata, remotum sit non est seruandum. ante omnia enim animaaduertendum est, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in aliave persona noceat, d. l. si unus 27. §. pacta.

Contra iuris ciuilis regulas pacta conuenta rata non habentur: ueluti si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit ne à debitore suo peteret aut ne intra certum tempus veluti quinquẽnium peteret. nam nec solui ei sine tutoris authoritate potest. Ex diuerso autem si pupillus paciscatur ne quod debeat, à se peteretur: ratum habetur pactum conuentum, quia meliorem conditionem suam facere ei etiam sine tutoris auctoritate concessum est. ff. eodem l. contra, xxviii. in principio.

Si curator furiosi aut prodigi, pactus sit ne à furioso aut prodigo peteretur: longe vtile est curatoris recipi pactiones, sed non contra, d. l. contra §. si curator.

Debitori reip. remitti pecunias non potest & cum remitisse essent reuocantur. ff. eod. l. Imperatores. 37.

Ius

Ius publicum priuatorum pactis mutari non potest. ff. eod. l. Ius. 38.

Pacisci tamen contra edictum ædilium omni modo licet: sine in ipso negocio vẽditionis gerendo conuenisset siue postea. ff. eod. l. pacisci. 31.

Ius adgnationis non posse pacto repudiari, non magis, quam ut quis dicat nolle suum esse, Iulianis sententia est. ff. eod. l. Ius. 34.

Si acceptilatio inutilis fuit tacita pactione id actum videtur, ne peteretur, ff. eo. l. si vnus, 27. §. finali.

Si filius pactus sit, ne ipse peteret, inutile est pactum si vero in rem pactus est, id est ne ea pecunia peteretur ita pactio eius rata habenda erit aduersus patrem, si liberam peculii administrationem habeat, & res de qua pactus sit peculiaris sit. quod & ipsum non est expeditum: nam cum uerum est, quod Iuliano placet, etiam si maximè quis administrationem peculii habeat concessam, donandi ius eum non habere: sequitur, ut si donandi causa de non petenda pecunia pactus sit, non debeat ratum haberi pactum conuentum. Quòd si pro eo, ut ita pacisceretur, aliquid in quo minus uel etiam amplius esset, consecutus fuerit: rata habenda est pactio. sinautem paternam pecuniam crediderit, quod credendi tempore pactus est ualere celsus ait, ff. eo. l. contra 28. §. si filius cũ l. seq.

In persona tamen filiifamilias uidendum est ne aliquando & si pactus sit ne ageret, ualeat pactio: quia aliquando filiusfamilias habet actionem, ueluti iniuriarum. Sed cum propter iniuriam filio factam habeat & pater actionem, quin pactio filii nocitura non sit patri agere uolenti, dubitari non oportet, ff. eod. l. in persona 30. in princ.

Si sub conditione stipulatus fuerim à te, quod Titius mihi pure deberet: an deficiente conditione, si à Titio petam exceptione pacti conuenti & posfim & debeam submoueri? & magis est exceptionem non esse opponendam, d. l. in persona, §. fin.

Tres fratres Titius, & Mœuius, & Seia communem hæreditatem inter se deuiserunt instrumentis interpositis, quibus diuisisse matetnam hæreditatem dixerunt: nihilq; sibi commune remansisse cauerunt, sed postea duo de fratribus, id est Mæuia & Seia, qui absentes erant tempore mortis matri suæ, cognouerunt pecuniam auream à fratre suo esse subtractam, cuius nulla mentio instrumento diuisionis continebatur. quę situm est, an post pactum diuisionis de subrepta pecunia fratribus aduersus fratrem competit actio. Modestinus respondit, si agentibus ob portionem eius, quod surreptum à Titio dicitur, generalis pacti conuenti exceptio his, qui fraudem à Titio commissam ignorantes transegerunt, obiiciatut: de dolo utiliter replicari posse, ff. eo. l. tres, 35.

Post diuisionem bonorum & æris alieni, singuli creditores à singulis hæreditatibus non interpositis delegationibus insolidum. ut conuenerant, interesse pecuniæ acceptauerunt. actiones, quas aduersus omnes pro partibus habent impediendæ non erunt si non singuli pro fide rei gestæ totum debitum singulis offerant, ff. eo. l. ad pactum 40. §. post diuisionem.

Diuisionis placitum nisi traditione, uel stipulatione sumat effectum, ad actionẽ, ut nudum pactum, nulli prodesse poterit, ff. eo. l. diuisionis, 45.

Conditionis incertum inter fratres non iniquis rationibus finitum est cum igitur uerbis fideicommissi à patre petitum fuerit, ut si uita, sine liberis decederet hæredtiatem Licinio Frontoni restitueret: pactum eo tempore de sextante Licinio Frontoni dando cum liberos Filinus sustulerit interpositum non idcirco potest iniquum uideri, quod facta (sicut placuit) diuisione, diem suum filio

filio eius superstite functus esset. C. de pactis, l. prima.

Si pascenda pecora partiaria id est, ut fœtus eorum portionibus quibus placuit, inter dominum & pastorem diuidantur, Apollinarem suscepisse probabitur, fidem pacto præstare per iudicem compelletur, C. eo. l. si pascenda, 9.

Cum proponas filios testamento scriptos hæredes rogatos esse, ut qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem hæreditatis restitueret: quoniam præcariam substitutionem fratrum consensu remissam asseritur fideicommissi persecutio cessat, C. eod. l. cum proponas, 16.

Si actionem legati uel fideicommissi quam aduersus hæredes quondam mariti uxor habuit ipsa affectione hæredum aliis remisisse probetur: exceptionem pacti contra debitores instituenti actiones nocere ipsi minime potest, C. eo. l. si actionem xxiiii.

Si cum fundum meum possides conuenisset mihi tecum, ut eius possessionem Actio traderes: uindicantem eum fundum à te non aliter me conuentionis exceptione excludi debere proculus ait, quam si aut iam tradidisses, aut si tua causa id inter nos conuenisset, & per te non staret quo minus traderes, ff. eo. l. si cum fundum, 36.

Veteribus placet pactionem obscuram, uel ambiguam, uenditori, & qui locauit, nocere: in quorum fuit potestate legē aperius conscribere, ff. eo. l. ueterib. 38.

In emptionibus scimus quid præstare debitor debeat, quidquam ex cōtrario emptor. quòd si in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id seruari debebit, ff. l. in emptionibus, 43.

Tale pactum PROFITEOR TE NON TENERI non in personam dirigitur: sed cum generale sit, locum inter hæredes quoque litigantes habebit, ff. eod. l. tale pactum, 40. in princ.

Qui prouocauit, pactus est intra diem certum pecunia, quam transegerat, non soluta: iudicatis se satisfaturum iudex apellationis nullo alio de principali causa discusso iustā conuentionē uelut confesi sequitur, d. l. tale. §. qui ꝓuocauit.

INTRA ILLVM DIEM DEBITI PARTEM MIHI SI SOLVERIS, ACCEPTVM TIBI RESIDVVM FERAM, ET TE LIBERABO, licet actionem, non habet pacti tamen exceptionem competere debitori constitit, ff. eod. l. intra 41.

Cum in eo esset pupillus, ut ab hæreditate patris abstineretur, tutor cum plerisq; creditoribus decidit, ut certam portionem acciperent: idem curatores cum aliis fecerunt. quæritur an & tutor idemque creditor patris eandem portionem retinere debeat. Respondit Scæuola eum tutorem qui cæteros ad portionem uocaret, eadem parte contentum esse debere, ff. l. cum in eo. 44.

Pactum inter hæredem & legatarium factum ne ab eo satis accipiatur, cum Semestribus relata est constitutio Diui Marci, seruari in hoc quoque defuncti uoluntatem: ualidum esse constat, nec à legatario remissa hæredi satisdatio per pactionem, ex pœnitentia reuocari debet: cum liceat sui iuris, persecutionem, aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere, ff. eo. l. Pactum, 46.

Emptor prędii uiginti cauerat se soluturum, & stipulanti spoponderat; postea uenditor cauit sibi conuenisse, ut contentus esset tredecim: & ut ea intra præfinita tempora acciperet. debitor ad eorum solutionem conuentus pactus est, si ea soluta intra præfinitum tempus non essent, vt ex prima cautione ab eo petitio esset cum posteriore pacto satisfactum non sit, omne debitum ex prima cautione peti potest, ff. eo. l. emptor, 47. in princ.

Lucius Titius Gaium Seium mensularium, cum quo rationem implicitam habebat ptopter accepta & data, debitorem sibi constituit,& ab eo epistolam accepit in hęc uerba. ex ratione mensę, quam mecum habuisti in hunc diem, ex contractibus plurimis remanserunt apud me ad mensam meam trecenta otaginta sex,& interesse quod competierit summam aureorum, quam apud me tacitam habes, refundam tibi: si quod instrumentum à te missum, id est scriptum, cuiuscunque summæ ex quacunque causa apud me remansit, uanum & pro cancellatum habebitur. quæsitum est, cum Lucius Titius ante hoc chirographum Seio nummulario mandauerat, uti patri eius trecenta, an propter illa uerba epistolæ, quibus omnes cautiones ex quocumque contractu uanæ, & pro cancellato, ut haberentur cautum est, neque ipse, neque filii eius eo nomine conueniri possunt. Respondit Scæuola si tantum ratio accepti atque expensi esset computata, cæteras obligationes manere in sua causa, d.l. emptor, §. Lucius.

In traditionibus rerum quodcunque pactum sit, id ualere manifestum est, ff. eo. l. in traditionibus, 48.

Si quis crediderit pecuniam,& pactus sit, ut quatenus facere posit debitor eatenus agat: an pactum ualeat: & magis est hoc pactum ualere. nec enim improbum est,& si quis hactenus desideret conueniri, quatenus facultates, ff. eodem l. si quis, xxxxix.

Si inter debitorem & eum, qui fundum pigneratum à creditore, quasi debitoris negotium gereret emerit, placuit ut habita compensatione fructuum soluto, quæ quod reliqum deberetur fundus debitori restitueretur: etiam hæres pacto, quod defunctus fecit fidem præstare debet, ff. eo. l. epistola. 52. §. si inter.

Si cum te ex causa legati debere pacisci debitori tuo existimas pactus sit, ne ab eo peteres: neque iure ipso liberatur debitor, neque petentem summouebit, exceptione conuentionis, ut Celsus libro uincesimo scribit. Idem eodem loco scribit, si debitorem tuum iusisti soluere Titio, cui legatum falsò debere existimas,& debitor pactus sit cum Titio suo debitore cõstituto, neq; tibi aduersus tuum debitorem, neq; ipsi aduersus suũ actionẽ peremptã, ff. eo. l. si cũ te.

Epistola, qua quis cohæredem, sibi aliquem esse cauit petitionem nullam aduersus possessores rerum hæreditariarum dabit, ff. eo. l. epistola, 52. in prin.

Pactum, ut si quas summas propter tributiones prædii pignori, nexi factas creditor soluisset à debitore reciperet,& ut tributa eiusdem prædii debitor penderet. iustum ideoq; seruandum est, d.l. epistola, §. pactum.

Sumptus quidem prorogare litiganti, honestum est pacisci autem, ut non quantitas eo minime espensa cum interesse licito restituatur, sed pars dimidia eius, quod ex alia lite datum erit: non licet, ff. eo. l. sumptus, 53.

Qui in futurum interesse à debitore acceperat, tacitè pactus uidetur, ne intra id emptus sortem petat. Si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit, ueluti ne ego petam, uene à te petatur: hæres meus ab omnibus uobis petitionem habebit: & ab hærede tuo omnes petere poterimus, ff. eo. l. qui in futurum, 57.

Ab emptione uenditione, locatione, conductione, cæterisq; similibus obligationibus, quin integris omnibus, consensu eorum, qui inter se obligati sint, recedi posit, dubiũ non est. Aristoni hoc amplus uidebatur, si ea, quę me ex empta præstare tibi oporteret, præstitissem,& cum tu mihi pretium deberes, conuenisset mihi tecum ut rursus præstitis mihi à te in re uendita omnibus, quæ ego tibi præstitissem pretium mihi non dares; tuque mihi ea præstitisses: pretium te

debere

debere desinere: quia bonæ fidei, ad quam omnia hæc rediguntur, interpretatio hanc quoque conuentionem admittit. nec quicquam intereſt utrum integris omnibus, in quæ obligati eſſemus, conueniret ut ab eo negotio diſcederetur: an in integrum reſtitutis his, quæ ego tibi præſtitiſſem, conſentiremus ne quid tu mihi eo nomine præſtares. Illud planè conuentione, quæ pertinet ad reſoluendum, id quod actum eſt, perfici non poteſt, ut tu quod iam ego tibi prę ſtiti contra præſtare mihi cogaris: quia eo modo non tam hoc agitur, ut à priſtino negotio diſcedamus, quàm ut nouæ quædam obligationes inter nos conſtituantur, ff. eo. l. ab emptione, 58.

Per quos adquiri nobis ſtipulatione poſtet, per eoſdem etiam pactis conuentis meliorem conditionem noſtram fieri poſſe placet, ff. eo. l. per quos, 59.

Si creditores parati ſint partem ex bonis, licet ab extraneo conſequi: ratio habenda eſt prius neceſſariarum perſonarum ſi Idoneæ ſint, ff. eo. l. Imperator, 60.

Si reus poſtquam pactus ſit à ſe non peti pecuniam, ideoque cœpit id pactum fideiuſſori quoq; prodeſſe, pactus ſit, ut à ſe peti liceat: an utilitas prioris pacti ſublata ſit fideiuſſori quæſitum eſt, ſed uerius eſt ſemel adquiſitam fideiuſſori pacti exceptionem ulterius ei inuito extorqueri non poſſe, ff. eo. l. fin.

Debitori creditor ſi hæres extit, actio, quam contra eum habuit confuſa eſt, ſed ſi eam hæreditatem poſtea, quàm in iudicio abſtinuit tradidit ei quem ſententia ſuperauerat, ea conditione pactoque ut tam cæteris creditoribus, quàm ſibi in eo, quod ſibi deberetur, ſi eã hæreditatem adiſſet, ſatisfaceret: pacti conuentioniſque fides ſeruanda eſt, quæ ſi non ſeruatur ex ſtipulatu (ſi modo pacto ſubiecta eſt) dabitur actio, uel præſcriptis uerbis ſi ſtipulatio non interuenit, C. de pact. l. vii.

Pacto ſucceſſori debitoris, ex lege duodecim tabularum, æs alienum hæreditarium proportionibus quæſitis ſingulis, ipſo iure diuiſum inſolidum unum obligare creditori non poteſt. De chirographis itaque communibus exhibendis cohæredem uel non perfectis in diuiſione placitis, connenire Corneliam quanti ſua intereſt poteſt. C. de pac. l. pactum, 26.

Pacta nouisſima ſeruari oportet, tàm iuris, quàm ipſius rei æqtas poſtulat. Quapropter ſi conuentione, quæ præceſsit diuerſa pars uſuram ſe non eſſe conſenſit, & maxime (ſi ut proponitur) id etiam apud acta præſidio aſſeuerauit actionem, quæ ſuper prima conuentione fuerat Flacilla, excercere non prohibetur, C. eod. l. pacta, xii.

Si pacto, quo pœnam aduerſarium Cælii promiſiſſe proponitur, ſi placito non ſteтiſſet, ſtipulatio ſubiecta eſt: ex ſtipulatu, agens uel id, quod in conuentionem deuenerat, ut fiat conſequetur: uel pœnam ſtipulatione comprehenſam more iudiciorum exiget. Nam bona aduerſarii in ſe transferri citra ſolennem ordinem fruſtra deprecatur, C. eo. l. ſi pacto, 14.

Si creditores Iulii, & AEmylii ex parte debiti admiſiſſe quemquam ipſorum pro ſua perſona ſoluentem probabitur præſes prouinciæ aditus, ne alter pro altero exigatur prouidebit, C. eo. l. ſi creditores, xviii.

Creditori ſuo ſi partem pecuniæ demogara exoluit de parte uero non petenda inter ſe, & eum conuenit, ob cauſas, negociaque eius ſuo patrocinio fideiq; defenſa ea obligatione partim ciuili, iure, partim honorario liberatus eſt. nam exceptio perpetua pacti conuencti, uel doli, reſidui petitionem repellit: cum & ſolutum per ignorantiam repeti poſſuiſſet, C. de pac. l. v.

Pactum curatoirs recipere minorem quantitatem paciſcentis adulte, ætatis ſuf-

fragium ne noceat efficiet. tutores enim & curatores exigentes pupillis, & adultis debitum, non etiam remittentes præstant obligationes liberationem, C. eod. l. pactum xxii.

Filius paciscendo, aut debitum recipiendo nihil detrahit patris obligationi, C. eod. l. filius, xxiii.

Debitorum pactionib. petitio nec tolli, nec mutari pōt, C. de pac. l. debitarū, 25.

Si quis in conscihendo instrumento sese confessus fuerit non usurum fori præscriptione propter cingulum militiæ suæ uel dignitatis prærogatiuam sancimus est nemini licere aduersus sua pacta uenire & contrahentes decipere. Si enim ex ipso prætoris edicto pacta conuenta, qui neque. leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo obseruanda sunt: quare & in hac causa pacta non ualeant cum alia sit regula iuris antiqui: omnes licentiam habere iis, quæ pro se introducta sunt, renunciare, C. eo. l. pen.

Pactum quod dotali instrumento comprehensum est, ut si pater uita fungeret, ex aqua portione ea, quæ nubebat cum patre hæres patri suo esset, neque ullam obligationem contrahere, neque libertatem testamenti faciendi mulieris patri potuit auferre, C. de pactis, l. pactum, xv.

Licet inter priuatos huiusmodi scriptum, quo comprehenditur, ut is qui superuixerit, alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis causa gestæ efficaciter speciem ostendat: tamen cum uoluntas militum, quæ super ultimo uitæ spiritu, deque familiaris rei decreto, quoquo modo contemplationis mortis in scripturam deducitur, uita postremi iudicii obtineat. Proponatque Victorianus miles se ac fratrem suum ad discrimen prælii pergētes, ob communem mortis fortunam inuicem esse pactos, ut ad eum, qui superstes fuisset, res eius, cui casus finem uitæ attulisset, pertinerent; existente conditione intelligitur ex fratris suo iudicio (quod principalium constitutionum prompto fauore firmatur) etiam rerum eius compendium ad se delatum esse, C. eo. l. licet, xix.

Duabus uel pluribus personis spes alienæ hæreditatis fuerat ex cognatione fortè ad eos deuoluendæ; pactaque inter eos inita sunt pro aduentura hæreditate, quibus specialiter declarabatur, si ille mortuus fuerit, & hæreditas ad eos peruenerat, certos modos in eadem hæreditate obseruari: uel si fortè ad quosdam ex his hæreditatis commodum perueniret, certas pactiones euenire. & dubitatur si huiusmodi pacta seruari oporteret. Faciebat eutem eis quæstionē quia adhuc superstite eo, de cuius hæreditate sperabatur huiusmodi pactio procefsit: & quia non sunt ita confecta, quasi omnimodo hæreditate ad eos ꝑuentura, sed sub duabus condictionibus composita sunt SI ILLE MORTVVS FVERIT: ET SI AD HAEREDITATEM VOCENTVR II QVI HVIVSMODI PACTIONEM FECERVNT. Sed omnes huiusmodi pactiones odiose uidentur, & plane tristissimi & periculosi euentus: quare enim quodam uiuente & ignorante, de rebus eius, quidam paciscentes cōueniunt. Secundum ueteres itaq; regulas omnimodo huiusmodi pactiones, quæ contra bonos mores inita sunt repelluntur, & nihil ex his pactionibus obseruabitur, nisi ipse fortè, de cuius hæreditate pactum est, uoluntatem suā eius accommodauerit, & in ea usq; ad extremū uitæ spatium perseuerauerit: tunc etenim sublata acerbissima spe, licebit eis illo sciente, & iubente huiusmodi pactiones seruare. Igitur neque donationes, neque hipothecæ admittuntur, nec alius cōtractus, cum in alienis rebus contra domini uoluntatem aliquid fieri uel pacisci non posfit, C. de pac. l. fin.

DE

DE TRANSACTIONIBVS. Tit. III.

TRANSACTIO nullo dato, uel retento, seu promisso, minime procedit, C. de transact. l. transact. 38.

Qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta, neq; finita transigit. qui uero paciscitur, donationis causa rem certam & indubitatam liberalitate remittit, ff. de transa. l. 1.

Et post rem iudicatam transactio ualet si uel appellatio intercesserit, uel appellare potuerit, ff. eo. l. 7. in prin.

Post rem iudicatam etiam si prouocatio non est interposita, tamen si negetur iudicatum esse, uel ignorari potest, an iudicatum sit: quia adhuc lis subesse possit, transactio fieri potest, ff. eo. l. post rem, xi.

Cum te proponas cum sorore tua de hęreditate transegisse, & iō certā pecuniā te ei debere cauisse: & si nulla qō fuisset hæreditatis, tamen ꝑp timorem litis transactione interposita, pecunia rectè cauta intelligitur, ex qua causa si fisco soluisses, repetere non posses. Si non soluisses, tamen iure conuenireris, C. eo. l. 2.

Trāsactum accipere quis potest non solum si Aquilana stipulatio fuerit subiecta, sed & si pactum conuentum fuerit factum, ff. eo. l. 2.

Cum Aquilana stipulatio interponitur, quæ ex consensu redditur, lites, de quib. non est cogitatum, in suo statu retinentur: liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentium fregit, ff. eo. l. 5.

Pacto conuento Aquilana quidem stipulatio subici solet. Sed consultius est huic pœnalem stipulationem subiungere: quia rescisso fortè pacto pœna ex stipulatu peti potest, ff. eo. l. pacto 15.

Qui fidem licitæ transactionis rupit non exceptione tantum summouebitur, sed & pœnam, quam si contra placitum fecerit rato manente pacto stipulanti rectè promiserat, præstare cogetur, ff. eo. l. qui, 17. & C. eo. l. promissis, 37.

Age cum Gemmiano, quod pater eius curator tibi datus negocia tua gesserit: & si apud iudicem negabit se actione teneri, qm̄ trāsactio, & Aquilana stipulatio interposita est: iudex contemplatione iudicii, quod bonæ fidei est, quæret de quanta pecunia nominatim transactum sit. Et si apparuerit de minore transactum esse quantitate pecuniæ, quam ex administratione curæ deberi probatū fuerit: soluere eum iubebit, ꝙ non in stipulationem Aquilanam obligationis iure tm̄ deductum est, quanta erat quantitas pecuniæ, q̄ debebatur, C. eod. l. 3.

Actione administratæ curæ ab eo, qui legitimæ ætatis annos compleuit, in Aquilanam stipulationem deducta, & per acceptilationem extincta: nullam aliam superesse, nisi de dolo intra concessa tempora, non ambigitur: nisi specialiter etiam de dolo transactum sit, C. eo. l. 4.

Vt respōsum congruum quis accipere posit inserere debet pacti exēplum. ita. n. princeps intelliget utrum sola conuentio fuerit, an ēt Aqliana stipulatio necnon, & acceptilatio secuta fuerit. q̄ si subdita esse illuxerit: nullā aduersarię suę petitionē hr̄ditatis, uel in rē specialē cōpetere, palam est, C. eo. l. ut rn̄sum, 15.

Si causa cognita prolata sententia (sicut iure traditum est) appellationis, uel in integrum restitutionis solennitate suspensa non est: super iudicato frustra trāsigi, nō est opinionis incertæ. Proinde si non Aqlana stipulatione, & acceptilatione subsecuta, cōpetētem tibi actionem peremisti: præses prouinciæ usitato more legum rebus pridē iudicatis effectum adhibere curabit, C. eo. l. si cā 22.

Vbi pactum uel transactio scripta est, atq; Aquilanæ stipulationis & acceptilationis uīculis firmitas iuris īnexa est: aut subsecutis scd̄m leges accō modādus est

 consen-

consensus, aut pœna una cum iis, quę data probantur ante cognitionem causę (si aduersarius hoc maluerit) inferenda est, C. eo. l. ubi pactum, xl.

Si pro fundo, quē petebas, prædiū certis finibus liberum dari trāsactionis causa placuit, nec eo tpe minor annis uigintiquinq; fuisti: licet hoc prædium obligatum post, uel alienum fuerit pro parte probatum: instaurari decisam litem prohibent iura. Ex stipulatione sanè, si placita seruari secuta est: uel si non intercessit, præscriptis uerbis actione ciuili subdita, apud rectorem prouinciæ agere potes. si tamen res ipsas apud te constituas, ob quarum quæstionem litis decisio intercessit, filius uel alius à te uindicauit: nihil petere potes, C. eodem, l. si pro. xxxiii.

Qui cum tutoribus suis de sola portione administratæ tutelæ suæ egerat & transegerat, aduersus eosdem tutores ex persona fratris sui, cui hæres extiterat agens, præscriptione factæ transactionis non summouetur, ff. eod. l. qui cum tutoribus, ix. in princ.

Transactio quæcunq; fit de his tantum, de quibus interconuenientes placuit, interposita creditur, d. l. qui cum §. transactio.

Neque pactio, neque transactio cum quibusdam ex tutoribus, siue curatoribus facta auxilio cæteris est in iis, quæ separatim communiterve gesserunt, uel gerere debuerunt, qui igitur tres curatores habuit, & cum duobus ex his transegit, tertium conuenire non prsthibetur, C. eo. l. 1.

Cum te transegisse cum hærede quondam tutoris tui profitearis: si id post legitimam ætatem fecisti: frustra desideras, ut à placitis recedatur. licet. n. (ut proponis) nullum instrumentum intercesserit: tamen si de fide contractus, confessione tua constet; scriptura, quæ solet probationem rei gestæ continere, necessaria non est, C. eo. l. 5.

Qui per fallaciam cohæredis ignorans uniuersa, quæ in uero erant, instrumentū transactionis sine Aquilana stipulatione interposuit, nō tam paciscitur, quàm decipitur, ff. eo. C. qui cum tutorib. 9. §. qui per fallaciam.

Ei qui magis dolo, quàm is contra quem recisio transactionis petitur adhibuit non auditur, C. eo. l. transactione, 30.

Et, qui nundum certus est testamētum patris inofficiosum esse de aliis causis cum aduersariis pacto transegit: tantum in his interpositum pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur. His tantum transactio obest, quamuis maior annis 25. eam interposuit, de quibus actum probatur. nam ea quorum actiones competere ei postea compertum est iniquum est peremi pacto: id de quo cogitatum non docetur, ff. eo. l. qui cum ix. §. fin.

Priuatis pactionibus non dubium est, non lædi ius cæterorum. quare transactione, quæ inter hæredem, & matrem defuncti facta est, neq; testamentum recissum uideri posse, neq; legatariis actiones suæ ademptæ. quare quidquid ex testamento petunt, scriptum hæredem conuenire debent: qui in transactione hęreditatis, aut cauit sibi pro honeribus hæreditatis, aut si non cauit, non debet negligentiam suam ad alienam iniuriam referre, ff. eo. l. 3. in prin.

Cum transactio propter fideicommissum facta esset, & postea codicilli reperti sint quanto minus ex transactione consecuta mater defuncti fuerit, quàm pro parte sua est, id ex fideicommissi causa consequi debebit, d. l. 3. §. cum transac.

Debitor, cuius pignus creditor distraxit: cum Mœuio, qui se legitimū creditoris hæredem esse iactabat, minimo transegit: postea testō prolato Sepiicium hæredem esse apparuit. quæsitum est si agat pignoraticia debitor cum Septicio, an is

an is uti posſit exceptione tranſactionis factæ cum Mœuio, qui hæres eo t.p^e non fuerit: poſtquam Septicius pecuniam, quæ Mœuio ut hæredi à debitore numerata eſt, condictione repetere, quaſi ſub prætextu hæreditatis acceptam, reſpondit Scæuola non poſſe: quia neque cum eo ipſe tranſegit, nec negotium Septitii Mæuius gerens accepit, d.l.3.§.fin.

Controuerſia inter legitimum & ſcriptum hæredem orta eſt, eaque tranſactione facta, certa lege finita eſt. quæſitum fuit creditores quem conuenire poſsint? Reſpondit Scæuola ſi iidem creditores eſſent: qui tranſactionem feciſſent: ſi alii creditores eſſent: propter incertum ſucceſsionis, pro parte hæreditatis, quam vterque in tranſactione expreſſerit, vtilibus conueniendos eſſe. ff. eod. l. controuerſia, xiiii.

Venditor hæreditatis emptori mandatis actionibus, cum debitore hæreditario, qui ignorabat vēditam eſſe hæreditatem, tranſegit: ſi emptor hæreditatis hoc debitum ab eo exigere velit, exceptio tranſacti negotii debitori propter ignorantiam ſuam accommodanda eſt. idem reſpondendum eſt, & in eo, qui fideicommiſſam recepit hæreditatem, ſi hæres cùm ignorante debitore tranſegit, ff. eod. l. finali.

Si fideiuſſor conuentus, & condemnatus fuiſſet, & mox reus tranſegiſſet cum eo, cui erat fideiuſſor condemnatus: tranſactio valebit: quaſi omni cauſa & aduerſus reum, & aduerſus fideiuſſorem diſſoluta. ſi tamen ipſe fideiuſſor condē natus tranſegit, tranſactione non peremit rem iudicatam. tamen eo, quod datum eſt, releuari rem iudicatam oportet. Vſque adeo autem quod datum eſt etiam ſi non proficit ad tranſactionem, extenuat tamen rem iudicatam, ut inde ſit & dictum & reſcriptum, circa alimentorum tranſactionem citra prætotoris auctoritatem factam, vt, quod datum eſt proficiat ad alimenta: ita ut ſi quid amplius ex cauſa alimentorum deberi poteſt, id præſtetur: quod autem datum eſt, imputetur, ff. eod. l. & poſt rem, 7.§. ſi fideiuſſor.

Cùm ii, quibus alimenta relicta erant, facilè tranſigerent contenti modico præſenti: Diuus Marcus oratione in ſenatu recitata effecit, ne aliter alimentorum tranſactio rata eſſet, quàm ſi auctore prætore facta. Solet igitur prætor interuenire, & inter conſentientes arbitrari, an tranſactio, uel quæ admitti debeat. Eiuſdem prætoris notio ob tranſactionem erit ſiue habitatio, ſiue veſtiarium, ſiue de prædiis alimentum legabitur, ff. eod. l. cùm ii. 8. in prin.

Hæc oratio pertinet ad alimenta, quæ teſtamento vel condicillis fuerint relicta ſiue ad teſtamentum factis, ſiue ab inteſtato. Idem erit dicendum, & ſi mortis cauſa donata fuerint relicta: uel ab eo, cui mortis cauſa donata ſunt, relicta. Sed & ſi conditionis implendæ gratia, relicta ſunt: adhuc idem dicemus. Planè de alimentis, quæ non mortis cauſa donata ſunt, licebit, & ſine prætore auctore tranſigi. Siue igitur in menſes ſingulos, ſiue in dies, ſiue in annos fuerint relicta: oratio locum habet. Sed & ſi non fuerint perpetuò relicta, ſed uſque ad annos certos, idem eſt, d.l. cùm ii, §. Hæc oratio.

Si integra quantitas alicui fuerit legata, ut ex utilitate eius ſe alat, & mortis tempore, pecunias reſtituat: non ceſſabit oratio, licet non in annos ſingulos uideatur id relictum. Sed & ſi ſit certa quantitas relicta Titio, uel res, ita ut inde alimenta Seio præſtentur: magis eſt ut Titius tranſigere poſſit: nec enim tranſactione Titii minuuntur elimenta Seii. Idemque eſt & ſi per fideicommiſſum alimenta ad hoc legatario fuerint relicta, d.l. cùm ii, §. ſi integra.

Eam tranſactionem oratio improbat, quæ idcirco fit, ut quis repreſentatam pe-

niam

cuniam consumat. Quid ergo si quis citra prætoris auctoritatē transegerit, ut quod per singulos annos erat ei relictum, consequeretur : & ea transactio ualet: quia meliorem conditionem suam alimentarius tali transactione facit. noluit enim oratio alimenta per transactionem intercipi, dicta. l. cùm ii, §. eam transactionem.

Nihil interest vtrum ii, quibus alimenta relicta sunt, satis locupletes sint an minus, d.l. cùm ii. §. Nihil.

Vult igitur oratio apud prætorem de istis quæri. In primis de causa transactionis, deinde modo, tertio de persona transigentium. In causa hoc erit requirendum, quæ causa sit transigendi: sine causa enim neminem transigentem audiet prætor. Causæ ferè huiusmodi solent allegari, si alibi domicilium hæres alibi alimentarius habeat: aut si destinet domicilium transferre alter eorum : aut si causa aliqua urgeat præsentis pecuniæ: aut si à pluribus ei alimēta relicta sint, & minuatim singulos conuenire difficile ei sit: aut si qua alia causa fuit, ut plures solent incidere, quæ prætori suadeant transactionem admittere. Modus quoque pecuniæ, quæ in transactionem uenit, æstimandus est: ut puta quantitas transactionis. nam etiam ex modo fides transactionis æstimabitur. Modus autem pro ætate eius, qui transigit, arbitrandus est & ualetudine: nam alias cū puero, aliàs cum iuuene, alias cum sene transigi palam est: constat enim alimēta cum uita finiri. Sed & personarum contemplatio habenda est, hoc est cuius uitæ sint hi, quibus alimenta relicta sunt: utrum frugi uitæ hi sint, qui alias sufficere sibi possint: an sequioris, qui de alimentis pendeāt. In persona eius, à quo alimenta relicta sunt, hæc erunt specienda: in quibus sunt facultatibus, cuius propositi, cuius opinionis: tunc enim apparebit nunquid circumuenire uelit eum, cum quo transigit. d.l. cùm ii. 8. §. vult igitur.

Qui transigit de alimentis non uidebitur neque de habitatione, neque de uestiario transegisse: Cum Diuus Marcus specialiter etiam de istis transigi voluerit. Sed & si quis de alimentis transegerit, non habebit necesse etiam de habitatione, uel cæteris inuitus transigere : poterit igitur uel de omnibus simul, uel de quibusdam facere transactionem. De calciario quoque arbitrio prætoris transigendum est. d.l. cùm ii. §. qui transigit.

Si vni pluribusve fundus ad alimenta fuerit relictus, uelintque eum distrahere : necesse est prætorem de distractione eius & transactione arbitrari. Sed si pluribus fundus ad alimenta fuerit relictus, & hi interse transigant : sine prætoris auctoritate facta transactio, rata esse non debet. Idem est & si ager fuerit in alimenta obligatus: nam nec pignus ad hoc datum inconsulto prætore poterit liberari. Arbitratu prætoris uel de uniuersis alimentis, vel de parte eorum transigi oportere plusquàm manifestum est. d.l. cùm ii. viii. §. si vni.

Si prætor aditus citra causæ cognitionem transigi permiserit, transactio nullius erit momenti: prætori enim ea res quærenda commissa est, non negligenda, nec donanda. Sed & si non de omnibus inquisierit, quæ oratio mandat: hoc est de causa, de modo, de personis transigentium: dicendum est quamuis de quibusdam quæsierit transactionem esse irritatam. Sed nec mandare ex hac causa iurisdictionem uel præses prouinciæ, uel prætor poterit, dicta lege. cùm ii. §. si prætor.

Transactiones alimentorum etiam apud procuratorem Cæsaris, fieri possunt: scilicet si à fisco petantur alimenta: secundum quæ & apud præfectos ærarii transigi poterit, d.l. cum ii. §. Transactiones.

Si

Si cum lis quidem esset de alimentis, transactum autem de lite fuisset: transactio ualere inconsulto prætore non potest, ne circumueniatur oratio: fingi enim lites poterunt vt transactio etiam citra prætoris fiat auctoritatem. d.l.cùm ii.§. Si cum lis.

Si eidem alimenta & præterea legatum præsenti die datum sit, & transactum fuerit citra prætoris auctoritatem: id quod datum est imputabitur prius in legatum, quod præsenti die datum est: superfluum in alimentariam causam, d.l.cũ ii.§.si eidem.

Si quis de alimentis transegerit sine prætoris auctoritate: id, quod datum est, in præterita alimenta cedet. nec interest tantum in quantitate sit debita, quantum datum est, an minus, an plus: nam & si minus sit, adhuc tamen id, quod in solutum datum est, in præterita alimenta imputabitur. Sanè si is, qui de alimẽtis transegit, locupletior factus sit eo solutione: in id quod factus sit locupletior, æquissimum erit in eum dari repetitionem: ne enim debet ex alieno dãno esse locuples, d.l.cum ii.§.si quis.

Si in annos singulos certa quantitas alicui fuerit relicta hominis honestioris loci: veluti salarium annuum, vel usus fructus: transactio & sine prætore fieri poterit. Cæterum si ususfructus modicus alimentorum vice sit relictus: transactio citra prætorem facta nullius est momenti, d.l.cum ii.8.§.si in annos.

Si cui non nummus ad alimenta, sed frumentum atque oleum, & cætera, quæ ad uictum necessaria sunt, fuerint relicta: non poterit de his transigere siue annua, siue menstrua ei relinquantur. Si tamen ita sine prætore transegerit, ut in uicem eorum nummum quotannis, uel quot mensibus acciperet: & neque diem neque modum permutauit, sed tantum genus; uel ex contrario, si pactus fuerit ut in generibus alimenta acciperet, quæ in nummis ei relicta fuissent; uel si uinum pro oleo, uel oleum pro uino, vel quid aliud commutauit; uel locum permutauit, ut quæ erant ei Romæ alimenta relicta, in municipio, uel in prouincia acciperet, uel contra: uel personam cõmutauit, ut quod à pluribus erat accepturus, ab uno acciperet; uel alium pro alio debitorem acceperit; hæc omnia habent disceptationem prætoris; & pro utilitate alimentarii recipienda sunt, d.l.cum ii.8.§.si cui.

Si ad habitationem certa quantitas sit annua relicta, & ita sit transactum sine prętore ut habitatio præstetur, ualet transactio; quia fructus habitationis præstatur, licet ruinæ uel incendio subiecta transactio est. per contrarium quoque si pro habitatione, quæ erat relicta, placuerit certam quantitatem præstari; transactio rata est & citra prætorem. d.l.cum ii.§.finali.

De alimentis præteritis, si quæstio defertur, transigi potest, de futuris autem sine prætore siue præside interposita transactio, nulla authoritate iuris censetur, C.eod.l.8.

De his controuersiis, quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi, neque exquiri ueritas aliter potest, quàm in spectis cognitisque VERBIS testamẽti.ff.eod.l.6.

Non est ferendus qui generaliter in his, quæ testamento ei relicta sunt, transegerat, si postea causetur de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti, ac nõ etiam quod posteriore legatum sit. Si tamen postea condicilli proferuntur, non improbe dicturus est de eo duntaxat se cogitasse, quo illarum tabularum, quas tunc nouerat, scriptura contineretur. ff.eod.l.non est.xii.

De re filiorum, quas in potestate non habuit, transigentem patrem minime eis

obesse

obesse placet, ff. eodem, l. de re. x.

Nulli procuratorum principis inconsulto principe transigere licet, ff. eodem, l. nulli, xiii.

Præses prouinciæ existimabit, vtrum de dubia lite transactio inter te & ciuitatis tuæ administratores facta sit, an ambitiosè id, quod indubitate deberi posset, remissum sit. nam priore casu ratam manere transactionem iubebit, posteriore noceri ciuitati gratia non sinet. C. eod. l. præses. xii.

Transactionis placitum ab eo interpositum, cui causæ actionem, decisio litis mãdata est, nihil petitione domini derogauit, C. eod. l. 8.

Si super possessione, quæ tibi quæsita est, cum questionem patereris à fratre uxoris tuæ, pactum conuentum & stipulatio inter vos (ut allegas) interposita est, ut si intra diem certũ idem aduersarius tuus decem aureos tibi numerasset, possessiones ei cederes: uel si eam inferre quantitatem non curasset, ulterius quæstionem non patereris: & is, qui ita respondit, promisso satis non fecit: consequens est, te, ad quem res pertinet, uim ab eo pati non debere. cuius rei gratia uir clarissimus præses prouinciæ interpellatus, uim prohibebit: præcipue, cum etiam si in rem diuersæ parti actio competeret, huiusmodi pactione propter utilem exceptionem posset submoueri, C. eo. l. si super possessione. 9.

Fratris tui filiis de paterna successione ac statu etiam nunc contra fidem sanguinis, itemque placitorum, quæstionem inferre, parum probe postulas, nullus etenim erit litium finis, si à transactionibus bona fide interpositis cœperit facile discedi. C. eod. l. fratris. x.

Quamuis eum qui pactus est, statim pœniteat, transactio tamen rescindi, & lis instaurari non potest, & qui persuasit intra certum tempus licere à transactione recedere falsum asseuerauit, C. eo. l. quamuis, 39.

De fideicommisso à patre inter te, & fratrem tuum uicissim dato, si alter uestrũ sine liberis excesserit uita, interposita transactio rata est: cum fratrum cõcordia, remoto captandæ mortis alterius voto improbabili, retinetur. & non potest eo casu rescindi, tanquam circunuentus sis: cum pacto tali consenseris, neque eam, cui subuenire solet, ætatem agere te proponas: nec si ageres, iisdem illis de causis in integrum restitutionis auxilium impetrare deberes, C. eod. l. de fideicommisso. xi.

Interpositas metus causa transactiones ratas non haberi, edicto perpetuo continetur. nec tamen quilibet metus ad rescindendum ea, quæ consensu terminata sunt, sufficit: sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum, uel corporis cruciatum contineat. ad uim tamen uel dolum arguendum qualitas causæ principalis non sufficit. Vnde si nihil tale probari potest: consensu quæstiones terminatas minime instaurari oportet. C. eod. l. interpositas, xiii.

Transactionem, quæ dominii translatione, uel actione parta, seu perempta, finẽ accepit; cum ea amicis interuenientibus re uera ostenditur processisse: metus uelamento rescindi postulantis professio detegit improbitatem, C. eodem. l. transactionem. xxxv.

Causas, uel lites transactionibus legitimis finitas imperiali rescripto resuscitari non oportet. C. eod. l. causas, xvi.

Sub prætextu instrumenti post reperti transactionem bona fide finitam rescindi iura non patiuntur. Sanè si per se, uel per alium subtractis, quibus ueritas argui potuit decisionem litis extorsisse probetur; siquidem actio superest; replicationis auxilio doli mali pacti exceptio remouetur. si vero iam perempta est:

infra

infra constitutum tempus tantum actionem de dolo potes exercere. C. eod. l. sub protextu, xix.

Sub protextu specierum post repertarum, generali transactione finita rescindi prohibent iura. Error autem circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentium tempore transactionis constitutæ, nihil potest nocere, C. e. l. sub prætextu. xxix.

Non minorem authoritatem transactionum, quàm rerum iudicatarum esse, recta ratione placuit: siquidem nihil ita congruit fidei humanæ, quàm ea, quæ placuerant, custodiri: nec enim ad rescindendum pactum sufficit, quòd hæc secunda hora noctis intercesisse proponas: cum nullum tempus sanæ mentis maioris quinque, & viginti annis consensum repudiet, C. eodem lege. Non minorem, xx.

Si maior transegisti, ad rescindendam transactionem de dolo contestatio non sufficit. C. eod. l. si maior. xxii.

Nec intentio creditorum Artemidori, cui alios succesisse profiteris, si obligatus pro eo non fuisti, tenere te potest: sed hæc integro negocio tractari conuenerat. nam cum iam quæstionem transactione decisam, & à te dari placitam numeratam pecuniam proponas: huius indebiti soluti prætextu, improbe tibi petitionem decerni postulas: cum & si tantum in stipulationem fuisset deducta, indebiti promisi uelamento defendi non posses, C. eodem lege. Nec intentio, xxiii.

Si quidem ex causa transactionis acceptis, quæ instrumento continentur, nihil amplius peti conuenit: aduersariam tuam exceptionis auxilio defendi perspicis. si uero certam quantitatem, quasi solum ab ea debitam reddere fine litis decisione confessa est: tam eam, quàm residuam partem debiti petere, minime prohiberis, C. eodem l. si quidem, xxiiii.

Si maiores quinque & uiginti annis cum patruo siue auunculo uestro transegistis, uel ei debita donationis causa sine aliqua conditione remisistis: non idcirco, quòd hoc huius captandæ hæreditatis causa, & spe future succesionis, uos fecisse proponatis, aliis ei succedentibus instaurari finita debent, C. eod. l. si maiores, xxv.

Sanum mente, licet ægrum corpore, recte transigere manifestum est: nec postulare debueras improbo desiderio, placita rescindi ualetudinis corporis aduersæ uelamento, C. eod. l. sanum, xxvii.

Siue apud acta rectoris prouinciæ, siue sine actis, scriptura intercedente, uel non transactio interposita est: hanc seruari conuenit. Sed quoniam ut certũ quid accipias, conuenisse te (licet sine scriptura) proponis, nec huius rei causa stipulationem secutam esse: quamuis ex pacto non potuit nasci actio: tamen rerũ uindicatione pendente, si exceptio pacti opposita fuerit, doli mali uel in factum replicatione usus, poteris ad obsequium placitorum aduersarium tuum urgere. C. eod. l. siue apud, xxviii.

Si diuersa pars contra placitum agere nititur: æquitatis ratio suadet, re usa pecunia (cum & tu hoc desideras) causam ex integro agi. C. eod. l. si diuersa, xiiii.

Postquam liti de prædio motæ renunciasti: causam finitam instaurari posse, nulla ratio permittit. C. de pactis. l. iiii.

Cùm proponas ab ea, contra quam supplicas, litem, quam tecum habuit, transactione decisam, eamque acceptis, quæ negotii dirimendi causa placuerat dari, nunc de conuentione resiluisse, ac petas, uel pacto stari, uel data restitui: perspicis,

ſpicis,ſiquidem de his reddendis,manente tranſactionis placito, ſtatim ſtipulatione,ſi contra fecerit,proſpexiſti, & vigintiquinque annis maior fuerit: ꝙ exceptionem pacti,& actionem datorum habeas,quòd ſi nihil tale conuenit. exceptio tibi,non etiam eorum, quæ dediſti, repetitio competit, ſecuritate parta,C.eod.l.cum proponas,xvii.

Cum ea,quæ tranſactionis cauſa dari,aut retineri conuenti,velut emptorem eũ, quem accipere placuerat,obtinere præſcribitur: iis, quæ ſimulate geruntur, pro infectis habitis: fruſtra ficti pretii poſtulatur numeratio,C. eodem. lege. cum ea,xxi.

Si de certa re pacto tranſactionis interpoſito,hoc comprehenſum erat, nihil amplius peti:&ſi non additũm fuerat,eo nomine: de cæteris tamen quæſtionibus integra permanet actio.C.eod.l.ſi de certa,xxxi.

Cum donationis,ſeu tranſactionis cauſa adminiſtratæ tutellæ debiti ſciẽtes uos obligationem remiſiſſe fratri ueſtro proponatis,nec unquam volentibus dolus inferatur: fruſtra de dolo quærimini: nec adimplendum promiſſum hæreditatis propriæ pollicitatione quiſquam adſtringitur,C.eodem.l. cum donationis,xxxiiii.

Si maior annis uigintiquinque tranſegiſti:quamuis tibi dari placita repreſentata necdum probentur,nec offerant ii,qui conueniuntur: ne quid amplius ab his exigi poſsit,exceptionis proficit æquitas,C.eod.l.ſi maior, xxxvi.

Si quis maior annis aduerſus pacta,vel tranſactiones,nullo cogente imperio, libero arbitrio,& voluntate confectas putauerit eſſe veniendum, vel interpellando iudicem,vel ſupplicando principibus,vel non implendo promiſſa: eas autem inuocato Dei omnipotentis nomine,eo authore ſolidauerit: non ſolum notetur infamia,verumetiam actione priuatus,reſtituta pœna,quæ pactis probatur inſerta,& rerum proprietate careat,& emolumento,quod ex pactione vel tranſactione illa fuerit conſecutus.Itaque omnia eorum mox commodo deputabuntur eis,qui intemerata pacti iura ſeruauerint,C.eodem lege,ſi quis maior.xli.

Si ex falſis inſtrumentis tranſactiones,uel pactiones inita fuerint: quamuis iuſiurandum his interpoſitum ſit tamen ciuiliter falſo reuelato hæ retractantur: ita tamen,ut ſiquidem de plurimis cauſis uel capitulis eædem pactiones, ſeu tranſactiones initæ fuerint: illa tantummodo cauſa,vel pars retractetur,quæ ex falſo inſtrumento compoſita conuicta fuerit,aliis capitulis firmis manentibus: niſi forte etiam de eo,quod falſum dicitur,controuerſia orta deciſa ſopiatur. C.eod.l.ſi ex falſis.xlii.

Tranſigere vel paciſci de crimine capitali,excepto adulterio,probibitum nõ eſt. in aliis autem publicis criminibus,quæ ſanguinis pœnam non ingerunt tranſigere non licet citra falſi accuſationem,C.eod.l.tranſigere,xviii.

Soror,cui legatum ab hærede fratre debebatur, poſt motam legati quæſtionem tranſegit,ut nomine debitoris contenta legatum non peteret. Placuit, quamuis nulla delegatio facta,neque liberatio ſecuta eſſet: tamen nominis periculum ad eam pertinere.itaque ſi legatum contra placitum peteretur,exceptionem pacti non inutiliter opponi,ff.de ſolutionib.l.pupilli,xcvi.§.ſoror cui.

Si inter patrem tuum,eoſque,quos debitores eſſe dicebas,non de dubia lite trãſactio eſt facta,ſed parte tantummodo recuperata,uniuerſum ſe recepiſſe cauit,nec de ſuperfluo eos,quos uerbis obligauit,per acceptilationem liberauit,nec donationis cauſa id factum eſt: exuberantis debiti integra ei competit

tit repetitio.C.de solutionibus,l.si inter,vi.

Interest multum vtrumne spe futuræ numerationis suscepisse te, quod instrumento continetur, scripsisti: an accepta minore quantitate tantum, quantum lectio probat, in scriptura conferri placuit. Nam superiore quidem casu residui petitio debiti manet integra: posteriore uero consensu transactionis finitis stari conuenit. C.de solutio.l.interest,xxi.

DE CONTRAHENDA EMPTIONE ET DE PACTIS INTER EMPTOREM ET VENDITOREM COMPOSITIS. ET QVAE RES VENDI NON POSSINT.

Tit. IIII.

ORIGO emendi vendendique à permutationibus cœpit: olim.n.nō ita erat nummus: neque aliud merx, aliud pretium uocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum, utilib. inutilia permutabat: quando plerunque euenit, ut quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper, nec facilè concurrebat, ut cùm tu haberes, quod ego desiderarem: inuicem ego haberem, quod tu accipere velles: electa materia est, cuius publica, ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret. ea materia forma publica percussa, vsum dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate: nec ultram merx vtrunque est, sed alterum pretium uocatur, ff. de contrahend.empt.l.prima, in princ.

Emptio & venditio contrahitur simul, atque de pretio conuenerit, quamuis non dum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrhę nomine datur, argumentum est emptionis, & uenditionis contractæ. sed hoc quidem de emptionibus & venditionibus, quæ sine scriptura consistunt, obtineri oportet: nam nihil in huiusmodi emptionibus & uenditionibus innouatum est. In his autem, quæ scriptura conficiuntur, non aliter perfecta est uenditio, & emptio, nisi, & instrumenta emptionis fuerint conscripta, uel manu propria contrahentium, uel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta: & si per Tabellionem fiunt, nisi & completiones acceperint, & fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emptor, uel uenditor sine pœna recedere ab emptione & uenditione. Ita tamen impune eis recedere conceditur, nisi iam arrharum nomine aliquid fuerit datum. Hoc enim subsecuto, siue in scriptis, siue sine scriptis uenditio celebrata est, is qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor, perdit quod dedit: Si uerò uenditor, duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum sit. Inst.de emp.& uend.in prin.

Non numeratio pretii, sed conuentio perficit sine scriptis habitam emptionem, ff.de contrah.empt.l.secunda, in fine.

Pretium constitui oportet: nam nulla emptio sine pretio esse potest; sed & certum pretium esse debet. Institutio. eodem. §. pretium, & ff. eodem, lege secunda.

Si hoc modo composita uenditio sit, quanti ille æstimauerit: sub hac conditione stabit contractus: ut si quidem ille, qui nominatus est, pretium definierit, tunc omnimodo secundū eius æstimationē, & pretium persoluatur, & res tradatur,

& venditio ad effectum perducatur: emptore quidem ex empto actione, uenditore ex uendito agente. Sinautem ille, qui nominatus est, vel noluerit, uel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo erit uenditio, quasi nullo pretio statuto. Quod ius cum in venditionibus placuit, non est absurdum & in locationibus & in conductionibus trahere, Inst. eod. §. si hoc modo.

Huiusmodi emptio, QVANTI TV EVM EMISTI: vel QVANTVM PRETII IN ARCA HABEO: valet: nec enim incertum est pretium in tam euidenti venditione: magis enim ignoratur, quanti emptus sit, quam in rei ueritate incertũ est. Si quis ita emerit, ESTO MIHI FVNDVS EMPTVS CENTVM, ET QVANTO PLVRIS EVM VENDIDERO: valet venditio, & statim impletur: habet enim certum pretium, centum: augebitur autẽ pretium si pluris emptor fundum vendiderit, ff. de contrah. emptio. l. septima, §. huius.

Empti fides ac venditi sine quantitate nulla est. Placito autem pretio non numerato, sed solum tradita possessione, istiuiusmodi cõtractus, nõ habetur irritus: idcirco is, qui comparauit, minus recte possidet, quòd soluta summa, quam dari conuenerat, negatur, C. eod. l. empti. in prin.

Si ita distrahatur, ILLA AVT ILLA RES: vtram eliget venditor, hæc erit empta, ff. eod. l. si ita, xxv. in prin.

Si emptio ita facta fuerit. ESTO MIHI EMPTVS EQVVS, AVT BOS. in potestate est vẽditoris, quem velit dare: sicut in stipulationibus. Sed uno mortuo, qui superest, dandus est. & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed si pariter decesserunt, pretiũ debebitur. unus enim vtique periculo emptoris uixit. Idem dicendum est, etiam si emptoris fuit arbitrium, quem vellet habere: si modo hoc solum arbitrio eius commissum sit, vt quem voluisset, emptor haberet: non et illud, an emptum haberet, ff. eod. l. si in euptione, 34. §. si emptio.

Cum in uenditione quis pretium rei ponit, donationis causa non exacturus: nõ uidetur vendere, ff. eod. l. cum in venditione, 36.

Item precium in numerata pecunia consistere debet, nam in cæteris rebus p̃tium consistere non potest, ueluti fundus, aut Toga alterius rei pretium esse non p̃t, nã est propria species cõtractus à venditione separata, Inst. de emp. §. itẽ p̃tiũ.

Sine pretio uenditio hodie dici non potest. Si ego Togam dedi ut tunicam reciperem: nam ut aliud est uendere, aliud emere, alius emptor, alius uenditor: sic aliud est pretium, aliud merx. quod in permutatione discerni non potest: neque uter emptor, nec uter uenditor sit. Est autem emptio iurisgẽtium, & ideo ideo consensu peragitur, & inter absentes contrahi potest, & per nuntium, & per literas, ff. eod. l. prima, §. sed an sine.

Nec emptio, nec venditio sine re, quæ veneat, potest intelligi, & tamen fructus, & & partus futuri recte emuntur: ut cum editus est partus, iam tunc uenditio facta intelligitur. sed si id egerit uenditor, ne nascat̃, aut ne fiat, ex empto agi p̃t. Aliquando tamen, & sine re venditio intelligitur, ff. eo. l. nec emptio, viii.

Verisimile est eum, qui fructum oliuæ pendentis uendidit, & stipulatus est, DECEM PONDO OLEI, QVOD NATVM EST? pretium constituisse ex eo, quod natum esset, usque ad decem pondo olei. idcirco solis quinque collectis, non amplius emptor petere potest, quàm quinque pondo olei, quæ collecta essent. & hoc à plerisque responsum est, ff. eod. l. si debito, §. verisimile.

In uenditionibus & emptionibus consensum debere intercedere palam est. Cęterum siue in ipsa emptione dissentiant, siue in precio, siue in aliquo alio, emptio

ptio imperfecta est. Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putasti: quia in eo corpore dissensimus emptio nulla est. Idem est, si ego me equum persicū tu frōtinum absentem uendere putasti. nam cùm in corpore dissentiamus, adparet nullam esse emptionem. Planè si in nomine dissentiamus, verum de corpore constet: nulla dubitatio est, quin ualeat emptio & uenditio: nihil.n. facit error nominis, cùm de corpore cōstat. Inde quæritur. si in ipso corpore non erretur, sed in substantia error sit: utputa si acetum pro vino veneat, aut æs pro auro, uel plumbum pro argento, vel quid aliud argento simile. an emptio & venditio sit? Marcellus scripsit. Emptionem esse, & uenditionem, quia in corpus consensum est, & si in materia sit eratum. in uino quidem consentit: quia eadem propè est, si modo Vulpianus uinū acuit. Cæterū si vinum non acuit, sed ab initio acetū fuit, ut embāma: aliud pro alio uenisse uidetur. in cæteris autem nullam esse uenditionem putat, quoties in materia erratur. Aliter atq; si aurum quidem fuerit, deterius autem, quàm emptor existimaret. tunc.n. emptio ualet. Alioquin quid dicemus, si cæcus emptor fuit, uel si in materia erretur à minus perito discernendarum materiarum? in corpus eos consensisse dicemus? & quemadmodum cōsensit, qui non uidit? ff. eo. l. in uenditionibus, ix. & l. l. seq.

In huiusmodi autem q̄stionib. ꝑsonę ementium, & uendentium spectari debent, non eorum, quibus adquirit ex eo contractu actio. nam si filius, qui in mea potestate est, nec præsente suo nomine emat: non est quærendum quid ego existimem, sed quid ille, qui contrahit, ff. eod. l. in eod. in huiusmodi, xii.

Quid tamen dicemus, si in materia, & qualitate ambo errauerint? utputa si & ego me uendere aurum putarim, & tu emere, cùm æs esset? ut puta cohæredes uiriolam, quæ aurea dicebatur, pretio exquisito uni hæredi uendidissent, eaque inuenta esset magna ex parte ænea? venditionem constat esse ideo, quia auri aliquid habuit. nam si inauratum aliquid sit: licet ego aureum putem, ualet uēditio. si autem æs pro auro ueneat, non ualet, ff. eo. l. quid tamen, xiiii.

Sed si consensum fuerit in corpus, id tamen in rerum natura ante uenditionem esse desierit, nulla emptio est, ignorantia emptori prodest, quæ non in supinum hominem cadit, ff. eod. l. sed si, xv.

Emptionē & uenditionē consensum desiderant, nec furiosi ullum esse cōsensum manifestum est. Intermissionis āt tpe furiosos maiores uigītiquinq; annis uēditionem, & alios quoslibet contractus posse facere, non ambigitur, C. e. l. ii.

Si rem meā mihi ignoranti uendideris, & iussu meo alii tradideris, non putat Pōponius dñiū in eum transire, qm̄ non mihi propositum fuit, sed quasi tuum dominium in eum transire, & ideo etiam si donaturus mihi rem meam iussu meo alii tradas, idem dicendum erit, ff. eod. l. sed & si. is. §. finali.

Suæ rei emptio non ualet, siue sciens, siue ignorans emit. sed si ignorans emi, ꝙ soluero, repetere potero, quia nulla obligatio fuit. nec tamē emptioni obstat, si in ea re usus fructus duntaxat ementis sit. officio tamen iudicis pretium minuetur, ff. eod. l. suæ rei, xvii. & l. seq.

Sed & si cōis ea res emptori cum alio sit, dici debet, scisso precio proportione, ꝑ parte emptionem ualere, pro parte non ualere, ff. eo. l. sed & si, xviii.

Rei suæ emptio tunc ualet, cùm ab initio id agitur, ut possessionem emat, quam fortè uenditor habuit, ut in iudicio possessionis potior esset, ff. eodem. l. si in emptione, xxiiii. §. rei suæ.

Si debitor rem pignoratā a creditore redemerit, quasi suæ rei emptor actione ex vendito non tenetur, & omnia integra sunt creditori, ff. eod. l. si debitor.

Si mater tua, velut ex patris tui bonis prædium suum comparauit: cum rei propriæ non consistat emptio, & hanc simulatam proponas: huiusmodi placitum mutare substantiam veritatis, & ei nocere non potuit, C.eo.l. si mater.x.

Cum res tibi donatas ab hærede donatricis tibi distractas esse proponas, intelligere debueras, duplicari tibi titulum possessionis non potuisse: sed ex donatione & traditione te dominum factum, frustra emisse: cum rei propriæ emptio non posit consistere. at tunc demum tibi profuit, si ex donatione te non fuisse dominum demonstretur, C.eod.l.quarta.

Existimat Marcellus posse, quod meum est, sub conditione emere: quia forte speratur meum esse desinere, ff.eod.l.existimo, lxi.

Quod vendidi, & tradidi, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum: uel etiam fidem habuerimus emptori sine ulla satisdatione, ff.eod.l.quod vendidi, xix.

Vt res emptoris fiat, nihil interest, utrum solutum sit pretium, an eo nomine fideiussor datus sit. ꝙ autem de fideiussore diximus, plenius acceptum est: vt quacunque ratione venditori de pretio satisfactum est (veluti ex promissore, aut pignore dato) perinde sit, ac si pretium solutum esset, ff.eo.l.ut res, liii.

Non idcirco minus emptio perfecta est, ꝙ emptor fideiussorē non accepit, uel instrumētum testationis uacuæ possessionis omissum est. nam secundum consensum auctoris in possessionem ingressus, rectè posidet, pretium sanè, si eo nomine satisfactum non probetur, peti potest: nec.n.licet incontinenti facta pœnitentiæ contestatione consensu finita rescindi. C.eo.l.non idcirco, xii.

Quod sæpe arræ nomine pro emptione datur; non eo pertinet, quasi sine arra cōuentio nihil proficiat: sed ut euidentius probari posit, conuenisse de pretio. Illud constat: imperfectum est negotium, cum emere uolenti sic uenditor dicit, QVANTI VELIS, QVANTI AEQVVM PVTAVERIS, HABEBIS EMPTVM. ff.de contrah.emp.l.quod sæpe, xxxv. in prin.

In uendentis, vel ementis voluntatem collata condicione comparandi, quæ non adstringit necesitate contrahentes, obligatio nulla est. Idcirco dominus inuitus ex huiusmodi conuentione rem propriam, vel quilibet alius distrahere nō compellitur, C.eod.l.in vendentis, xiii.

Si quis fundum iure hæreditario sibi delatum ita uendidisset, ERIT TIBI EMPTVS, QVANTI A TESTATORE EMPTVS EST. mox inueniatur non emptus, sed donatus testatori: uidetur quasi sine pretio facta uenditio. Ideoque similis erit sub conditione factæ uenditioni: quæ nulla est, si conditio defecerit, ff.eod.l.si quis, xxxvii.

Si quis donationis causa minoris uendat: uenditio valet: toties.n.dicimus in totum uenditionem non ualere: quoties uniuersa uenditio donationis cā facta est. quoties uero uiliore pretio res donationis cā distrahit̄: dubium non est, uēditionem ualere. hoc inter cæteros. inter virū uerò & uxorem donationis causa uenditio facta pretio uiliore, nullius momenti est, ff.eo.l.si quis, 38.

Si donationis causa venditionis simulatus contractus est: emptionis deficit substantia. Sanè si in possessionem rei sub specie venditionis cā donationis, ut te aleret, induxisti: sicut perfecta donatio facile rescindi non potest: ita legi, quā rebus tuis donans dixisti, parere conuenit. C.de contrah.empt.l.iii.

Si non donationis cā, sed uerè uineas distraxisti, nec pretiū numeratū est: actio tibi pretii, non eorū, quæ dedisti, repetitio competit, C.e.l.si non donationis, 8.

Si donationis gratia prædii factam venditionem traditio sequatur: actione pretii nulla competente perficitur donatio, C.eod.l.empti, ix.§.finali.

Sabinus

Sabinus respondit. Si quam rem nobis fieri velimus veluti statuam, vel uasa aliqua, seu etiam vestem, ut nihil aliud, quàm pecuniam daremus: emptionem uideri, nec posse vllam locationem esse, ubi corpus ipsum non detur ab eo, cui id fieret. aliter atque si aream darem, ubi insulam ædificares: quoniam tunc à me substantia proficiscitur. ff. eod. l. sabinus, xx.

Labeo scribit. obscuritatẽ pacti nocere potius debere venditori, quid id dixerit, quam emptori: quia potuit re integra apertius dicere, ff. eod. l. labeo. xxi.

Cum in lege uenditionis ita sit scriptum: FLVMINA, STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT: nec adiicitur, quæ flumina, uel stillicidia: primum spectari oportet, quid actum sit. si id non adpareat: tum id accipitur, quod uenditori nocet. ambigua. n. oratio est. ff. eod. l. cum in lege, 34.

In his, quæ pondere, numero, mensura constant (ueluti frumento, uino, oleo, argẽto) modo ea seruantur, quæ in cæteris: ut simul atq; pretio conuenerit, uideatẽ perfecta uenditio. modo ut etiam si de pretio conuenerit. non tamen aliter uideatur perfecta uenditio, quàm admensa, adpensa, adnumerata sint. nam si omne uinum, uel oleum, uel frumentum, uel argentum (quantũcunque esset) uno pretio uenierit, idem iuris est, ꝙ in cæteris rebus: ꝙ si uenierit uinum ita, ut in singulas amphoras: item oleum, ut in singulas metretas: item frumentum, ut in singulos modios: item argentum, ut in singulas libras certum pretium diceretur: quæritur, quando uideatur emptio perfici? ꝙ similiter. s. quæritur, & de his, quæ numero constant. Si pro numero corporum pretium fuerit statutum: Sabinus, & Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata, admensa, adpensa sint: quia venditio quasi sub hac conditione uidetur fieri, ut in singulas metretas, aut singulos modios, quos, quasve admensus eris: aut in singulas libras, quas adpenderis: aut in singula corpora, quæ adnumeraueris. Ergo & si grex uenierit, si quidem uniuersaliter uno pretio; perfecta uenditio uidetur, postquam de pretio conuenerit. si uerò singula corpora certo pretio, eadem erunt, quæ proximè tractauimus, ff. eod. l. quod sæpe, xxxv. §. in his.

Qui fundum uendebat, in lege ita dixerat: ut emptor in diebus triginta proximis fundum metiretur, & de modo renuntiaret, & si ante eam diem non renuntiasset, ut uenditoris fides soluta esset. emptor intra diem mensuræ, quo minorem modum esse eredidit, renuntiauit, & pecuniam pro eo accepit. postea eũ fundum vendidit, & cum ipse emptori suo admetiretur, multo minorem agrimodum, quam putauerat, inuenit. quærebatur, an id, quod minoris esset, consequi à suo uenditore posset? Respondit; Paulus interesse, quemadmodum diceretur. nam si ita dictum esset, ut emptor in diebus triginta proximis fundũ metiatur & domino renunciet. intra id tempus quanto modus agri minor sit, ꝙ post trigesimũ diem renuntiasset, nihil esset ei profuturum. sed si ita pactum esset, ut emptor in diebus proximis fundum metiatur, & de modo agri renuntiet, & si in diebus triginta renuntiasset, minorẽ agri esse, q̃uis multis post annis, posse eum, quo minoris modis agri fuisset, repetere, ff. e. l. qui. xl. in prin.

In lege fundi aquam accessuram dixit. quærebatur, an etiam iter aquæ accessisset? & respondit, sibi uideri id actum esse. & ideo iter quoque uenditorem tradere oportere. d. l. qui fundum, §. in lege.

Qui agrum uendebat, dixit fundi iugera decem & octo esse, & ꝙ eius admensum esset, ad singula iugera certum pretium stipulatus fuerat. uiginti inuenta sunt pro uiginti debere pecuniam, responsum est, d. l. qui fundum, §. qui agrum.

Demonstratione fundi facta, fines nominari superuacuũ est, si nominet, ẽt ipsum

uenditorem nominare oportet, si fortè alium agrum confinem possidet, ff. eod. l. cum seruo. lxiii. §. finali.

Fundi venditor frumenta manu sata receperat. in eo fundo ex stipula seges erat enata. quæsitum est, an pacto contineretur? responsum est, maximè referre, quid actum esset. cæterùm secundum verba esse actum, quod ex stipula nasceretur: non magis, quam si quid ex eo, quod de sacco saccarii, aut quod auibus ex ore cecidisset, natum esset. Cum fundum quis vendiderat, & omnem fructum receperat: & arundinem cæduam, & syluam in fructu esse, ff. eod. l. Qui fundum. 40. §. fundi.

Cum manu sata in uenditione fundi excipiuntur: non quæ in perpetuum sata sunt, excipi videntur: sed quæ singulis annis seri solent, ita ut fructus eorum tollantur. nam aliter interpretantibus, uites, & arbores omnes exceptæ uidebuntur. Huius rei emptionem posse fieri dictum est, QVAE EX MEIS AEDIBVS IN TVAS AEDES PROIECTA SVNT, VT EA MIHI ITA HABERE LICEAT: deque ea re ex empto agi, ff. eod. l. pen. in princ.

Sylua cædua in quinquennium uenierat, quærebatur, cum glãs decidisset, utrius esset? Seruius respondit: primum sequendum esse quod appareret actum esse. quod si in obscuro esset, quæcunque glans ex his arboribus, quæ cæsæ non essent, cecidisset, uenditoris esset. eã autem, quæ in arboribus fuisset eo tempore, cùm hæ cæderentur: emptoris. d. l. pen. §. sylua.

Si cum fundum venderes, in lege dixisses, quod mercedis nomine, à cõductore exegisses, id emptori accessurum esse: tu in exigendo non solum bonam fidẽ sed etiam diligentiam præstare debes, idest, non solum, ut à te dolus malus absit, sed etiam ut culpa. Ferè aliqui solent hæc uerba adiicere, DOLVS MALVS A VENDITORE ABERIT. qui tamen, & si adiectum non est, abesse debet. Nec uidetur abesse, si per eum factum est, aut fiet, quo minus fundum emptor possideat. erit ergo ex empto actio, non ut uenditor uàcuã possessionem tradat; cum multis modis accidere potest, ne tradere possit; sed ut si quid dolo malo fecit, aut facit, dolus malus eius æstimetur, ff. eod. l. si cum fundum. lxviii.

Eum, qui in locum emptoris successit, iisdem defensionibus uti posse, quibus uẽditori uti potuisset; sed & longe possessionis pręscriptione, si utriusque possessio impleat tempora constitutionibus statuta, ff. eod. l. dolia. 76. §. eum qui.

In lege fundi uendendi lapidicinæ in eo fundo, ubique essent, exceptæ erãt. post multum temporis in eo fundo repertæ erant lapidicinæ. eas quoque uenditoris esse Tubero respondit. Labeo referre, quid actum sit. si non adpareat, non uideri eas lapidicinas esse exceptas, neminem enim nec uendere, nec excipere, quod non sit. & lapidicinas nullas esse, nisi quæ adpareant, & cædantur. aliter interpretantibus totum fundum lapidicinarum fore, si forte in toto eo sub terra esset lapis. Labeonis sententia probata est, ff. eod. l. in lege. 77.

Si aquæ ductus debeatur prædio: ius aquæ ductus transit in emptorem, etiam si nihil dictum sit, sicut & ipsæ fistulæ, per quas aqua ducitur: Licet extra ædes sint. Et quamquam ius aquæ non sequatur quod amissum est: attamen fistulæ & canales dũ sequuntur, quasi pars ædiũ ad emptorem perueniunt. & ita Pomponius libro decimo putat, ff. eo. l. si aquæ. 47. & l. l. seq. Rota quoque, per quã aqua traheretur nihilominus ædificii est quàm situla. ff. e. l. qui fundũ. 40. §. fi.

Fistulas emptori accessuras in lege dictum erat. quærebatur, an castellum ex quo fistulis aqua duceretur, accederet? respondit labeo apparere quid actum esset

vt id quoq; accederet,licet ſcriptũ non cõtineretur,ff.e.l.fiſtulas,78.in prin

Ea,quæ commendandi cauſa in uenditionibus dicuntur ſi palam eſſe appareant uenditorem non obligant, ueluti ſi dicat domum bene ædificatam. Quædam etiam pollicitationes uenditorem non obligant, ſi ita in promptu res ſit, ut eam emptor non ignorauerit:ueluti ſi quis equum luminibus effoſſis emat, de ſanitate ſtipuletur.nam de cætera parte corporis potius ſtipulans uidetur, quàm in quo ſe ipſe decipiebat,ff.eo.l.ea quæ,43.in princ.

Dolum malum à ſe abeſſe præſtare uenditor debet,qui non tantum in eo eſt, qui aliquid fallendi cauſa obſcurè loquitur: ſed etiam,qui inſidioſè obſcurè diſſimulet,d.l.ea quæ,§.fin.

Labeo libris poſteriorum ſcribit.ſi ueſtimenta interpola quis pro nouis emerit: Trebatio placere,ita emptori præſtandum quod intereſt,ſi ignorans interpola emerit.quam ſententiam,& Pomponius probat, in qua & Iulianus eſt, qui ait.ſi quidem ignorabat uenditor: ipſius nomine teneri.ſi ſciebat: etiam dãni, quod ex eo contingit: quemadmodum,& ſi quis aurichalcum pro auro uendidit ignorans: tenetur,ut aurum,quod uendidit,præſtet,ff.eo.l. Labeo,45.

Domum emi,cum eam & ego & uenditor combuſtam ignoraremus. Nerua, Sabinus,Caſsius,nihil ueniſſe,quamuis area maneat:pecuniamque ſolutam cõdici poſſe,aiunt.ſed ſi pars domus maneret: Neratius ait,in hac quęſtione multum intereſſe,quanta pars domus incendio conſumptæ permaneat. ut ſi quidem amplior domus pars exuſta ſit: non tantum compellatur emptor perficere emptionem: ſed etiam quod fortè ſolutum eſt,ab eo repetat. Sin uero uel dimidia pars,uel minor, quam dimidia, exuſta fuerit: tunc coartandus eſt emptor uenditionem adimplere,æſtimatione boni uiri arbitratu habita: ut quod ex precio,propter incendium decreſcere fuerit inuentum,ab huius præſtatione liberatur. Sinautem uẽditor quidem ſciebat domum eſſe exuſtam, emptor autem ignorabat: nullam uenditionem ſtare,ſi toto domus ante uenditionem exuſta ſit. Sin uero quantacunque pars ædificii remaneat: & ſtare uenditionẽ, & uenditorem emptori,quod intereſt,reſtituere. Simile quoque modo ex diuerſo tractari oportet,ubi emptor quidem ſciebat,uenditor autem ignorabat & hic enim oportet & uenditionem ſtare, & omne precium ab emptore uenditori,ſi non depenſum eſt,ſolui: uel ſi ſolutum ſit, non repeti. quod ſi uterque ſciebat & uenditor,& emptor,domum totam eſſe exuſtam,uel ex parte: nihil actum fuiſſe: dolum inter utranque partem compenſando: & iudicio,quod ex bona fide deſcendit, dolo ex utraque parte ueniente uenditionem ſtare non concedente,ff.eodem l. Domum,57.

Arboribus quoque uento deiectis, uel igne abſumptis, dictum eſt,emptionem fundi non uideri eſſe contractam ſi contemplatione illarum arborum (ueluti olíueti) fundus comparabatur: ſiue ſciente,ſiue ignorante uenditore,ſiue autem emptor ſciebat,uel ignorabat,uel uterque eorum: hæc obtinent, quæ in ſuperioribus caſibus de ædibus dicta ſunt,ff.eo.l. Arboribus,58.

Cum uenderes fundum,non dixiſti ITA VT OPTIMVS MAXIMVS QVE EST, verum eſt,quod quinto Mutio placebat: non liberum, ſed qualis eſſet, fundum præſtari oportere.idem & in urbanis prædiis dicendum eſt,ff. eod.l. cum uenderes, 59.

Maſſam argento coopertam mihi ignoranti pro ſolido uendidiſti imprudens, nulla eſt emptio: & pecunia,quæ eo nomine data eſt condicetur, ff. eodem l. cum ab eo,41.§.fina.

In

In uendendo fundo quædam, etiam si non condicantur, præstanda sunt: ueluti ne fundus euincatur, aut vsusfructus eius. quædam ita dæmum, si dicta sint: veluti uiam: inter actum, aquæductum præstaturi. Idem & in seruitutibus urbanorum prædiorum. Si cum seruitus uenditis prædiis deberetur, nec commemorauerit uenditor, sed sciens esse restituerit: & ob id per ignorantiam rei, emptor non utendo per statutum tempus, eam seruitutem amiserit: quidam rectè putant, uenditorem teneri ex empto ob dolum. Quintus mutius scripsit. RVTA CAESA AEDIVM FVNDI NON SVNT, nisi id scriptum est. nam ruta cæsa ea sunt, quæ neque ædium, neque fundi sunt, ff. eod. l. si in uendendo, 66.

Alienatio cùm fit, cum sua causa dominum ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset. idq; toto iure ciuili, ita se habet, præterquam si aliquid nominatim sit constitutum, ff. eo. l. Alienatio. 67.

Rutilia Polla emit lacum Sabatianensem angularium, & circa eum lacum pedes decem. quæritur nunquid decem pedes, qui tunc accesserunt, sub aqua sint, quia lacus creuit: an proximi decem pedes ab aqua Rutiliæ Pollæ iuris sint? Proculus respondit: ego existimo eatenus lacum, quem emit Rutilia Polla uenisse, quatenus tum fuit: & circa eum decem pedes, qui tunc fuerunt. neque ob eam rem, quod lacus postea creuit, latius eũ possidere debere, quàm emit, ff. eo. l. Rutilia, 69.

Clauibus traditis, ita mercium in horreis reconditarum possessio tradita uidetur, si claues apud horrea traditæ sunt. quo facto, confestim emptor dominium & possessionem adipiscitur, & si non aperuerit horrea. quod si uenditoris merces non fuerunt: confestim inchoabitur usucapio, ff. eo. l. Clauibus, 74.

Dolia in horreis defossa, si non sint nominatim in uenditione excepta, horreorum uenditioni cessisse uidentur. ff. eo. l. Dolia, 76. in prin.

Comprehẽsum erat in lege uenditionis, dolia Sexaginta emptori accessura. cùm essent centum in uenditoris fortè potestate, responsum est. daturum, quę uellet, ff. eo. l. comprehensum, 60.

Fundus ille mihi est & Titio emptus. quæritur, utrũ partem, an in totum uenditio consistat, an nihil actum sit? responsum est personam Titii superuacuo accipiendam ideoque totius fundi emptionem ad me pertinere, ff. eo. l. fundus, 64.

Pacta conuenta, quæ postea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu uidentur. quę uero adiiciunt: credimus hoc non inesse. qđ locum habet in his, quæ adminicula sunt emptiones: ueluti ne cautio duplæ præstetur, aut cũ fideiussore cautio duplæ præstetur. sed quo casu agente emptore non ualet pactum: idem uires habebit iure exceptionis agente uenditore. An idem dici possit, aucto postea, uel deminuto precio, non immerito quæsitum est: quoniã emptionis substantiæ consistit ex precio? PAVLVS NOTAT, si omnibus integris manentibus de augendo, uel deminuendo precio rursum conuenit: recessum à priore contractu, & nouam emptionem inrercessisset uideri. PAPINIANVS. lege uenditiouis, ita facta, SI QVID SACRI, AVT PVBLICI EST, EIVS NIHIL VENIT; si res non in usu publico, sed in patrimonio fisci erit, uenditio eius ualebit, nec uenditori proderit exceptio, quæ non habuit locum, ff. eo. l. Pacta, 72.

Res bona fide uendita, propter nimiam causam inempta fieri non debet, ff. eo. l. Res bona, 54.

Nuda & imaginaria uenditio pro non facta est. & ideo nec alienatio eius rei intelligitur, ff. eo. l. Nuda, 55.

Si res ita distracta sit, ut si displicuisset, inempta esset: constat non esse sub conditione distractam, sed resolui emptionem sub conditione, ff. eo, l. 3.

Si fundus annua, bima, trima die, ea lege uenisset, ut si in diem statutum pecunia soluta non esset, fundus inemptus foret: & ut si interim emptor fundum coluerit, fructusque ex eo perceperit, eos inempto fundo facto restitueret: & quanti minoris postea alii uenisset, ut id emptor uenditori præstaret: ad diem pecunia non soluta, placet uenditori ex uendito eo nomine actionem esse. nec conturbari debemus eo, quod inempto fundo facto, dicatur actionem ex uendito futuram esse. inemptis enim & uenditis potius id, quod actum, quam quod dictum fuit, sequendum est. & cum in lege id dictum sit; apparet hoc duntaxat actum esse, ne uenditor emptori, pecuniam ad diem non soluta obligatus esset: non ut omnis obligatio empti & uenditi utrinque solueretur. Conditio, quæ initio contractus dicta est, postea alia pactione immutari potest: sicut etiã abiri à tota emptione potest, si nondum impleta sunt, quæ utrinq; præstari debuerunt, ff. eo. l. 6. §. si fundus.

Titius cum mutuo acciperet tot aureos dedit pignori, siue hypotheca prædia, & fideiussorem Lucium: cui promisit, intra triennium proximum se eum liberaturum. quòd si id non fecerit die suprascripta, & soluerit debitum fideiussor creditori: iussit prædia empta esse, quæ creditori obligauerat. Quæsitum est, cum non sit liberatus Lucius fideiussor à Titio: an si soluerit creditori, empta haberet suprascripta prædia? Respondit Scæuola. si non ut in causam obligationis, sed ut empta habeantur, sub conditione emptio facta est: & contractam esse obligationem, ff. eo. l. fin. in princ.

Cum ab eo, qui fundum alii obligatam habeat, quidam sic emptum rogasset: VT ESSET IS SIBI EMPTVS, SI EVM LIBERARET, DVMMODO ANTE KLENDAS IVLIAS LIBERARET. quæsitum est, an utiliter agere posset ex empto in hoc, ut uenditor eum liberaret? Respõdit Vulpianus uideamus, quid inter ementem & uendentem actum sit. nam si id actum est, ut omnimodo interrogauerit, ERIT MIHI FVNDVS EMPTVS, ITA VT CVM INTRA KALENDAS IVLIAS LIBERES: uel ita, VT EVM INTRA KALENDAS IVLIAS A TITIO REDIMAS. si uerò sub conditione facta est emptio: non poterit agi, ut conditio impleatur, ff. eo. l. cum ab eo, 41.

Labeo scribit. si mihi bibliothecam ita uẽdideris, si decuriones Campani locum mihi uendidissent, in quo eam ponerem: & per me stet: quo minus id à Campanis impetrem: non esse dubitandum, quin præscriptis uerbis agi possit. ex uendito etiam agi potest, quasi impleta conditione: cum per emptorem stet, quò minus impleatur, ff. eo. l. Labeo, 50.

Imperatores Antonius, & Verus Augusti Sexto uero in hæc uerba rescripserunt. quibus mensuris, aut preciis negotiatores uina compararent, in contrahentium potestate est. neque enim quisquam cogitur uendere, si aut precium, aut mensura, ei displiceat: præsertim si nihil contra consuetudinem regionis fiat, ff. eo. l. Imperatores, 71.

Conuenit mihi tecum, ut certum numerum tegularum mihi dares certo precio. quod ut faceres: utrum emptio est, an locatio? Respondit Iabolenus. si ex meo fundo tegulas tibi factas, ut darem conuenit: emptionem esse, non conductionem. toties enim conductio alicuius rei est, quoties materia, in qua aliquid præstatur, in eodem statu eiusdem manet. quoties uero & mutatur, & alienatur: emptio magis, quàm locatio intelligi debet, ff. eo. l. Conuenit, 65.

Qui

Qui fundum uendidit,ut cum certa mercede conductum ipse habeat : uel si uendat,ut non alii, sed sibi distrahat : uel simile aliquid paciscatur : ad complendum,quod pepigerunt,ex uendito agere poterit,ff.eo.l.qui fundum,75.

Fundi partem dimidiam ea lege uendidisti,ut emptor alteram partem, quam retinebas,annis decem certa pecunia in annos singulos conductam habeat. Labeo,& Trebatius negant posse ex uẽdito agi,ut id, quod conuenerit,fiat, iabolenus contra putat,si modo ideo uilius fundum uendidisti, ut hæc tibi conductio præstaretur.nam hoc ipsum precium fundi uidetur,quod eo pacto uenditus fuerit,eoque iure utimur,ff.eo.l.Fundi,79.

Venditiones,& si in alio loco,quam in quo possesiones constitutæ sunt, fiant, non ideo irritæ esse creduntur,C.eo.l.prima.

Quæ res uendi non posſint.

Loca sacra,item publica (ueluti forum, basilicam) frustra quis sciens emit, quæ tamen si pro profanis,uel priuatis deceptus à uenditore,quis emerit, habebit actionem ex empto,quod non habere ei liceat;ut consequatur, quod sua interest eum deceptum non esse,Inst.de empt.§.fin.

Loci sacri,qui haberi non potest,emptio intelligitur, si ab ignorante emitur, ff. de contrah.empt.l.4.

Hæc lex uenditionis SI QVID SACRI EST. EIVS, NIHIL VENIT superuacua non est, sed ad loca modica pertinet, cæterum si omnia loca sacra sunt.uel publica,nulla est emptio.Et quod soluerit eo nomine emptor condicere potest.ff.eod.l.Hæc lex,22.cum l.seq.

Lege uenditionis ita facta,SI QVID SACRI, AVT PVBLICI EST, EIVS NIHIL VENIT: si res non in usu publico,sed in patrimonio fisci erit : uenditio eius ualebit,nec uenditori proderit exceptio, quæ non habuit locum,ff. eo.l.Pacta,72.§.Papinianus.

In modicis autem ex empto est actio : quia non specialiter locus sacer uenit,sed emptioni maioris partis accesit,ff.eo.l.in modicis,24.

Qui nesciens loca sacra, uel publica pro priuatis comparauit : licet emptio non teneat,ex empto tamen aduersus uenditorem experietur:ut consequatur,qđ interfuit eius,ne deciperetur,ff.eod.l.qui officii,62.§.qui nesciens.

AEde sacra terre moto diruta,locus ædificii non est profanus:& ideo uenire non potest,ff.eod.l.AEde,73.

Si sciens emam ab eo,cui bonis interdictum sit, uel cui tempus ad deliberãdum de hæreditate ita datum sit, ut ei diminuendi potestas non sit, dominus non ero.dissimiliter,atque si à debitore sciens creditorem fraudari,emero,ff. eodem l.si sciens,26.

Qui à quolibet rem emit,quam putat ipsius esse,bona fide emit.at qui sine authoritate tutoris à pupillo emit,uel falso tutore authore, quem scit tutorem non esse,nõ uidetur bona fide emere,ut Sabinus scripsit,ff.eo.l.qui à quolibet,27.

Rem alienam distrahere quem posse,nulla dubitatio est. nam emptio est, & uenditio.Sed res emptori auferri potest,ff.eo.l.Rem,28.

Qui tabernas argentarias,uel cætera,quæ in solo publico sunt,uendidit,non solum,sed ius uendidit, cum istæ tabernæ publicæ sunt, quarum usus ad priuatos pertinet,ff.eo.l.qui tabernas,32.

Omnium rerum,quas quis habere,uel posidere,uel persequi potest, uenditio recte fit,quas uerò natura,uel gentium ius,uel mores ciuitatis commercio exemerunt,

merunt, earum nulla uenditio est, ff. eo. l. Si in emptione, 33. §. omnium.

Tutor rem pupilli emere non potest. idemque porrigendū est ad similia, id est, ad curatores, procuratores, & qui negotia aliena gerunt, d. l. si in emptione, §. fin.

Fundum ab eo emisti, cuius filii postea tutellam administras, uec accepisti uauiam possessionem dixit Labeo, te tradere tibi possessionem hoc modo posse: ut pupillus, & familia eius decedat de fundo: tunc demum tu ingrediaris in possessionem, ff. eo. l. Fistulas, 78. §. Fundum.

Cum ipse tutor nihil ex bonis pupilli, quæ distrahi possunt, comparere palam, & bona fide prohibetur: multo magis uxor eius hoc facere potest, C. eo. l. v.

Veneni mali quidam putant emptionem non contrahi: quia nec societas, aut mā datum flagitiosæ rei ullas uires habeat. quæ sententia potest sanè uera uideri de his, quæ nullo modo adiectione alterius materiæ, usui nobis esse possunt. de his uero, quæ mista aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidoti, & alia quædam salubria medicamenta conficiantur: aliud dici potest, ff. eo. l. quod sæpe, 35. §. Veneni mali.

Littora, quæ fundo uendito coniuncta sunt, in modum agri non computantur: quia nullius sunt, & iure gentium omnibus uacant. sed nec uiæ publicæ, uel loca sacra. itaque ut proficiant uenditori: caueri solet, uti uiæ, item littora, & loca publica in modum cedant, ff. eod. l. litora, 51.

Senatus consuit, ne quis domum uillamve dirueret, quò plus sibi adquireretur, neve quis negotiandi caussa eorum quid emeret uenderetve: pœna in eum, qui aduersus Senatusconsultum fecisset, constituta, ut duplum eius quante emisset, in ærarium inferre cogeretur: in eum uero, qui uendidisset, ut irrita fieret uenditio. Planè si mihi precium soluerit, cùm tu duplum ærario debeas: repetes à me, quod à mea parte irrita facta est uenditio. nec solum huic senatusconsulto locus erit, si quis suam uillam del domum, sed & si alienam uendiderit, ff. eod. l. Senatus. 52.

Non licet ex officio, quod administrat quis, emere quid uel per se, uel per aliam personam. alioquin non tantum rem amittit: sed & in quadruplum conuenitur secundum constitutionem Seueri, & Antonini Impp. & hoc ad procuratorē quoque Cæsaris pertinet. sed hoc ita se habet: nisi specialiter quibusdam hoc concesum sit, ff. eod. l. non licet, xlvi.

Qui officii causa in prouincia agit, uel militat: prædia comparare in eadem prouincia non potest, præterquam si paterna eius a fisco distrahantur, ff. eod. l. qui officii, lxii. in princip.

Inter patrem, & filium contrahi emptio non potest: sed de rebus castrensibus potest, ff. eod. l. secunda, in princip.

Qui uendidit, necesse non habet fundum emptoris facere; ut cogitur, qui fundum stipulanti spopondit, ff. eod. l. si ita, xxv. §. finali.

Alia causa degustandi est, alia metiendi. gustus enim ad hoc proficit, ut improbare liceat. mensura uerò non eo proficit, ut aut plus, aut minus ueneat; sed ut adpareat, quantum ematur, ff. eod. l. si in emptione, xxxiiii. §. alia causa.

Qui fundum ea lege emerat, vt soluta pecunia traderetur ei possesio; duobus hæredibus relictis, decessit. si unus omnem pecuniam soluerit; partem familiæ ercisundæ iudicio seruabit. nec si partem soluat, ex empto cum uenditore aget; quoniam ita contractum æs alienum diuidi non potuit, ff. eo. l. fistulas. lxxviii. §. qui fundum.

Frumenta, quæ in herbet erant, cum uendidisses; dixisti te, si quid ui aut tempe-

state

ſtate factum eſſet,præſtaturum. ea frumenta niues corruperunt. ſi immoderatæ fuerunt,& contra conſuetudinem tempeſtatis: agi tecum ex empto poterit d.l.Fiſtulas,§.fin.

Nemo poteſt uideri eam rem uendidiſſe,de cuius dominio agirur, ne ad emptorem tranſeat: ſed hoc aut locatio eſt, aut aliud genus contractus,ff. eodem lege penultima,§.finali.

Lucius Titius promiſit de fundo ſuo centum milia modiorum frumenti, annua præſtare pro prædiis Caii Seii,poſtea Lucius Titius, uendidit fundum, additis uerbis ſuis, QVO IVRE,QVAQVE CONDITIONE EA PRAEDIA LVCII TITII HODIE SVNT, ITA VENEVNT, ITAQVE HABEBVNTVR. quæritur an emptor Caio Seio ad præſtationem frumenti ſit obnoxius? Reſpondit Scæuola emptorem Caio Seio ſecundum ea, quæ proponerentur, obligatum non eſſe,ff.eo.l.fin.§.fin.

Inuitum comparare uel diſtrahere poſtulantis deſiderium iuſtam cauſam nō continet,C.eo.l.Inuitum,xi.

Dudum proximis,conſortibuſque conceſſum erat,ut extraneos ab emptione remouerent,neque homines ſuo arbitratu uendenda diſtraherent. Sed quia grauis hæc uidetur iniuria,quæ inani honeſtatis colore uelatur,ut homines de rebus ſuis facere aliquid cogantur inuiti: ſuperiore lege caſſata unuſquiſque ſuo arbitratu quærere uel probare poſsit emptorem: niſi lex ſpecialiter quaſdam perſonas hoc facere prohibuerit,C.l.pen.

Super rebus uenundandis,ſi quis ita rē comparauerit,ut res uendita eſſet quanti precii Titius æſtimauerit,ut ſi quidem ipſe Titius precium definierit omnimodo ſecundum eius æſtimationem precium perſolui debet, & uenditio ad effectum perueniet ſiue in ſcriptis,ſiue ſine ſcriptis contractus celebretur: ſcilicet ſi huiuſmodi pactum cum in ſcriptis fuerit redactum. Secundum legem per omnia complectum,& abſolutum ſit.Sinautem uel ipſe noluerit, uel non potuerit precium definire: tunc pro nihilo eſt uenditio,quaſi nullo precio ſtatuto nula coniectura,imò magis diuinatione in poſterum ſeruanda, utrum in perſonam certam, an in uiri boni arbitrium reſpicientes contrahentes ad hęc pacta uenerunt. Quod etiam in huiuſmodi locatione locum habet,C. de contrahen.emp.l.fin.

DE IN DIEM ADDICTIONEM
Titulus V.

IN DIEM ADDICTIO, ITA FIT ILLE FVNDVS CENTVM EMPTVS:NISI SI QVIS INTRA KALEND. IANVARIAS PROXIMAS MELIOREM CONDITIONEM FECERIT, QVO RES A DOMINO HABEAT, ff. de in diem addictio,l.prima.

Quoties fundus in diem addicitur,vtrum pura emptio eſt, ſed ſub conditione reſoluitur: an uero conditionalis eſt magis emptio, quæſtionis eſt, Sed uidetur uerius,intereſſe quid actum ſit,nam ſi quidem hoc actum eſt, ut meliore allata conditione,diſcedatur ab emptione: erit pura emptio, quæ ſub conditione reſoluetur.ſinautem hoc actum eſt,ut perficiatur emptio, niſi melior conditio adferatur: erit emptio,conditionalis.ubi igitur,ſecundum quod diſtinximus, pura uenditio eſt: Iulianus ſcribit,cui res in diem addicta eſt,& uſucapere poſſe,&

ſe, & fructus, & acceſsiones lucrari, & periculum ad eum pertinere, ſi res interierit. Quod iam poſt interitum rei iam nec adferri poſsit melior conditio, ff. eo. l. ſecunda, & tertia.

Vbi autem conditionalis uenditio eſt: negat Pomponius uſucapere eum poſſe, nec fructus ad eum pertinere. Item Iulianus libro decimoquinto quærit: ſi res in diem addicta interciderit, an fructus eius nomine adiectio admitti poſsit? & negat admittendam addictionem: quia alterius rei, quàm eius, quę diſtracta eſt, non ſolet adiectio admitti. Idem Iulianus ſcribit, ſi ex duobus equis uiginti uenditis, & in diem addictis, alter deceſſerit, deinde unius nomine, qui ſupereſt, emptor extiterit, qui ſupra uiginti promitteret: an diſcedatur à priore contractum, & ait diſsimilem eſſe hanc ſpeciem: & ideo hic diſcedi à priore emptione, & ad ſecundam perueniri. Sed & Marcellus ſcribit. purè uendito & in diem addicto fundo, ſi melior conditio allata ſit, rem pignori eſſe deſinere, ſi emptor eum fundum pignori dediſſet. ex quo colligitur, quod emptor medio tempore dominus eſſet. alioquin nec pignus teneret. Idem Iulianus ſcribit: eum, qui emit fundum in diem addictum interdicto, QVOD VI, AVT CLAM, uti poſſe. nam hoc interdictum ei competit, cuius intereſt, opus non eſſe factum. Fundo autem (inquit) in diem addicto, & commodum, & incommodum omne ad emptorem pertinet, ante quàm uenditio transferatur. & ideo ſi quid tunc ui, aut clam factum eſt (quamuis melior conditio allata fuerit) ipſe utile interdictum habebit: ſed eam actionem, ſicut fructus (inquit) quos perceperit, uenditi iudicio præſtaturus eſt. Cum igitur tunc recedatur ab emptione, ubi purè contrahitur, uel tunc impleatur, ubi ſub conditione fit, cum melior conditio ſit allata: ſi falſus emptor ſubiectus ſit, eleganter ſcribit Sabinus, priori rem eſſe emptam: quia non uideatur melior conditio allata eſſe, non exiſtente uero emptore. Sed & ſi exiſtat alius emptor meliorem, tamen condictionem non adferat: æque dicendum erit, perinde haberi, ac ſi non exiſteret. Melior autem conditio adferri uidetur, ſi præcio ſit additum. Sed & ſi nihil precio addatur, ſolutio, tamen offeratur facilior precii, uel maturior: melior conditio adferri uidetur. propterea ſi locus opportunior ſoluendo precio dicatur: æquè melior conditio allata uidetur. & ita Pomponius lib. quinto ad Sabinum ſcribit. Idem ait. & ſi perſona idoneior accedat ad emptionem, æqui uideri meliorem conditionem allatam eſſe, proinde ſi quis accedat eiuſdem precii emptor, ſed qui leuioribus emat conditionibus, uel qui ſatiſdationem nullam exigat: melior conditio allata uidebitur. ergo idem erit dicendum, & ſi uiliore precio emere ſit paratus: ea tamen remittat, quę uenditori grauia erant in priore emptione. Quicquid enim ad utilitatem uenditoris pertinet, pro meliore conditione haberi debet, ff. eodem l. quarta, & quinta.

Item quod dictum eſt, fructus interea captos emptorem priorem ſequi: toties uerum eſt, quoties nullus emptor exiſtit, qui meliorem conditionem adferat, uel falſus exiſtat. Si uero exiſtitit emptor poſterior: fructus refundere priorē debere conſtat uenditori. & ita Iulianus ſcripſit, ff. eo. l. ſexta, in princ.

Si quis extiterit, qui meliorem conditionem adferat: deinde prior emptor aduerſus eum licitatus ſit, penes eum emptorem manſerit, dubitari poterit, utrū fructus ipſe habeat, quaſi nulla meliore conditione allata, an uerò uenditoris ſint, licet eadem ſit perſona, quæ meliorem cōditionem attulerit. quod ratio

facere uidetur. Intererit tamen, quid actum sit, & ita Pomponius scribit, d.l.sexta,§.fina.

Licet autem uenditori meliore allata conditione addicere posteriori: nisi prior paratus sit plus adiicere, ff.eo.l.septima.

Necesse autem habebit uenditor, meliore conditione allata, priorem emptorem certiorem facere, ut quod alius addidit, ipse quoque adicere posit, ff. eodem l.Necesse.8.

Sabinus scripsit, licere uenditori meliorem conditionem oblatam abiicere, & se qui primam quasi meliorem: & ita utimur. quid tamen, si hoc erat nominatim actum, ut liceret emptori resilire, meliore conditione allata? dicēdum erit, dissolutam priorem emptionem, etiam si uenditor sequentem non admittat, ff. eo.l.Sabinus.9.

Sed & si proponatur à creditore pignus in diem addictum: non potest uideri bona fide negocium agi, nisi adiectio recipiatur. quid ergo si inops est emptor, & impediendæ tantummodo uenditionis caussa interuenit? potest creditor sine periculo priori emptori addicere, ff.eo.l.Sed & si,x.

Quod autem Sabinus scribit: fundum in diem addici non posse rursus, qui semel fuerit in diem addictus, ratione eiusmodi defendit: quia prioris (inquit) emptoris statim fit: scilicet quasi non uideatur melior conditio allata, si non secu rè secundo emptori fundus addicatur, sed alia licitatio prospicitur. Sed Iulianus scripsit, interesse multum, quid inter contrahentes actum sit, nec impediri quidquam uel agi, ut sæpius collocetur, dum uel prima, uel secunda, uel tertia adiectione res à uenditore discedat. Item quod Sabinns ait, si tribus uendentibus duo posteriori addixerint, unus non admisserit adiectionem, huius partem priori emptori, duorum posteriori emptam: ita demum uerum est, si uariis preciis partes suas distraxerunt. Et si dispares partes uendentium fuerint, ff. eo.l.quod autem,ii.& l.seq.

Quod si uno precio uendiderint, dicendū est, totam priori emptam manere: quēadmodum si quis mihi totum fundum ad diem addixisset, postea uero adiecto precio dimidium alii addixerit. Celsus quoq; refert Mutium, Brutum, Labeonem, Sabinum ita existimasse: ipse quoq; Celsus idem probat. & adicit. mirari se à nemine animaduersum, si prior emptor ita contraxit, ut nisi totum fundū, emptum nollet habere, non habere eum, eam partem emptam, quam unus ex sociis posteriori emptori addicere noluit. Verum est autem, uel unum ex uenditoribus posse meliorem adferre conditionem. emere enim cum tota re etiā nostram pattem possumus, ff.eo.l.Quod si uno,12.& l.seq.

Si uenditor simulauerit meliorem conditionem allatam, cum minoris, uel etiam tantidem alii uenderet, utriq; emptori insolidum erit obligatus. Sed si emptor alium non idoneum subiecit, eiq; fundus addictus est, non ur̃ quemadmodum priori sit emptus, cùm alia uenditio, & uera postea subsecuta sit. Sed uerum est, uenditorem deceptum ex uendito actionem habere cū priore emptore, quanti sua intersit, id nō esse factum. Per quam actionem, & fructus, quos prior emptor perceperat, & quod deterior res culpa uel dolo malo eius facta sit, recipiet uenditor. & ita Labeoni & Neruę placet. Sed si neuter subiecit emptorem maiore autem precio addictum est prędium ei, qui soluendo non esset, abitum est à priore emptione, quia ea melior intelligitur, quam venditor comprobauit. cui licet non addicere. ff.eod.l.si venditor, 14.in princ.

Sed & si pupillus postea sine tutoris authoritate pluris emerit cōsentiente venditore:

tore: abibitur à priore emptione aliter atque si filio, quem in potestate habeat vel domino rei per errorem id addixerit: quia non est emptio his casibus. d. l. si venditor, §. sed & si.

Emptorem qui meliorem condicionem attulerit, præter corpus nihil sequitur, quod venierit, non tamen ideo, si tantundem precium alius det: hoc ipso, quod fructus eum non sequuntur, qui secuturi essent priorem emptorem, melior cõditio videt̃ allata: q̃a nõ id agitur inter emptorẽ, & vẽditorẽ. d. l. si vẽditor, §. si.

Si prædio in diem addicto, ante diem vẽditor mortuus sit: siue post diem hęres ei existat, siue omnino non existat: priori emptori prædium emptum est: quia melior conditio allata, que domino placeat, intelligi non potest, cùm is qui vendat, non existat, quod si intra diem addictionis hæres existat: melior conditio ei adferri potest, ff. eod. l. si prædio, 15. in princ.

Si fundus in diem addictus fuerit pluris, vt quædam ei accedant, quæ non accesserint priori emptori: si nõ minoris sint hæ res, quàm quo pluris postea fundus venderit: prior venditio valet, quasi melior conditio allata non sit. si minoris sint. idem existimandum est, si dies longior precii soluendi data fuerit: vt quæratur, quantũ ex vsura eius tẽporis capi potuerit, d. l. si prædio, §. si fundus.

Imperator Seuerus rescripsit. sicut fructus in diem ad dictæ domus, cùm melior conditio fuerit allata venditori restitui necesse est: ita rursus, quæ prior emptor medio tempore necessario probauerit erogata, de reditu retineri: vel si non sufficiant, solui æquum est, & creditur sensisse principem de empti, & venditi actione, ff. eod. l. Imperator. 16.

Cùm duo æqui duobus separatim denis in diem additis sint, & extiterit, qui pro vtroque triginta det: refert vnius præcio decem, an singulorum quina adiciat. secundum superiorem adiectionem is equus inemptus erit, cuius præcio adiectio facta fuerit secundum posteriorem adiectionem uterque ad posteriorem emptorem pertinebit. quod si incertum sit, ad vtriusque præcium addiderit: à priore emptione non videtur esse dicessum. ff. eod. l. cum duo æqui, 17.

Cùm in diem duobus sociis fundus sit addictus: vno his precium adiuente, etiã ꝓ ipsius parte à priore vẽditione discedi rectius existimat. ff. eo. l. cũ indiẽ, 18.

Fundo in diem addicto, si postea precium adiectum sit, & venditor alio fundo adplicato, eum ipsum fundum posteriori emptori addixerit, & id sine dolo malo fecerit: priori emptori obligatus non erit. nam quamuis non id tantum, quod in diem addictum erat, sed aliud quoque cum eo venierit: tamen si venditor de locaret prioris emptoris causa absoluta est, id enim solum intuendum est, an priori venditori bona fide facta sit adiectio, ff. eo. l. fundo in diem. 19.

Prior emptor post meliorem conditionem allatam, ob pecuniam in exordio venditori de precio solutam, contra secundum emptorem, citra delegationem iure stipulationis interpositam, agere non potest, ff. eod. l. finali.

DE LEGE COMMISSORIA, ET PACTIS INTER EMPTOREM ET VENDITOREM. Titulus VI.

SI fundus commissoria lege uenierit: magis est, ut sub conditione resolui emptio, quàm sub conditione contrahi uideatur, ff. de leg. commissoria, l. prima.

Cum uenditor fundi in lege ita cauerit. SI AD DIEM: PECVNIA SOLVTA NON ERIT, FVNDVS INEMPTVS SIT

ita accipitur inemptus esse fundus, si uenditor eum inemptum esse uelit: quia id uenditoris causa caueretur. nam si aliter acciperetur: exusta uilla, in potestate emptoris futurum, ut non dando pecuniam inemptum faceret fundum, qui eius periculo fuisset. Nam legem commissoriam, quæ in uenditionibus adiicitur, si uolet uenditor exercebit, non etiam inuitus, ff. eo. l. secunda, & tertia.

Si fundus lege commissoria uenierit, hoc est, ut nisi intra certum diem precium exsolutum sit, inemptus fiat: uideamus, quemadmodum uenditor agat, tàm de fundo, quàm de his, quæ ex fundo præcepta sunt: itemq; si deterior fundus effectus sit facto emptoris. & quidem finita est emptio. sed iã decisa quæstio est, ex uendito actionem competere, ut rescripto Imperatoris Antonini, Diui Veri declaratur. Sed quod ait Neratius, habet rationem: ut interdum fructus lucretur, cùm precium, quod numerauit, perdidit. igitur sententia Neratii tunc habet locum (quæ est humana) quando emptor aliquam partem precii dederit, ff. eo. l. quarta, in princ.

Eleganter Papin. scribit. statim atq; commissa lex est, statuere uenditorem debere: utrum commissoriam uelit exercere, an potius precium petere, nec posse, si commissoriam elegit, postea uariare, d. l. quarta, §. eleganter.

Commissoriæ uenditionis legem exercere non potest, qui post præstitutum precii soluendi diem non uindicationem rei eligere, sed interesse precii petitionem sequi maluit, C. de pac. inter empt. & uend. l. quarta.

Initio uenditionis si pactus es, ut is cui uendidisti possessionem precii tardius tibi interesse pensitaret non immeritò existimas etiam id ab emptore præstari debere. Nam si initio contractus non es pactus si cœperis reperiri deberet: ex mora duntaxat interesse, tàm ab ipso debitore, quàm ab eo, qui in omnem causam empti suam fidem abstrinxitur, C. eo. l. quinta.

Post diem legi. ex commissorie comprehensum uenditor partem reliquæ pecuniæ accepit, uidetur recessisse a lege cõmissoria, ff. de lege commiss. l. sexta, §. fi.

Post diem commissoriæ legi præstitutum, si uenditor precium petat: legi commissoriæ renuntiatum uidetur, nec uariare & ad hanc redire potest. ff. eodem lege penultima.

In commissoria etiam hoc solet conuenire: ut si uenditor eundem fundum uenderet, quanto minores uendiderit, id à priore emptore exigat. erit itaq; aduersus eum ex uendito actio, ff. eo. l. quarta, §. in commissoria.

Marcellus libro uicesimo dubitat, commissoria utrum tunc locum habeat, si interpellatus non soluat: an uero si non obtulerit? & magis arbitrat̃ offerre eum debere, si uult se legis commissoriæ potestate soluere. quod si non habet, cui offerat, potest securus esse, d. l. quarta. §. fin.

De lege commissoria interrogatus, ita respondit Scæuola. Si per emptorem factum sit, quo minus legi pareretur, & ea lege uti uenditor uelit, fundos inemptos fore, & id quod arræ uel alio nomine datum esset, apud uenditorem remansurum. Idem respondit. si ex lege inempti sint fundi, nec id, quod accessurum dictum est, emptori deberi, ff. eo. l. sexta in prin.

Si ea lege prædium uendidisti, ut nisi intra certum tempus precium fuisset exsolutum emptrix arras perdere & dominium ad te pertinere fides contractus seruanda est, C. de pactis inter emptorem & uenditorem, l. prima.

Mulier fundos Caio Seio uendidit, & acceptis arræ nomine certis pecuniis, statuta sunt temporis solutionis reliquæ pecuniæ: quibus si non paruisset, emptor pactus est, ut arrã perderet, & inemptæ uillæ essent. die statuto emptor

testatus

testatus est, se pecuniam omnem reliquam paratum fuisse exsoluere, & sacculum cum pecunia signatorum signis obsignasse, defuisse autem venditricem. posteriore autem die nomine fisci testato conuentus emptor est, ne ante mulieri pecuniam exsolueret, quàm fisco satisfaceret. quæsitum est, an fundi non sint in ea caussa, vt à venditrice vindicari debeant ex conuentione venditionis? respondit Scæuola secundum ea, quæ proponerentur non commisisse in legem venditionis emptorem. ff. eod. l. fin.

Si fundum parentes tui ea lege vendiderant, vt siue ipsi siue hæredes eorum emptori præcium quandocunque vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere conditioni dictæ, hæres emptoris non paret ut cõtractus fides seruetur: actio præscriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur: habita ratione eorum, quæ post oblatam ex pacto quantitatem, ex eo fundo ad aduersarium peruenerunt. C. de pactis inter emp. & uend. l. secundum.

Qui ea lege prædium vendidit, vt nisi præcium reliquum intra certum tempus restitutum esset ad se reuerteretur: si non præcariam possessionem tradidit, rei vindicationem non habet, sed actionem ex uendito. C. eod. l. tertia.

Cùm te fundum tuum certæ rei contemplatione inter vos habita, exiquo præcio in alium transtulisse commemoras: poterit ea res tibi non esse fraudi: quando non impleta promissi fide, dominii tui ius in suam causam reuerti conueniat. Et ideo aditus cõpetens iudex fundũ, cuius mentionem facis, restitui tibi cum fructibus suis sine ulla ludificatione sua authoritate perficiet: præcipue, cum & aduersa pares receptis numis suis nullam passa posit videri iniuriã, C. eo. l. 6.

Tpe contractus inter emptorem de venditorem habitam conuentionem integrã seruari: si ab ea posteriore pacto non recedatur, certum est. C. eo. l. pen.

Si inter emptorem de venditorem conuenit, vt si intra certum tps soluta fuerit data quantitas, sit res inepta: conuentio hęc non remittitur, sed si se subtrahat, vt iure dominii eandẽ rem retineat denuntiationis & obsignationis, depositionisq; remedio contra fraudem potest venditor iuri suo consulere, C. eo. l. vii.

Si prædium quis sub ea lege comparauit, vt si displicuerit inemptum sit id, ut pote sub conditione venditum, resolui, & redhibitoriam actionem aduersus venditorem competere, palam est, C. de ædilic. actio. l. penult.

DE HAEREDITATE, VEL ACTIONE VENDITA
Titulus VII.

SI hæreditas venierit eius, qui viuit, aut nullius sit, nihil est acti, quia in rerum natura non sit quod venierit. ff. de hæred. vend. l. prima.

Cùm hæreditatem aliquis vendidit, esse debet hæreditas, vt sit emptio, nec. n. alea emitur, vt in venatione, & similibus, sed res, quæ si nõ est, nõ cõtrahitur emptio, & ideo præciũ cõdicet. ff. eo. l. vii.

Quod si nulla hæreditas ad venditorẽ ptinuit quantũ emptori præstare debeat, ita distingui oportebit: vt siquidem est aliqua hæreditas, sed ad venditorẽ nõ ptinet, ipsa æstimetur, si nulla est, de qua actum videatur pretium duntaxat & si quid in eam rẽ impensum est, emptor à uẽditore cõsequatur. Et si quid actoris interest. Quod si in vẽditione hæreditatis id actum est, si quid iuris esset vẽditoris venire, nec postea quidquam præstituiri quáuis ad venditorem hæreditas non ptinuerit, nihil tñ pstabit, qa id actũ esse manifestũ est, vt queadmodũ emolumẽtũ negociationis, ita & periculũ ad emptorẽ ptineret. Ná hoc modo

admittitur esse uenditionem. QVA SIT HAEREDITAS EST TIBI EMPTA: & quasi spes hæreditatis: ipsum enim incertum rei ueneat, ut in retibus. Hoc autem sic intelligendum est: nisi sciens ad se non pertinere ita uendidit. nam tunc ex dolo tenebitur. ff. eod. l. octaua, cum quatuor legib. seq.

Quod si sit hæreditas: & si non ita conuenit ut quidquid iuris haberet uenditor emptor haberet: tunc hæredem se esse præstare debet. illo uerò adiecto: liberatur uenditor, si hæreditas ad eum non pertineat, ff. eod. l. quod si, xiii.

Si hæreditas uenierit: uenditor res hæreditarias tradere, debet. quanta autem hæreditas est, nihil interest. Nisi de substantia eius adfirmauerit, ff. eod. l. qui, xiiii. §. final. cum l. sequ.

Si quasi hæres uendideris hæreditatem, cum tibi ex senatusconsulto Trebelliano restitutam esset hæreditas: quanti intersit emptoris, teneberis, ff. eodem lege si quasi, xvi.

Si uenditor hæreditatis exactam pecunia sine dolo malo, uel culpa perdidisset: non placet eum emptori teneri, ff. eod. l. 3.

Venditor hæreditatis satisdare de euictione non debet; cum id inter ementem, & uendentem agatur, ut neque amplius, neque minus iuris emptor habeat, quàm apud hæredem futurum esset. planè de facto suo uenditor satisdare cogendus est, ff. eo. l. secunda in princ.

In hæreditate uendita utrum ea quantitas spectatur, quæ fuit mortis tempore: an ea, quæ fuit, cum hæreditas adiretur: an ea, quæ fuit, cum hæreditas uenundaretur, uidendum erit. & uerius est, hoc esse seruandum, quod actum est. plerunque autem hoc agi uidetur, ut quod ex hæreditate peruenit in id tempus, quo uenditio fit: id uideatur uenisse, d. l. 2. §. in hæreditate.

Illud potest quæri: si etiam impuberi sit substitutus is, qui uendidit hæreditatē testatoris: an id etiam, quod ex impuberis hæreditate ad eum, qui uendidit hæreditatem, peruenit: exempto actioni locum faciat? & magis est, ne ueniat, quia alia hæreditas est. licet enim unum testamentum sit, alia tamen, atque alia hæreditas est. planè b hoc actum sit, dicendum erit etiam impuberis hęreditatem in uenditione venire Maxime si iam delata impuberis hæreditate uenierit hæreditas, d. l. secunda, §. illud.

Peruenisse ad uenditorem hæreditatis quo modo uideatur, quæritur? antè quidem, quàm corpora rerum hæreditariarum nactus, uenditor fuerit: hactenus peruenisse ad eum uidetur, quatenus mandare potest earum rerum persecutionem, actionesque tribuere. enimuerò ubi corpora nactus est, uel debita exegit: plenius ad eum uidetur peruenisse. Sed & si rerum uenditarum ante hæreditatem uenditam precia fuerit consecutus: palam est, precia rerum ad eum peruenisse. Illud tenendum est: cum effectu uideri peruenisse, nō prima ratione. Idcirco quod legatorum nomine, quis præstitit, non uidetur ad eum peruenisse. Sed & si quid alienis æris est, uel cuius alterius oneris hæreditarii: peruenisse merito negabitur. Sed & rerum ante uenditionem donatarum precia præstari, æquitatis ratio exigit, d. l. 2. §. Peruenisse.

Non tantum autem, quod ad uenditorem hæreditatis, sed & quod ad hæredem eius ex hæreditate peruenit, emptori restituendum est. Et non solum quod iā peruenit, sed & quandoq; peruenerit, restituendum est. sed & si dolo malo eorum factum est, quo minus peruenerit ad eos: & hoc emptori præstandum est. fecisse autem dolo malo quo minus perueniat, uidetur: siue alienauit aliquid uel etiam acceptò quem liberauit: siue egit dolo malo, ne de hæreditate adquire-

quireretur, uel ne possessionem adipisceretur, quam posset adipisci. Sed & si non dolo malo, sed lata culpa amiserit aliquid: vtique tenebitur. deperdita autem & deminuta sine dolo malo venditoris non præstabuntur. d.l. secunda, §. Non tantum.

Illud quæsitum est. an venditor hæreditatis ob debitum à filio suo, qui in potestate eius esset: præstare debeat emptori? & uisum est quidquid duntaxat de peculio filii, aut in suam rem versum inueniatur, præstare eum debere, d.l. secunda, §. illud quæsitum.

Solet quæri: an etiam si quid lucri occasione hæreditatis venditor senserit, emptori restituere id debeat? & est apud Iulianum quæstio hæc tractata qui ait. quod non debitum exegerit, retinere hæredem: & quod non debitum soluerit, non reputare. nam hoc seruari, ut hæres emptori non præstet, quod non debitum exegerit: neque ab eo consequatur, quod non debitum præstiterit. Si autem condemnatus præstiterit: hoc solum hæredi sufficit, esse eum condemnatum sine dolo malo suo: etiam si maximè creditor non fuerit is, cui condemnatus est hæres, quæ sententia placet, d.l. secunda. §. solet. ix.

Non solùm autem hæreditarias actiones, sed etiam eas obligationes, quasi ipse hæres constituit, dicendum erit præstare emptori eum debere. itaque & si fide iussorem acceperit ab hæreditario debitore: ipsam hanc actionem, quam habet hæres, præstare debebit. Sed & si nouauerit, vel in iudicium deduxerit actionem: præstare debebit emptori hanc ipsam actionem, quam nactus est, d.l. secunda. §. non solum.

Sicuti lucrum omne ad emptorem hæreditatis respicit, ita damnum quoque debet ad eum pertinere, d.l. secunda, §. sicuti.

Denique si rem hæreditariam hæres vendiderit, ac per hoc fuerit condemnatus: non habet contra emptorem actionem: quia non ideo condemnatur, quod hæres sit, sed quod uendiderit. sed si pretium rei distractæ emptori hæreditatis dedit: locus erit ex vendito actioni, d.l. secunda, §. denique.

Siue ipse uēditor dederit aliquid pro hæreditate, siue procurator eius, siue alius quis pro eo, dum negocium eius gerit: locus erit ex vendito actioni, dummodo aliquid absit venditori hæreditatis. cæterum si nihil absit uenditori: consequens erit dicere, non competere ei hanc actionem, d.l. secunda, §. siue ipse.

Si venditor hæreditatis ædes sibi exceperit, quarum nomine damni infecti promissum fuerit: interest, quid actum sit. nam si ita excepisset, vt damni quoque infecti stipulationis onus sustineret: nihil ab emptore consequetur. Si verò id actum erit, vt emptor hoc æs alienum exoluat: ad illum onus stipulationis pertinebit. si non adparebit, quid actum sit: verisimile erit, id actum, vt eius quidem damni nomine quod ante uenditionem datum fuerit, onus ad emptorē alterius temporis ad hæredem pertineat, d.l. secunda, §. si venditor.

Si Titius Mæuii hæreditatem Seio vendiderit, & à Seio hæres institutus, eam hæreditatem Attio vendiderit: an ex priore uenditione hæreditatis cum Attio agi posit? Et ait Iulianus, quòd venditor hæreditatis petere à quolibet extraneo hærede potuisset, id ab hæreditatis emptorem consequuturum. & certè si Seio alius hæres extitisset: quidquid venditor Mœuianæ hæreditatis nomine præstitisset, id ex vendito actione consequi ab eo potuisset. nam & si duplam equi à Seio stipulatus fuissem, & hæres ei existitissem, eamque hæreditatem Attio vendidissem: euicto equo, rem ab Mæuio seruarem, dicta. lege. secunda, §. Si Titius.

Si

Si quid publici uectigalis nomine præstiterit uenditor hæreditatis : consequens erit dicere, agnoscere emptorem hoc debere. namque hæreditaria onera hæc sunt. & si fortè tributorum nomine aliquid dependet : idem erit dicendum, d.l. secunda, §. si quid publici.

Aes alienum, hæreditate nomine fisci vendita, ad onus emptoris bonorum pertinere, nec fiscum creditoribus hæreditariis respondere, certum & absolutum est, C. eòd. l. prima.

Quid si funere facto, hæres vendiderit hæreditatem: an impensam funeris ab emptore consequatur? & ait Labeo, emptorem impensam funeris debere præstare: quia & ea (inquit) impensa hæreditaria sit. cuius sententiam, & Iubolenus putat veram, ff. eod. l. secunda, §. Quid si in funere.

Cùm quis debitori suo hæres extiterit: confusione creditor esse desinit. sed si uẽdiderit hæreditatem: æquissimum uidetur emptorem hæreditatis uicem hæredis obtinere: & idcirco teneri uenditori hæreditatis (siue, cum moritur testator, debuit, quamuis post mortem debere desiit, adita à uenditore hæreditate, siue quid in diem debeatur, siue sub conditione & postea conditio extitit.) ita tamen, si eius debiti aduersus hæredem actio esse poterat: ne forte etiam ex his causis, ex quibus cum hærede actio non est, cum emptore agatur. Et si seruitutes amisit hæres institutus, adita hæreditate: ex uendito poterit experiri aduersus emptorem, ut seruitutes ei restituantur. Sed & si quidem uenditor nondum præstiterit, sed quoquo nomine obligatus sit propter hæreditatem: nihilominus agere potest cum emptore, d.l. secunda, §. si.

Si hæreditatem mihi vendideris Lucii, Titii, ac post debitori eiusdem hæres existas; actione ex empto teneberis. quod simplicius etiam in illa propositione procedit, cùm quis ipse creditori suo hæres extiterit, & hæreditatem uendiderit, ff. eod. l. si hæreditatem, xx.

Hæreditatem Cornelii vendidisti. deinde Titius, cui à te hærede Cornelius legauerat, priusquam legatum ab emptore præciperet, te fecit hęredem. rectè ex uẽdito tu acturus, es ut tibi præstetur, quanto eo minus hæreditas uenierit, ut id legatum præstaret emptor; nec quidquam intersit, utrum Titio, qui te hæredem fecerit, pecunia debita sit, an legatario, ff. eod. l. penultima.

Ratio iuris expostulat, ut creditoribus hęreditariis, & legatariis, seu fideicommissariis te conuenire uolentibus, tu respondeas; & cum eo, cui hæreditatem uenundedisti, tu experiaris suo ordine. nã ut satis tibi detur, serò desideras, quoniam eo tempore, quo uenundabatur hæreditas, hoc non est compræhensum. quamuis enim ea lege emerit, ut creditoribus hæreditariis satisfaciat, excipere tamen actiones hæreditarias inuitus, cogi non potest, C. eod. l. secunda.

Qui nondum certus de quantitate hæreditatis, persuadente emptore, quasi exiguam quantitatem eam uendidit, bonæ fidei iudicio conueniri, ut res tradat, uel actiones mandet, non compellitur. nam suo quoque iure eorum persecutionem habet, C. eod. l. quarta.

Emptor hæreditatis actionibus mandatis eo iure uti debet, quo is, cuius persona fungitur; quamuis utiles etiam aduersus debitores hæreditarios actiones emptori tribui placuit, C. eod. l. quinta.

Qui tibi hæreditatem uendidit, antequam res hæreditarias traderet, dominus earum perseuerauerit: & ideo uendendo eas aliis dominium transferre potuit, sed quoniam contractus fidem fregit, ex empto actione conuentus, quanti tua interest, præstare cogitur, C. eod. l. sexta.

Postquam

Postquam eo decursum est, vt cautiones quoque debitorum pignori dentur: ordinarium visum est, post nominis etiam venditionem vtiles actiones emptori (sicut responsum est) ut ipsi creditore postulanti, dandas, C. eod. l. septima.

Si excepto fundo hæreditario veniit hæreditas, deinde eius fundi nomine venditor aliquid adquisierit: debet id præstare emptori hæreditatis. Paulus: immo semper quæritur in ea re, quid actum fuerit. Si autem id non adparebit: præstare eam rem debebit emptori venditor. nam idipsum ex ea hæreditate ad eum peruenisse videbitur: non secus, ac si eum fundum in hæreditate uendenda non excepisset, ff. eod. l. finali.

Hæreditatis uenditæ pretium pro parte accepit venditor reliquum emptorem non soluente, corpora hæreditaria pignoris nomine tenebuntur. ff. eod. l. hæreditatis, xxii.

Venditor ex hæreditate interposita stipulatione, rem hæreditariam persecutus, alii vendidit. quæritur, quid ex stipulatione præstare debeat? nam bis utique non committitur stipulatio, ut & rem & pretium debeat: & quidem si posteaquam rem uendidit hæres, intercessit stipulatio, credimus precium in stipulationem uenisse. quod si antecessit stipulatio, deinde rem nactus est: tunc rem debebit. Si igitur equum uendiderit, & is decesserit: an precium eiusdem debeat? non enim deberet equi promissor (si eum uendidisset) mortuo eo, si nulla mora processisset. sed ubi hæreditatem, & postea rem ex ea uendidi: potest uideri, ut tam ipsius negotium agam, quam hæreditatis. sed hoc in re singulari nō potest dici. nam si eundem æquum tibi uendidero, & nec dū tradito eo, alii quoque uendidero, preciumque accepero: mortuo eo, uideamus, ne nihil tibi debeam ex empto, qui moram in tradendo non feci: precium enim equi uenditi non ex re, sed propter negociationem percipitur, & sic fit, quasi alii non vendidissem: tibi enim rem debebam, non actionem. At cùm hęreditas uenit: tacitè hoc agi uidetur, ut si quid tanquam hæres feci, id præstem emptori, quasi illius negocium agam: quemadmodum fundi uenditor fructus præstaret bonæ fidei ratione; quamuis si neglexisset ut alienum, nihil ei imputari posset, nisi si culpa eius argueretur. Quid si rem, quam uendidi, alio possidente precii, & litis æstimationem accepi? utrum precium illi debeo, an rem? utique rē: non enim actionem ei, sed rem præstare debeo. Sed si ui deiectus, duplum abstulero: nihil hoc ad emptorem pertinebit. nam si sine culpa desiit desinere uenditor: actiones suas præstare debebit, non rem, & si æstimationem quoque nam & aream tradere debet exusto ædificio, ff. eod. l. uenditor, xxi.

De actione vendita.

Si nomen sit distractum. Celsus lib. nono Digest. scribit, locupletem esse debitorem non debere præstare: debitorem autem esse præstare, nisi aliud conuenit. Et quidem sine exceptione quoque: nisi in contrarium actum sit. Sed si certæ summæ debitor dictus sit, in eam summam tenetur uenditor. si incertæ, & nihil debeat, quanti intersit emptoris, ff. de hæredi. uel actio. uend. l. quarta, & quinta.

Emptori nominis etiam pignoris persecutio præstari debet. eius quoque, quod postea uenditor accepit. nam beneficium uenditoris prodest emptori, ff. eod. l. emptori, vi.

Qui

Qui filii familias nomina vendidit,actiones quoque,quas cum patre habet, præstare debet,ff.eod.l.Qui filii,xiiii.in princ.

Nomina eorum,qui sub conditione,vel in diem debent: & emere, & vendere solemus: ea enim res est,quæ emi,& uenire potest,ff.eod.l.nomina, xvii.

Si ex pluribus hæredibus unus ante,quàm cæteri adirent hæreditatem, pecuniã, quæ sub pœna debebatur à testatore,omnem soluerit,& hæreditatem vendiderit: nec à cohæredibus suis propter egestatem eorum quidquam seruare poterit: cùm emptore hæreditatis,vel ex stipulatu,vel ex vendito rectè experietur: omnem enim pecuniam hæreditario nomine datam,eo manifestius est, quod in iudicio familiæ eriscundæ deducitur: per quod nihil amplius vnusquisque a cohæredibus suis consequi potest,quàm quod tanquam hæres impenderit, ff. eod.si ex pluribus,xviii.

Multum interest,sub conditione aliqua obligatio ueneat: an cùm ipsa obligatio sub conditione contracta sit,purè ueneat. priore casu deficiente conditione, nullam venditionem: posteriore,statim venditionem consistere. verum est nã si Titius tibi decem aureos sub conditione debeat,& ego abs te nomen eius emam: confestim ex empto,& uendito agere potero, ut uel acceptum ei facias, ff.eod.l.multum,xix.

Venditor actionis,quam aduersus ipsum principalem reum habet: omne ius, ꝙ ex ea causa ei competit,tam aduersus ipsum reum,quàm aduersus intercessores huius debiti,cedere debet: nisi aliud actum est,ff.eodem.l.venditor. xxiii. in principio.

Nominis venditor quidquid vel compensatione, vel ex actione fuerit consecutus,integrum emptori restituere compellitur,d.l.venditor. §. finali.

Ex nominis emptione dominum rerum obligatum ad emptorem non transit: sed in rem suam procuratore facto,vel vtilis secundum ea, quæ pridem constituta sunt,exemplo creditoris persecutio tibi tribuitur,C.eod.l.penul.

Certi & indubitati iuris est,ad similitudinem eius,qui personalem redemerit actionem,& utiliter eam mouere suo nomine conceditur: & eum, qui in rem actionem comparauerit,eadem uti posset facultate: cum enim nomen actionis generale est,omnium,siue in rem,siue in personam actionum, & apud omnes veteris iuris conditores hoc nomen in omnibus pateat: nihil est tale quod differentiam in huiusmodi utilibus actionibus posit introducere. C. eodem lege finali.

SI PROPTER PVBLICAS PENSITATIONES VENDITIO FRVERIT CELEBRATA.

Tit. VIII.

VEnditionem ob tributorum cessationem factam reuocari oportet, nec priore domino pretium offerente,nec creditore eius ius hypothecæ siue pignoris prætendente. potior enim est causa tributorum,quibus priore loco omnia bona cessantis obligata sunt, C. si propter publicas pen.uen.l.prima.

Si deserta prædia ob cessationem collationum,uel reliqua tributorum ex permissu præsidis ab iis,quibus periculum exactionis tributorum imminet, distracta syncera fide iusto precio solenniter comparasti: uenditio ob solennes præstationes necessitate facta,conuelli non debet. Sin autem uenditio nulla iusta autho-

authoritate præsidiis præcedente facta est: hanc ratam haberi, iura non concedunt. id itaque, quod frustra gestum est, reuocari oportet: ita, vt indemnitati tributorum omnibus modis consulatur. Quæ omnia tractari conuenit præsente eo, quem emptorem extitisse proponis, C.eod.l.secunda.

Si quis fundum vel animal, aliamve rem ob cessationē tributorum, uel etiam ob vestium auri argentique debitum, quæ annua exactione soluuntur, occupata, conuento debitore, & apud iudicem interpellatione celebrata: cū solutio cessauerit, sub hasta distracta comparauerit; perpetuam emptionis accipiet firmitatem. Si autem minoris forte persona fuerit inserta: necesse est legitimæ defensionis uenditioni personam adesse: nihilque intersit, utrum ne officium summæ rei procuratoris, an certæ rectoris prouinciæ id, quod debitum fuerit, proposuerit, C.eod.l.fin.

SINE CENSV VEL RELIQVIS FVNDVM COMPARARI NON POSSE.
Titulus IX.

EX conuentione quidem, qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, ut ipsa tributa agnosceret: actio tibi aduersus eam competere non potest, & si pactum in stipulationem deductum probetur, sed & si fundus ęstimatus ita, ut pars instrumenti significat, in dotem datus est: ex vendito actio, ut placitis stetur, non competit, C.sine censu, vel reliq.l.prima.

Rei annonariæ emolumentibus tractatis cognitum est hanc esse causam maxime reliquorum, quòd non nulli captantes aliquorum momentarias necessitates sub hac conditione fundos comparant, ut neque reliqua eorum fisco inferant, & immunes eos possideant. ideoque placuit, ut si quem constiterit huiusmodi habuisse contractum, atque hac lege possessionem esse mercatum: tam pro solutis censibus fundi comparati, quàm pro reliquis uniuersis, eiusdem possessionis obnoxius teneatur: cum necesse sit eum, qui comparauit, censum rei cōparatæ agnoscere: ne liceat cuiquam rem sine censu comparare, vel uendere, C.eod.l.secunda.

Omnes pro iis agris, quos possident, publicas pensitationes agnoscant. nec pactionibus contrariis adiuuentur, si uenditor aut donator apud se collationis sarcinam pactione illicita uoluerit retinere. & si necdum translata sit professio censualis, sed apud priorem fundi dominum forte permaneat, dissimulatibus ipsis, ut non possidentes pro possidentibus exigantur, C.eod.l.finali.

Non permittendum est censualibus, cum venditiones prædiorum, aut alioqui rerum communium diuisiones celebrātur & in alias personas transferuntur possessiones, ut peruersitate aliqua vtantur, & prædia a venditoribus ad emptores transferre, recusent. Sed cogendi sunt omnimodo possessiones transferre: & hoc sine dispendio: quod si dixerint minus esse emptores idoneos, & ideo ius possessionis se non transcribere examinato hoc absque ullo dispendio si quidē idonei sint emptores adigendi sunt tributis exigendis præpositi, ut omnibus modis & sine ullo dispendio possessionem transferant. Si autem re vera ipsi non ad modum idonei deprehenduntur ipsi uenditores cogendi sunt ut hoc ipsum apud acta profiteantur, ut suo periculo in eos, quibus uendiderunt publicorum tributorum fiat translatio: ita enim neque fiscus ob lædetur, & publica

blica tributa à possessoribus inferentur,ut non alii quidem possessores,alii uero sint collatores,maximè enim conuenit,ut contributiones ad possessores referantur,non autem ad eos qui ipsa prædia neque detinent, neque possident Nouel. const. xvii. præcepta præsid. §. compelles vers. non permittes. siue de mand.princ.coll.iii.const.iiii.

SI QVIS ALTERI VEL SIBI SVB ALTERIVS NOMINE VEL ALIENA PECVNIA EMERIT.

Titulus. X.

SI pecunia patris fundus animaliaque comparata sunt: tamen cum emptiones matris tuæ nomine factas esse proponas: ignorare nõ debes,traditione matrem tuam dominam fuisse constitutam. planè si pecuniæ petitionem competere tibi propter numerationem precii æxistimas. ciuiliter consiste. C.si quis alteri vel sibi sub alteno,uel alie.pec.eme.l.prima.

Si emancipatis uobis fundos,quis nomine uestro,cum in potestate ageretis, pater emerat,tradidit,vel in possesione eorum uoluntate patris fuistis : dominium acquisistis,C.eo.l.secunda.

Animalia,quorum meministi,si (vt proponis) nomine tuo , itemque fratris tui, cui suceesistis,empta vobis, tradita sunt, licet instrumento emptionis matrẽ tuam pecunias numerasse contineatur: persequi ea,more iudiciorum non prohiberis,C.eod.l.tertia.

Quamuis instrumento emptionis socrus nomen inscripseris: tamen si possesionem tenens dominus effectus es: ob eam rem frustra calumniam mulieris, quã uis ipsa contractus tabulas habet,reformidas,C.eod.l.quarta.

Cum propria pecunia tua te comparante possesionem,quondam uxoris tuæ nomen tantummodo accommodasse dicas, eandemq; occasione custodiæ suæ cõmissorum instrumentorum contra bonam fidem proprietatem eiusdem fundi vsurpasse dicas: rector prouinciæ pro sua exercitatione cognitum habens, donationem à non domina uxore tua in filiam suam collatam , nullum præiudicium domino tuo attulisse: docenti tibi veritatem,precibus tuis adsistere,restituere eandem possesionem,habita etiam frutuum taxatione,curabit, C.eod. lege quinta.

Multum interest,utrumne uxore tua comparante,pecuniam numerasti,eiq; possesio tradita est: an contractu emptionis à te nomine tuo habito, tantum uxoris nomen post instrumentis inscribi feceris.nam siquidem uxor tua nomine suo emit,eique res traditæ sunt,nec in te quidquam de iis procesit: non nisi de pretio aduersus eam,in quantum tu pauperior, & illa locupletior facta est, habes actionem. Quòd si emisti tu quidem,& tradita est tibi possesio, tantum autem nomen instrumento uxoris quondam tuæ scriptum est : res gesta potior quàm scriptura habetur. Si uerò ab initio negotium uxoris gerens, comparasti nomine ipsius: empti actionem nec illi,nec tibi quæsisti,dum tibi non uis, nec illi potes,quare in dominii quæstione ille potior habetur, cui possesio à domino tradita est,C.eod.l.sexta.

Cùm per eos,qui negotia tua gerebant,olei materiam te comparasse, contractusque fidem precio suscepto rupisse venditorem proponas: siquidem ex empto, iis,qui iuri tuo subiecti fuerant,contrahentibus, tibi quæsita est actio: uel per te,

tẽ,vel per eum,cui mandaueras: si vero sui iuris constituti,secundum mandatũ tuum hunc contractum habuerunt,ac sibi empti quęsierunt actionem: per eos, vel quibus illi dederint mandatum,adi competentem iudicem: qui secundum bonam fidem,quæ in huiusmodi contractibus obseruari solet, satisfieri prouidebit,C.eod.l.septima.

Qui aliena pecunia comparat,non ei,cuius numi fuerunt, sed sibi tam actionem empti,quàm dominum,si ei fuerit tradita possesio,quærit. Cum itaque de rebus communibus fratrem patruelem tuum quædam comparasse contendas: de tua pecunia hunc conueniendo,facies consultius. Nam in rem, de rebus ab eo comparatis,tibi contra eum petitio non competit,C.eod.l.octaua.

Nihil prohibet,altero pecuniam numerante, in alium vel utriusque contrahentis consensu,vel certe uenditore tantummodo uolente, dominium transferri. Eo etiam manifeste constituto, ut inter absentes per mediam personam, veluti per nuncium,vel per epistolam,talis contractus perfici posit, C.eo.l. finali.

DE REBVS ALIENIS NON ALIENANDIS, ET DE PROhibita reum alienatione,vel hypoteca.

Titulus XI.

SI presidi prouincię pobatum fuerit,Iulianum nullo iure munitum, equos tuos,scientibus vendidisse: restituere tibi emptores equos iubebit,quod si ignorauerint,& eorum facti sunt: pretium eorum Iulianum tibi soluere iubebit,C.de rebus ali.non alien.l. prima.

Distrahente marito rem tui iuris,si consensum non ei accommodasti: licet sigillo tuo venditionis instrumentum fraude conquisita, signaueris: eiusmodi tamen commentum emptori vsucapione non subsecuta, uel longi tẽporis præscriptione minime munito,nullam præstitisse securitatem potest, C. eod.l.secunda.

Venditrici succedenti hæreditario iure perfectam recte venditionem rescindere ac dominium reuocare non licet. Sed &si hæc ex persona sua uindicet: uel exceptione te doli mali,si hanc tuam elegeris, tueri, vel euicta re, si defensione monstrata uti volueris,quanti tua interest,poteris experiri.C.eo.l.tertia.

Animalia patris, qui fundum à Philippo conduxerat, succesione tibi quæsita, domino fundij pro debitis insolutum mater tua dando, nihil tibi auferre potuit. Ideoque si tu maior vigintiquinque annis effectus, ab ea negocium gestum non fecisti ratum: oblato debito si non hæc locator iure pignoris obligata sibi vendidit,petere poteris.C.eod.l.quarta.

Si fundum tuum pater post emancipationem te non consentiente uenum dedit, neque ei succesisti,neque posidens longi temporis præscriptionem munitus est: tibi agenti,eum rector prouinciæ reddi efficiet.C.eo.l.quinta.

Nemo res ad te pertinentes,non obligatas sibi, nec ex officio vendendi potestatem habens,distrahendo,quidquam tibi nocere potuit,C.eod.l.pen.

Sãcitũ est ꝙ siue lex alienationem inhibuerit,siue testator hoc fecerit,siue pactio contrahentium hoc admiserit: non solum dominii alienationẽ esse prohibendam; sed etiam vsusfructus dationem,uel hypothecam, vel pignoris nexũ penitus prohiberi. Similiq; modo & seruitutes minime ĩponi,nec emphyteuseos cõtractum: nisi in iis tantummodo casibus,in quibus cõstitutionũ authoritas

vel teſtatoris uoluntas,vel pactionum tenor,qui alienationem interdixit, aliquid tale fieri permiſerit,C.eod.l.finali.

DE COMMVNIVM RERVM ALIENATIONE. Titul. XII.

SI nulla uſucapionis prærogatiua,vel diuturni ſilentii præſcriptio emptorem poſſeſsionis, quàm a cohæredibus patrui tui diſtractã ſuggeris,pro portione tua munit:in rem actio incolumis perſeuerat.at ſi receptum ius ſecuritatem emptori præſtiterit: arbitrium eſt tibi liberum conueniendi eos,qui pro portione tua ſatis illicitam uenditionem celebrauerunt,C.eod.l.prima.

Multum intereſt,vtrum cohæredes tui poſſeſsionem communem diſtraxerũt: an uero fiſcus,cum partis dominus eſſet,ſoliditatem iuxta proprium priuilegium vendidit.etenim ſi à fiſco facta ſit venditio: fidem eius infringi, minime rationis eſt.Si uero cohæredes ſoliditatem uendiderunt:licet emptor ab his delegatus partem precii fiſco ſoluerit,alteramq́ue in cautionem deduxerit: tamẽ portioni tuæ ea uenditio non poteſt obſiſtere.C.eod.l.ſecunda.

Falſo tibi perſuaſum eſt, communis prædii portionem pro indiuiſo, antequam communi diuidundo iudicium dictetur,tantum ſocio, non etiã extraneo poſſe diſtrahi.C.eod.l.tertia.

Portionem quidem tuam militantis,frater tuus alienare non potuit. eius autem partem precio ſoluto tibi reſtitui poſtulare, nec militari grauitati conuenit, C.eod.l.penul.

Si maior annis vigintiquinque ueluti propria neſcienti communia cum fratribus tuis prædia diſtraxiſti: licet nullum inſtrumẽtum interceſſerit, nec quidquam ſpecialiter conuenerit: alienæ portionis euictione ſecuta,quanti intereſt,emptori ſolues,C.eod.l.finali.

REM ALIENAM GERENTIBVS NON INTERDICI RERVM SVARVM ALIENATIONE. Titul. XIII.

NON eſt interdictum tutoribus,vel curatoribus,&ſi ex eo titulo iudicati debitores ſunt conſtituti,cum ſua cauſa res ſuas alienare. Potuit ergo curator tuus fundum ſuum cum ſuo onere obligare fiſco.nam & priuato potuiſſet. C.rem alie.geren.l.unica.

DE PERICVLO ET COMMODO REI VENDITE. Tit. XIIII.

CVM emptio & vendio contracta ſit(quod effici diximns,ſimulataq; de precio conuenerit,cum ſine ſcriptura res agitur) periculum rei uenditæ ſtatim ad emptorem pertinet,tametſi adhuc ea res emptori tradita non ſit.Itaque ſi ædes tore, vel aliqua ex parte incendio conſumptæ fuerint,aut fundus ni fluminis totus,vel aliqua ex parte ablatus ſit,ſiue etiam inundatione aquæ,aut arboribus turbine abiectis, longe minor aut deterior eſſe cæperit, emptoris damnum eſt: cui neceſſe eſt, licet rem non fuerit tractus,precium ſoluere. Quicquid.n.ſine dolo & culpa

vendi-

uenditoris accidit, in eo uenditor securus est inst.de emp.§.cum autē emptio.

Necessario sciendum est quando perfecta sit emptio: tunc.n. sciemus cuius periculum sit nam perfecta emptione periculum ad emptorem respicit. Et si id, ꝙ venierit, appareat quid, quale, quantum sit, sit & pretium, & pure uenit, perfecta est emptio, quod si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est emptio. sicuti nec stipulatio. quod si extiterit, Proculus & Octauenus emptoris esse periculum aiunt. idem Pomponius, lib.ix.probat, ꝙ si pendē te conditione emptor vel uenditor decesserit, constat, si extiterit condicio, hæredes quoque obligatos esse, quasi iā contracta emptione in pręteritum. Quod si pendente condicione res tradita sit, emptor non poterit eam usu capere pro emptore. & quod pretii solutum est, repetetur: & fructus medii temporis uenditoris sunt sicuti stipulationes & legata condicionalia paremuntur, si pendente conditione res extincta fuerit, sanè si extet res, licet deterior effecta, pôt dici, esse damnum emptoris, ff.de peric.& como.rei vend.l.necessario, 8.in prin.

Post perfectam uenditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet. Auctor.n.ex his tantum causis suo ordine tenetur, quæ ex præcedente tempore causam euictionis parant: & ita, si ei denunciatum est, & causæ agendæ adesset, & non absente emptore contra eum pronunciatum est, C.eod.l.prima.

Si uendita insula combusta esset, cum incendium sine culpa fieri non posſit, quid iuris sit respondit Alfenus quia patrisfamilias culpa fieri potest, neq; negligentia factum esset, continuo dominus in culpa erit. quamobrē si uenditor eā diligentiam adhibuisset in insula custodienda, q̄ debent homines frugi & diligentes præstare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit, ff.eod.l.si uendita, xi.

Cùm speciem per uiolentiam ignis absuntam dicas, si venditionem nulla conditio suspenderat: amissę rei periculum te non adstringit, C. eod.l.quinta.

Mortis casus distractæ equæ etiam ante traditionem si nemora uenditoris dilatā, non ad uenditorem, sed ad emptorem pertinet: & hac non ex pręterito uitio rebus humanis ex empta, solutionē pretii emptor non recte recusat, C.e.l.prima.

Si vinum uenditum acuerit, uel quid alium uitii sustinuerit, emptoris erit damnum: quemadmodum si uinum esset effusum: uel uasis confusis, uel qua alia ex causa sed si uenditor se periculo subiecit, in id tempus periculum sustinebit, quoad se subiecit. quod si non designauit tempus eatenus periculum sustinere debet, quoad degustetur uinum. uidelicet quasi tunc plenissime ueneat, cū fuerit degustatum. Aut igitur conuenit quoad periculum uini sustineat, & eatenus sustinebit: aut non conuenit, & usque ad degustationem sustinebit sed si nondum sunt degustata, signata tamen ab emptore uasa uel dolia, consequenter dicemus, adhuc periculum esse uenditoris: nisi aliud conuenit. Sed & custodiam ad diem mensuræ venditor præstare debet: priusquam enim admetiatur uinum proprè quasi nondum uenit: post mensuram factam, uenditoris desinit esse periculum & ante mensuram periculo liberatur, si non ad mensuram uendidit: sed fortè amphoras, uel etiam singula dolia, ff.eod.l. prima. in prin.

Si dolium signatum sit ab emptore trebatius ait traditum id uideri. Labeo contra quod & uerum est, magis enim ne summutetur signari solere, quam ut tradere tum uideatur. d.l.prima, §.si dolium.

Licet autē uēditori uel effundere uinum, si diē ad metiēdū ꝑstituit, nec ītra diē admensum est, effundere āt non statim poterit, priusquam testando denuntiet emptori, ut aut tollat uinum, aut sciat futurum, ut uinum effunderetur. si tamen,

men,cum posset effundere non effundit,laudandus est potius ea propter mercedem quoq; doliorum potest exigere.sed ita demum,si interfuit eius, inania esse vasa in quibus vinum fuit.veluti si locaturus ea fuisset,vel si necesse habuit alia conducere dolia commodius est autem conduci uasa,nec reddi vinum,ni si quanti conduxerit ab emptore reddatur: aut vendere vinum bona fide: id est,quantum sine ipsius incommodo fieri potest,operam dare vt qua minime detrimento sit ea res emptori,d.l.prima.§.licet.

Si doliare vinum emeris,nec de tradendo eo quicquam conuenerit, id uidetur actum,ut ante euacuarentur,quam ad vindemiam opera eorum futura sit necessaria,quod si non sit euacuata faciendum quod veteres putauerunt, per corbem uenditorem mensuram facere, & effundere.ueteres.n.hoc propter mensuram suaserunt, si quanta mensura esset,non appareat:uidelicet ut appareret quantum emptori perierit d.l.prima.§.finali.

Hoc ita uerum est,si is est uenditor, cui sine noua uindemia non sint tota uasa necessaria. si uero mercator est, qui emere uina, & uendere solet, is dies spectandus est, quo ex commodo uenditoris tolli possint ff. e. l. secunda in prin.

Custodiam autem ante admetiendi diem qualem præstare uēditorem opporteat utrum plenam,vt & diligentiam præstet,an uero dolum duntaxat uideamus & uerum est eam diligentiam uenditorem exibere debere,ut fatale damnum uel uis magna sit excusatum,ff.eod.l.secunda §.finali.

Custodiam autem uenditor tale præstare debet,quam præstant hi quibus res cōmodata est,vt diligentiam præstet exactiorem,quam in suis rebus adhiberet, ff.eodem,l.tertia.

Si quis uina vendiderit,& intra diē certum degustanda dixerit deinde per uenditorem steterit quominus degustarentur,utrum præteritum dumtaxat periculū acoris & mucoris uenditor præstare debet:an uero etiā die præteri to, ut si forte corrupta sint posteaquam dies degustandi præteriit, periculum ad uenditorem pertineat,an uero magis emptio sit soluta quasi sub cōditione uenierunt, hoc est si ante diem illum fuisset degustata? & interierit, quid actum sit. & si hoc in occulto sit debet dici emptionē manere,periculū autē ad uenditorem, respicere,ēt ultra diē degustando præfinitum: quia ꝑ ipsum factum est.ff.e.l.4.

Si auersione uinum uenit custodia tantum præstanda est. ex hoc apparet, si non ita uinum uenit ut degustaretur neque acorem,neque mucorem uenditorem præstare debere,sed omne periculum ad emptorem pertinere. difficile, autem est ut quisquam sit,emat,ut ne degustet. Quare si dies degustationi adiectus non erit,quandoque emptor degustare poterit,& quo ad degustauerit periculum acoris & mucoris ad uenditorem pertinebit.dies enim degustationi præstitus meliorem conditionem emptoris facit,d.l.quarta,§.si auersione.

Vino autem per auersionem uendito,finis custodiæ est auehendi tempus. quod ita erit accipiendum,si adiectum tempus est.Cæterum si adiectum non sit,uidendum,ne infinitam custodiam non debeat uenditor. & est uerius secundum ea,quæ supra ostendimus,aut interesse quid de tempore actum sit, aut denunciare ei ut tollat uinum.certè antequam ad uindemiam fuerint dolia necessaria,debet auehi uinum,d.l. quarta,§.finali.

Si per emptorem. steterit quominus ad diem uinum tolleret, postea, nisi ꝙ dolo malo uenditoris interceptum esset,non debet ab eo præstari si uerbi gratia amphoræ centum ex eo uino quod in cella esset uenierit,si admensum est, donec admetiatur,omne periculum uenditoris est: nisi id per emptorem fiat,ff.e.l.v.

Si uina

Si vina emerim,exceptis acidis & mucidis, & mihi expediat acida quoque accipere,proculus ait quamuis id emptoris causa exceptum sit,tamen acida & mucida non venisse. nam quæ inuitus emptor accipere non cogeretur,iniquum esse,non permitti venditori,uel alii ea vendere,ff.eod.l.sexta.

Si vina,quæ in dolis erunt,venierint,eaque antequam ab emptore tollerētur, sua natura corrupta fuerint,si quidem de bonitate eorum adfirmauit uenditor, tenebitur emptori. Quod si nihil adfirmauit,emptoris erit periculum. quia siue non degustauit,siue degustando male probauit,de se queri debet. planè si uim intelligeret venditor non duraturam bonitatem eorum vsque ad in eum diem quo tolli deberent,non admonuit emptorem tenebitur ei quanti eius interesset admonitum fuisse,ff.eod.l.si vina,xv.

Cùm conuenit,vt singulæ amphorę vini certo precio ueneant: antequam tradantur,imperfecta etiam tunc venditione, periculum vini mutati, emptoris qui moram mensuræ faciendæ non interposuit non fuit. Cum autem vniuersum, quod in horreis petitum erat,venisse sine mensura,& claues emptoribus traditas alleges,post perfectam venditionem,quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Hæc omnia locum habent non solum si vinum, sed etiā si oleum vel frumentum,uel his similia venierint,& ea aut deteriorata, aut penitus corrupta fuerint,C.eod.l.secunda.

Si post emptionem fundo aliquid accesserit, ad emptoris commodum pertinet. Nam & cōmodum eius esse debet,cuius periculū est Inst.de emp. §. sed si post.

Id quod post emptionem fundo accesit per alluuionem,uel periit, ad emptoris commodum incommodumque pertinet.nam & si totus ager post emptionē flumine occupatus esset,periculum esset emptoris: sic igitur & commodum eius esse debet,ff.de periculo & commodo rei uend.l.septima,in princ.

Sic in venditione conditionali: hoc ipsam conuenisset, vt res periculo emptoris pactum valere Scęuola notat: fundi nomine emptor agere non potest, cū prius quam mensura fieret,inundatione acquarum, aut chasmate, aliove quo casu pars fundi interierit,ff.eod.l.si in uenditione,x.§.in libro.

Quod venditur,in modum agri cedere debet: nisi si id actum est,ne crederet,at ꝙ non uenit,in modum cedendum,si id ipsum actum est, vt crederet. veluti uię publicæ,limites,luci,qui fundum tangunt. cum vero neutrum dictum est,cedere non debet. & ideo nominatim caueri solet,ut luci,uiæ publicæ,quæ in fundo sint,totæ in modum cedant,ff.eod.l.septima,§.quod uenditur.

Si post inspectum prædium,antequam emptio contraheretur,arbores uento ui deiectæ sunt,an hæ quoque emptori tradi debeant,quæritur. & responsum est,nō deberi: quia eas non emerit.cum antequā fundū emerit,desierint fundi esse, sed si ignorauit emptor deiectas esse arbores,venditor autem sit,nec admonuit quanti emptoris interfuerit,rē æstimandam esse,si modo uenit,ff.e.l.si post,ix.

Si ita uenierit, EST ILLE EQVVS EMPTVS SIVE NAVIS EX ASIA VENERIT, SIVE NON VENERIT, Iulianus putat statim esse perfectam uenditionem: Quoniam certum sit eam contractam,ff.eodem. l. necessario,viii.§.si ita.

Cùm vsumfructum mihi vendis,interest vtrum ius vtendi fruendi quod solum tuum sit vendas,an verò in ipsum corpus, quod tuum sit, usumfructum mihi vendas: nam priore casu etiam si morieris statim,nihil mihi hæres tuus debebit: hæredi autem meo debebitur si tu uiuis. posteriore casu hæredi meo nihil debebitur,hæres tuus debebit,d.l.necessario,§.finali.

Lectos emptos ædilis,cum in via pnblica positi essent,cōcidit. si traditi essent emptori, aut per eum stetisset, quominus traderentur, emptoris esse periculum placet,ff.eod.l.lectos,xii.

Eunque cum ædili,si id non iure fecisse,habiturum actionem legis Aquiliæ. aut certæ cum uenditore ex empto agendum esse, ut is actiones suas, quas cum ædile habuisset,ei præstaret.Quod si neque traditi essent, neq; emptor in mora fuisset, Quominus traderetur uenditoris periculum erit,ff. eod.l. eunque, xiii.cum l.seq.in princ.

Si fugerit animal uenditum,uel surreptum fuerit,ita ut neque dolus, neque culpa uenditoris interuenerit,animaduertendum erit, an custodiam eius usque ad traditionem uenditor susceperit. sane enim si susceperit ad ipsius periculum is casus pertinet,si non susceperit securus est.Idem & in cæteris rebus intelligimus,utique tamen uendicationem rei,& conditionem exhibere debebit emptori: quia sanè qui nondum rem emptori tradidit,adhuc ipse Dominus est.Idem etiam est in damni iniuriæ actione. Inst. de emptione, §. quod si fugerit.

Materia empta si furto perisset postquam tradita esset, emptoris esse periculo respondit Paulus: si minus uenditoris. uideri autem trabes traditas, quas emptor signasset,ff.eo.l.quod si,14.§.Materia.

Illud sciendum est,cum moram emptor adhibere cœpit,iam non culpam, sed dolum malum tantum præstandum à uenditore.Quod si per uenditorem, & emptorem mora fuerit, labeo quidem scribit,emptori potius nocere, quam uenditori moram adhibitam. sed uidendum est, ne posterior mora damnosa ei sit. quid enim si interpellauero uenditorem,& non dederit idquod emeram: deinde posteriore offerente illo,ego non acceperim? sanè occasu nocere mihi deberet.sed si per emptorem mora fuisset, deinde cum omnia integro essent, uenditor moram adhibuerit, cum posit se exoluere, æquum est posteriorem moram uenditori nocere,ff.de periculo & commodo rei uend.l.illud,17.

Venditori si emptor in precio soluendo moram fecerit, interesse duntaxat præstabit:non omne omnino, quod uenditor mora non facta cnnsequi potuit,ue luti si negotiator fuerit, & precio soluto, ex mercibus plusquam ex interesse, quærere potuit,ff.eod.l.fin.

Dolum autoris bonę fidei emptori non nocere certi iuris,est C.eo.l.tertia.

Cum inter emptorem & uenditorem,contractu sine scriptis inito, de precio conuenit, moraque uenditoris in traditione non intercesit: periculo emptoris rem distractam esse in dubium non uenit. C.eo.l.quarta,

Si res uendita per furtum perierit, prius animaduertum erit, quid inter eos de custodia rei conuenerat si nihil appareat conuenisse,talis custodia desideranda est à uenditore, qualem bonus paterfamilias suis rebus adhibet. quam si præstiterit, & tamen rem perdidit, securus esse debet. ut tamen scilicet uindicationem rei & conditionem exhibeat emptori. unde uidebimus in personam eius,qui alienam rem uendiderit, cum is nullam uindicationem, aut conditionem habere posit.ob id ipsum damnandus est: quia si suam rem uendidisset, potuisset eas actiones ad emptorem transferre,ff. de contrah. empt. l.quod sæpe,35.§.si reo.

Sed & si ex doleario pars uini uenierit,ueluti mextretæ certum,uerisimum est. Quod & constare uidetur,antequam admetiatur, omne periculum ad uenditorem pertinere. nec interest,unum precium omnium centum metretarum in

semel-

ſemeldictum ſit, an in ſingulos eos, d.l. quod ſæpe, §. ſed & ſi.

Si quis in uendendo prædio confinem celauerit, quem emptor ſi audiſſet, emptu rus non eſſet, non tenetur uenditor, d.l. quod ſæpe, §. fi.

Res in auerſione empta, ſi non dolo uenditoris factum ſit, ad periculum emptoris pertinebit. etiam ſi res adſignata non ſit, ff. eo. l. qui officii, 62. §. fin.

DE REBVS EORVM, QVI SVB TVTELA, VEL CVRA SVNT, SINE DECRETO NON ALIENANDIS, VEL HYPOTHECAE SVPPONENDIS.

Titulus XV.

IMPERATORIS ſeueri oratione prohibiti ſunt, tutores & curatores prædia ruſtica, uel ſuburbana diſtrahere. Quæ oratio in ſenatu recitata eſt Tertillo, & Clemente conſulibus Idibus Iuniis, & ſunt uerba eius huiuſmodi PRAETEREA PATRES CONSCRIPTI INTERDICAM TVTORIBVS, ET CVRATORIBVS, NE PRAEDIA RVSTICA, VEL SVB VRBANA DISTRAHANT, NISI SI ID, VT FIERET PARENTES TESTAMENTO, VEL CODICILLIS CAVERINT, QVOD SI FORTE AES ALIENVM TANTVM ERIT, VT EX REBVS CAETERIS NON POSSIT EXSOLVI: TVNC PRAETOR VRBANVS VIR CLARISSIMVS ADEATVR, QVI PRO SVA RELIGIONE EXISTIMET, QVAE POSSINT ALIENARI, OBLIGARIVE DEBEANT: MANENTE PVPILLO ACTIONE SI POSTEA POTVERIT PROBARI OBREPTVM ESSE PRAETORI, ff. de rebus eorum, qui ſub tutel. l. prima, in principio.

Si defunctus, dum uiueret res uenales habuerit, teſtamento tamen non cauerit, ut diſtrahentur abſtinendum erit uenditione. Non enim utique, qui ipſe uoluerit uendere. Idem ēt poſtea diſtrahendum putauit, d.l. prima, §. ſi defunct.

Si minor 25. annis emerit prædia, ut quoad pretium ſolueretur, eſſent pignori obligata uenditori pignus non ualebit. Nam ubi dominium quæſitum eſt minori, cæpit non poſſe obligari, d.l. prima, §. fin.

Sed hic uidetur illud mouere, quod cum dominio pignus quæſitum eſt: & ab initio obligatio inhæſit. Quod ſi à fiſco emerit, nec dubitatio eſt, quin ius pignoris ſaluum ſit. Si igitur talis ſpecies in priuato uenditore inciderit, imperiali beneficio opus eſt, ut ex reſcripto pignus confirmetur, ff. eod. l. ſecunda.

Sed ſi pecunia alterius pupilli alteri pupillo fundus ſit comparatus, iſque pupillo uel minori traditus ſit. an pignoris obligationem poſſit habere is, cuius pecunia fundus fuit emptus? & magis eſt, ut ſaluum ſit ius pignoris, ei pupillo cuius pecunia comparatus eſt fundus: pignori tamen capi iuſſu magiſtratus, uel præſidis, uel alterius poteſtatis, & diſtrahi fundus pupillaris poteſt. Sed & in poſſeſſionem mitti rerum pupillarium à prætore quis poteſt? Et ius pignoris con trahitur ſiue legatus ſeruandorum cauſa, ſiue damni infecti, ut procedat iubere, etiam poſſideri poterit. Hæ enim obligationes, ſiue alienationes locum habent: quia non ex tutoris, uel curatoris uoluntate id ſit, ſed ex magiſtratu cum authoritate, ff. eo. l. tertia, in prin.

Item quæri poteſt, ſi fundus pupilli à tutore petitus ſit, nec reſtituatur an litis ęſtimatio oblatam alienationem pariat, & magis eſt, ut pariat. Hæc enim alienatio

tio non ſponſæ tutorem fuit. Idemque erit dicendum, & ſi fundus peritus ſit, qui pupilli fuit. & contra pupillum pronuntiatum, tutoreſque reſtituerunt. Nam & hic ualebit alienatio propter rei iudicatæ authoritatem, d.l. tertia, §. Item quæri.

ius detentionis, quod miſſo in poſſes ſionem ex primo decreto contingit, uſq;

Si dum ſecundo impetrato, habeat pupillus. uideamus an diſtrahi hoc à tutoribus poſsit. & magis eſt non poſse. quamuis ius prædii potius ſit, d.l. 3. §. ſi Ius.

Nec uſusfructus alienari poteſt pupilli, ſi ſolus fuit uſusfructus pupilli. An ergo hic non utendo amittatur. Si tutor cauſam præbuerit huius rei. Et manifeſtũ eſt inſtaurari debere. Sed ſi proprietatem habeat pupillus, non poteſt uſumfructum, vel uſum alienare, quamuis oratio nihil de uſufructu loquatur, d.l. tertia, §. Nec uſusfructus.

Simili modo dici poteſt, nec ſeruitutem imponi poſſe fundo pupilli, uel adoleſcentis, nec ſeruitutem remitti. quod & in fundo dotáli placuit, d.l. 3. §. fin.

Si lapidicinas, uel quæ alia metalla pupillus habuerit. ſtypteria, uel cuiuſque alterius materiæ, uel Cretefodinas, uel Argentifodinas, uel quid aliud huic ſimile. quod tamen priuatis licet poſsidere, magis uerum eſt ex ſententia orationis impediri alienationem, ſed & ſi ſalinas habeat, pupillus, idẽ erit dicendum, d.l. tertia, §. fin. & l. quarta & quinta, in princ.

Si pupillus alienum fundum bona fide emptum poſsideat: dicendum eſt, nec hunc alienare tutores poſſe. Etenim ſi quaſi pupillaris diſtractus eſt, uenditio ualet, d.l. quinta, §. ſi pupillus.

Si pupillo fundus pignoratus ſit: uendere tutores poſſunt hunc enim quaſi debitoris, hoc eſt, ut alienum uendunt: ſi tamen impetrauerit pupillus, uel pater eius, ut iure dominii poſsideat: conſequens erit dicere non poſſe diſtrahi quaſi prædium pupillare. Idemque eſt & ſi fuerit ex cauſa damni infecti iuſſus poſſidere, d.l. quinta, §. ſi pupillo.

Si fundus legatus uel per fideicommiſſum fuerit relictus, Scio à pupillo hærede inſtituto, an tutores reſtituere hunc fundum poſsit, ſine authoritate prætoris? & ſi quidem rem ſuam legauit, oratio ceſſat, ſin uero de re pupilli, dicendum erit locum eſſe orationi, nec inconſulto prætore poſſe alienari, d.l. quinta, §. ſi fundus.

Si pupillus ſtipulanti ſpoponderit, an ſoluere poſsit, ſine prætoris authoritate: & magis eſt ne poſsit: alioquin inuenta erit alienandi ratiò, ſed ſi pater ſtipulanti fundum ſpoponderit, ſucceſſeritque pupillus in ſtipulatum fortius dicetur ſine prætoris authoritate poſſe eum reddere, idemq; & ſi iure hæreditario alii ſucceſſerit, qui erat obligatus eadem ratione, & ſi parens fundum uendiderit, uel quiuis alius cui pupillus ſucceſſerit: poteſt dici pupillum cætera uenditionis inconſulto prætore poſſe perficere, d.l. quinta, §. ſi pupillus.

Fundum legatum repudiare pupillus ſine prætoris authoritate non poteſt. Eſſe enim, & hanc alienationem, cum res ſit pupilli, nemo dubitat, d.l.v. §. fundũ.

Ob æs alienum tantum cauſa cognita præſidali decreto prędium ruſticum minoris prouinciale diſtrahi permittitur C. de prædiis, & aliis rebus min. nõ alien. l. ob æs alienum, 12.

Non paſſim tutoribus ſub obtentu æris alieni permitti venditio debuit. Neq; enim eſt eis via diſtractionis tributa. & ideo prætori arbitrium huius rei ſenatus dedit: cuius officio in primis connenit hoc excutere, an aliunde pecunia poſsit ad extenuandum æs alienum expediri. quærere ergo debet, an pecuniam

niam pupillus habeat, uel innumerato, uel in nominibusque, quæ conueniri poſsint, uel in fructibus conditis, uel etiam in redituum ſpe, atque obuentionum. Item requirat nam aliæ res ſint præter prædia, quæ diſtrahi poſsint, ex quarum pietio æri alieno ſatisfieri poſsit. ſi igitur depræhenderit non poſſe aliunde exolui, quam ex prædiorum diſtractione: tunc ꝑmittit diſtrahi. Si modo urgeat Creditor, autem intereſſe modus parendum æri alieno ſuadeat. Item prætor æſtimare debebit, utrum uendere potius, an obligare permittat: nec non & illud uigilanter obſeruare, ne plus accipiatur ſub obligatione prædiorum, quàm opus ſit ad ſoluendum æs alienum: aut ſi diſtrahendum arbitrabitur: ne propter æs alienum modicum, poſſeſsio magna diſtrabatur, ſed ſi ſit alia poſſeſsio minor, uel minus utilis pupillo: magis eam iubeat diſtrahi, quā maiorem, & utiliorem. In primis igitur quoties deſideratur ab eo, ut permittat diſtrahi requirere debet eum, qui ſe inſtruat de fortunis pupilli: nec nimium tutoribus, uel curatoribus credere, qui nonnunquam lucri ſui gratia aſſeuerari prætori ſolent neceſſe eſſe diſtrahi poſſesſiones, uel obligari. Requirat ergo neceſſarius pupilli, uel parentes, uel aliquos fideles, uel quem alium, qui notitiam rerum pupillarium habeat, aut ſi nemo inueniatur, aut ſuſpecti ſint, qui inueniuntur iubere debent ediationes: Itemque Synopſin pupillarium bonorum, aduocatum pupillo dare, qui inſtruere poſsit prætoris religionem, an aſſentire uenditioni, uel obligationi debeat. Si uero prætor aditus permiſſerit diſtrahi poſſesſionem prouincialem ualebit, quod fecit. ſi modo Tutela Romæ agebatur, & hi tutores eam, quoque adminiſtrationem ſubierāt. Ne tamen titulo tenus tutores ære alieno allegato pecunia abutantur quam mutuam acceperint: oportebit prætorem curare, ut pecunia accepta creditoribus ſoluatur, & de hoc decernere, dareque uiatorem, qui ei renuntiet pecuniam iſtam ad hoc conuerſam, propter quid deſiderata eſt alienatio, uel obligatio, d.l.quinta, §.non paſsim.

Si æs alienum non interueniat tutores, tamen allegent expedire, hęc prædia uendi, & alia comparari, uel certe iſtis carere: uidendum eſt, an prætor eis debeat permittere, & magis eſt ne poſsit, prætori enim non liberum arbitrium datum eſt diſtrahendi res pupillares, ſed ita demum ſi æs alienum immineat. proinde & ſi promiſerit ære alieno non allegato conſequenter dicemus, nullam eſſe uenditionem, nullumque decretum, Non enim paſſim diſtrahi iubere prætori tributum eſt. ſed ita demum ſi urgeat æs alienum, d.l.5.§. ſi æs alienum.

Minorum poſſesſionis uenditio per procuratorem delato ad prætorem, uel præſidem prouinciæ libello, fieri non potuit cum eas res confici rectè aliter non poſsit, Niſi apud acta cauſis probatis, quæ uenditionis neceſsiiatem inferant, decretum ſolenniter interponatur, C.eo.l.quinta.

Manet actio pupillo ſi poſtea poterit probari obreptum eſſe prætori. Sed uidendum eſt utrum in rem, an in perſonam dabimus ei actionem, & magis eſt ut, & in rem detur non tantum in perſonam aduerſus tutores, ſiue curatores, ff. eod.l.quinta, §.manet, & C.eo.l.quinta.

Cum emancipatis uobis prædium acquiſitum foret alienari à patre, eodemque curatore ſine prædiis, authoritate non potuit. maxime ſi tamquam ſuum eſſet non tamquam pupillare uendiderit. Itaque illibata uobis perſecutio eius manet, C.de præd.min.non alien.l.tertia.

Non ſolum per uenditionem ruſtica prædia uel ſuburbana pupilli, uel adoleſcentes alienare prohibentur, ſed neque tranſactionis ratione, neque permutatione, &

ne,& multo magis donatione,uel alio quoquo modo ea transferre, sine decreto à dominio suo possunt. Igitur & tu si fratribus tuis per transactionem fundum dedisti uendicare eum potes: sed si quid inuicem ab eis ex eodem pacto consecutus es,id mutuo restituere debes,C.eo.l.quarta.

Si ad resoluendam donationem, quam in emancipatum & pater contulerat,minor uigintiquinq; annis cautionem ei emisisti, cum huiusmodi scriptura contra senatusconsulti authoritatem data sit non oberit iuri tuo,C.eo.l.septima.

Prædia rustica, quæ contra senatusconsultum data esse ante nuptias sponsaliorum nomine præcum tuarum confesio ostendit,cum proprietas ad te propter iuris interdictum transire non potuerit,in dominio mariti permansisse,palam est,C.eod.l. octaua.

Etiam uectigale, uel patrimoniale, siue emphyteuticum prædium, sine decreto præsidis distrahi non licet,C.eo.l.etiam.13.

Si minor uigintiquinque annis prædium rusticum cum aliud deberes,sine decreto insolutum dedisti. Dominum à te descedere non permittit senatusconsulti authoritas,C.eo.l.si minor,15.

Si prædium rusticum,uel suburbanum, (quod ab urbanis non loco, Sed qualitate se cernitur) In pupillari constituta ætate tutore,authore, uel adulta sine decreto præsidiis prouinciæ in qua situm est venumdedisti: secundum sententiã senatusconsulti dominium eius,sine ius à te discedere non potuit: Sed uendicationem eius & fructuum, uel his existentibus cõdictionem competere constitit. Emptor autem si probare potuerit ex cæteris facultatibus obedire te muneribus, siue oneribus non potuisse ad utilitates præterea tuas cessisse,pecuniam,quam pretii nomine sumpseras: doli exceptionis auxilio pretium cum interesse,quod præstituras esses.& sumptus meliorati prædii seru-re tantummodo potest,C.eo.l.si prædium,16.

Si cõmunis res erit, & socius ad diuisionem prouocet: aut creditor, qui pignori agrum à parente pupilli accepit.ius exequatur, sed nihil nouandum & ff.eod. l.prima,§.ff communis res.

Communia prædia accipeee debemus,si pro indiuiso communia sint. Cæterũ si pro diuisio communia sint,cessante oratione decreto locus erit,ff.eo.l. quinta,§.finali.

Sed si forte alius proprietatem fundi habeat, alius vsumfructum: magis est, vt cesset hæc pars orationis, quæ de diuisione loquitur. nulla enim communio est,ff.eo.l.sexta.

Communia prædia obligari non possunt,sine decreto.nam quod excipit, oratio ad hoc tantum pertinet,ut peremætur communio,non ut augeatur difficultas communionis,ff.eo.l.qui neque.& §.fin.

Inter omnes minores,néc commune prædium, sine decreto præsidiis sententia senatusconsulti distrahi patitur. Nam ad diuisionis causam prouocante, tantummodo maiore socio eius alienationem,& sine decreto fieri iampridem obtinuit,C.eo.l.inter omnes minores,17.

Si pupillorum sint communia prædia,qui diuersos tutores habent: uideamus an alienatio locum haberi posit,& cum prouocatio necessaria sit: alienatio impeditur. Neuter enim poterit prouocare,sed ambo prouocationem expectãt. Item si eosdem tutores habeant,multo magis,quis impeditam alienationem dicet,ff.eo.l.septima,in prin.

Si pupillus dedit res pignori permissu prætoris: nonnulla erit dubitatio, an alienatio

natio poſsit impediri, ſed dicendum eſt poſſe creditorem ius ſuum exequi. Tutius tamen fecerit, ſi prius prætorem adierit, d.l. ſeptima, §. ſi pupillus.

Si pater uel parens Tutor ſit alicui ex libris, an prætor adeundus ſit ſi obligare uelit? Et magis eſt, ut debeat. Pronior tamen eſſe debet prætor ad conſentiendum patri, d.l. ſeptima, §. ſi pater.

Si prætor tutoribus permiſerit uendere, & illi obligauerit, uel contra, an ualeat quod actum eſt. Et uerum eſt eum, qui aliud fecit, quàm quod à prætore decretum eſt nihil egiſſe. Quid ergo ſi prætor ita decreuerit: VENDERE OBLIGARE PERMITTO, an poſsit liberum arbitrium habere, qui faciat. Et magis eſt, ut poſsit. dummodo ſciamus prætorem non rectè partibus ſuis functũ. debuit enim ipſe ſtatuere, & eligere, utrum magis obligare, an uendere permittat, d.l. ſeptima, §. ſi prætor.

Si obligauerit rem Tutor ſine decreto: quamuis obligatio non ualeat. eſt tamen exceptioni doli mali locus: ſcilicet tunc, cum tutor mutuam acceptam pecuniam ei ſoluerit, qui ſub pignore erat creditor. Item uidendum eſt, an & obligare ei re poſsit. Et dicendum eſt ſi eandem ſortem acceperit, non ualere obligationem, ut ius prioris creditoris etiam ad ſequentem tranſeat, d.l. ſepti. §. ſi.

Et ſi is, quem prędium ruſticum minoris diſtraxiſſe affirmas curatoris officio functus id fecit: uenditio tamen contra diui ſeueri orationem facta, præſidis ſententia non immerito reſciſſa eſt. pignora ſanè, quæ ib euictionis periculum idem curator ex rebus propriis tibi obligauit non prohiberis perſequi, C. de præd. mi. non alie. l. & ſi 9.

Qui neque tutores ſunt ipſo iure, neque curatores, ſed per tutore negatiua gerunt, uel per curatore, eos non poſſe diſtrahere res pupillorum, uel adoleſcentium nulla dubitatio eſt, ff. eo. l. qui neque, viii. in princ.

Sed ſi curator ſit furioſi, uel cuiuſque alterius non adoleſcentis: uidendum eſt, utrum iure uetere ualebit uenditio, an hanc orationem admittemus & quia de pupillis princeps loquitur, & coniuncti tutoribus, curatores accipiuntur & de cæteris ex ſententia orationis, idem dicendum eſt, d.l. qui neque. §. ſed ſi curator.

Quamuis anteceſſor præſidis decreuiſſet ea prædia uenundari, quæ tutor pupilli ſubiecto nomine alterius emptoris, ipſe ſibi comparabat. tamen ſi fraudem, & dolum contra ſenatuſconſulti authoritatem, & fidem tutoris commiſſam, deprehendiſſet ſucceſſor, eius æſtimabit quatenus, tam callidum cõmentum in exemplum coercere debeat, ff. eo. l. quamuis, ix.

Illicite poſt ſenatuſconſultum pupilli, vel adoleſcentis prædio uenundato, ſi eo nomine apud iudicem tutelæ, uel utilis actionis æſtimatio facta eſt, eaque ſoluta: uendicatio prædii ex æquitate inhibetur, ff. eo. l, Illicite, x.

Si prædia minoris 25. annis diſtrahi deſiderentur: cauſa cognita præſes prouinciæ debet id permittere. Idem ſeruari oportet, & ſi furioſi, uel prodigi, uel cuiuſque alterius prædia curatores uelint diſtrahere, ff. eo. l. ſi prædia, ii.

Non ſit contra ſenatuſconſultum, ſi cuius tutor creditori patris pupilli exoluit, ut eius loco ſuccedat, ff. eo. l. Non ſit, 12.

Si fundus ſit ſterilis, uel ſaxoſſus, uel peſtilens, uidendum eſt, an alienare eum nõ poſsit. Et Imperator Antonius, & diuus pater eius in hæc uerba reſcripſerũt. Quod allegatis infructuoſum eſſe fundum, quem uendere uultis. mouere nos non poteſt eum utique pro fructuum modo pretium inuenturus ſit, ff. eod. l. ſi fundus, 13. in prin.

Quan-

Quanquam autem neque distrahere, neque obligare tutor pupillare prędium potest: attamen, Papianus ait tutorem rem pupilli sine decreto prætoris non iure distrahere, neque obligare. Si tamen inquit, errore lapsus uendiderit, & precium exceptum creditoribus paternis pueri soluerit. quandocunque prędium domino cum fructibus uendicanti doli non inutiliter opponetur exceptio, pretium ac medii temporis interesse, quod creditoribus deberetur, non offerenti, si ex cæteris facultatibus eius æs alienum solui non poterit. Paulus autem notauit, & si solui potuerit, si tamen alia res saluæ erunt. ex quarum pretio æri alieno satisfieri potuerit, dicendum esse adhuc doli exceptionem obstare, si lucrum captet pupillus ex damno alieno, d. l. si fundus, §. fin.

Vtere uiri prudentissimi Papiani responso, cæterorumque, quorum precibus fecisti mentionem sententiis: ac doli mali exceptionem oppone, pretium ob eorum debitum solutum probens, si sortem cum interesse quod fisco deberetur pupilli non offerentes, fundos prouinciales citra decretum præsidis, uenundatos cum fructibus petant, C. eo. l. utere, 14.

Si minores uel ex patris nomine, uel ex suo debitis duntaxat fiscalibus vrgentibus, uel ex priuatis contractibus reperiantur obnoxii. Decreti interpositio à Constantiniano prætore celebranda est, probatis examinatisque causis, ut pate facta rerum fide, firma uenditio perseueret, C. eod. l. finali.

Paulus respondit, & si testamentum patris postea irritum esse apparuerit: tamen tutores pupilli, siue curatores filii nihil contra orationem diuorum principum fecisse uideri, si secundum uoluntatem defuncti testamento scriptam, prædium rusticum pupillare uendiderunt. ff. eod. l. finali.

Venditio quidem prædii, quod iure pignoris uel in causa iudicati captum & distractum, est ad senatusconsuntum, quod & non alienandis prediis pupillorum uel adolescentium, nisi authore prætore, uel præside prouinciæ factum est non pertinet. sed si etiam num in ea ætate es, cui subueniri solet, aditus competens iudex, an in integrnm restituere debeat præsente diuersa parte, causa cognita dispiciet. C. de præd. min. non alienandis. l. prima.

Non est uobis necessaria in integrum restitutio, si tutores, uel curatores uestri possessionem, licet pignori nexam uendiderunt sine decreto. Quod si creditores id fecerunt: ita demum iuxta formam ædicti, beneficium tibi impertietur, si fraudulenta uenditione participante consilio emptoris damnum tibi inflictum esse doceatur, C. eod. l. secunda.

Prædiorum, quæ sine decreto alienata sunt, dominium tibi persequenti, præses opem feret, apud quem si illuxerit non uniuersa prætia, quæ curatori tuo data sunt, in patrimonium tuum processisse: pro ea duntaxat pecuniæ parte conuenire te permittet: quam in facultates tuas erogatam esse constiterit. C. eod. l. prædiorum. x.

QVANDO DECRETO OPVS NON EST.
Titulus XVI.

SI probare potes patrem pupilli, cuius tutores conuenisti consensisse, ut reddito tibi prędio precium reciperet: Id quod conuenit, seruabitur. neque enim in ea re authoritas præsidis neccessaria est, vt tutorum sollicitudini consulatur, si uoluntati defuncti pareant. C. quando decreto, opus non est. l. prima.

Illud requirendum est, an adito Principe, Saturnius uir clarissimus specialiter ius uenditionis acceperit. ad instar enim, præsidalis decreti contentio principalis accedit, C. eo. l. secunda.

Prædium rusticum, uel suburbanum à minore uigintiquinque annis alienati, siue decreto præsidis: nisi parentis uoluntas, seu testatoris, ex cuius bonis ad minorem peruenit, super alienando eo aliquid mandasse deprehendatur: nulla ratione potest, C. eo. l. tertia.

Et sine interpositione decreti tutores, uel curatores, quaruncunque personarum, uestes detritas, & superuacua animalia uendere permittatur, C. eodem l. finali.

SI QVIS IGNORANS REM MINORIS ESSE, SINE DECRETO COMPARVERIT.

Titulus XVII.

SI ea, quæ in iura tutoris hæreditario titulo successit, possessionem tuam uendiderit: & ut pupillarem distraxit. Emptor qui sciens à tutoris hærede mercatus est, cum officium morte finiatur, alienam rem comparando de temporis interuallo nullam potuit adquirere defensionem. Si uerò ut suam distraxit ignoransque rem alienam emptor comparauit. Neque statim per traditionem possessionis dominus effectus est. Sed tantummodo aduersus te statuti temporis, cum te legitimæ ætatis esse non diffitearis, potest uti præscriptione, C. eo. l. prima.

Si contra amplissimi ordinis decretum possessiones tuæ distractæ sunt, conueni earum possessorem. ut (si ita probaueris gestum) & possessio retrahatur, & fructus uniuersi reuocentur: si non bona fide emptorem fuisse, qui emit, constiterit, C. eod. l. secunda.

Possessiones tuæ rusticæ, uel suburbanæ, sine cognitione causæ, & interpositione decreti contra senatusconsultum alienatæ, nec à secundo emptore rectè tenentur: Nisi statutum temporis spacium intercessit, C. eo. l. tertia.

Quoniam aduersus emptorem, ad quem ex persona eius, cui contra senatusconsultum donata res est, iusto titulo interueniente ea res de qualis est, transitum fecit: requirere oportebit, an presente priore domino, & maiore effecto, sine controuersia bonafide decennio, uel absente uiginti annis, qui quæstionem patitur, possessor fuisse monstretur. quod si apud grauitatem tuam manifeste constiterit, sine ulla cunctatione, habita longi temporis præscriptione, petitorem oportebit excludi, C. eo. l. fin.

SI MAIOR FACTVS VENDITIONEM FACTAM, SINE DECRETO RATAM HABVERIT.

Titul. XVIII.

CVM proponas curatorem patris tui non interposito præsidis decreto prædium rusticum hæredi creditoris, seu curatori eius destinasse uenundare, eamq; uenditionem deceptum patrem tuum ratam habuisse, si minore pretio distractum est prædium, & inconsulto errore lapsum patrem tuum perperam uenditioni consensum

OOOOo dedisse

dedisse constiterit: non ab re erit, superfluum precii in compensationem deduci. quod præsidis prouisione fieri conuenit, cuius solertiæ congruum est, si diuersa pars bonam fidem non amplectatur, in arbitrio eius ponere, an uelit possessionem cum fructibus restituere; ita ut pecunia cum competenti interesse restituatur, C. eo. l. prima.

Si sine decreto præsidis prædia tua à tutore tuo alienata sunt, nec speciali confirmatione uel (si bona fide possessor fuisset) statuti temporis excursu id, quod perperam est factum, fuerat stabilitum: præses prouinciæ possessionem in ius tuum retrahet, C. eo. l. secunda.

Si quando sine decreto minorum, uel adhuc sub curatoribus constitutorum, uel perueniam ætatis eorum curam excedentium, res alienantur, uel supponuntur, & ad perfectam ætatem iidem minores prouecti, longo silentio querelam huiusmodi tradiderint, ut inutilis alienatio, uel suppositio diuturno silentio roboretur, certum tempus, ad talem confirmationem præfinitum esse censetur. Ideoque præcipitur, si per quinque continuos annos, post impletam minorum ætatem, idest uigintiquinque annos connumerandos, nihil conquestus est super tali alienatione, uel suppositione is, qui eam fecit, uel hæres eius, minime retractari eam occasionem prætermissionis decreto, sed sic tenere, quasi ab initio legitimo decreto fuisset alienata res, uel supposita. Cum autem donationes à minoribus, nec cum decreto celebrari possint. Si minor uel post ueniam ætatis, rem immobilem donationis titulo in alium (excepto propter nuptias donatione) transcripserit: non aliter hoc firmitatem habebit, nisi post uigintiquinque annos impletos, inter præsentes quidem decennium, inter absentes autem uicennium donatore adquiescente effluxerit: ut tamen in hæredis persona illud tantummodo tempus accedat; quod post eiusdem hæredis minoris ætatem silentio transactum sit, C. eo. l. fin.

DE RERVM PERMVTATIONE.
Tit. XIX.

SICVT aliud est uendere, aliud emere, alius emptor, alius uenditor: ita aliud precium, aliud merx. at in permutatione discerni non potest, uter emptor, uel uter uenditor sit: multumq; differunt eorum præstationes. emptor enim, nisi fecerit numos accipientes, tenetur ex uendito. uenditori sufficit ob euictionem se obligare, possessionemq; tradere, & purgari de dolo malo. itaque si res euicta non sit, nihil debet. In permutatione uero, si utrumque precium est, utriusque rem fieri oportet, si merx, neutrius, sed cum debeat, & res & precium esse, non potest discerni, quid eorum sit precium, & quid ueneat: nec ratio patitur, ut una, eademq; res, & ueneat, & precium sit emptionis. Vnde si ea res, quam acceperim, uel dederim, postea euincatur in factum dandam actionem respondetur. item emptio ac uenditio nuda consentientium uoluntate contrahitur: permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet. alioquin, si res nondum tradita sit, nudo consensu constitui obligatione

dicemus,

dicemus, quod in his duntaxat receptum est, quæ nomen suum habent: ut in emptione, uenditione, conductione, mandato. ideo Pedius ait, alienam rem dantem nullam contrahere permutationem. igitur ex altera parte traditione facta, si alter rem nolit tradere, non in hoc agemus, ut interest nostra, illam rem accepisse, de qua conuenit: sed ut res contra nobis reddatur, condictioni locus est, quasi re non secuta. ff. de rerum permutatione, l. prima.

Si cum pater tuus uenalem possessionem haberet, precii nomine, licet non taxata quantitate aliam possessionem dedit: idque quod comparauit, non iniuria iudicis, nec patris tui culpa euictum est: ad exemplum ex empto actionis non immerito id, quod tua interest (si in patris iura successisti) consequi desideras. At enim si cum uenalis possessio non esset permutatio facta est, idque, quod ab aduersario præstitum est, euictum est: quod datum est (si hoc elegeris) cum ratione restitui postulabis, C. eo. l. prima.

Permutationem utpote re ipsa bonæfidei constitutam, sicut commemoras, uicem emptionis obtinere, non est iuris incogniti, C. eo. l. 2.

Ex placito permutationis, nulla re secuta, constat nemini actionem competere: nisi stipulatio subiecta ex uerborum obligatione quæsierit partibus actionem. C. eod. l. tertia.

Cum precibus tuis expresseris placitum inter te, & alium permutationis intercessisse, eumque fundum à te datum uendidisse: contra emptorem quidem te nullam habere actionem perspicis, cum ab eo susceperit dominium cui te tradidisse titulo permutationis non negas. sed si secundum fidem placiti stipulatio subiecta est: successores eiusdem, cum quo contractum habuisti, conuenire non prohiberis. si uero nulla stipulatio intercesit: præscriptis uerbis actio est, ut uel fides placiti tibi seruetur, uel quod alterius accipiendi fundi gratia dedisti, causa non secuta restituatur. C. eod. l. quarta.

Quoniam ad seueras patrem tuum ei, contra quem preces fundis hac conditione dedisse fundum, ut inuicem domum certam acciperet: aditus præses prouinciæ placitis eum parere uel si causam, propter quam fundus datus est, sequi non prospexerit, condictionis ratione datum ei te, restituere, sicut postulas, iubebit, C. eod. l. quinta.

Rebus certa lege traditis, si huic non pareatur præscriptis uerbis incertam ciuilem dandam actionem, iuris authoritas demonstrat, C. eo. l. sexta.

Emptionem rebus fieri non posse, pridem placuit, igitur cum frumenti certam modiationem Callimacho, & Agamato te dedisse, ut tibi repræsentent olei designatum pondus adseueres, si placitis citra stipulationis solennitatem non exhibeant fidem: quantum dedisti, causa non secuta, condicere pro desiderio tuo potes. C. eod. l. penult.

Ea lege rebus donatis candido, ut quod placuerat menstruum, seu annuum tibi præstaret: cum huiusmodi conuentio non nudi pacti nomine censeatur, sed rebus propriis dictæ legis substantia muniatur; adimplendum tibi placitum sicut postulas, præscriptis uerbis competit actio. C. eod. l. finali.

DE LOCATIONE, ET CONDVCTIONE.
Tit. XX.

LOCATIO, & conductio proxima est emptioni, & uenditioni, eiusdemque regulis consistit. Nam, ut emptio & uenditio, ita contrahitur, si de pretio conuenerit: sic & locatio, & conductio, ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit, & competit locatori quidem locati actio, conductori uero conducti. Inst. de locatione, in princ. & ff. eod. l. secunda, in princ.

Locatio, & conductio cum naturalis sit, & omnium gentium non uerbis, sed consensu contrahitur, sicuti emptio & uenditio, ff. eo. l. prima.

Sicut emptio, ità & locatio sub conditione fieri potest, sed donationis causa contrahi non potest, ff. eo. l. sicut, 23. in princ.

Ea quæ disposita sunt in emptione, si alieno arbitrio precium promissum fuerit, eadem, & de locatione, & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces promissa fuerit, Inst. ead. l. §. ea quæ.

Si merces promissa sit generaliter alieno arbitrio, locatio, & conductio contrahi non uidetur, sinautem quanti Titius æstimauerit: sub hac conditione locatio stabit. ut si quidem ipse qui nominatus est mercedem definierit: omnino secundum eius æstimationem & mercedem persolui oporteat, & conductio ad effectum peruenire debet. Sinautem ille uel noluerit, uel non potuerit mercedem definire: tunc pro nihilo erit conductio quasi nulla mercede statuta, ff. eo. l. si merces, 28. in princ.

Si in lege locationis comprehensum est, ut arbitratu domini opus approbetur, perinde habetur, ac si uiri boni arbitrium comprehensum esset. Idemque seruatur si alterius cuiuslibet arbitrium comprehensum sit. Nam fides bona exigit, ut arbitrium tale præstetur, quale uiro bono conuenit. ideoq; arbitrium ad qualitatem operis non ad tempus prorogandum, quod lege finitum sit, pertinet: Nisi id ipsum lege comprehensum sit, quibus consequens est, ut irrita sit approbatio dolo conductoris facta, ut ex locato agi possit. ff. eod. l. si in lege, 27. in princ.

In operis locatione erat dictum antequam diem effici deberet: deinde si ita factum non esset, quanti locatoris interfuisset, tantam pecuniam conductor promiserat. Eatenus ea obligatio contrahitur quatenus uir bonus de spatio temporis ęstimasset: quia id actum apparet esse, ut eo spatio absolueretur, sine quo fieri non posset, ff. eo. l. Insulam, 60. §. in operis.

Opus, quod aduersione locatum est, Donec approbetur conductoris periculo est, quod uero ita conductum sit, ut in pedes, mensurasue præstetur, eatenus conductoris periculo est, quatenus ad mensum non sit, & in utraque causa nocituram locatori, si per eum steterit, quominus opus approbetur, uel admitiatur, si tamen ui maiore opus prius interciderit, quam approbaretur: locatoris periculo est, nisi aliud actum sit. Non enim amplius locatori præstari oportet, qaam sua cura, atque opera consecutus est, ff. eo. l. opus, 39.

Si priusquam locatori probaretur opus, ui aliqua consumptum est, detrimentum ad locatorem, ita pertinet, si tale opus fuit, ut probari deberet,

ff. eo-

ff. eodem lege si prius, xl.

Lege dicta, domus facienda locata erat, ita, ut probatio, aut an probatio locatoris, aut hæredis eius esset, redemptor ex uoluntate locatoris, quædam in opere permutauerat. Respondit Labeo opus ex lege dicta non uideri factum, sed quoniam ex uoluntate locatoris permutatum esset, redemptorem absolui debere, ff. eo. l. cum in plures, 60. §. lege dicta.

Mandaui tibi, ut excuteres quanti uillam ædificare uelles, renunciasti mihi ducentorum impensam excutere, certa mercede opus tibi locaui, postea comperi non posse minoris trecentis eam uillam constare, data autem tibi erant centum, in quibus cum partem impedisses, uetui te opus facere dictum est, si opus facere perseueraueris, ex locato me tecum agere, ut pecuniæ mihi reliqum restituas, d. l. cum in plures, §. Mandaui.

Si fulloni polienda, curandeve, aut sarcinatori sarcienda uestimenta, si quid dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturum, quantum inter eos conuenerit, non proprie locatio, & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine, actio præscriptis uerbis datur, Inst. eo. §. qua de causa.

Si tibi polienda, sarciendave uestimenta dederim, si quidem gratis hanc operam te suscipiente mandati est obligatio: si uero mercede data, aut constituta locationis, conductionisq; negotium geritur. Quod si neq; gratis hanc operam susceperis, neq; protinus aut data, aut constituta sit merces, sed eo animo negotium gestum fuit, ut postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit: placet quasi de nouo negotio in factum dandum iudiciũ esse, idest præscriptis uerbis actionem, ff. de præscr. uerb. l. si tibi, 24.

Cum Insulam ædificandam locauero, ut sua impensa conductor omnia faciat, proprietatem quidam eorum ad me transfert, & tamen locatio est. locat enim artifex operam suam, idest faciendi necessitatem, ff. loca. l. item, 25. §. cum Insulam.

Adeo autem familiaritatem aliquam habere uidentur emptio, & uenditio, item locatio, & conductio. Vt ecce si cum aurifice mihi conuenerit, ut ex auro suo annulos mihi faceret certi ponderis, certeque formę: & acceperit (uerbi gratia) trecentia, utrum emptio, & uenditio sit, an locatio, & conductio? Sed placet unum esse negotium, & magis emptionem, & uenditionem, quod si ego aurum dedera mercede pro opera constituta. Dubium non est, quin locatio, & conductio sit, ff. eo. l. secunda, §. adeo.

Non solet locatio dominium mutare, ff. eo. l. Non solet, 42.

Cum fundus locetur, & ęstimatum instrumentum colonus accipiat: proculus ait id agi, ut instrumentum emptum habeat colonus: sicut fieret cum quid æstimatum in dotem daretur, ff. eo. l. tertia.

Illud uidendum est, si quis fundum locauerit, quæ soleat instrumenti nomine conductori præstare: quæ si non præstet ex locato, tenetur, & est in Epistola Neratii ad Aristonem, dolia utique colono præstanda esse, & prælum, & Trapeta instructa funibus: sin minus dominum instruere ea debere: sed, & prælum, & Trapetum uitiatum: Dominum reficere debere. quod si culpa coloni, quid eorum coruptum sit, ex locato eum teneri. Fiscos autem, quibus ad præmendum oleum utimur colonum, sibi parare debere. Neratius scripsit. quod si regulis olea præmatur, & prælum, & suculam, & regulas, & Tympanum, & Trochleas, quibus releuatur prælum, dominum, præstare oportere. Item ænum, in quo olea calida aqua lauatur,

ut cætera uasa olearia dominum præstare oportere. sicut dolia uinaria, quæ ad præsentem usum colonum picare oportebit. Hæc autem omnia sic sunt accipienda, Nisi quid aliud specialiter actum sit, ff.eo.l. sed addes, 21.§. Illud.

Insulo uno pretio totam locasti, & eam uendidisti, ità ut emptori mercedes inquilinorum accederent, quamuis eam conductor maiore pretio locauerit: tamen id tantum emptori accedet, quod tibi conductor debet, ff.eo.l. Insulam, lx. in princip.

In operis duobus simul locatis conuenit priori conductori ante satisfieri, ff. eo. l. In operis, xxix.

Si in lege operis locandi comprehensum esset, ut si ad diem effectum non esset, alii relocare id liceret: Non alius prior conductor ex locato tenebitur, quam si eadem lege relocatum esset. Nec ante relocari id potest, quam dies efficiendi præteriisset, ff.eo.l. Item quæritur, xiii.§. si in lege operis.

Qui impleto tempore conditionis remansit in conductione non solum reconduxisse uidebitur, sed etiam pignorum uidetur durare obligatio. Sed hoc ita uerum est si non alius pro eo in priore conductione res obligauerat. huius enim nouus consensus erit necessarius. eadem causa erit, & si Reipu. prædia locata fuerint, quod autem diximus taciturnitate utriusque partis colonum reconduxisse uideri, ita accipiendũ est, ut in ipso anno, quo tacuerit, uideantur eandem locutionem renouasse, non etiam in sequentibus annis, & si lustrum forte ab initio fuerat conductioni præstitutum. Sed in secundo quoq; anno post finitum lustrum nihil fuerit contrarium actum: eandem uideri locationem, & in illo anno permansisse. Hoc enim ipso quod tacuerunt consensisse uidentur. & hoc deinceps in uno quoque anno obseruandum est in urbanis autem prædiis alio iure utimur, ut prout quisque habitauerit ita, & obligetur: nisi in scriptis certum tempus conductionis comprehensum est, d.l. item quæritur, §. qui impleto.

Qui ad certum tempus conducit, finito quoque tempore colonus est. Intelligitur enim dominus, cum patitur colonum in fundo esse, ex integro locare, & eiusmodi contractus, neq; uerba, neq; scripturas utique desiderant, sed nudo consensu conualescunt, & ideo si interim dominus furere cæperit, uel decesserit, fieri non posse Marcellus ait, ut locatio redintegreretur, & hoc uerum est, ff.eo.l. qui ad certum tempus, xiiii.

Legem quidem conductionis seruari oportet, nec pensionum nomine amplius quam conuenit Reposci. Sinautem tempus in quo locatus fundus fuerat, sit exactum, & in eadem locatione conductor permanserit: tacito consensu eandem locationem una cum uinculo pignoris renouare uidetur, C. de locato, l. legem, xvi.

Locare seruitutem nemo potest, ff.eo.l. locare, 47.

Si quis conduxerit numo uno, conductio nulla est, quia, & hoc donationis instar inducit, ff.eod.l. si quis, xxxxix.

Qui rem propriam quiduxit existimans alienam, dominium non transfert, sed in efficacem conductionis contractum facit, C. de locato. l. qui rem, xx.

Si olei certa ponderatione fructus anni locasti de contractu bona fide habito, propter hoc solum, quod alter maiorem obtulit ponderationem recedi non oportet, C. de locato. l. si olei. xxi.

Locatio præcariique rogatio, ita facta quoad is, qui eam locasset, dedissetve uellet: morte eius, qui locauit, aut dedit, tollitur, ff. eo. l. quarta.

Si

Si conductionibus implestis fidem: eiusdem rei gratia, factum instr̃m euanuit, quòd si quid vestium in fundo fuit, vel vi direptum est: hoc restitui vobis præses prouinciæ iubebit, C.eod.l.si conductionis, 26.

Interdum locator non obligatur, conductor obligatur: veluti cum emptor fundũ conducit donec pretium exoluat, ff.eod.l.sicut, xxiii.§.interdum.

Cum venderem fundum, conuenit, vt donec pecunia omnis persolueretur certa mercede emptor fundum conductum haberet. soluta pecunia, bona fides exigit, vt quid conueniat, fiat: sed non amplius præstat is venditori, quàm pro portione eius temporis, quo pecunia numerata non est. Item si pretio non soluto in empta res facta sit tunc ex locato actio erit, ff, eodem l.cum uenderem, xxi. cum l.seq.in princ.

Quotiens autem faciendum aliquid datur, locatio est, ff. eodem, l. item si, xxii. §.Quotiens.

Nemo prohibetur rem quam conduxit fruendam alii locare, si nihil aliud conuenit, C.eodem l.sexta.

Si colonus locauerit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur: sed fructus in causa pignoris manẽt, quemadmodum, & si primus colonus eos percipisset, ff.eodem l.si in lege, 27.§.si colonus.

Si cui locauero faciendum quid ego conduxeram, constabit habere ex locato actionem, ff.eodem l.si cui, 51.

Inuitos conductores, seu hæredes eorum, post tempora locationis impleta non esse retinendos, sæpe rescriptum est, C.eodem l.inuitos, xi.

Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior dominus locauit: nisi ea lege emit. verum si probetur aliquo pacto consensisse, ut in eadẽ cõductione maneat: quamuis sine sctipto bonæ fidei iudicio ei quod placuit parere cogetur, C.eodem lege.emptorem, ix.

Qui fundum fruendum, uel habitationem alicui locauit, si aliqua ex causa fundũ vel ædes uendat curare debet, ut apud emptorem quoque eadem pactione, & colono frui, & in quilino habitare liceat: alioquin prohibitus is aget cum eo ex conducto, ff.eodem l.si merces, xxviii.§.qui fundum.

Viam ueritatis ignoras in conductionibus non succedere hæredes conductoris existimans, cum siue perpetua conductio est, etiam ad hæredes transmittatur: siue temporalis intra tempora locationis hæredi quoque onus contractus incumbat. C.eodem l.ui am, x.

Qui fundum colendum in plures annos locauerat decesit, & eum fundum legauit. Casius negauit posse cogi colonum, ut eum fundum coleret. quia nihil hæredis interesset. quid si colonus uellet colere, & ab eo cui legatus esset fundus, prohiberetur: eum hærede actionem habere colonum, & hoc detrimentum ad hæredem pertinere: sicuti si quis rem quam uendidisset, necdum tradidisset, alii legasset, hæres eius emptori, & legatario esset obligatus, ff.eodem l.qui fundum, xxxv.

Cùm apparebit emptorem conductoremve pluribus uendentem, uel locantem singulorum insolidum intuitum personam: ita demum ad præstationem partis, singuli sunt compellendi, si constabit omnes esse soluendo. quamquam fortasse iustius sit, etiamsi soluendo omnes erunt electionem conueniendi, quem uelit non esse auferendam actori, si actiones suas aduersus cæteros præstare non recuset, ff.eodem lege, cum apparebit, 50.

Si diuisa conductio fuit, & in singulis pro partibus facta alieno nomine conueniri

niri vos non oportet. Sin autem omnes, qui conducebant, insolidum locatori sunt obligati: ius ei competens conueniendi quem velit non debet auferri. habetis sanè vos facultatem locatori offerendi debitum, & ut transferatur in uos ea, quæ ob hanc conductionem ab iis quorum nomine in quietamini obligata sunt postulandi, C. eod. l. si diuisa, xiii.

Si vno anno, quis remissionem colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigerit ubertas. nihil oberit domino remissio: sed integram pensionem etiam eius anni quo remisserit, exiget. hoc idem, & in vectigali damni erit, sed & si verbo donationis dominus ob sterilitatem anni remiserit, idem erit dicendum: quasi non sit donatio, sed transactio. quid tamen, si nouissimus erat annum sterilis, in quo ei remisit? Verius dicetur, & si superiores uberes fuerunt, & scit locator, non debere eum ad computationem uocari, ff. eodem l. si uno, xvii.

Licet certis annuis quantitatibus fundum conduxeris: si tamen expressum nō est in locatione (vt mos regionis postulabat) vt si qua lue tempestatis vel alio cœli vitio damna accidissent ad onus tuum pertinerent: & quæ euenerunt sterillitates vbertate aliorum annorum repensate non probabuntur: rationem tui iuxta bonam fidem haberi recte postulabis: eamque formam, qui ex appellatione cognoscet sequetur, C. eod. l. octaua.

Cùm quidam de fructuum exiguitate quæreretur, non esse rationem eius habendam rescriptio diui Antoni continetur: Item alio rescripto ita continetur. Nouam rem desideras, ut propter uetustatem uinearum remissio tibi detur, ff. eod. l. si uno, xvii. §. cum quidam.

Excepto tempore quo edaci locustarum pernicie sterilitatis uitium intercesit, sequentis temporis fructus, quos tibi iuxta præteritam consuetudinē deberi constiterit, reddi tibi præses prouinciæ iubebit, C. eod. l. excepto, xviii.

Circa locationes, atque conductiones maxime fides contractus seruanda est, si nihil specialiter exprimatur contra consuetudinem regionis, si alii remiserint contra legem contractus, atque regionis consuetudinem pensiones: Hoc aliis præiudicium afferre non potest, C. eod. l. circa locationes, xix.

Cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde is qui eas conduxerat decessisset Imperator Antoninus rescripsit in hæc verba cum per te non stetisse proponas quo minus locatas operas solueres: si eodem anno mercedes ab alio nō accepisti, fidem contractus impleri equum esse, ff. eod. l. sed addes, xxi. §. finali.

Diem functo legato Cæsaris salarium comitibus residui temporis præstandum est, modo si non postea comites cum aliis eodem tempore fuerint. ff. eodem. lege. Diem. xxi.

Qui operas suas locauit, totius temporis mercedem accipere debet si per eum non steterit, quo minus operas suas præstaret. Aduocati quoque si per eos non steterit, quominus causam agant honoraria reddere non debent, ff. eodem, l. qui operas, xli.

Cum qui dam excepta operas suas locasset, deinde is, qui eas conduxerat, decessisset. Imperator Antonius cum Diuo uero rescripsit ad libellum exceptoris in hæc uerba, cum per te non stetisse proponas quominus locatas operas Antonio Aquilio solueres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem cōtractus impleri æquum est. ff. eodem l. sed addas, xxi. §. finali.

Si quis cum in annum habitationem conduxisset, pensionem totius anni dederit: deinde insula post sex menses corruerit, uel incendio consumpta sit: pensionem

sionem ressidui temporis rectissime mela scribit ex conducto actione repetiturum. Non quasi in debitum condicturum. Non enim per errorem dedit plus, sed ut sibi in causa conductionis prospiceret aliter atque si quis cum decem conduxisset xxv. soluerit: hic enim ei per errorem plus soluit, dum putat se xv. conduxisse, & ex conducto actionem non habebit, sed solam condictionem. Nam inter eum, qui per errorem soluit, & eum qui pensionem integram prorogauit multũ interest, ff. eo. l. sed addes, xix. alias, xxi. §. si quis cum in annũ.

Habitatores non si paulo minus commode aliqua parte cęnaculi uterentur, statim deductionem ex mercede facere oportet: ea enim conditione habitatoris est, vt si quid transuersarium incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret aliquam partem incommodi paruulam sustineret: non ita tamen vt eam partem cænaculi dominus apperuisset, in qua magnam partem usus habitator haberet, ff. eod. l. habitatores, 27. alias 30. in prin.

Si quis timoris causa emigrasset, si iusta causa fuisset tamen non debet mercedẽ, sed si causa timoris iusta non fuisset mercedem nihilominus debet, quod si domi habitatione conductor ęque vsus fuisset, etiam eius domus mercedem, quæ vitium fecisset, debet, d. l. habitatores, §. finali, cum l. seq. in princ.

Idem iuris esse, si potestatem conducendi habebat, ut pretium conductionis præstaret dominus. sed & si locator conductori potestatem conducendæ domus nõ fecisset, & is, in qua habitaret, conduxisset. tamen ei præstandum est, quantum sine dolo malo præstitisset. Cæterum si gratuitam habitationem habuisset pro portione temporis ex locatione domus deducendum est, ff. eodem l. quod ei domus, 28. alias 31. idem iuris.

In lege locationis scriptum erat: REDEMPTOR SILVAM NE CEDITO, NE VE CINGITO, NE VE DEVRITO NE VE QVEM CEDERE, CINGERE, VRERE, SINITO. Quærebatur utrum redemptos si, quem quid earum rerum facere vidisset, prohibere deberet: an etiam ita siluam custodire ne quis id facere possit, respondit Alphenus uerbum SINERE, vtramque habere significationem: sed locatorem potius id uideri voluisse, vt redemptor non solum si quem casu uidisset siluam cædere, prohiberet, sed uti curaret: & daret, operam ne quis etiam cæderet, ff. eodem l. in lege. 29. alias 32.

Qui insulam. xxx. conduxerat singula cænacula ita locauit, ut. xl. ex omnibus colligerentur, dominus insulæ, quia ædificia uitium facere diceret, demolierat eum. quæsitum est quanti lis æstimari deberet, si is qui eam conduxerat, ex cõducto ageret. Respondit Alphenus, si ædificium necessario demolitus esset pro portione quanti dominus prædiorum locasset, quod eius temporis habitatores, habitare non potuissent in rationem deduci, & tanti litem æstimari. Sin autem non fuisset necesse demoliri: sed quia melius ædificare, vellet id fecisset, quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere, ff. eod. l. qui insulam, 30. alias 33. in prin.

Inter locatorem fundi, & conductorem, conuenit nè intra tempora locationis eius conductor de fundo inuictus reppelleretur, & si pulsus esset pecuniam decem præstaret. Titius locator Seio conductori, uel Seius conductor, si intra tẽpora locationis discedere vellet, æque decem Titio locatori præstaret, quod inuicem de se stipulati sunt. quæsitum est cum Seius conductor biennii continui pensionem non soluerit, an sine metu pœnæ expelli possit? Paulus respondit, quàmuis nihil expressum sit in stipulatione pęnali de solutione pensionũ,

tamen

tamen uerisimile esse ita conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & ut oportet coluerit, & ideo si pœnam petere cæperit is qui pensionibus satis non fecit profuturã locatori doli exceptionem, ff. eodem l. quæro, liiii. alias lvi. §. interlocatorem.

Si quis domum bona fide emptam vel fundum locauerit mihi, isque sit euictus sine dolo malo culpave eius: Pomponius ait nihilominus eum teneri ex conducto, ei, qui conduxit, ut ei præstetur frui, quod conduxit licere. plane si dominus non patiatur, & locator paratus sit aliam habitationem non minus commodam præstare: æquissimum esse ait absolui locatorem, ff. eodem l. si quis, ix. in principio.

Hic subiungi potest, quod Marcellus libro vi. digesto. scribit, si fructuarius locauerit fundum in quinquennium, non teneri, ut frui præstet, non magis quam, ut insula exusta teneretur locator conductori. sed an ex locato teneatur conductor, ut pro rata temporis, quo fruitus est pensionem præstet, Marcellus quærit: & magis admittit teneri eum, & est æquissum. Idem quærit si sumptus fecit in fundum quasi quinquennio fruiturus an recipiat, & ait, non recepturum, quia hoc euenire posse prospicere debuit, quid tamen si non quasi fructuarius ei locauerit, sed quasi fundi dominus, uidelicet tenebitur: decepit enim conductorem, & ita Imperator Antonius, cum Diuo seuero rescripsit. In exustis quoque ædibus eius temporis. quo finitum ædificium stetit, mercedem præstandam rescripserunt, d. l. si quis. §. hic subiungi.

Damnum quod per aggressuram latronum in possessionibus locatis rei suæ illatum esse proponis, à domina earundem possessionum, quam nullius criminis ream facere te dicis, resarciri tibi nulla ratione desideras, C. e. l. damnum, xii.

Si quis fundum locauerit, ea lege, ut etiam, si quid vi maiore accidisset, hoc ei præstaretur pacto standum est, ff. eod. l. si quis domum, ix. §. Iulianus.

Si colonus prædiorum lege locationis, ut innocentem ignem habeant denuntiatum sit: si quidem fortuitus casus incendii causam intulerit, non præstabitur periculum locatori si uero culpa locatoris quam præstare necesse est, damnum fecerit tenebitur, d. l. si quis, §. si colonus.

Imperator Antonius, cum patre suo, cum grex esset ab actus, quem quid conduxerat, ita rescripsit. si capras, latrones, citra tuam fraudem abegisse probari potest, iuditio locati casum præstare non cogeris, atque temporis, quod insecutum est, mercedes ut indebitas recuperabis. d. l. si quis, Imperator.

Celsus etiam imperitiam culpæ annumerandam lib. 8. Dig. scripsit, puta si quis uitulos pascendos uel sarciendum quid poliendumve conduxit: culpam eum præstare debere: & quod imperitia peccauit culpam esse quippe, ut artifex (inquit) conduxit. d. l. si quis, §. celsus etiam.

In alienam domum mihi locaueris, eaque mihi donata, uel legata sit, non tamen me tibi ex locato ob pẽsionem, sed de tempore præterito uideamus, est si quid ante legati diem pensionis deleatur, soluendum est, & ego ex conducto recte agam, uel in hoc, ut me liberes, d. l. si quis, fundum §. finali. in l. seq.

Si hoc in locatione conuenit, IGNEM NE HABETO, & habuit, tenebitur, etiam si fortuitus casus admisit incendium, quia non debuit ignem habere. aliud enim est ignem innocentem habere, aliud omnino non habere: permittit enim habere sed innoxium ignem. Item prospicere debet conductor ne in aliquo, uel ius rei uel corpus deterius faciat, uel fieri patiatur. ff. eod. l. uideamus, xii. §. si hoc.

Qui

Qui vinum de campania trasportandum conduxit, deinde mota à quodam controuersia, signatum suo & alterius sigillo in apothecam deposuit, ex locato tenetur vt locatori possessionem vini sine controuersia reddat: Nisi culpa careret conductor, d.l. videamus, §. qui vinum.

Inter conductorem & locatorem conuenerat, ne in villa vrbana fœnum poneretur conductor posuit: deinde igne illato succendit, ait labeo teneri conducto rẽ ea locato: quia ipse causam præbuit inferendo fœnum contra conductionem. Sed si quilibet extraneus ignem iniecerit: damni iudicio locati habebitur ratio, d.l. videamus, §. fi. cum l. seq.

Si uis tempestatis calamitosæ contigerit, an legator conductori aliquid prestare debeat, uideamus seruius omnem uim, cui resisti non potest, dñm collono præstare debere ait: vt puta fluminum graculorum sturnorum & si quid simile acciderit aut si incursus hostium fiat. si qua tamen vitia ex ipsa re oriantur, hæc dãno colloni esse veluti si vinum coacuerit, si raucis aut herbis segetes corruptæ sint, sed & si tales facta sit omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse ne supra damnum seminis amissi mercedes agri præstare cogatur, sed & si uredo fractum oleæ corruperit, aut solis feruore non assueto quid acciderit, damnum domini futurum, si verò nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse; idque dicendum est si exercitus præteriens per lasciuiam aliquid abstulerit. Sed si ager teremotu ita corruerit ut nusquam sit, damnum domini esse. oportet enim agrum præstari conductori, vt frui possit, cum quidam incendium fundi allegaret, & remissionem desideraret, ita ei rescriptum est, si prædium coluisti propter casum incendii repentini non immerito subueniẽdum tibi est, ff. eod. l. ex conducto, xvi. §. si vis.

Si quis dolia vitiosa ignarus locauerit, deinde vinum effluxerit; tenebitur in id, quod interest, nec ignorantia eius erit excusata. & ita Cassius scribit, aliter aliter atque si saltum pasuum locasti, in quo herba mala nascebatur: hic enim si pecora, vel demortua sint, vel deteriora facta, quod interest præstabitur, si scisti, si ignorasti, pensionem non petes, & ita Seruio, Labeoni, & Sabino placuit, ff. eod. l. sed addes, xix. alias xxi. §. si quis dolia.

Colonus hac lege villas acceperat, vt incorruptas redderet pręter vim, & vetustũ: coloni filius villas incendit non fortuito casu. Non videtur eam vim excipi, nec id pactum esse, vt si aliquis domesticus eas incendisset ne præstaret, sed extraraim vim vtrosq; excipere voluisse, ff. eo. l. qui insulam, xxx. alias, xxxi. §. fin.

Martius domum faciendam à Flacco conduxerat, deinde operis parte effecta teremotu concussam erat ædificium. Masurius Sabinus ait: si naturali vi veluti teremotu hoc acciderit: flaci esse periculum, ff. eodem l. Martius, lix. alias lxi.

Cum in plures annos domus locata est, præstare locator debet vt non solum habitare conductor ex calendis illis cuiusque annis, sed et eam locare, & habitatori si velit suo tempore posit, itaque si ea domus ex Calendis Ianuariis fulta in Calendas Iulias permansisset, ita vt me habitare quisquam nec ostendi alicui posset, nihil locatori conductor præstaturus est adeo ut nec cogi quidem possit ex Calendis Iuniis refecta domo habitare: nisi paratus fuisset locator commodam domum ad habitandum ei dare, hæredem coloni, quauuis colonus non est nihilominus domino posidere existimatur, ff. eodem l. cum in plures, lx. alias, lxi. in prin.

Locator horrei propositum habet aurum, & argentum, & margaritas non recipere suo periculo: Deinde cum sciret has res inferri: passus est: perinde cum fu

turum

turum tibi obligatum dixit Labeo: ac si propositum fuerit remissum. d. l. cum implures, §. locator.

Dominus horreorum periculum uis maioris effracturum latronum, conductori præstare non cogitur. his cessantibus, si quid extrinsecus ex depositis rebus illesis horreis perierit: damnum depositarum rerum ei resarcire debet, C. eod. lege prima.

Ex Diui Antonii pii literis certa forma est, ut domini horreorum efflactorum eiusmodi quærelas deferentibus custodes exhibere necesse habeant, nec ultra periculo subiecti sint. qui si maiorem animaduersionem præses prouinciæ exigere rem deprehenderit: ad præfectum prætorio, reos remittere curabit. sed quia domini horreorum nominatim etiam ipsi custodiam repromiserunt: idē exhibere debent, C. eod. l. quarta.

Vehiculum conduxisti, ut onus tuum portaret, & secura iter faceres. & cum pontem transiret Redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat: quærebatur, an etiam pro ipsa sola rheda portorium daturus fuerit: putat Labeo si portorium mulio non ignorauit, & se ea transiturum cum vehiculum locaret, mulionum præstare debere, ff. eod. l. cum implures, lx. alias, lxii. §. vehiculum.

Rerum custodiam, quam horrearius conductoribus præstare deberet, locator totorum horreorum horreario præstare non debet, nisi in locando aliter conuenerit. d. l. cùm implures, §. finali.

Nauem conduxisti, ut de prouincia Cyrenensi Aquileiam nauigares, olei metretis tribus milibus? positis, & frumenti medii octo milibus, certa mercede. sed euenit, ut onerata nauis in ipsa prouincia nouem mensibus retineretur, & onus impositum commisso tolletetur. quæsitum est, an vecturas, in quas conuenit à conductore secundum locationem locationis exigere posse, respondit Scæuola secundum ea, quæ proponerentur, posse, ff. eod. l. pen. §. fi.

Si riuum, quem faciendum conduxeras, & feceras, antequam eum probares, labis corrupit: tuum periculum est. PAVLVS imo si soli vitio id accidit, locatoris erit periculum. si operis uitio id accidit, tuum erit detrimentum, ff. eodem l. finali.

Duo rei locationis insolidum esse possunt, ff. eodem lege. Item quæritur, & §. Duo rei.

Quemadmodum in emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere: quod minoris sit pluris vendere, & inuicem se circumscribere, ita, & in locationibus quoque & in conductionibus idem iuris est, & ideo prætextu minoris pensionis locatione facta, si nullus dolus aduersarii probari posit rescindi locatio non potest, ff. eodem. Item xxii. alias xxv. §. finali, cum l. sequenti.

Aede, quam te conductam habere dicis, si pensionem domino insolldum soluisti in vitam te expelli non oportet: Nisi propriis usibus dominus eam necessariā esse probauerit, aut corrigere domum maluerit, aut tu male in re locata uersata es C. eod. l. tertia.

Si decem tibi locem fundum, tu autem existimes quinque te conducere: nihil agitur, sed & si ego minoris me locare sensero, tu pluris te conducere, utique non pluris erit conductio, quam ego putaui. ff. eod. l. si decem. iiii.

Inter locatorem fundi, & conductorem conuenit, ne intra tempora locationis eius, conductor de fundo inuitus repelleretur, & si pulsus pœnam decem præstaret, Titius locator Seio coo ductori, uel Seius conductor, si intra tempora locatio-

locationis discedere uellet æque decem Titio locatori præstaret, quod inuicẽ de se stipulati sunt. quæritur cum Seius conductor biennii continui pensionem non soluerit, an sine metu pœnæ expelli posit? Paulus respondit, quamuis nihil expressum sit in stipulatione pœnali de solutione pensionum, tamen uerisimile esse, ita conuenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, & ut oportet coluerit: & ideo si pœnam petere cœperit, is qui pensionibus satis non fecit, profuturam. locatori doli exceptionem, ff. eo. l. quæro, liiii. alias lvi. §. inter locatorem.

Certi iuris est ea, quæ uoluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris iure dominis prædiorum teneri. quando autem domus locatur, non est necessaria in rebus inductis, uel illatis scientia domini: nam ea quoq; pignoris iure tenentur, C. eo. l. quinta.

Si cum Hermes uectigal octauarum in quinquennium continuum conduceret, fidem tuam obligasti: posteaque spatio eius temporis explecto, cum idem Hermes in conductione, ut idoneus detineretur, non consensisti, sed cautionẽ tibi reddi postulasti, non oportere te de posterioris temporis periculo adstringi, competens iudex non ignorabit, C. eod. l. septima.

Si ii, contra quos supplicas facta locatione certi temporis suas tibi locauerint operas: quatenus bonafides patitur causa cognita competens iudex conuentionem seruari iubebit, C. eod. l. Si ii, xxii.

Ad probationem rei propriæ siue defensionem, non sufficit locatio ei facta, qui post de dominio cœperit contendere cum in scientia domini proprii, & errantis nullum habeat consensum, sed ex euentu, si uictus fuerit, locationis contractus non constitisse magis declaratur. Nemo enim sibi iure possessionem mutare potest, C. eo. l. ad probationem, xxiii.

Contractus locationis, conductionisq; non interuenientibus etiam instrumentis ratus habetur. secundum quid hęredes conductoris, & si non interuenerint instrumenta, non uxorem conuenire debes. sanè de posteriore tempore, quo conductricem ipsam proponis fuisse, adesse fidem precibus tuis probans pensiones integras ab ea pete, C. eo. l. contractus, xxiiii.

Si quis conductionis titulo agrum, uel aliam quamcunq; rem accepit: possessionem prius restituere debet, & tunc de proprietate litigare, C. eo, l. si quis, xxv.

Conductores alienarum rerum, seu alienam cuiuslibet rei possessionem præcario detinentes, seu hæredes eorum, si non eã, dominis recuperare uolentibus, restituerint, sed litem usque ad definitiuam sententiam expectauerint, non solum rem locatam, sed etiam æstimationem eius, uictrici parti ad similitudinem inuasoris alienæ possessionis præbere compellantur, C. eodem lege penultima.

Si tibi quæ pro colonis conducti prædii prorogasti, Dominus fundi stipulanti dare spopondit, competens iudex reddi tibi iubebit. Nam si conuentio placiti sine stetit ex nudo pacto actione iure nasci non potest, C. eo. l. si tibi, xxvii.

Ne cui liceat, qui aliquam domum alienam, uel locum aut ergasterium, nomine conductionis accepit, alteri qui post eum domini uoluntate ad eãdem conductionem accesit, litem inferre, quasi rem illicitam aut agenti damnosam tẽtauerit: sed est facultas dominis, domos suas, uel ergasteria, uel loca, cui uoluerint, locandi. Ipsis nihilominus, qui conduxerint ab omni super hoc molestia liberis conseruandis. nisi forte pacta per scripturam specialiter inita cum dñis, uel cũ eis, q postea cõduxerint, legib. uidelicet cognita, agẽtis intẽtionib. suf-

fragentur: quod si quis huiusmodi controuersiam sacris iussionibus interdictam crediderit commouendum: si priuatus est: acriter cæsus exilii subeat pœnam: si militat decem librarum auri dispendio feriatur, C.eo.l.ne cui. 32.

DE IVRE EMPHYTEVTICO.
Tit. XXI.

ADEO aliquam similitudinem inter se videntur habere emptio, & uenditio, item locatio, & conductio, ut in quibusdam causis quæri soleat, utrum emptio, & uenditio contrahatur an locatio, & conductio, ut ecce de prædiis, quæ perpetuò quibusdam fruenda traduntur, idest, ut quandiu pensio, siue reditus pro his domino præstetur, neque ipsi conductori, neque hæredi eius, cuive conductor, hæresve eius id prædium uendiderit, aut donauerit, aut dotis nomine dederit aliove quocunque modo alienauerit, auferre liceat. sed talis contractus, quia inter ueteres dubitabatur, & à quibusdam locatio à quibusdam venditio existimabatur, lex Zenoniana lata est, quæ emphyteuseos contractus propriam statuit naturā, neque ad locationem, neque ad venditionem inclinantem, sed suis pactionibus fulciendam, & si quidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac si naturalis esset contractus, sin autem nihil de periculo rei fuerit pactū tunc si quidem totius rei interitus accesserit, ad dominum super hoc redundare periculum: sin autem particularis, ad emphyteuticarium huiusmodi damnū venire, quo iure utimur, in Insti.locati, & conducti, §.adeo.

Ius emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adiiciendum, sed hoc ius tertium esse constitutum est ab utriusque memoratorum contractuum societate, seu similitudine separatum, conceptionem item definitiorumque habere propriam, & iustum esse, ualidumque contractum in quo cuncta, quæ inter utrasque contrahentium partes super omnibus, uel etiam fortuitis casibus, pactionibus scriptura interueniente habitis placuerint, firma illibataque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri, ita ut si interdum ea, quæ fortuitis casibus eueniunt, pactorum non fuerint conuentione concepta: si quidem tanta emerserit clades, quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ per emphyteusim data est, faciat interitum: hoc non emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed rei domino, qui quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat imputetur. sin uero particulare, uel aliud leue contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus lædatur substātia: hoc emphyteuticarius suis partibus non dubitet ad scribendum, C.de iure emphyteutico, l.prima.

In emphyteuticariis contractibus, si quidem aliqua pactiones in emphyteuticis instrumentis fuerint conscriptæ, easdem & in omnibus aliis capitulis obseruari, & de reiectione eius, qui emphyteusim suscepit, si solitam pensionem uel publicarum functionum apochas non præstiterit, sine autem nihil super hoc capitulo fuerit pactum, sed per totum triennium, neque pecunias soluerit, neque apochas domino tributorum reddiderit, uolenti ei licere eum à prædiis emphyteuticariis repelle, nulla ei imposterum allegatione nominum meliorantis, uel eorum quæ emphyteomata dicuntur, uel pœna apponenda: sed omnimodo eo, si dominus uoluerit, repellendo, neque prætendente, quod

non

non est super hac causa inquietatus, cum neminem oporteat conuentionem, vel admonitionem expectare, sed vltro se se offerre, & debitum spontanea voluntate persoluere, secundum quod ex alia lege generaliter cautum est. Ne autem ex hac causa dominis facultas oriatur emphyteutas suos repellere, & reditum minime velle suscipere, vt ex huiusmodi machinatione triennio elapso suo iure is, qui emphyteutisim suscepit, cadat: licentia ei conceditur attestationis præmissa pecunias offerre, hisque obsignatis, & secundum legem depositis minime deiectionis timere periculum, C. eod. l. secunda.

Cum dubitabatur vtrum emphyteuta debeat cum domini volunt à te suas meliorationes, alienare, vel ius emphyteuticum in alium transferre, an eius expectare consensum, sancitum est si quidem emphyteuticum instrumētum super hoc casu aliquas pactiones habeat eas obseruari, sinautem nullo modo huiusmodi pactio interposita est, vel forte instrumentum emphyteuseos deperditum est, minime licere emphyteutæ sine consensu dominum meliorationes suas aliis vendere, vel ius emphyteuticum transferre. sed ne hac occasione accepta domini minime concedant emphyteutas suos accipere prætia meliorationum, quæ inuenerunt, sed eos deludunt, & ex hoc commodum Emphyteutę depereat, dispositum est attestationem domino transmitti, & prædicere quantum pretium ab alio re uera accipi potest. & si quidem dominus hoc dare maluerit, & tantam præstare quantitatem, quantam ipse re vera Emphyteuta ab alio accipere potest. ipsum dominum omni modo hæc comparare. sin autem duorum mensium spatium fuerit emensum, & dominus hoc facere noluerit, licentia emphyteutæ detur vbi voluerit, & sine consensu domini meliorationes suas venderem: Iis tamen personis, quæ non solent in emphyteuticis contractibus vetari ad huiusmodi venire emptionem. Necessitatem autem habere dominos, si aliis melioratio secundum præfatum modum vendita sit accipere emphyteutam, vel si ius emphyteuticum ad personas non prohibitas, sed concessas, & idoneas ad soluendum emphyteuticum canonem: transponere emphyteuta maluerint: non contradicere, sed nouum emphyteutam in possessionem suscipere, non per conductorem, vel per procuratorem sed ipsos dominos per se, vel per literas suas, vel si hoc non potuerint, vel noluerint, per dispositionem. & ne auaritia uni domini magnam molem pecuniarum propter hoc effligitent: non amplius eis liceat pro subscriptione sua vel depositione. Nisi quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui ad aliam personam transfertur, accipere. Sin autem nouum emphyteutam, uel emptorem meliorationis suscipere minime dominus maluerit, & attestatione facta, intra duos menses hoc facere supersederit, licitum est emphyteutæ etiam non consentientibus dominis ad alios suum ius uel emphyteomata transferre. Sin autem aliter fuerit uersatus, quàm lex disposuit, iure emphyteutico cadat, C. eodem l. finali.

Idest qualem cunque scripturam quà ostēdat se velle nouum emphyteotam suscipere.

SI AGER VECTIGALIS, VEL EMPHITEVTICARIVS PETATVR.

Tit. XXII.

AGRI ciuitatum,alii vectigales vocantur,alii non vectigales vocantur,qui in perpetuum locantur: ideſt hac lege, vt quandiu pro his vectigal pendatur,tandiu neque ipſis,qui conduxerunt, neque his, qui in locum eorum ſucceſſerunt,auferri eos liceat. non vectigales ſunt,qui ita colendi dantur,ut priuati agros noſtros colendos dare ſolemus. qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt à municipibus, quamuis non efficiantur domini,tamen placuit competere eis in rem actionē aduerſus quamuis poſſeſſorem,ſed,& aduerſus ipſos municipes,ff. ſi ager vecti. vel emphy. pet.

Ita tamen,ſi uectigal ſoluant. idem eſt & ſi ad tempus habuerint conductum, nec tempus conductionis finitum ſit.ff.eod.l.ſecunda,& finali.

DE SOCIETATE.

Tit. XXIII.

SOCIETAS coiri poteſt,uel in perpetuum,ideſt,dum uiuunt,uel ad tempus,uel ex tempore,uel ſub conditione,ff.pro ſocio, l.prima,in prin.&.C.pro ſocio.l.penul.

Societatē coire,& re,& uerbis, & per nuntium poſſe nos dubium non eſt,ff.eod.l.quarta,in princ.

Societatem coire ſolemus,aut totorum bonorum: aut unius alicuius negotiationis,ueluti olei,aut uini,aut frumenti emendi uendendique,ſiue uectigaliis, ſiue etiam rei unius Inſt.de ſocietate,in prin.& ff.pro ſocio,l.quinta, in princ.

In ſocietate omnium bonorum omnes res quæ coeuntium ſunt, continuo communicantur. Quia licet ſpecialiter traditionem interueniat tacite tam creditur interuenire. Ea uerò,quæ in nominibus erunt,manēt in ſuo ſtatu: ſed actiones inuicem præſtare debent,ff.eo.l.prima,§.fin.& l.ſecunda, & tertia in prin.

Cùm ſpecialiter omnium bonorum ſocietas coita eſt: tunc & hæreditas, & legatum,& quod donatum eſt,aut quaqua ratione adquiſitum, communioni adquiretur,d.l.iii.§.cum ſpecialiter.

De illo quæritur,ſi ita coita ſocietas ſit: ut ſi qua iuſta hæreditas alterutri obuenerit, cōis ſit, quæ iuſta hæreditas? utrunq; iure legitimo obuenit, an ēt ea quæ teſtō,ſed ꝓbabilius eſt,ad legitimā hæreditatē tm̄ hoc pertinere,d.l.3.§. de illo.

Coiri ſocietatem,& ſimpliciter licet: & ſi non fuerit diſtinctum, uidetur coita eſſe uni uerſorum, quæ ex quæſtu ueniunt: hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, uenditione,locatione,conductione,deſcendit. Quæſtus.n. intelligitur, qui ex opera cuiuſque deſcendit,ff. eod.l.ſeptima,& ſeq.

Nec adiecit Sabinus hæreditatem,uel legatum, uel donationes mortis cauſa,ſiue non mortis cauſa fortaſsis hæc ideo: quia non ſine cauſa obueniunt, ſed ob meritum aliquod accedunt. Et quia plerunque à parente quaſi debitum nobis hæreditas obuenit. Et ita de hæreditate legato, donatione, Quintus Mutius ſcribit,ff.eod. l. nec adiecit,ix. cum duobus ſeq.

Sed nec æs alienum,niſi quod ex quæſtu pendebit,veniet in rationem ſocietatis, ff.eod.l.ſed nec,xii.

Sed

Sed & ſi adiiciatur. vt & quæſtus, & lucri ſocii ſint: uerum eſt, nõ ad aliud lucrũ, q̃ quod ex quæſtu venit, hanc quoque adiectionem pertinere, ff. e. l. ſed & ſi, xiii.

Si ſocietatem vniuerſarum fortunarum coierint, ideſt earum quoque rerum quæ poſtea ſui adquirentur, hæreditatem cuiuis eorum delatam in commune redigendam. Idem Maximinæ reſpondit. ſi ſocietatem vniuerſarum fortunarum ita coierint, vt quid erogetur, vel quæreretur, communis lucri atque impendii eſſet, ea quoque, quæ in honorem alterius liberorum erogata ſunt utrinq; imputanda ſunt, ff. eod. l. ſi ſocietatem. lxxiii.

Si coita ſit ſocietas, ex his partibus, quas Titius arbitratus fuerit, & Titius ante, quàm arbitraretur deceſſerit: nihil agitur. nam idipſum actum eſt, ne aliter ſocietas ſit, quam vt Titius arbitratus ſit, ff. eod. l. ſi coita, lxxv.

Societatem mecum coiiſti conditione, vt Nerua amicus communis partem ſocietatis conſtitueret. Nerua conſtituit, vt tu ex triente ſocius eſſes, ego ex beſſe. quæris: vtrum ratum id iure ſocietatis ſit, an nihilominus ex æquis partibus ſocii ſimus, exiſtimat proculus melius te quæſiturum fuiſſe: utrũ ex his partibus ſocii eſſemus, quas is conſtituiſſet: an ex his, quas uirum bonum conſtituere oportuiſſet? arbitrorum. n. genera ſunt duo. unum huiuſmodi, ut ſiue ęquum ſit, ſiue iniquum, parere debeamus. Quod obſeruatur, cum ex cõpromiſſo ad arbitrium itum eſt. alterum eiuſmodi, vt ad boni uiri arbitratum redigi debeat: ẽt ſi nominatim perſona ſit compræhenſa, cuius arbitratu fiat. Veluti cum lege locationis compræhenſum eſt, vt opus arbitrio locatoris fiat. In propoſita autem quæſtione arbitrium boni viri ſequendum eſt eo magis, quod iudicium pro ſocio bonæ fidei eſt. Vnde ſi Neruæ arbitrium ita prauum eſt, ut manifeſta iniquitas eius adpareat: corrigi poteſt per iudicium bonæ fidei. Quid. n. ſi Nerua conſtituiſſet, vt alter ex milleſima parte, alter ex duo milleſimis partibus ſocius eſſet? Illud poteſt conueniens eſſe boni viri arbitrio, ut non vtique ex æquis partibus ſocii ſimus, ueluti ſi alter plus operæ, induſtriæ, gratiæ, pecuniæ in ſocietatem collocaturus erat, ff. eod. l. ſocietatem, lxxvi. cum quatuor ſeq.

Qui admittitur ſocius, ei tantum ſocius eſt qui admiſit. & recte: cum. n. ſocietas conſenſu contrahatur, ſocius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſocium eſſe nolui. quid ergo ſi ſocius meus eum admiſit? ei ſoli ſocius eſt. Nam ſocii mei ſocius, meus ſocius non eſt. Et quidquid fuerit de ſocietate noſtra conſequutus, cum illo qui eum adſumpſit communicauit: nos (ei) cum eo non communicauimus. ſed factum eius præſtabitur ſocietati. Id eſt aget ſocius, & ſocietati præſtabit quod fuerit conſecutus, ff. eod. l. qui admittitur, xix. cum duobus ſeq.

De illo Pomponius dubitat, utrum actionem eum mandare ſociis ſufficit, vt ſi facere ille non poſſit, nihil vltra ſocius præſtet: an vero indẽnes eos præſtare debeat. & putat Vlpianus omnimodo eum teneri eius nomine, quẽ ipſe ſolus admiſit. quia difficile eſt negare, culpa ipſius admiſſum. Itẽ cõmodũ ꝙ ꝑ admiſſum ſocium acceſsit non cõpenſatur cũ dãno, ꝙ culpa præbuit, ff. e. l. de illo, 23.

Si in ſocietate nihil de partibus lucri, & dãni nominatim conuenerit, æquales. ſ. partes, & in lucro, & in dãno ſpectantur ꝙ ſi expreſſe fuerint partes hæ ſeruari debent: nec. n. unquã dubiũ fuit, quin valeat cõuentio: ſi duo inter ſe pacti ſint vt ad vnum quidẽ duæ partes, & lucri & dãni pertineant, ad alium tertia. Si modo aliquid plus cõtulit ſocietati, uel pecunię, vel opere, vel cuiuſcunq; alterius rei cauſa, Inſt. de ſocietate, §. & quidem, & ff. pro ſocio l. ſi non xxix. in prin.

Si ſocietatem mecum coieris ea conditione, ut partes ſocietatis conſtitueres, ad boni uiri arbitrium ea res redigenda eſt. & conueniens eſt uiri boni arbitrio,

vt non vtique ex æquis partibus socii simus velut si alter plus operæ, industriæ, pecuniæ, in societatem collocaturus sit, ff. pro socio, l. sexta.

Aristo refert Cassium respondisse, societatem talem coiri non posse, vt alter lucrum tantum, alter damnum sentiret: & hanc societatem leoninā solitum appellare, & verum est talem societatem nullam esse: vt alter lucrum sentiret, alter uero nullum lucrum, sed damnum sentiret. iniquissimū. n. genus societatis est, ex qua quis damnum non etiam lucrū spectet, ff. e. l. si non fuerit, 29. §. fina.

Mucius libro quartodecimo scribit, non posse societatem coiri, ut aliam damni, aliam lucri partem socius ferat. Seruius in notatis Mucii ait, nec posse societatem ita contrahi. neque. n. lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto: neq; damnum nisi omni lucro deducto. sed potest coiri societas ita, vt eius lucri, ꝙ reliquum in societate sit, omni damno deducto, pars alia feratur: & eius damni, quod similiter relinquatur, pars alia capiatur, ff. eod. l. Mucius, 30.

De illa sane conuentione quæsitum est: si Titius & Seius inter se pacti sunt, vt ad Titium duæ partes lucri pertineant, dāni tertia: ad Seium duæ partes damni lucri tertia: an rata debeat haberi conuentio. Quintus Mutius contra naturā societatis talem pactionem esse existimauit, & ob id non esse ratam habendam. Seruius Sulpicius (cuius natura præualuit) contra sensit: quia sæpe ita quorundam præciosa est opera in societate, vt eos iustum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri societatem posse non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpe opera alicuius pro pecunia valet: Et ideo contra Quinti Mutii sententiam obtinuit, vt illud quoque constiterit posse conuenire, vt quis lucri partē ferat, de damno non teneatur quod & ipsum Seruius conuenienter fieri existimauit. Quod tamen ita intelligi oportet, ut si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit: compensatione facta solum quod superest intelligatur lucro esse. Inst. de societ. §. de illa sane: & C. pro socio, l. prima.

Ita coiri societatem posse, vt nullius partem damni alter sentiat, lucrum vero cōmune sit, Cassius putat. Quod si ita demum valebit, ut & Sabinus scribit, si tanti sit opera, quanti damnum est: plerunque. n. tanta est industria socii vt plus societati conferat quàm pecunia. item si solus nauiget, si solus peregrinetur, periculo subeat solus, ff. eod. l. si non, xxix. §. ita coiri.

Societas autem coiri potest, & valet etiam inter eos qui non sunt æquis facultatibus: cum plerunque pauperior opera suppleat, quantum ei per comparationem patrimoni deest, ff. eod. l. quinta, §. societas.

Illud expeditum est, si in una causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro, vel in solo damno: in altera vero omissa, in eo quoque, quod prætermissum est, eandem partem seruari Insti. de societ. §. illud.

Nulla societatis in æternum coiti est, ff. pro socio, l. nulla. lxx.

Manet autem societas eo vsque donec in eodem consensu perseuerauerint. at cū aliquis renunciauerit societati, soluitur societas. Sed plane si quis callide in hoc renunciauerit societati, vt obueniens aliquod lucrum solus habeat, veluti si totorum bonorum socius, cum ab aliquo hæres esset relictus. in hoc renunciauerit societati, ut hæreditatem solus lucrifaceret, cogitur hoc lucrum communicare, si quid verò aliud lucri faciat, quod non captauerit. ad ipsum solum pertinet: Ei verò cui renunciatum est quicquid omnino post renunciatam societatem acquiritur soli conceditur, Inst. de societate, §. Manet autem.

Dissociamur, renūciatione, morte, capitis minutione, & egestate, ff. ꝑ soc. l. 4. §. i.

So-

Societas ſoluitur ex perſonis,ex rebus,ex uoluntate,ex actione.ideoq; ſiue homines,ſiue res,ſiue uoluntas,ſiue actio,interierit,diſtrahi udietur ſocietas. Intereunt autem homines, quidem maxima, aut media capitis diminutione, aut morte. Res uero, cum aut nullæ relinquantur, aut conditionem mutauerint. neque enim eius rei, quæ iam nulla ſit, quiſquam ſocius eſt, neque eius, quæ conſecrata, publicatave ſit. Voluntate diſtrahitur ſocietas renuntiatione. Itaque cum ſeparatim ſocii agere cœperint, & unuſquiſque eorum, ſibi negotietur, ſine dubio ius ſocietatis diſſoluitur,ff. pro ſocio,l.uerum eſt,lxiii. §.fin.cum l. ſequen.

Actione diſtrahitur,cum aut ſtipulatione, aut iudicio mutata ſit cauſa ſocietatis. Proculus enim ait, hoc ipſo quod iudicium ideo dictatum eſt, ut ſocietas diſtrahatur,renunciatam ſocietatem: ſiue totorum bonorum,ſiue unius rei ſocietas coita ſit,ff.eo.l.actione,65.in princ.

Diximus diſſenſu ſolui ſocietatem.hoc ita eſt,ſi omnes diſſentiunt. quid ergo ſi unus renunciet? Caſsius ſcripſit,eum qui renunciauerit ſocietati,à ſe quidem liberare ſocios ſuos: ſe autem ab illis non liberare. Quod non utique obſeruandum eſt,ſi dolo malo renuntiatio facta ſit. ueluti ſi cum omnium bonorum ſocietatem iniſſemus, deinde cum obueniſſet uni hæreditas, propter hoc renunciauit. Ideoque ſi quidem damnum attulerit hæreditas hoc ad eum, qui renũciauit pertinebit: commodum autem communicare cogetur actione pro ſocio.quod ſi quid poſt renuntiationem adquiſierit, non erit communicandum: quia nec dolus admiſſus eſt in eo,d.l.actione,§. Diximus.

Item ſi ſocietatem ineamus ad aliquam rem emendam, deinde ſolus ſolueris eã emere,ideoque renunciaueris ſocietati, ut ſolus emeres teneberis quanti intereſt mea.ſed ſi ideo renunciaueris, quia emptio tibi diſplicebat, non teneberis,quamuis ego emero: quia hic nulla fraus eſt. eaque & Iuliano placent, d.l.actione,§.Item ſi ſocietatem.

Labeo ſcribit,ſi renunciauerit ſocietati unus ex ſociis eo tempore, quo interfuit ſocii non dirimi ſocietatem committere eum in pro ſocio actione. nam ſi emimus animalia inita ſocietate deinde renunties mihi eo tempore, quo uendere animalia non expedit,hoc caſu,quia deteriorem cauſam meam facis teneri te pro ſocio iuditio.Proculus hoc ita uerum eſſe (ſi) ſi ſocietatis non interſit dirimi ſocietatem.ſemper enim non id,quod priuatim intereſt unius ex ſociis ſeruari ſolet: ſed quod ſocietati expedit.hæc ita accipienda ſunt, ſi nihil de hoc in coeunda ſocietate conuenit,d.l.Actione,§.Labeo.

Item qui ſocietatem in tempus coit,eam ante tempus renunciando,ſocium à ſe, non ſe à ſocio liberat. Itaque ſi quid compendii poſtea factum erit, eius partem non fert.at ſi diſpendium,æque præſtabit portionem, niſi renunciatio ex neceſsitate quadam facta ſit.Quod ſi tempus finitum eſt,liberum eſt recedere, quia ſine dolo malo id fiat,d.l.actione,§. Item qui.

Renunciare ſocietati etiam per alios poſſumus.& ideo dictum eſt,procuratorem quoq; poſſe renunciare ſocietati.Sed utrum de eo dictum ſit, cui omnium bonorum adminiſtratio conceſſa eſt: an de eo, cui hoc ipſum nominatim mandatum eſt,uideamus: an uero per utrunque recte renuncietur. Quod eſt uerius: niſi ſi prohibuerit eum dominus ſpecialiter renunciare,d.l.act.§.Renunciare.

Tam diu ſocietas durat,quandiu conſenſus partium integer perſeuerat, proinde ſi iam tibi pro ſocio nata eſt actio eam inferre apud eum, cuius ſuper ea re notio eſt non prohibeberis,C.pro ſocio,l.quinta.

Licen-

Licentiam habet furiosi curator dissoluere (si malueritr) societatem furiosi, & sociis licitum est ei renunciare: & quemadmodum in omnibus contractibus aliis legitima auctoritas data est. item, & in hac parte eum permittitur compe tenter commodis furiosi prouidere, C. eo. l. fin.

Si conuenerit inter socios, ne intra certum tempus communis res diuidatur nõ uidetur conuenisse, ne societate abeatur. quid tamen si hoc conuenit, ne abea tur: an ualeat? eleganter Pomponius scripsit, frustra hoc conuenire. nam & si non conuenit, si tamen intempestiue renuncietur societati, esse pro socio actionem. sed & si conuenit ne intra certum tempus societate habeatur, & an te tempus renuncietur, potest rationem habere renunciatio, nec tenebitur pro socio, qui ideo renunciauit, quia conditio quædam, qua societas erat coi ta, ei non præstatur. aut si quid ita iniuriosus, & damnosus socius sit, ut non expediat eum pati. Vel quod ea re frui non liceat, cuius gratia negotiatio su scepta sit. Idemque erit dicendum, si socius renunciauerit societati, qui rei publicæ causa diu, & inuitus sit afuturus. quamuis nonnunquam ei obici pos sit, quia potuit, & per alium societatem administrare, uel socio committere. Sed hoc non alias, nisi ualde sit idoneus socius: aut facilis afuturo etiam per alium societatis administratio. Qui igitur paciscitur ne diuidat, nisi aliqua iu sta ratio intercedat, nec uendere poterit, nec alia ratione efficiet, ut diuida tur. Sed sane potest dici uenditionem quidem non impediri: sed exceptio nem aduersus emptore locum habere, si ante diuidat, quam diuideret is, qui uendidit, ff. pro socio, l. si conuenerit, 14. cum duob. seq.

Sed & socius, qui alienauerit, contra pactionem accipit, committit & tenetur so cietatis, aut communi diuidundo iudicio, ff. eo. l. sed & socius, 17. in prin.

Si absenti renunciata societas sit, quod is sciuerit, quod is adquisiuit, qui renun ciauit in commune redigi: detrimentum autem solius eius esse qui renuncia uit, sed quod absens adquisiit ad solum eum pertinere: detrimentum ab eo fa ctum commune esse. In societate autem coeunda, nihil attinet de renuntiatio ne cauere eundem: quia ipso iure societatis intempestiua renuntiatio in æsti mationem uenit, d. l. sed & socius, 17. §. si absenti.

Si filiusfamilias societatem coierit, deinde emancipatus à patre fuerit, apud Iu lianum quæritur, an eandem societas duret, an uero alia sit, si forte post eman cipationem in societatem duratum est. Iulianus scripsit libro quartodecimo digestorum, eandem societatem durare: initiũ enim his cõtractibus inspicien dum. duabus autem actionibus agendum esse. una aduersus patrem, altera ad uersus filium. cum patre de eo, cuius dies ante emancipationem cessit: nam eius temporis, quo post emancipationem societas durauit, nihil præstare pa trem oportet. Cum filio autem, de utroque tempore: idest de tota societate. nam & si quid, inquit, socius filii, post emancipationem filii dolo fecerit, eius non patri, sed filio actio danda est, ff. eo. l. si id quod, 58. §. si filiusfamil.

Soluitur adhuc societas etiam morte socii, quia qui societatem contrahit, cer tam personam sibi eligit, sed etsi consensum plurium societas cõtracta sit mor te unius socii soluitur, etsi plures supersint, nisi in coeunda societate aliter con uenerit, Inst. de societate, §. soluitur adhuc.

Morte unius societas dissoluitur, & si consensu omnium coita sit, plures uero su persint: nisi in coeunda societate aliter conuenerit, nec hæres socii succedit. sed quod ex re communi postea quæsitum est, item dolus & culpa in eo, quod ex ante gesto pendet, tam ab hærede, quàm hæredi præstandum est, ff. pro so-

cio,

cio,l.actione,65.§.morte.

Adeo morte ſocii ſoluitur ſocietas, ut nec ab initio paciſci poſsimus, ut hæres etiam ſuccedat ſocietati hæc ita in priuatis ſocietatibus procedunt. in ſocietate uectigalium nihilo minus manet ſocietas,& poſt mortem alicuius. Sed ita demum, ſi pars defuncti ad perſonam hæredis eius adſcripta ſit, ut hæredi quoque conferri oporteat, quod ipſum ex cauſa æſtimandum eſt. quid enim ſi mortuus ſit is propter cuius operam maxime ſocietas coita ſit, aut ſine quo ſocietas adminiſtrari non poſsit, ff.eo.l.adeo,59.io princ.

Si in rem certam, emendam, conducendanve coita ſit ſocietas, tunc etiam poſt alicuius mortem quidquid lucri, detrimentive factum ſit, commune eſſe labeo ait, d.l.actione,§.ſi in rem.

Societas quemadmodum ad hæredes ſocii non tranſit, ita nec ad adrotorem. ne alioquin inuitus quis ſocius efficiatur cui non uult. ipſe autem adrogatus ſocius permanet. nam &b filiusfamilias emancipatus fuerit, permanebit ſocius, d.l.actione,§.ſocietas.

Item ſi alicuius rei contracta ſocietas ſit,& finis negotio impoſitus eſt, finitur ſocietas, Inſt.de ſocietate,§,Item ſi alicuius,

Item ſi alicuius rei ſocietas ſit,& finis negotio impoſitus, finitur ſocietas. quod ſi in tegris omnibus manentibus alter deceſſerit, deinde tunc ſequatur res, de qua ſocietatem coierunt, tunc eadem diſtinctione utemur, qua in mandato: ut ſi quidem fuerit ignota mors alterius ualeat ſocietas: ſi nota, non ualeat, ff. pro ſocio,l.actione,75.§.Item ſi alicuius.

Publicatione quoque diſtrahi ſocietatem manifeſtum eſt, ſcilicet ſi uniuerſa bona ſocii publicentur: Nam cum in eius locum alter ſuccedat, pro mortuo habetur, Inſt.de ſocie.§.Publicatione,& ff.eo.l.actione,65,§.publicatione.

Item ſi uis ex ſociis mole debiti prægrauatus bonis ſuis ceſſerit,& ideo propter publica, aut priuata debita ſubſtantia eius ueneat, ſoluitur ſocietas, ſed hoc caſu, ſi adhuc conſentiant in ſocietatem, noua uidetur incipere ſocietas, Inſt. de ſocietate,§.Item ſi quis.

Item bonis à creditoribus uenditis unius ſocii, diſtrahi ſocietatem labeo ait, ff. pro ſocio,l.actione,§.Item bonis.

Socius ſocio utrum eo nomine tantum teneatur pro ipſo ſocio actione, ſi quid dolo commiſerit, ſicut is, qui deponi apud te paſſus eſt, an etiam culpæ, ideſt deſidiæ, atque negligentiæ nomine quæſitum eſt: præualuit tamen etiam culpæ nomine teneri eum. culpa autem non ad exactimam diligentiam dirigenda eſt. ſufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere ſocium, qualem ſuis rebus adhibere ſolet: Nam qui parum diligentem ſocium ſibi aſſumit, deſequeri, ſibique hoc imputare debet, Inſt.de ſocietate,§. fin.

Venit in hoc iudicium pro ſocio bona fides. utrum ergo tantum dolum an etiã culpam præſtare ſocium oporteat quæritur. & Celſus libro ſeptimo digeſtorum ita ſcripsit, ſocios inter ſe dolum,& culpam præſtare oportet. Si in coeunda ſocietate, inquit, artem operamve pollicitus eſt alter, ueluticum peius in commune paſcendum, aut agrum politori damnus in commune quærendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt. pretium enim operæ artis eſt uelamentum. Quod si rei communi ſocius nouit, magis admittit culpam quoque uenire, ff.pro ſocio,l.cum duobus,52.§.uenit.

Damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc eſt damna fatalia, ſocii non congentur præſtare. ideoque ſi peius æſtimatum datum ſit,& id latrocinio, aut incen

dio

dio,perierit,commune damnum ſit,ſi nihil dolo,aut culpa acciderit eius, qui æſtimatum peius acceperit. Quod ſi à furibus ſubreptum ſit, proprium eius detrimentum eſt: quia cuſtodiam præſtare debuit, qui æſtimatum accepit. hæc uera ſunt. & pro ſocio erit actio: ſi modo ſocietatis contrahendæ cauſa paſcenda data ſunt, quamuis æſtimata,d.l.cum duob.§.Damna.

Non ob eam rem minus ad periculum ſocii pertinet, quod eius negligentia periſſet, quod in pleriſq; aliis induſtria eius ſocietas fuiſſet. & hoc ex appellatione Imperator pronunciauit. Et ideo ſi ſocius quædam negligenter in ſocietate egiſſet, in pleriſq; autem ſocietatem auxiſſet, non compenſatur compendium cum negligentia,ut Marcellus libro ſexto digeſtorum ſcribit,ff. pro ſocio,l.Non ob eam rem,xxv.& ſequen.

Omne æs alienum, quod manente ſocietate contractum eſt, de communi ſoluendum eſt,licet poſteaquam ſocietas diſtracta eſt,ſolutum ſit.igitur, & ſi ſub conditione promiſerat,& diſtracta ſocietate conditio extitit,ex communi ſoluendum eſt. Ideoq; ſi interim ſocietas dirimatur, cautiones interponendę ſunt, ff.eodem lege omne,xxvii.

Si ſocii ſumus, & unus ex die pecuniam debeat, & diuidatur ſocietas,non debet hoc deducere ſocius, quemadmodum præſens debet. ſed omnes diuidere, & cauere,cum dies uenerit,defenſu iri ſocium,ff.eo.l.ſi ſocii,xxviii.

Si Titius,cum quo mihi ſocietas erat, deceſſerit,egoq; cum putarem Titii hæreditatem ad Seium pertinere, communiter cum eo res uendiderim, & partem pecunia ex uenditione redactæ ego,partem Seius abſtulerit,te, qui reuera Titio hæres,partem ad me redactæ pecuniæ ſocietatis iudicio non conſecuturũ, Neratio, & Ariſtoni placeaat: quia meæ duntaxat partis precia percepiſſem. neque intereſſe utrum per ſe partes meas uendiſſem,an communiter cum eo, qui reliquas partes ad ſe pertinere diceret. alioquin euenturum, ut etiam ſi duo ſocii rem uendiderint,unuſquiſq;, quod ad ſe peruenerit, partem alteri ſocietatis iudicio præſtare debeat.ſed nec te ex parte, quam hæreditatis petitione à Seio conſecuturus ſis,quicquam mihi præſtare debere: quia apud Seium peruenerit, tuarum partium pretium ſit. nec ad me habentem meum, quicquam ex meo redire debeat,ff.eo.l.ſi Titius,lxii.

Nemo ex ſociis plus parte ſua poteſt alienare, & ſi toto tam bonorum ſocii ſint, ff.eod.l.Nemo,lxviii.in princ.

Iure ſocietatis per ſocium ære alieno ſocius non obligatur, niſi in communem aream pecuniæ uerſæ ſunt,ff.eod.l.pro ſocio,lxxxii.

Illud quærendum eſt arbor,quæ in confinio nata eſt, item lapis, qui per utrunq; fundum eſtenditur, an cum ſucciſa arbor eſt, uel lapis exemptus, eius ſit, cuius fundus,pro ea quoq; parte ſingulorum eſſe debeat,pro qua parte in fundo fuerat:an qua ratione duabus maſsis duorum dominorum flatis, tota maſsis communis eſt,ita arbor hoc ipſo, quo ſeparatur à ſolo, propriamque ſubſtantiam in unus corpus redactam accipit, multo magis pro indiuiſo communis ſit,quam maſſa. ſed naturali conuenit ratione, & poſtea tantam partem utrunque habere, tàm in lapide, quàm in arbore, quantam, & in terra habebat,ff. eodem l.pro ſocio,lxxxiii.

DE MANDATO.
Tit. XXIIII.

OBLIGATIO mandati consensu contrahentium consistit, ideo per nuncium quoq; uel per epistolam mandatum suscipi potest. item siue ROGO, siue VOLO, siue MANDO, siue aliud quodcunque uerbum scripserit: mandati actio est, ff. mandati, lege prima, in princ.

Mandatum contrahitur quinque modis, siue sua tantam gratia aliquis tibi mandet, siue sua, & tua, siue aliena tantum, siue sua, & aliena, siue tua, & aliena, at si tua tantum gratia mandatum sit, superuacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter uos actio nascitur. Institu. de mandato, in prin. & ff. mand. l. secunda in prin.

Mandantis tantum gratia interuenit mandatum, ueluti si quis tibi mandet, ut negotia eius gereres, uel ut fundum ei emeres, uel ut pro eo sponderes.

Tua gratia, & mandantis, ueluti si mandet tibi, ut pecuniam crederes mercatori pro honesto lucro recipiendo, aut si uolente te agere cum eo ex fideiussoria causa mandet tibi, ut cum reo agas periculo mandantis, uel ut ipsius periculo stipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

Aliena autem tantum causa interuenit mandatum, ueluti si tibi aliquis mandet, ut Titii negotia gereres, uel ut pro Titio fundum emeres, uel ut pro Titio sponderes.

Sua, & aliena ueluti si de communibus suis & Titii negotiis gerendis tibi mandet, uel ut sibi, & Titio fundum emeres, uel ut pro eo, & Titio sponderes.

Tua tantum gratia interuenit mandatum, ueluti si tibi mandet, ut pecunias tuas in emptiones potius prædiorum colloces, quàm mercatori pro eodem honesto lucro crederes, uel ex diuerso, ut pecunias tuas. ita credas potius, quàm in emptiones prædiorum colloces, cuius generis mandatum magis consilium, quàm mandatum est, & ob id non est obligatorium, quia nemo ex consilio mandati obligatur, etiam si non expediat ei, cui mandabatur, cum liberum cuique sit apud se explorare, an sibi expediat consilium. item si ociosam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit, aliquis, ut rem aliquam emeres, uel eam crederes quamuis enim non expediat eam tibi emisse, uel credisse, non tamen tibi mandati tenetur. & adeo hæc ita sunt, ut quæsitum sit, an mandati teneatur, qui mandauit tibi, ut pecuniam Titio mercatori crederes pro eodem honesto lucro. sed obtinuit sabini sententia obligatorium esse in hoc casu mãdatum: quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset, Instit. de mand. §. mandantis usq; ad §. illud quoque, & ff. eo. l. secunda, §. mea autem tantum usq; ad finem.

Cum mando tibi, ut credendo pecuniam negotium mihi geras, mihique id nomen præstes, & ut periculum, & emolumentum meum sit: mandatum potest consistere. Cæterum si ut tibi negotium geras, tuique arbitrii sit nomen: idest ut cui uis credas, & tu recipias interesse periculumq; duntaxat ad me pertineat. iam extra mandati forma est, quemadmodum si mandarem, ut tibi quem uis fundum emas, ff. eo. l. quinta, lxviii. §. cum mando.

Qui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur, mandare intelligitur, ff. mand. l. qui patitur, xviii.

Ex mandato apud eum, qui mandatum suscepit, nihil remanere oportet: sicuti

nec

nec damnum pati debet si exigere pecuniam mutuatam non posuit. fideiussori negotiorum gestorum est actio, si pro absente fideiusserit. nam mādati actio non potest competere, cum non antecesserit mandatū, ff. eo. l. ex mādato, xx.

Si hi, quorum res ueneunt, quos pignori dederunt supposuerint emptores, & eis ae emendas res mandent: mandatum intelligitur, licet, quantum ad meram rationem, mandatum non consistat. Nam cum rem tuam emas, nulla emptio est in tua persona rei tuæ, ff. eo. l. si mandauero, xxi. §. si bonum.

Iulianus scripsit, mandati obligationem consistere etiam in rem eius, qui mandatum suscipit ex eo maxime probari: quod si pluribus hæredibus uendentibus uni mandauero, ut rem hæreditariam emeret: etiam pro ea parte, ex qua hæres sit, obligatur mandati actione, & obligat. & sanè si ille propter hoc extraneo rem non addixerit, quod mandatum susceperat: ex bona fide esse, præstari ei precium, quanti uendere poterat, & contra, si emptor ad emptionem rei sibi necessariæ idcirco non accesserat, quod hæres recepisset se ei empturum: æquissimum est mandati iudicio præstari, quanti eius interfuit emptam rem habere, d. l. si mandauero, §. Iulianus.

Illud quod mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est. Veluti si Titius de furto, aut de damno faciendo, aut de iniuria facienda mandet tibi, licet enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen ullam habes aduersus Titium actionem, Inst. de mandato, § Illud quoque.

Qui ædem sacram spoliandam, hominem uulnerandum occidendumve mandatu suscipit, nihil mandati iudicio consequi potest, propter turpitudinem mandati, d. l. si mandauero, §. qui ædem.

Si tibi antum dedero, ut ea Titio dares tuque non dederis, sed consumpseris, & & mandati, & furti teneris te, Proculus ait, at si ita dederim, ut quæ uelles, dares: mandati tantummodo, ff. eo. l. si mandauero, xxii. §. si tibi antum.

Is quoq; qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati: ut ecce si quis usq; ad centum aureos mandauerit tibi; vt fundum emeres, uel ut pro Titio sponderes, neque pluris emere debes, nec in amplio rem pecuniam fideiubere, alio quis non habebis cum eo mandati actionem, adeo quidem ut Sabino, & Cassio placuerit etiam si usq; ad centum aureos cum eo agere uolueris inutiliter te acturum, sed diuersæ scholæ auctores rectè, vsq; ad centum aureos te acturum existimant: quæ sententia sanè benigni est. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem, quoniam qui mandat, ut sibi centum aureorum fundus emeretur. is vtiq; mandasse intelligitur, ut minoris, (si posset) emeretur. Inst. de mandato, §. is quoq;.

Præterea in causa mandati etiā illud uertitur: ut interdum nec melior causa mandantis fieri posit. interdum melior: deterior uero nunquam. & quidē si mandaui tibi, ut aliquam rem mihi emeres, nec de precio quenquam statui, tuque emisti: utrinq; actio nascitur. quod si precium statui: tuq; pluris emisti. quidā negauerunt mandati te habere actionem etiam si paratus esses, id quod excedit; remittere. nanq; iniquum est, non esse mihi cum illo actionem, si nolit: illi uero, si uelit mecum esse: sed proculus rectè eum, usq; ad precium statutum acturum existimat, quæ sententia sanè benignior est, ff. mand. l. tertia & quar.

Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt. Nam qui excessit, aliud quid facere uidetur: & si susceptum non impleuerit, tenetur. itaq; si mandauero tibi, ut Domum Seianam centum emeres, tuq; Titianam emeris longe maioris precii, centum tamen, aut etiam minoris: non uideris implesse mandatum.

Item

Item si mandauero tibi, ut fundum meum centum uenderes, tuq; eum nonaginta uendideris,& petam fundũ.non obstabit mihi exceptio nisi,& reliquum mihi,quod deest mandato meo pręstes,& indemnem me per omnia conserues ff.eod.l.quinta,in prin.

Melior autem causa mandantis fieri potest:puta si cum tibi mandassem, ut equũ decem emeres,tu eum minoris emeris,uel tantidem, ut aliud quidquam filio accederet. utroque enim casu, aut non ultra precium,aut intra precium fecisti,d.l.quinta,§.finali.

Si hæreditatem aliter aditurus non essem, quam cautum mihi fuisset damnum præstari, & hoc mandatum intercessisset, erit mandati actio. si quis autem mandauerit alicui nè legatum à se repellat, longè ei dissimile erit, Nam legatum adquisitum nunquam illi damno esse potuit: hæreditas interdum damno sa est.& in summa quicunque contractus tales sunt, ut eorum nomine fideiussor obligari posit: & mandati obligationem consistere poterit, neque enim multum refert,præsens quis interrogatus fideiubebat,an absens mandet. præterea uulgo licet, animaduertere,mandatu creditorum hæredis suspectas hæreditates adiri,quod mandati iudicio teneri, proculdubio est, ff. eod.l. si hæreditatem, xxxii.

Rogatus ut fideiuberet, si in minorem summam se obligarit: rectè tenetur, si in maiorem à plerisque responsum est: eum, qui in maiorem summam, quam rogatus erat fideiusisset, hactenus mandati actionem habere, quatenus rogatus esset: nam usque ad eam summam, in quam rogatus erat, fidem eius spectasse uidetur, qui rogauit,ff.eo.l.rogatus,xxxiii.

Fundum,qui ex parte tuus est,mandaui tibi,ut emeres mihi,uerum est, mandatum posse,ita consistere,ut mihi cæteris partibus redemptis, etiam tuam partem præstare debeas. sed siquidem certo precio emendas eam mandauerim: quanticumque aliorum partes redemeris, sic & sua pars artabitur: ut non abundet mandati quantitatem,in quantum ei emendum totum mandaui. sin autem nullo certo precio constituto emere tibi mandauerim,tuque ex diuersis preciis partes cæterorum emeris, & tuam partem uiri boni arbitratu, æstimato precio,dari mihi oportet. Ita ut omnes summas,maiores,& minores coaceruet: & ita portionem ei,qui mandatum suscepit, præstet: quod & plerique probant,ff.eo.l.si fundum,35.cum l.seq.in prin.

Simili modo,& in illa specie,ubi certo pretio tibi emere mandaui: si aliarum partium nomine commode negotium gesseris,& uillius emeris: pro tua parte tantum tibi præstatur, quanti tua interest: dummodo intra id precium, quod mandato continetur. quid enim fieret, si exiguo precio hi, quibus, cum tibi communis fundus erat rem abiicere, uel necessitate rei familiaris, uel alia causa, congerentur? num etiam tu ad idem dispendium deducereris? sed nec lucrum tibi ex hac causa adquirere debes, cum mandatum gratuitum esse debeat.neque enim tibi concedendum est, propter hoc uenditionem impedire, quod animosiorem eius rei emptorem esse, quam tibi mandatum est, cognoueris,ff.eo.l. ut omnes,36.§.simili modo.

Quod si fundum, qui per partes uenit, emendum mandassem: sed ita, ut non aliter mandato tenear, quam si totum fundum emeret: si totum emere non potuerit, in partibus emendis sibi negotium gesserit. siue habuerit in eo fundo partem, siue non, & eueniet, ut is, cui tale mandatum datum est periculo suo interim partes emat: & nisi tantum emerit ingratus eas retineat. Pro-

pius est, ut cum huiusmodi incommodis mandatum suscipi posſit: præstarique officium etiam in partibus emendis, perinde ac in toto debet ab eo, qui tale mandatum sua sponte suscepit: quod si mandassem tibi, ut fundum mihi emeres: non addito eo, ut non aliter mandato tenear, quam si totum emeres: & tu partem, uel quasdam partes eius emeris: tum habebimus siue dubio inuicem mandati actionem, quamuis reliquas partes emere non potuisses, d. l. ita, ut omnes, §. quod si fundum.

Lucius Titius Publio Mæuio filio naturali domum communem permisit, non donationis causa creditori obligari, postea Mæuio defuncto relicta pupilla tutores eius iudicem aduersus Titium acceperunt: & item Titius de mutuis præstationibus. quæsitum est an domus pars, quam Titius obligandam filio suo accommodauit, arbitratu iudicis liberari debeat? Responsum est, an & quando debeat liberari ex persona debitoris: itemq; ex eo, quod inter contrahentes actum esset, ac tempore, quo res, de qua quæritur obligata fuisset: iudicē æstimatum est enim earum specierum iudicialis quæstio, per quam res expediatur. Non absimilis illa, quę frequentissimæ agitari solet, an fideiussor, & priusquam soluat, agere posſit, ut liberetur. (nec enim semper espectandum est, ut soluat, aut iudicio accepto condamnetur) si diu in solutione reus cessauit, aut certe bona sua dissipauit? præsertim si domi pecuniam fideiussor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conueniat, ff. eodem lege Lucius, xxxviii.

Et Aristoni, & Celso patri placuit posse rem hac conditione deponi, mandatumquè suscipi: ut res periculo eius sit, qui depositum, uel mandatum suscepit, quod & uerumesse uidetur, ff. eo. l. & Aristoni, 39.

Si mandauero tibi, ut excuteres uires hæreditatis, & tu quasi minoris sit, eam à me uires: & mandati mihi teneberis. tantundem, & si tibi mandaui, ut emeris excuteres eius, cui eram crediturus, & denunciaueris eum idoneum esse, ff. eodem l. si mandauero, 42.

Qui mandatum suscepit, ut pecunias in diem collocaret, isque hoc fecerit, mandati conueniendus est, ut cum dilatione temporis actionibus cedat, ff. eod. l. qui mandatum, 43.

Dolus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest: aut si quis non exegerit, quod exigere potest, aut soluere, ff. eo. l. dolus, 44.

Commodissime illa forma mandati seruanda est, ut quoties certum mandatum sit, recedi à forma non debeat. at quoties in certum, uel plurimum causarum; tunc licet aliis præstationibus exsoluta sit causa mandati, quàm quæ ipso mandato iuerat, si tamen hoc mandatori expedierit. mandati sit actio, ff. eod. l. si quis, 46. §. igitur commodissime.

Cum mando tibi, ut credēdo pecuniam negocia mihi geras, mihiq; id nomen præstes, & ut periculum & emolumentum meum sit: mandatum potest consistere. cæterum si ut tibi negotium geras, tuique arbitrii sit nomen, id est, ut cuius credas, tu recipias interesse, periculumque duntaxat ad me pertineat: iam extra mandati formam est, quemadmodum si mandarem, ut tibi quemuis fundum emas, ff. eo. l. quintus, 48. §. cum mando.

Recte quoque mandatum contractum, si cum adhuc integra res sit, reuocatum fuerit, euanescit, Inst. de mandato, §. recte quoque.

Si pater tuus tibi sui iuris constituto, actionem aduersus debitores suos mandauit: potuit & ipse præsens, aduersus eos re integra, experiri, si quid itaq; ab eo

apud

apud iudicem actum est: rescindi id nulla ratio patitur, C.mand.l.tertia.

Item si adhuc integro mandato mores alterutrius interueniat, idest uel eius, qui mandauerit, uel illius qui mandatum suscipit, soluitur mandatum. sed utilitatis causa receptum est, si eo mortuo, qui tibi mandauerat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione: alioqui iusta, & probabilis ignorantia tibi damnum afferret. Inst. de mand. § item si, adhuc, & C. eo. l. mandatum, xv.

Morte quoque eius, cui mandatum est, si is integro adhuc mandato decesserit, soluitur mandatum, & ob id hæres eius, licet exsecutus fuerit mandatum non habet mandati actionem, ff. mand. l, si quis, xxvii. §. Morte quoque.

Mandatum distrahendorum animalium defuncto eo, qui mandatum suscepit, intercidisse constitit, quoniam tamen hæredes eius errore lapsi, non animo furandi, sed exequendi, quod defunctus suæ curæ fecerat: equos uendiderant: eos ab emptoribus usucaptos uideri placuit. & uenaliciarum ex prouincia reuersum publiciana actione inutiliter acturũ: cum exceptio iusti dominii causa cognita detur. neque oporteat eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam hæredum effici damno, ff. mand. l. mandatum, lvii.

Si præcedente mandatu Titium defenderis, quamuis mortuo eo, cum hoc ignorares, mandati actio aduersus hęredes Titii competit: quia mandatum morte mandatoris, non etiam mandati actio soluitur, quod si sine mandatu defensione suscepta, negocium quodammodo defuncti gerere institueras. quemadmodum si illam liberasses, competeret tibi negotiorum gestorum actio: ita potest dici, & hæredem eius eadem actione teneri, ff. eo. l. si præced. lviii. in prin.

Mandatum non suscipere cuilibet liberum est: susceptum autem consumandum est: aut quam primum renũciandum: ut per semetipsum, autem per alium eandem rem mandator exequatur. nã iuri ita renuncietur, ut integra causa mandatori reseruetur, eandem rem explicandi: nihilominus mandati actio locum habet: nisi iusta causa intercesserit, aut non renunciandi, aut in tempestiuè renunciandi, Inst. de mand. §. mandatum.

Sicut autem liberum est mandatum non suscipere, ita susceptum cõsumari oportet, nisi renunciatum sit, renunciari autem ita potest, ut integrum ius mandatori reseruetur, uel per se, uel per alium eãdem rem commodè explicandi: aut redundet in eam captio, qui suscepit mandatum. Et quidem, si is, cui mandatum est, ut aliquid mercaretur, mercatus non sit: neque renunciauerit se non empturum, idque sua non alterius culpa fecerit, mandati actione teneri eum conuenit, hoc amplius tenebitur (sicut Mela quoque scripsit) si eo tempore, per fraudem renunciauerit, cum iam rectè emere non posset. Sanè si ualetudinis aduersæ, uel capitalium inimiciciarum, seu ob inanes rei actiones, seu ob aliam iustam causam excusationis alleget: audiendas est, ff. mand. l. si mandauero, xxii. §. finali cum tribus leg. seq.

Inter caussas obmittendi mandati etiam mors mandatoris est. Nam mandatum soluitur morte, si tamen per ignorantiam impletum est: competere actionem utilitatis causa dicitur. Iulianus quoq; scripsit, mandatoris morte solui mandatum: sed obligationem aliquando durare. si quis debitori suo mandauerit, ut Titio solueret, & debitor mortuo eo, cum id ignoraret, soluerit, liberari eum oportet, Abesse igitur pecunia fideiussori: etiam si debitor, ab eo delegatus sit creditori, licet is soluendo non fuerit, quia bonum nomen fecit creditor, qui admittit debitorem delegatum, ff. eo. l. si inter cætera, xxvi. in princ.

Qui mandatum suscepit, si potest id explere, deserere promissum officium non debet: alioquin quanti mandatoris intersit, damnabitur, si uerò intelligit explere se id officium non posse, id ipsum cum primum poterit debet mandatori renunciare, ut is, si uelit alterius opera utatur, quod si, cum possit renunciare, cessauerit, quanti mandatoris intersit, tenebitur, si aliqua ex causa non poterit renunciare securus erit, ff. eo. l. si quis, xxvii. §. qui mandatum.

Papinianus libro decimotertio Quæstionum ait, mandatorem debitoris soluentem, ipso iure reum non liberare. propter mandatum enim suum soluit, & suo nomine, ideoq; mandatori actiones putat aduersus reum cedi debere, ff. eod. l. Papinianus, xxviii.

Mandatum & in diem differri, & sub conditione fieri potest, Inst. de mand. §. penult. & ff. mand. l. prima, §. item mandatum.

In summa sciendum est mandatum, nisi gratuitum sit in aliam formam negocii cadere, Nam mercede constituta incipit locatio, & conductio esse. & ut generaliter dicamus, quibus casibus, sine mercede suscepto officio, mandati, siue depositi contrahitur negocium, his casibus, interueniente mercede, locatio, & conductio intelligitur contrahi: & ideo si fulloni polienda curandave dederit quis uestimenta, aut sarcinatori sarcienda, nulla mercede constituta, neq; præmissa mandati competit actio. Inst. de mandato. §. fi. & ff. mandati, l. prima, §. fi.

Si contra litis incertum redemisti: interdictæ conuentionis tibi fidem impleri frustra petis, quod si gratuitum mandatum suscepisti, secundum bonam fidem sumptus rectè postulas, C. eo. l. si contra, xx.

In re mandata, non pecuniæ solum: cuius est certissimum mandati iudicium, uerumetiam existimationis periculum est, nam sua quidem quisq; rei moderator, atq; arbiter, non omnia negocia, sed pleraq; ex proprio animo facit, aliena uoto negocia exacto officio geruntur: nec quidquam in eorum administratione negletum, ac declinatum culpa uacuum est, C. eo. l. in re mandata, xxi.

Quidam alienis rebus fortunisq; inhiantes cessiones aliis competentium actionum, in semetipsos properabant: hocq; modo diuersis personas litigatorũ uexationibus afficiebant; cum certum sit, pro indubitatis obligationibus eos magis quibus antea suppetebant, iura sua uindicare, quam ad alios ea transferre uelle, lege Anastasii iubetur huiusmodi conamen inhiberi. nec enim dubiũ est redemptores litium alienarum uideri eos esse, qui tales cessiones in se confici cupiunt. ita tamen, ut si quis datis pecuniis, huiusmodi subierit cessionem usq; ad ipsam tantummodo solutarum pecuniarum quantitatem, & interesse eius actione exercere permittatur, licet instrumento cessionis, uéditionis nomen insertum sit. exceptis scilicet cessionibus, quas inter cohæredes pro ea actionibus hęreditariis fieri contingit: & iis quasquuq;, uel creditor, uel is, qui res alienas possidet, pro debito, sed reum apud se constitutarum munimine, ac tuitione accipit: nec non iis, quas inter legatarios, seu fideicommissarios, quibus debita, uel actiones, seu res relictæ sunt, pro his fieri necesse est. nulla etenim tali ratione intercedente: redemptor (sicuti superius declaratum est) magis existit, qui alienas, pecuniis præstitis subiit actiones, sinautem per donationes cessio facta est, sciunt omnes huiusmodi legi locum non esse, sed antiqua iura esse seruanda, ut cessiones tam pro exceptis, & specialiter enumeratis, quam aliis causis factæ seu faciendæ, secundum actionum quæcunque cessæ sunt, uel fuerint, tenorem sine quadam imminutione obtineant, C. eodem l. penultima.

Eum

Eum qui se patrem familias simulauit,& mandante aliquo stipulatus est, mandati teneri Marcellus scribit,quàmuis rem prestare non posit,& sanè verum est teneri eum debere,quia dolo fecit, hoc & in omnibus bonæ fidei iudiciis dicendum erit. ff.quod cum eo qui in alien.pot.est l.sexta.

Siquidem donationis causa ei quem affectione patris te dilexisse proponis, tuã accipere pecuniam permisisti,& hanc tuam liberalitatem ille remunerans te a procuratore suo aliam pecuniam sumere præcepit,rebusque humanis ante perceptionem fuit exemptus: nec quod dederas recuperare(cum perfectam habuit donationem)nec quod tibi dari mandauit,nec dum tibi traditum,petere potes a procuratore. Quod si mutuo dedisti,nec a delegato dari nouandi causa stipulatus es: successores eius solutioni parere compelluntur. C. de action. & oblig.l.octaua.

Finis Libri Tertij.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißsis iis,quibus a iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quartus.

DE OBLIGATIONIBVS, QVAE EX QVASI CONTRACTV NASCVNTVR.

Titulus I.

POST genera contractus enumerata,deſpiciamus etiam de iis obligationibus, quæ quidem non propriè naſci ex contractu intelliguntur : ſed tamen,quia non ex maleficio ſubſtantiam capiunt, quaſi ex contractu naſci uidentur, Inſti. de oblig.quæ ex quaſi contractu,in prin.

De negotiis geſtis.

Cum quis negotia abſentis geſſerit, ultro,citroq; inter eos naſcuntur actiones, quæ appellantur negotiorum geſtorum.ſed domino quidem rei geſtæ, aduerſus eum qui geſsit,directa competit actio,negotiorum autem geſtorum contraria : quas ex nullo contractu propriè naſci manifeſtum eſt : quippè ita naſcuntur iſte actiones, ſi ſine mandato quiſquam alienis negotiis gerendis ſe obtulerit, ex qua cauſſa ii , quorum negotia geſta fuerint, etiam ignorantes obligantur,idque utilitatis cauſſa receptum eſt,ne abſentium, qui ſub ita feſtinatione coacti,nulli demandata negotiorum ſuorum adminiſtratione, peregrè profecti eſſent deſererentur negotia, quæ ſanè nemo curaturus eſſet, ſi de eo,quid quis impendiſſet,nullam habiturus eſſet actionem . Sicut autem, is,qui utiliter geſsit negotia, Dominum habet obligatum negotiorum geſtorum,ita & contra iſte quoque tenetur,ut adminiſtrationes reddat rationem, quo caſu ad exactiſsimam quiſque diligentiam compellitur reddere rationē, nec ſufficit talem diligentiam adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet : ſi modo alius diligentior eò commodius adminiſtraturus eſſet negotia, Inſt. de oblig. quæ ex qua. cont. §. igitur.

Hoc edictum necessarium est: quoniam magna utilitas absentium uersatur, ne indefensi rerum in possessionem, aut uenditionem patiantur, uel pignoris distractionem, uel pœnæ committendæ actionem, uel iniuria rem suam amittant, ff. de neg. gest. l. prima.

Si quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis: tamen quidquid utiliter in rem eius impenderit, uel etiam ipse se in re absentis alicui obligauerit: habet eo nomine actionem. itaque eo casu ultro citroq; nascitur actio, quæ appellatur negotiorum gestorum. & sanè sicut æquum est ipsum actus sui rationem reddere: & eo nomine condemnari, quidquid uel non, ut oportuit gessit, uel ex his negotiis retinet. ita ex diuerso iustum est, si utiliter gessit, præstari ei, quidquid eo nomine uel abest ei, uel ad futurum est, ff. eo. l. secunda.

Ait prætor, SI QVIS NEGOTIA ALTERIVS, SIVE QVIS NEGOTIA QVAE CVIVSQVE CVM IS MORITVR, FVERINT, GESSERIT IVDICIVM EO NOMINE DABO. Hæc uerba SI QVIS sic sunt accipienda, SIVE QVAE: nam & mulieres negotiorum gestorum agere posse, & conueniri non dubitantur: NEGOTIA sic accipe: siue unum, siue plura: ALTERIVS, inquit: & hoc ad utrunque sexum refertur. Pupillus autem si negoia gesserit, post rescriptum diui pii, etiam conueniri potest in id, quod factus est locupletior. agendo autem compensationem eius, quod gessit, patitur. Etsi furiosi negotia gesserim: competit mihi aduersus eum negotiorum actio, ff. eo. l. tertia, in princ.

Hæc uerba, SIVE QVIS NEGOTIA, QVAE CVIVSQVE CVM IS MORITVR FVERINT, GESSERIT. significant illud tempus, quo quis post mortem alicuius negotia gessit. de quo fuit necessarium edicere. quoniã neque testatoris inde functi, neque hæredes, qui nondum adiit negotium gessisse uidetur. Sed si quid accessit post mortem, utputà fætus, & fructus: & si ex his uerbis non continentur pro adiecto, tamen debent accipi, dicta lege tertia, §. hæc uerba.

Si pupilli tui negotia gessero non mandato tuo, sed ne iudicio tutelæ tenearis: negotiorum gestorum te habeo obligatum. sed & pupillum: modo si locupletior fuerit factus, ff. eo. l. sexta, in prin.

Item si procuratori tuo mutuam pecuniam dedero tui contemplatione, ut creditorem tuum liberet: aduersus te negotiorum gestorum habeo actionem. aduersus eum, cum quo contraxi nullam. quid tamen si à procuratore tuo stipulatus sum? potest dici superesse mihi aduersus te negotiorum gestorum actionem, quia ex abondanti hanc stipulationem interposui, d. l. sexta, §. Item si.

Si quis pecuniam, uel aliam quandam rem ad me perferendam acceperit: quia meum negotium gesserit negotiorum gestorum mihi actio aduersus eum competit. sed & si quis negotia mea gessit, non mei contemplatione, sed sui lucri caussa: Labeo scribit suum eum potius quam meum negotium gessisse. qui. n. deprædandi causa accedit, suo lucro non meo commodo studet. Sed nihilominus immo magis, & is tenebitur negotiorum gestorum actione. ipse tamen si circa res meas aliquid impenderit, non in id, quod ei abest, quia improbè ad negotia mea accessit, sed in id, quod ego locupletior factus sum habet contra me actionem, d. l. sexta, §. si quis pecuniam.

Si quis ita simpliciter uersatus est, ut suum negotium in suis bonis, quasi meum gesserit, nulla ex utroque latera nascitur actio: quia nec fides bona hoc patiatur. quod si & suum, & meum, quasi meum gesserit: in meum tenebitur. Nam

&si

& si cui mandauero ut meum negotium gerat, quod mihi tecum erat commune dicendum esse labeo ait, si & tuum gessit sciens, negotiorum gestorum eũ tibi teneri. d.l. sexta. §. si quis.

Item si fundum tuum, vel ciuitatis per obreptionem petiero negotium tuum, vel ciuitatis gerens, & amplioresque oportuit fructus fuero consecutus debebo hoc ipsum tibi, vel reip. præstare, licet petere non potuerim. ff. eod. l. si autem, viii. §. item si fundum.

Si negotia absentis, & ignorantis geras: & culpam, & dolum præstare debes, sed Proculus interdum etiam casum præstare debes: veluti si nouum negotium quod non sit solitus absens facere, tu nomine eius geras, veluti aliquam negotiationem ineundo. Nam si quid damnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur, lucrum vero absentem. quòd si in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnum: absens pensare lucrum, cum damno debet. ff. eod. l. si negotia xi.

Debitor meus, qui mihi quinquaginta debebat decessit huius hæreditatis curationem suscepi: & impendi decem· deinde redacta ex venditione rei hæreditariæ centum in arca reposcis. hæc sine culpa mea perierunt. quæsitum est an ab hærede, qui quandoque extitisset, vel creditam pecuniam quinquaginta petere possim, vel decem quæ impendi. Iulianus scribit in eo verti quæstionem, vt animaduertamus iustam causam habuerim seponendorum centum: nam si debuerim, & mihi, & cæteris hereditariis creditoribus soluere. periculum: non solum sexaginta, sed & reliquorum quadraginta milium. me præstaturum decem tamen, quæ impenderim retenturum, id est sola nonaginta restituenda. si verò iusta causa fuerit propter quam integra censura custodirentur: veluti si periculũ erat ne predia in publicũ committerentur, nè pæna traiectitiæ pecuniæ augeretur, aut ex compromisso committeretur, non solum decem, quæ in hæreditaria negotia impenderim, sed etiam quinquaginta, quæ mihi debita sunt ab hærede me consequi posse, ff. eod. l. debitor. 13.

In negotiis gestis initium cuiusque temporis spectatur, quid. n. si pupilli negotia cæperim gerere, & inter moras pubes factus sit? aut filius familias, & interea paterfamilias effectus sit: nisi si ab initio quasi vnum negotium gesturus accessero. deinde alio animo ad alterum accessero eo tempore, quo iam pubes vel paterfamilias effectus est, hic enim quasi plura negotia gesta sunt: & prò qualitate personarum, & actio formatur, & condemnatio moderatur, ff. eodem. l. Pomponius. xv.

Sed & cum aliquis negotia mea gerit: non multa negotia sunt, sed vnus contractus: nisi si ab initio ad vnum negotium accessit vt finito eo discederet: hoc. n. casu si noua voluntate aliud quoque adgredi cæperit, alius contractus est, ff. eodem .l. sed & cum, xvi

Cùm me absente negotia mea gereres imprudens rem meam emisti, & ignorans vsucæpisti: mihi negotiorum gestorum, vt restituas obligatus non es. sed si antequam vsu capias cognoscas rem meam esse: subiicere debes aliquem, qui à te petat meo nomine, vt & mihi rem, & tibi stipulationem euictionis committat nec videris dolum malum facere in hac subiectione, ideo enim hoc facere debes, ne actione negotiorum gestorum tenearis. ff. eodem. l. Adquin. xviiii. §. cum me absente.

Qui negotia hæreditatis gerit quodammodo sibi hæreditatem, seque ei obligat, ideoque nihil refert an etiam pupillus hæres existat, quia id æs alienum

cum

cum cæteris hæreditariis oneribus ad eum transit, ff. eodem. l. Nam & seruius xxi. §. qui negotia.

Si viuo Titio negotia eius administrare cępi, intermittere mortuo eo non debeo, noua tamen inchoare mihi necesse non est, uetera explicare, atque conseruare necessarium est: vt accidit, cùm alter ex sociis mortuus est. Nam quæcumque prioris negotii explicandi causa gerentur. Nihilum refert, quo tempore consumentur, sed quo tempore inchoarentur. d. l. Nam & seruius, §. si uiuo Titio.

Si ego hac mente pecuniam procuratori dem, ut ea ipsa creditoris fieret: proprietas quidem per procuratorem non adquiritur. potest tamen creditor etiam inuito me ratum habendo pecuniam suam facere · quia procurator in accipiendo creditoris duntaxat negotium gesșit, & ideo creditoris ratihabitione liberos, ff. eod. l. si ego, 24.

Inter negotia sempronii, quæ gerebat ignorans Titii negotium gesșit: ob eam quoque speciem sempronio tenebitur. sed ei cautionem indemnitatis officio iudicis, præberi necesse est aduersus Titiũ, quæ datur actio. Idem in tutore iuris est, ff. eod. l. liberto. 31. §. inter negotia.

Litem in iudicium deductam, & à reo desertam frustratoris amicus ultrò egit, causas absentiæ eius allegans iudicii: culpam contraxisse non uidebitur, quod sententia contra absentem dicta ipse non prouocauit. Vlpianus notat hoc uerum esse, quia frustator condemnatus est. cæterum si amicus, cùm absentem defenderet, condemnatus negotiorum gestorum aget, poterit ei imputari, si cum possct non Appellasset, d. l. liberto. §. litem.

Qui aliena negotia gerit interesse prestare cogitur: eius scilicet pecuniæ, quæ purgatis necessariis sumptibus superest. d. l. liberto. §. qui aliena negotia.

Tutoris heres impubes fiscus, ob ea, quæ tutor eius in rebus pupillæ paternæ gesșit, non tenetur: sed tutor proprio nomine iudicio negotiorum gestorum conuenietur, d. l. liberto. §. tutoris.

Quanquam mater filii negotia secundum patris uoluntatem pietatis fiducia gerat: tamen ius actoris periculo suo litium causa constituendi non habebit: quia nec ipsa filii nomine, rectè agit, aut res bonorum eius alienat, uel debitorem impuberis accipiendo pecuniam, liberat. d. l. liberto. §. quanquam.

Nesennius Appolinaris Iulio Paulo salutem: Auia nepotis sui negotia gesșit: defunctis utrisque auiæ hæredes conueniebantur à nepotis hæredibus negotiorum gestorum actione: reputabant hæredes auiæ alimenta præstita nepoti. Respondebatur, auiam iure pietatis de suo præstitisse: nec enim aut desiderasse, ut decernerentur alimenta, aut decreta essent. præterea decretum esse dicebatur, ut si mater aluisset, non posset alimenta, quæ pietate cogente de suo præstitisset repetere. Ex contrario dicebatur, tunc hoc rectè dici, ut de suo aluisse mater probaretur. at in proposito auiam, quæ negotia administrabat uerisimile esse de re ipsius nepotis eum aluisse. tractatum est nunquid utroque patrimonio erogata uideantur. Quæsitum est: quid iustius uideatur. Paulus respondit, hanc disceptationem in facto consistere. Nam & illud, quod in matre constitutum est, non ita perpetuo obseruandum est; quid enim si etiam protestata est, se filium ideo alere, ut aut ipsum, aut tutores eius conueniret? Nam possibile est peregrè patrem eius obisse, & matrem dum in patriam reuertitur, tam filiũ quàm familiam eius exhibuisse. in qua specie etiam in ipsum pupillum negotiorum gestorum dandam actionem, Diuus pius Antonius constituit: igitur in re facti facilius est auiam, uel hæredes eius audiendos si reputare uelint alimenta.

menta. maxime si etiam in ratione impensarum ea retulisse auiam apparebit. illud nequaquam admittendum est, ut de utroque patrimonio erogata uideatur. ff. eod. l. Neslennius. 34.

Titium, si pietatis respectu sororis aluit filiam: actionem hoc nomine contra eam non habere, respondit modestinus, ff. eod. l. ex duobus, xxvii. §. finali.

Is qui amicitia ductus paterna, pupillis tutorum petierit, vel suspectos tutores postulauit, nullam aduersus eos habet actionem, ff. eod. l. is qui. xliiii.

Vno defendente causam communis aquæ, sententia prædio datur, sed qui sumptos necessarios probabiles in communi lite fecit, negotiorum gestorum actionem habet, ff. eod. l. liberto. xxxi. §. finali.

Fideiussor imperitia lapsus alterius quoque contractus, qui personam eius non contingebat, pignora vel hypothecas suscepit: & vtramque pecuniam creditori soluit existimans indemnitati suæ consuli prædiis consuli posse. ob eas res iudicio mandati frustra conuenietur, & ipse debitorem frustra conueniet: negotiorum autem gestorum actio utrique necessaria erit, in qua lite culpam æstimari satis est non etiam casum: quia prædo fideiussor non uidetur. creditor ob id factum ad restituendum iudicio, quod de pignore dato redditur, cùm uideatur ius suum uendidisse, non tenebitur, ff. eodem. lege. fideiussor. xxxii. in principio.

Ille, qui gerit negocia debitoris non tenebitur ad pignus reddendum cum pecunia, ei debeatur, nec fuerit quod sibi posit exsoluere, ff. eod. l. diuortio, xxxv. §. illum autem.

Sed nec redhibitoriæ species uenit in negotiorum actione: & per hoc ex mensibus ex actis non perit, si uel animal in rebus non inuenit: uel eo inuento, quod accessionum nomine additum est, uel quod deterius animal factum esset, uel quod per eum esset adquisitum, non ex re emptoris, nec inuenit, nec recepisset: nec esset in ipsis emptoris negotiis, quæ gerebat unde sibi in præsenti redderet. Cęterum si ex alia causa perpetuę obligationis, cùm sit locuples, debeat: non est imputandum, quo non soluerit: utique si pro interesse pecuniæ quærelam non mouet, d. l. diuortio. §. sed nec redhibitoriæ.

Litis contestatæ tempore quæri solet an pupillus, cuius sine tutoris auctoritate negotia gesta sunt, locupletior sit ex ea re factus, cuius patitur actionem, ff. eo. l. litis, 37. §. si pecuniæ.

Soluendo quisque pro alio licet inuito, & ignorante liberat eum. quod autem alicui debetur alius sine uoluntate eius non potest iure exigere: naturalis enim simul, & ciuilis ratio suasit alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis, & inuiti nos facere posse: deteriorem non posse, ff. eodem. lege. soluendo, 39.

In Institutionibus est Titulus de Obligationibus. ex quasi contractu, cuius Pars est materia, DE NEGOTIIS GESTIS, paulo ante descripta sine Titulo tamen, quia in eadem Titulo Institutionum Tractatur de alijs Obligationibus ex quasi contractu, quæ non possunt habere Titulos, cum ipsi Tituli sint in alijs partibus. Postquam igitur de Negotijs gestis Tractum fuit, sequitur, ut de alijs obligationibus videamus.

DE

DE TVTORIBVS QVI EX Quaſi contractu obligantur.

Tutores qui tutellæ iudicio tenentur, non propriè ex contractu obligari eſſe intelliguntur, (nullum enim negotium inter tutorem, & pupillum contrahitur,) ſed quia ſanè non ex maleficio tenentur, quaſi ex contractu teneri uidentur. Hoc autem caſu mutuo ſunt actiones: non tantum enim pupillus cum tutore habet tutellæ actionem: Sed ex contrario tutor cum pupillo habet contrariam tutellæ, ſi uel impedierit aliquid in rem pupilli, uel pro eo fuerit obligatus, aut rem ſuam creditoribus eius obligauerit. Inſti. de oblig. quæ quaſi ex contract. §. tutores quoque.

de hac materia habebat prima parte lib. 5. titulo 8, et 9.

Quando inter aliquos res communis eſt ſine ſocietate.

Item ſi inter aliquos communis res ſit ſine ſocietate, ueluti quòd pariter eis res legata donatave eſſet, & alter eorum alteri ideo teneatur communi diuidundo iudicio, quòd ſolus fructus ex ea re perceperit, aut quòd ſocius eius ſolus in eam rem neceſſarias impenſas fecerit, non intelligitur ex contractu propriè obligatus eſſe, quippè nihil inter ſe contraxerunt, ſed quia ex maleficio non tenentur, quaſi ex contractu teneri uidentur. Idem iuris eſt, de eo, qui cohæredi familiæ erciſcundæ iudicio ex his canſis obligatus eſt. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contractu; §. item ſi inter.

exempla ſunt ff. fami. erciſ. l. hæredes xxv. §. non tantum et ff. communi diuid. l. ſecunda, et ff. pro ſocio. l. vt ſit. xxxi. et l. actione, lxiii § ſi poſt diſtractam,

Hæres tenetur legatarius, & quaſi contractu.

Hæres quoque legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur (neque enim cum hærede, neque cum defuncto ullum negotium, legatarius geſiſſe propriè dici poteſt) & tamen quia ex maleficio non eſt obligatus, quaſi ex contractu debere intelligitur. Inſt. de obl. quæ quaſi ex cont. §. hæres quoq;.

exemplum eſt ff. e quib. cau. in poſ eat. l. tertia, §. fina cum l. ſeq.

Quid indebitum recipit ex quaſi contractu obligantur.

Item is, cui quis per errorem non debitum ſoluit quaſi ex contractu debere uidetur. Adeo enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus eſſe, ut ſi certiorem rationem ſequamur, magis ex diſtractu, quam ex contractu poſsit dici obligatus eſſe. Nam qui ſoluendi animo pecuniam dat, in hoc dare uidetur, ut diſtrahat potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde is, qui accipit, obligatur, ac ſi mutuum ei daretur, & ideo condictione tenetur, Inſti. de obliga. quæ quaſi ex cont. §. item is cui.

Ex quibusdam tamen causis repeti non potest, quod per errorem non debitum solutum est, veluti ex lege Aquilia. Item ex legatis, & fideicommissis, quæ sacrosanctis ecclesiis, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis, uel pietatis intuitu honorantur, relicta sunt, quæ si indebitè soluantur, non repetuntur. Insti. eod. §. finali.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQVIRITVR.

Titulus II.

EXpositis generibus obligationum, quæ ex contractu, vel quasi ex cõtractu nascuntur: admonendi sumus acquiri nobis non solum per nos metipsos, sed per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, ueluti per filios nostros: quod autem per filios nostros ex obligatione fuerit acquisitum, hoc diuidatur, secundum imaginẽ rerum proprietatis, & usus fructus, ut quod ab actione commodum perueniat, huius usumfructum quidem habeat pater. proprietas autem filio seruetur: scilicet patre actionem mouente, Insti. per quas personas nobis oblig. adqui. in principio.

Finis Libri Quarti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quintus.

DE SOLVTIONIBVS, ET LIBERATIONIBVS.
Titulus I.

TOLLITVR omnis obligatio, solutione eius, quod debetur, vel si quis cõsentiente creditore aliud pro alio soluerit, nec interest quis soluat, vtrum ipse, qui debet, an alius pro eo. liberatur enim & alio soluente, siue sciente, siue ignorante debitore, uel inuito eo solutio fiat. Item si reus soluerit, etiam ii, qui pro eo interuenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fideiussor soluerit: non enim ipse solus liberatur, sed etiam reus. Inst. quibus mod. toll. oblig. in prin.

Prout quidque contractum est, ita & solui debet: ut cum re contraximus, re solui debet: veluti cum mutuum dedimus, vt retrò pecuniæ tãtundem solui debeat. & cum uerbis aliquid contraximus, vel re vel uerbis obligatio solui debet, verbis: veluti cum acceptum promissori fit re: veluti cum soluit, quod promisit. Aequè cum emptio, vel venditio, uel locatio contracta est: quoniam consensu nudo contrahi potest: & dissensu contrario dissolui potest, ff. de solutio. l. prout, lxxx.

Verborum obligatio, aut naturaliter resoluitur, aut ciuiliter. naturaliter ueluti solutione, aut cum res in stipulationẽ deducta sine culpa promissoris in rebus humanis esse desiit. ciuiliter ueluti acceptilatione, vel cum in eandem personam ius stipulantis, promittentisque deuenit, ff. eod. l. penul.

Quoties quis debitor ex pluribus causis vnum debitum soluit, in arbitrio soluentis est dicere, quod potius debitum uoluerit solutum: & quod dixit, id erit solutum. possumus. n. certam legem dicere ei, quod soluimus. quoties uerò non

dicimus id,quod solutum sit: in arbitrio est accipientis, cui potius debito acceptum ferat: dummodo in id constituat solutum, in quo si ipse deberet, esset soluturus: idest, in id debitum, quod non est in controuersia: aut in illud,quod quis pro alio fideiusserat: aut cuius dies nondum uenerat: æquissimum enim uisum est,creditorem ita agere rem debitoris, ut suam gereret. permittitur.ergo creditori constituere,in quod solutum uelit: dummodo sic constituat,ut in re sua constitueret.sed constituere in re præsenti, hoc est, statim,atque solutum est,debet. Cum in re agenda hoc fiat, ut uel creditori liberum sit,non accipere,uel debitori non dare,si alio nomine ex solutum quis eorum velit. Cæterum postea non permittitur.hęc res efficiet,ut in duriorem causam semper uideatur sibi debere accepto ferre. ita enim & in suo constitueret nomine.quod si forte à neutro dictum sit: in his quidem nominibus, quę diem vel conditionem habuerint,id uidetur solutum,cuius dies iam venit. Et magis quod meo nomine,quàm quod pro alio fideiussorio nomine debeo: & potius quod cum pœna,quàm quod sine pœna debetur; & potius quod satisdato, quā quod sine satisdatione debeo. In his verò,quæ præsenti die debentur: constat, quoties indistinctè quid soluitur,in grauiorem causam uideri solutum. si autē nulla pręgrauet,idest si omnia nomina similia fuerint: in antiquiorem grauior videtur,quæ & sub satisdatione uidetur,quàm ea,quæ pura est.ff.de solutio.l. prima secunda tertia quarta & quinta.in prin.

Cum ex pluribus causis debitor pecuniam soluit, Iulianus elegantissimè putat ex ea causa eum soluisse uideri debere, ex qua tunc,cùm soluebat, compelli poterat ad solutionem,ff.eod.l.cum ex pluribus,ciii.

Si quid ex famosa causa & non famosa debeatur: id solutum uidebitur, quod ex famosa causa debetur.proinde si quid ex causa iudicati & non iudicati debeatur: id erit solutum,quod ex causa debeatur iudicati: & ita Pomponius probat. ergo & si ex causa,quæ inficiatione crescit,uel pœnali debetur: dicendum est, id solutum uideri,quod pœnæ habet liberationem,ff.eod.l. septima.

Illud non in eleganter scriptum esse Pomponius ait: si par & dierum & cōtractuū causa sit,ex omnibus summis proportione uideri solutum,ff.eo.l.octaua.

Cum ex pluribus causis debitor pecuniam soluit, utriusque demonstratione cessante,potior habebitur causa eius pecuniæ,quæ sub infamia debetur: mox eius quæ pœnam continet: tertio, quæ sub iure hypothecæ vel pignore contracta est: post hunc ordinem potior habetur propria,quam aliena causa,uelut fideiussoris.quod veteres ideo definierunt,quod verisimile uideretur,diligentem debitorem admonitum,ita negocium suum gesturum fuisse. & si nihil eorum interueniret,vetustior contractus ante solueretur. Si maior pecunia numerata sit,quàm ratio singulorum exposcat.nihilominus primo contractu soluto, qui potior erit, superfluum ordini secundo, uel in totum,uel pro parte minuendo,uidebitur datum,ff.eod.l.cum ex pluribus,xcvii.

Si quis ita cauerit debitori in sortem & interesse se accipere,prius interesse decedet,& si quid superfuerit in sortem cedet. Nec.n.ordo scripturæ spectatur, sed potius ex iure sumitur id,quod agi uidetur.ff.eod.l.quinta,§.fi. cum lege seq.

Ob triginta aureos pecuniæ creditæ fideiussorem in viginti dedi,& pignus in decem.ex uenditione autem pignoris creditor decem consecutus est, vtrum ex vniuersitate id decedat,ut quidam putant,ac si non soluendis decē nihil debitor dixisset: an in totis decem fideiussori contigerit liberatio: quia hoc dicendo potuit efficere debitor, ut ubi non dixit, id potius solutum existime-

tur

tur, quod satisdato debebatur. magis tamẽ existimatur licuisse creditori in id, quod solus debebat reus, accepto referre, ff. eod. l. ob triginta, lxxiii.

Cum Titius Caio Seio deberet ex causa fideicommissi certam quantitatem, & tã tundem eidem ex alia causa, quæ peti quidem non poterat, ex solutione autem petitionem non præstabit: Titii procurator absente domino soluit eam summam, quæ sufficeret ad quantitatem vnius debiti, cautumque est ei solutum ex vniuerso credito. quæsitum est id, quod solutum est, in quam causam acceptum uideatur? responsum est. si quidem Titio Seius ita cauisset, ut sibi solutũ ex vniuerso credito significaret: crediti appellatio solius fideicommissi pecuniam demonstrare uidetur: non eam, quæ petitionem quidem non habet, solutione autem facta, repeti pecunia non potest. Cum verò procurator Titii absente domino pecuniam solueret: ne dominum quidem numorum in ea specie obligationis, quæ habuit auxilium exceptionis, translatum fore, si ex ea causa solutio facta proponeretur: quia non est uerisimile dominum ad eam speciem soluendis pecuniis procuratorem proposuisse, quæ solui non debuerint, ff. eo. l. si is, cui xciiii. §. finali.

Paulus respondit. non ideo eos, qui uirilem portionem ex causa fideicõmissi inferre debuerant, liberatos uideri, qm̃ quidam ex collegis per errorem plus debito intulerint. & aliam causam esse debitoris soluentis, aliam creditoris pignus distrahentis. nam cum debitor soluit pecuniam: in potestate eius esse, cõmemorare in quam causam soluerit. cum autem creditor pignus distrahit: licere ei pretium acceptum referre etiam in eam quantitatem, quæ natura tantum debebatur. & ideo deducto eo, debitum peti posse, ff. e. l. Paulus. ci. §. Paulus.

In potestate eius est, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, tempore solutionis exprimere, in quam causam reddat. Quod si debitor non fecit: conuertitur electio ad eum, qui accepit. Si neuter uoluntatem suam expressit: prius interesse id, quod soluitur, deinde in sortem accepto feret, C. de solut. l. prima.

Titia, cum propter dotem bona mariti possideret, omnia pro domina egit, reditus exegit: & momentia distraxit. quæsitum est, an ea, quæ ex re mariti percepe rit, in dotem ei reputari debeant? Marcellus respondit, reputationem eius, ꝙ proponeretur, non iniquam uideri: pro soluto enim magis habendum esse, ꝙ ex ea causa mulier perceperit. Sed si forte interesse quoque rationem arbiter dotis recuperandæ habere debuerit: ita esse computandum, prout quidque ad mulierem peruenerit, non ut ex vniuersa summa decedat, sed prius in eã quantitatem, quam interesse nomine mulierem consequi oportebit. quod non est iniquum, ff. eod. l. Titia, xlviii.

Lucius Titius duabus stipulationibus vna quindecim, altera viginti, Seium eadẽ die obligauit: ut uiginti prius soluerentur, idest idibus Septembribus. debitor post diem utriusque stipulationis cedentem soluit vigintisex: neque dictum est ab altero, pro qua stipulatione solueretur. quærit, an quod solutum est, eam stipulationem exonerauerit, cuius dies antecessit: idest, ut viginti sortis soluta uideantur, & pro interesse eorum sex data? magis id accipi ex vsu esse. ff. eo. l. ex pluribus, 99. §. final.

Qui decem debet, partem soluendo in partem obligationis liberatur, & reliqua quinque sola in obligatione remanent. ff. eo. l. si stipulatus. ix. §. ãnali.

Quod stipulatus ita sum, mihi aut Titius nec petere, nec nouare, nec acceptum facere potest, ff. eod. l. qui stipulatus, x.

Qui ſibi aut Titio fundum dari ſtipulatus eſt, quamuis fundus Titio datus fuerit: tamen ſi poſtea euictus eſt, habet actionem, ff. eo. l. Qui ſibi, xxxiii. in prin.

Stipulatus ſum mihi decem, aut bouem Titio dari: ſi bos Titio datus fuiſſet, promiſſor à me liberabitur: & ante, quàm bos daretur, ego decem petere poſſum, ff. eo. l. Qui hominem, xxxiiii. §. ſtipulatus.

Cum quis ſibi aut Titio dari ſtipulatus ſit: magis eſt, vt ita demum rectè Titio ſolui dicendum ſit, ſi in eodem ſtatu maneat, quo fuit, cum ſtipulatio interponeretur. cæterum ſiue in adoptionem. ſiue in exilium ierit, uel aqua & igni ei interdictum, non rectè ei ſolui dicendum eſt. tacitè enim hæc conuentio ineſſe ſtipulationi uidetur, ſi in eadem cauſa maneat, ff. eo. l. Cū quis, 38. in prin.

Si ita ſtipulatus ſim, MIHI AVT TITIO DARE SPONDES? & debitor conſtituerit ſi mihi ſoluturum: quamuis mihi competat de conſtituta actio, poteſt adhuc adiecto ſoluere. & ſi à filiofamilias mihi aut Titio ſtipulatus ſim: patrem poſſe Titio ſoluere, quod in peculio eſt: ſcilicet ſi ſuo, non filii nomine ſoluere velit. dum enim adiecto ſoluitur, mihi ſolui videtur. & ideo ſi indebitum adiecto ſolutum ſit, ſtipulatori poſſe condici Iulianus putat: vt nihil interſit, iubeā Titio ſoluere, an ab initio ſtipulatio ita concepta ſit, ff. eo. l. Si ita, 59.

Cum decem mihi, aut Titio dari ſtipulatus, quinq; accipiam: reliquum promiſſor rectè Titio dabit, ff. eo. l. Cum decem, lxxi. in prin.

Quæſitū eſt, an ita ſtipulari q̄s poſſit, MIHI AVT FILIO AVT PATRI: ſed nō incommodè poteſt adhiberi diſtinctio, ut filio quidem ſtipulante, patris tunc adiiciatur perſona, cum ſtipulatio ei adquiri non poſſit. è contrario autem nihil prohibeat, patre ſtipulante filii perſonam adiici: cum toties, quod filio pater ſtipulatur, ſibi ſtipulatus non eſt. & in propoſito manifeſtum eſt, non obligationis, ſed ſolutionis gratia filii perſonam adiectam, ff. eod. l. Stichum. xcv. §. Quæſitum eſt.

Vſumfructum mihi, aut Titio dari ſtipulatus ſum. Titio capite minuto facultas ſoluendi Titio non intercidit, quia & ſic ſtipulari poſſumus, MIHI AVT TITIO, CVM CAPITE MINVTVS ERIT DARI? nam & ſi furioſi uel pupilli perſona adiecta ſit, ita tutori, uel curatori pecunia rectè dabitur. conditionis quoq; implendæ cauſa rectè pecunia tutori, uel curatori datur. quod quidem Labeo & Pegaſus putauerunt utilitatis cauſa recipiendum, idq; ita recipi poteſt, ſi pecunia in rem uel pupilli, uel furioſi verſa eſt. idem reſpondendum eſt in ſolutione, ſi ſtipulato Sempronio, aut Seio decem dari, & debitor Seio pecuniam ſoluerit, d. l. Stichum, §. Vſumfructum.

Mihi decem dari purè, aut Titio Klendis, uel ſub conditione, aut Klendis Ianuariis mihi, aut Titio Februariis, Titio Klendis Ianuariis, poteſt dubitari. ſed rectius eicitur, utiliter ſtipulatum. nam cum in diem ſit, quoq; ea obligatio, etiā mihi ſolui poteſt ante Klendas Februarias. igitur & illi ſolui poterit, ff. eod. l. Qui res, xcviii. §. Mihi decem.

Quis ſtipulatur, SIBI AVT TITIO, ſi hoc dicit, SI TITIO NON SOLVERIS, dari ſibi, uidetur conditionaliter ſtipulari. & ideo etiam ſic facta ſtipulatione, MIHI DECEM, AVT QVINQVE TITIO DARI? quinque Titio ſolutis liberabitur reus à ſtipulatore. quod ita poteſt admitti, ſi hoc ipſum expreſſum agebatur, ut quaſi pœna adiecta ſit, in perſona ſtipulantis, ſi Titio ſolutum, non eſſet. at ubi ſimpliciter ſibi, aut Titio ſtipulatur ſolutionis tm̄ cā adhibetur Titius. & iō quinq; ei ſolutis, remanebūt reliqua quinq; in oblōne. contra ſi mihi quinq;, illi decē ſtipulatus ſim, quinq; Titio ſolutis, non facit conceptio

ptio ſtipulationis, vt à me liberetur. porrò ſi decem ſoluerit: non quinque repetit, ſed mihi per mandati actionem debebuntur, d.l. qui res. §. qui ſtipulatur.

Si ſtipulatus ſum, MIHI, AVT TITIO DARI? ſi Titius deceſſerit, hęredi eius ſoluere non poteris, ff. eod. l. ſi ſtipulatus, 81. in prin.

Mihi Romæ, aut Epheſi Titio dari ſtipulor, an ſoluendo Titio Epheſi à me liberetur uideamus? nã ſi diuerſa facta ſint, diuerſa res eſt. Sed cũ præualet cauſa dandi, liberatur: liberaretur. n. & ſi mihi æquum illi bouem ſtipulatus eſſem ad Titio bouem ſoluiſſet. at ubi merum factum ſtipulor, puta inſulam in meo ſolo ędificari, aut in Titii loco, ſi in Titii loco edificet continget liberatio, quia non factum pro facto ſolui uidetur, ſed electio promiſſoris completur, ff. eod. l. qui res, xcviii. §. mihi Romæ.

Qui equum, aut decem tibi aut Titio dari promiſit, ſi Titio partem equi tradiderit, mox tibi decem numerauerit non Titio, ſed tibi partem equi condicet. quã ſi indebitum tua voluntate Titio ſoluerit, idemque iuris erit etiam ſi mortuo Titio decem ſoluerit, ut tibi potius, quàm hæredi Titii partem equi condicat, ff. eod. l. qui homine, in prin.

Equum aut bouẽ ſtipulatus ſum cum eſſet meus bos. nec ſi meus eſſe deſierit, liberabitur promiſſor bouem dando. neutrum. n. uidetur in boue conſtitiſſe, nec obligatio, nec ſolotio, ſed ei, qui animal dari ſtipulatus eſt, unum ẽt ex his, qui tunc ſtipulatoris in bonis fuerat dando promiſſor liberatur. ui quidem ipſa. at ſi ex his dari ſtipulatus eſt, qui eius non erat: fingamus itaq; ſtipulatũ EQVVM EX HIS QVOS SEMPRONIVS RELIQVIT DARE SPONDES? tres Sempronius reliquiſſet, eorumq; aliquẽ ſtipulatoris fuiſſe: num mortuis duobus, qui alterius erant, ſupererit illa obligatio, uideamus. & magis eſt, deficere ſtipulationem: niſi ante mortem duorum deſierit eſſe reliquus equus ſtipulatoris, ff. eod. l. qui decem, lxxii. §. Stichum.

EQVVM AVT BOVEM VTRVM EGO VELIM DARE SPONDES? altero mortuo, qui viuit, ſolus petetur: niſi mora facta ſit in eo mortuo, quẽ petitor elegit: tunc. n. perinde ſolus ille, qui deceſsit, præbetur, ac ſi ſolus in obligationẽ deductus fuiſſet ꝙ ſi promiſſoris fuit electio: defuncto altero, qui ſupereſt, ęquè peti poterit. Enimuero ſi facto debitoris alter ſit mortuus, cum debitoris eſſet electio: q̃uis interim nõ alius peti poſsit, q̃ qui ſolui etiam poteſt: neque defuncti offerri æſtimatio pôt, ſi fortè longè fuit vilior (qm̃ id, pro petitore in pœnã promiſſoris conſtitutum eſt) tamen & alter equus poſtea ſine culpa debitoris moriatᷣ: nullo modo ex ſtipulatu agi poterit, cum illo in tẽpore, quo moriebatur, non cõmiſerit ſtipulationem: ſanè qm̃ impunita non debent eſſe admiſſa: doli actio nõ immeritò deſiderabitur: aliter, q̃ in perſona fideiuſſoris, qui promiſſum equum interfecit: quia tenetur ex ſtipulatu actione fideiuſſor, quẽadmodũ teneretᷣ, ſi debitor ſine hærede deceſsiſſet, ff. e. l. ſtichũ. 95. in prin.

Omnes res pupillo, & pupillæ ſine tutoris auctoritate recte dari poſſunt. Ideoque ſi debitor pupillo ſoluat, neceſſaria eſt debitori tutoris auctoritas, alioquin nõ liberabitᷣ. Sed hoc etiã euidentiſsima ratione conſtitutum eſt, ita licere tutori vel curatori debitorem pupillarem ſoluere, ut prius iudicialis ſententia, ſine omni damno celebrata hoc permittat: quo ſubſecuto, ſi & iudex pronunciauerit, & debitor ſoluerit, ſequatur huiuſmodi ſolutionem pleniſsima ſecuritas. Sinautem aliter, quàm diſpoſitum eſt, ſolutio facta fuerit, pecuniam autem ſaluam habeat pupillus, aut ex ea locupletior ſit, & adhuc eandem pecuniæ ſummam petat, per exceptionem doli mali poterit ſummoueri, quod

ſi male conſumpſerit, aut furto, aut ui amiſerit, nihil proderit debitori doli mali exceptio, ſed nihilominus condemnabitur, quia temere ſine tutoris auctoritate, & non ſecundum iuris diſpoſitionem ſoluerit. Sed ex diuerſo pupilli, uel pupillæ ſoluere ſine auctoritate tutoris non poſſunt, quia id, quod ſoluunt, non fit accipientis, cum ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris auctoritate conceſſa ſit, Inſt. quib. alien. licet uel non, §. at ex conrrario.

Si ſtipulatus fuero MIHI PVPILLO DARE? promiſſor ſine tutoris authoritate ſoluendo pupillo, liberabitur à me, ff. eo. l. Si ſtipulatus, xi.

Pupillum ſine tutoris authoritate, nec ſoluere poſſe, palàm eſt. Sed ſi dederit numos: non fient accipientis, uindicariq; poterunt. planè ſi fuerint conſumpti: liberabitur, ff. eo. l. Quod ſi forte, xiiii. §. fin.

Pupillo ſolui ſine tutoris authoritate non poteſt. ſed nec delegare poteſt: quia nec alienare ullam rem poteſt. ſi tamen ſoluerit ei debitor, & numi ſalui ſint: petentem pupillum. doli mali exceptione debitor ſubmouebit. ff. eodem lege Pupillo, xv.

In pupillo, cui ſine tutoris authoritate ſolutum eſt, ſi quæratur, quo tempore ſit locupletior, tempus, quo agitur, inſpicitur: & ut exceptio doli mali oppoſita ei noceat, tempus, quo agitur, ſpectatur. Planè (vt Scæuola aiebat) etiam ſi perierit res ante litem conteſtatam, interdum quaſi locupletior factus intelligitur: id eſt ſi rem neceſſariam ſibi emit, quam neceſſario de ſuo erat empturus. nam hoc ipſo, quod non eſt pauperior factus locupletior eſt. ſic & in filiofamilias putabat Macedonianum ceſſare, ſi in neceſſarias cauſas filius mutuam pecuniam acceperit, & eam perdiderit, ff. eo. l. In pupillo, xlvii.

Si pupilli debitor iubente eo ſine tutoris authoritate pecuniam creditori eius numerauit: pupillum quidem à creditore liberat, ſed ipſe manebit obligatus, ſed exceptione ſe tueri poteſt. Si autem debitor pupilli non fuerat: nec pupillo condicere poteſt, qui ſine tutoris authoritate non obligatur: nec creditori, cum quo alterius iuſſo contraxit. Sed pupillus inquantum locupletior factus eſt (vtpote debito liberatus) vtile actione tenebitur, ff. eo. l. ſi pupillo, lxvi.

Si mandatu meo Titio pecuniam credidiſſes: eiuſmodi contractus ſimilis eſt tutori, & debitori pupilli. & ideo mandatore conuento, & damnato (quanquam pecunia ſoluta ſit) non liberari debitorem, ratio ſuadet. ſed & præſtare debet creditor actiones mandatori aduerſus debitorem, vt ei ſatisfiat. & ad hoc pertinet tutoris, & pupilli debitoris nos feciſſe comparationem. nam cum tutor pupillo tenetur ob id, quod debitorem eius non conuenit, neq; iudicio cum altero accepto, liberatur alter, nec ſi condemnatus tutor ſoluerit, ea res proderit debitori. quin etiam dici ſolet, tutelæ contraria actione agendum, ut ei pupillus aduerſus debitorem actionibus ſuis cedat, ff. eod. l. Stichum, xcv. §. ſi mandatu meo.

Pupilli debitor, tutore delegante, pecuniam creditori tutoris ſoluit. liberatio cõtingit, ſi non malo conſilio cum tutore habito, hoc factum eſſe probetur. Sed etiam interdicto fraudatario tutoris creditor pupillo tenetur, ſi eum conſiliũ fraudis participaſſe conſtabit, ff. eo. l. Pupilli, xcvi. in princ.

Cum pupilla magiſtratui, qui per fraudem pupillo tutorem dedit, hæres extitiſſet, tutores eius cum adoleſcente tranſegerunt. eam tranſactionem pupilla ratam habere noluit: nihilominus erit tutorum pecunia liberata, nec tutores cõtra adoleſcentem actionem, nec vtilem habebunt, qui ſuum recuperauit. planè ſi adoleſcens pecuniam reſtituere tutoribus pupillæ maluerit, reſciſſo, qđ

gestum

gestum est, actionem vtilem in pupillam hæredem magistratus accipiet. d. l. Pupilli. §. cum pupilla.

Sunt quidã tutores, qui honorarii appellantur, sunt qui rei noticiæ gratia dãtur: qui ad hoc dantur, ut gerant. & hoc uel pater adiicit, vt vnus (puta) gerat: uel voluntate tutorum vni committitur gestus: vel prætor ita decernit. Si igitur, cuicunq; ex tutoribus fuerit solutum, & si honorariis (nam & ad eos periculum pertinet) rectè soluitur: nisi interdicta ei fuerit à ptætore administratio. nam si interdicta est: non rectè soluitur. idem est, & si sciens quis suspectis postulatis soluat. nam his interim videtur interdicta administratio. Quod si remoto soluerit, aut qui tutor esse desierat: non liberabitur. Quid ergo si soluit ei, in cuius locum curator erat constituendus, vtputa relegato in perpetuum, vel ad tempus: si ante soluit, quàm substituеretur curator: oportet liberari. Sed & qui absuturo causa Reipublicæ soluit, rectè soluit. quinimò & si absenti: si modo non est alius in loco eius substitutus. Siue autem legitimi sint, siue testamentarii, siue ex inquisitione dati: rectè vel vni soluitur. Ei, qui noticiæ gratia datus est, an rectè soluatur, videndum est: quia ad instruendos contutores datur. Sed cum tutor sit: nisi prohibitum ei fuerit solui, liberatio continget, ff. eo. l. Quod si forte, xiiii. §. sunt quidam.

Debitores soluendo ei, qui pro tutore negocia gerit, liberantur: si pecunia in rem pupilli peruenerit, ff. eo. l. Debitores, xxviii.

Modestinus respondit. si post solutum sine vllo pacto omne, quod ex causa tutelæ debebatur, actiones post aliquod interuallum cessæ sint: nihil ea cessione actum esse, cum nulla actio superfuerit. quod si ante solutionem hoc factum est, vel cum conuenisset, vt mandarentur actiones, tunc solutio facta esset, & mandatum obsecutum: saluas esse mandatas actiones: cum nouissimo quoq; casu precium magis mandatarum actionum solutum, quàm actio, quæ fuit, perempta uideatur, ff. eo. l. Modestinus, lxxvi.

Vero procuratori rectè soluitur. uerum autem accipere debemus eum, cui mandatum est, vel specialiter, vel cui omnium negociorum administratio mandata est. Interdum tamen & non procuratori rectè soluitur: vtputa cuius nomen stipulationi insertum est, si quis stipuletur, SIBI AVT TITIO, ff. eodem l. Vero, xii. in princ.

Sed & si quis mandauerit, vt Titio soluam, deinde uetuerit eum accipere: si ignorans prohibitum eum accipere, soluam: liberabor. sed si sciero: non liberabor alia causa est, si mihi proponas aliquem stipulatum, SIBI AVT TITIO. hic enim, & si prohibeat me Titio soluere, soluendo tamen liberabor: quia certã conditionem habuit stipulatio, quam stipulator immutare non potuit. Sed & si uero procuratori soluam, ratum autem dominus habeat, quod solutum est: liberatio contingit. rati enim habitio mandato comparatur, d. l. Vero, §. fina.

Ratum autem habere dominus debet, cum primum certior factus est. sed hoc cũ laxamento, & amplitudine & cum quodam spacio temporis accipi debet: sicut in legato, cum de repellendo quæreretur, spacium quoddam temporis adsumitur. nec minimum, nec maximum: & quod magis intellectu percipitur, quàm elocutione possit exprimi, ff. eo. l. Ratum, xiii.

Quod si fortè quis ita soluat, vt nisi ratum habeatur, condicat: si dominus solutionem ratam non habuerit: condictio ei, qui soluit, competit, ff. eodem lege xiiii. in princip.

Si quis offerenti se negociis alienis bona fide soluerit, quando liberatur? & ait Iulia-

Iulianus,cum dominus ratum habuerit,tunc liberari. Idem ait.antequam dominus ratum habuerit,an condici ex ea causa posit? & ait interesse, qua mente solutio facta esset: utrum ut statim debitor liberaretur, an uero cum dominus ratum hbauisset.priore casu confestim posse condici procuratori: & tunc demum extingui condictionem, cum dominus ratum habuisset, posteriore tunc demum nasci condictionem, cum dominus ratum non habuisset,ff. eod. l. si quis,lviii.

Si Titium omnibus negociis meis præposuero, deinde uetuero eum ignorantibus debitoribus administrare negocia mea: debitores ei soluendo liberabuntur. nam is,qui omnibus negociis suis aliquem prępomit,intelligitur etiam debitoribus mandare,vt procuratori soluant, ff. eodem l. Qui hominem,xxiii. §.si Titium.

Si nullo mandato intercedente,debitor falso existimauerit voluntate mea pecuniam se numerare: non liberabitur. Et ideo procuratori,qui se vltro alienis negociis offerat soluendo nemo liberabitur,d.l. Qui hominem,§.si nullo.

Hoc iure vtimur,vt litis procuratori non rectè soluatur.nam & absurdum est,cui iudicati actio non datur,ei ante rem iudicatam solui posse.si tamen ad hoc datus sit,ut solui ei posit: soluendo ei liberabitur,ff.eo.l.Hoc iure,lxxxvi.

Quodlibet debitum solutum à procuratore meo non repeto: quoniam eum quis procuratorem omnium rerum suarum constituit, id quoq; mandare uidetur, vt creditoribus suis pecunia soluatur: neque postea expectandum est, vt ratum habeat,ff.eo.l.Quodlibet,lxxxvii.

Si ignorans creditor procuratori suo solutum, debitoris filio acceptum fecerit: postea autem,quàm id resciuerit.ratum habuerit: confirmatur solutio, & quod accepto latum est, nullius momenti est. contra si ratum non habuerit: quod acceptum fecerit,confirmatur.Sed si ignorans solutum,litem contestatus est: si pendente iudicio ratum habuerit: absolui oportet illum,cum quo actum est si ratum non habuit: condemnari,ff.eo.l.cum decem, lxxi.§. Item si ignorans.

Vbi fideiussor pro duobus in dena fideiusit, obligatus est in uiginti: & siue uiginti,siue dena soluerit,vtrunq; reum liberabit. sed si quinq; soluerit: uideamus,quem ex reis releuat in quinq;.& erit ille releuatus,de quo actum est.at si non appareat: antiquius debitum erit inspiciendum.idem & si quindecim sint soluta. Siquidem appareat,quid actum sit: in decem, & aliunde quinquę erunt releuata. si uero non appareat: ex antiquiori contractu decem,ex alio quinq; erunt releuata,ff.eo.l. Vbi fideiussor,xxiiii.

Quoties vnus ex fideiussoribus suam partem soluisset, tanquam negocium reo gesisset: perinde habendum est, ac si reus ipse unius fideiussoris partem soluat: sed tamen,vt non ex sorte decedat: sed is fideiussor solus liberetur, cuius nominę solutio facta fuerit,ff.eo.l.Quoties,xxxvii.

Si quis pro eo reuerso fideiusserit,qui cum Reipublicę causa abesset,actione qua liberatus sit,deinde annus præterierit: an fideiussor liberetur? quod Iuliano non placebat,& quidem si cum fideiussore experiundi potestas non fuit. Sed hoc casu in ipsum fideiussorem ex edicto actionem restitui debere, quemadmodum in eum fideiussorem, qui equum promissum occiderit,ff. eod.l.cum quis,xxxviii.§.si quis.

Qui pro te apud Titium fideiusserat, pignus in suam obligationem dedit, post idem hæredem te instituit. quamuis ex fideiussoria causa non tenearis: nihilominus pignus tamen obligatum manebit. at si idem alium fideiussorem dederit,

derit, atque instituerit te hæredem: rectius existimatur, sublata obligatione eius pro quo fideiussum sit: eum quoque, qui fideiusserit, liberari, d.l. cum quis, §. Qui pro te.

Si fideiussor procuratori creditoris soluit, & creditor post tempus, quo liberari fideiussor poterit, ratum habuit: tamen quia fideiussor, eum adhuc ex causa fideiussiones teneretur soluit: nec repetere potest: nec minus agere aduersus reum mandati potest, quàm si tum præsenti dedisset, ff. eo. l. cum decem, lxxi. §. si fideiussor.

Ob triginta aureos pecuniæ creditæ fideiussorem in uiginti dedi, & pignus in decem. ex venditione autem pignoris creditor decem consecutus est. utrum ex vniuersitate id decedit, ut quidam putant, ac si in soluendis decem nihil debitor dixisset: an (sicut putatur) in totis decem fideiussori contigerit liberatio, quia hoc dicendo potuit efficere debitor, ut ubi non dixit, id potius soluturũ existimetur, quod satisdatio debeatur. magis tamen existimatur licuisse creditori in id, quod solus debebat reus, accepto referre, ff. eod. l. Ob triginta, lxxiii.

Quod vulgo iactatur, fideiussorem qui debitori hæres extitit, ex causa fideiussionis liberari: toties uerũ est: quoties plenior rei promittendi obligatio inuenitur. nam si reus duntaxat fuit obligata fideiussor liberabitur. & è contrario non potest dici, nõ tolli fideiussoris obligationem, si debitor propriam, & personalem habuit defensionem. nam si minori uigintiquinque annis bona fidé pecuniam credidit, isque numos acceptos perdidit, & intra tempora in integrum restitutionis decessit hærede fideiussore, difficile est dicere causam iuris honorarii, quæ potuit auxilio minori esse, retinere fideiussoris obligationem, quæ principalis fuit, & cui fideiussoris accessit, sine contemplatione iuris prætorii. auxilium igitur restitutionis fideiussori, qui adolescenti hæres extitit, intra cõstitutum tempus saluum erit, ff. eo. l. Stichum, xcv. §. Quod vulgo.

Si inter emptorem, & uenditorem conuenerit, priusquam aliquid ex alterutra parte solueretur, vt ab emptione discedatur, fideiussor eo nomine acceptus soluto contractu, liberabitur, d. l. Stichum, §. fin.

Liberari fideiussores, quoties fiscus, tàm creditori, quàm debitori (licet diuersis rationibus) succedit, ius certum est, C. eo. l. secunda.

Si creditor fundum pignoratum uendiderit, & quantum ei debebatur, receperit debitor, liberabitur. Sed & si acceptum emptori precium tulisset creditor, vel ab eo stipulatus esset, debitor nihilominus liberabitur, ff. eo. l. Si creditor, 26.

Si debitorem meum iusserim Titio soluere. deinde Titium uetuerim accipere, & debitor ignorans soluerit, ita is liberatur, si non ea mente Titius numos acceperit, ut eos lucretur. alioquin quoniam furtum eorum sit facturus, manebunt debitores. vt ideo liberatio quidem ipso iure non potest contingere debitori, exceptione tamen ei succurri ęquum est. Si paratus sit conditionem furtiuam, quam aduersus Titium habet, mihi præstare sicuti seruatur, cum maritus uxori donaturus debitorem suum iubeat soluere, nam ibi quoque quia numi mulieris non fiunt debitor, non liberatur, sed exceptione is aduersus maritum tuendus est. pro furto tamen actio in proposito post diuortium mihi competit, quoniam mea intersit interceptos numos non esse, ff. eod. l. cum quis, xxxviii. §. si debitorem.

Cum eodem tempore pignora duobus contractibus obligantur, precium eorum pro modo pecuniæ, cuiusque contractus creditor accepto facere debet, nec in arbitrio eius electio erit, cum debitor precium pignoris consortioni subiecerit.

rit. quod si temporibus discretis superfluum pignorum obligari placuit: prius debitum precio pignorum iure soluetur, secundum superflua compensabitur, ff. eo. l. Pupilli, xcvi. §. penult.

Si pro me quis soluerit creditori meo, licet ignorante me, adquiritur mihi actio pignoratitia. item si quis soluerit legata, debent discedere legatarii de possessione. alioquin nascetur hæredi interdictum, ut eos deiicere possit, ff. eod. l. Si pro me, xl.

Si creditor, cuius ignorantis procuratori solutum est, adrogandum se dederit: siue habuerit pater ratum, siue non habuerit: repetere debitor potest, ff. eod. l. Si quis, lviii. §. Si creditor.

Item si ignorans creditor procuratori suo solutum, filio debitoris acceptum fecerit: postea autem, quam id rescierit, ratum habuerit: confirmatur solutio, & quod accepto latum est, nullius momenti est. contra si ratum non habuerit: quod acceptum fuerit, confirmatur. Sed si ignorans solutum litem contestatus est, si pendente iudicio ratum habuerit, absolui oportet illum, cum quo actum est. si ratum non habuit, condemnari, ff. eo. l. cum decem, 71. §. Item si ignorãs.

Qui decem debet, si ea obtulit creditori, & ille sine iusta causa ea accipere recusauit, deinde debitor ea sine sua culpa perdiderit: doli mali exceptione potest se tueri, quamquam aliquando interpellatus non soluerit. etenim non est æquum teneri pecunia amissa, qui non teneretur, si creditor accipere uoluisset. qua re pro soluto id, in quo creditor accipiendo moram fecit, oportet esse. & sanè si animal erat in dotem, idque obtulit maritus, & id animal decesit, aut numos obtulit, eosque non accipiente muliere perdidit, ipso iure desinet teneri, ff. eo. l. Qui decem, lxxii. in princ.

Si cum mihi æquum deberes, & in soluendo moram fecisses, sub conditione eũ promisisti, & pendente ea æquus decesit, videamus, an quia nouari prior obligatio non potest, petitio æqui competat ea, quæ competeret, si non intercessisset stipulatio, sed in promptu contradictio est, debitorem cum stipulanti creditori sub conditione promisit, non uideri in solutione ęqui cessasse. Nam verum est, eum, qui interpellatus dare noluit, offerentem postea periculo liberari. sed quid si ignorante debitore ab alio creditor eum stipulatus est? hic quoque existimandus est periculo debitor liberatus esse, quemadmodum si quolibet nomine eius æquum offerente stipulator accipere noluisset, d. l. Qui decem, §. si cum mihi.

Ex pluribus causis, & chirographis creditor ita cauit. TITIVS MAEVIVS DICO ME ACCEPISSE, ET HABERE, ET ACCEPTVM TVLISSE A CAIO TITIO RELIQVVM OMNE RATIONE PROPOSITA EIVS PECVNIAE, QVAM MIHI CAIVS TITIVS CAVERAT. quæsitum est, an ex cæteris chirographis, quæ non Caius cauit, sed ipse debitor, integra maneat actio ex reliquis chirographis per ipsum debitorem cautis, Respondit Scæuola eam solam obligationem dissolutam, ex qua solutum proponeretur, ff. eo. l. Ex pluribus, lxxxix. in prin.

Lucius Titius ex duobus chirographis, quibus quadringenta ei à Seio debebantur, altero centum, altero trecenta, scripsit Seio, ut unius chirographi cẽtum per Mæuium & Septitium sibi mitterentur. quæsitum est, an Seius, si Mæuio & Septicio ex trecentis quoque soluisse se dicat, liberatus sit? responsum est, si nec mandauit, ut ex trecentis solueretur, nec solutum ratum habuit, non esse liberatum, d. l. ex plurib. §. Lucius.

Pecu-

Pecuniæ ſolutæ profeſsio collata inſtrumento maiorem rei geſtæ probationem continet,quàm ſi chirographum acceptæ mutuæ pecuniæ fuiſſet reditum, C. eod.l.Pecuniæ,xiiii.

Quod debitori tuo chirographum redditum contra uoluntatem tuam adſeueras:nihil de iure tuo deminutum eſt. Quibuſcunque itaque argumentis iure proditis hanc obligationem tibi probanti, eum pro huiuſmodi facto liberationem minimè conſecutum, iudex adſolutionem iure debiti compellet,C. eo.l.quod debitori,xv.

Inquiſitio ueritatis tolli non potuit, quod chirographa, quæ fecerat procurator tuus,recepta tibique reſtituta ab ipſius hærede proponas cum ſubſcriptione procuratoris ſignificante,quod nihil creditoribus debebatur: cum nihil prohibeat,& creditoribus ſatisfactum,& non ueſtræ pecuniæ,ſed ipſius, cui negocium gerendum mandaueras,proceſsiſſe ſolutionem,C.eo.l. inquiſitio, xviii.

Inductum,id eſt cancellatum,necne ſit chirographum veſtrum, ſemel debiti ſolutionem factam,ei,qui exigendi poteſtatem habuit,probantium,nihil intereſt, C.eod.l.inductum,xxii.

Solutionem adſeueranti probationis onus incumbit. quod facto chirographum condicere poteſt,C.eod.l. fin.

Si creditor debitoris hæreditatem ad ſe non pertinentem poſſedit,& tantum ad eum peruenit,quantum ſi quilibet alius bonorum poſſeſſor ei ſolueret, liberaret hæredem: non poteſt dici fideiuſſores liberari. non enim ipſum ſibi ſoluiſſe pecuniam credendum eſt,à quo hæreditas euincitur, ff. eodem l. Stichum xcv.§. Si creditor.

Si creditor à debitore petens culpa ſua cauſa ceciderit: propè eſt, ut actione mandati nihil à mandatore conſequi debeat : cum ipſius vitio acciderit, ne mandatori poſsit actionibus cedere,d.l. Stichum,§.pen.

Si mandatu meo Titio pecuniã credidiſſes:eiuſmodi contractus ſimilis eſt tutori, & debitori pupilli. & ideo mandatore conuento & damnato (quanquam pecunia ſoluta ſit) non liberari debitorem,ratio ſuadet. ſed & præſtare debet creditor actiones mandatori aduerſus debitorem,ut ei ſatisfiat. & ad hoc pertinet tutoris & pupilli debitoris nos feciſſe comparationem. nam cum tutor pupillo tenetur ob id,quod debitorem eius non conuenit: neque iudicio cum altero accepto liberatur alter, nec ſi damnatus tutor ſoluerit, ea res proderit debitori. quin etiam dici ſolet, tutellæ contraria actione agendum, ut ei pupillus aduerſus debitorem actionibus cedat,d.l.Stichum,§.Si mandatu meo.

Paulus reſpondit. creditorem non eſſe cogendum in aliam formam numos accipere,ſi ex ea re damnum aliquod paſſurus ſit,ff.eo.l.Paulus,xcix.

Manifeſti iuris eſt,tam alio pro debitore ſoluente, quàm rebus pro numerata pecunia conſentiente creditore datis, tolli comparatam obligationem, C. eod. l.Manifeſti,xvii.

Eum,à quo mutuam pecuniam ſumpſiſti,inſolutum nolentem ſuſcipere non debitoris tui,compelli iuris ratio non permittit,C.eo.l. Eum,xvi.

Si debitor offerret pecuniam,quæ peteretur,creditor nollet accipere : prætor ei denegat actionem,ff.eo.l. Si debitor.xxx.

Obſignatione totius pecuniæ debitæ ſolemniter facta, liberationem contingere,manifeſtum eſt. ſed ita demum debiti obſignatio liberationem parit, ſi eo loco ſolutio fuerit celebrata,quo debetur,C.eo.l.Obſignatione,ix.

Si ſoluturus pecuniam tibi iuſſu tuo ſignatam eam apud numularium, quoad probaretur,

baretur, deposuerim: tui periculi causam eam fore, Mela libro decimo scribit: quod uerum est cum eo tamen, ut illud maximè spectetur, an per te steterit, quo minus incontinenti probaretur. nam tunc perinde habendum erit, ac si parato me soluere, tu ex aliqua causa accipere nolles. in qua specie non utiq; semper tuum periculum erit. quid enim si non opportuno tempore vel loco obtulerim? His consequens est, vt etiam si & emptor numos, & uenditor mercem, quod inuicem parum fidei haberent, deposuerint: & numi emptoris periculo sint, vtique si ipse eum, apud quem deponerentur, elegerit: & nihilominus merx quoque, quia emptio perfecta sit, ff. eo. l. si soluturus, xxxix.

Nihil interest utrum creditori pecuniam mutuam solueris, an ex eius uoluntate alii numeraueris, nec enim ex eo, quod creditor in factum concesſit, priusquā instrumenta redderet euacuatæ obligationis uires reparari quæunt, C. eodem lege quarta.

Nulla tibi aduersus creditorem alienum actio superest eo, quòd debitam ei quantitatem in te transferri desideras, cum ab eo te nomen comparasse non suggeras, licet solutione ab alio facta nomine debitoris euanescere soleat obligatio, C. eod. l. quinta.

Inuito, uel ignorante creditore, qui alii soluit: non se liberat obligatione. quod si hoc uel mandante, uel ratum habente eo, fecerit: non minus liberationem consequitur, quàm si eidem creditori soluisset, C. eo. l. inuito, xii.

In numerationibus aliquando euenit, ut una numeratione duæ obligationes tollantur uno momento, ueluti, si quis pignus pro debito uendiderit creditori, Euenit enim, ut & ex uendito tollatur obligatio, & debiti. Item si pupillo, qui sine tutoris auctoritate mutuam pecuniam accepit, legatum à creditore fuerit sub ea conditione, si eam pecuniam numerauerit: in duas causas uidetur numerasse. Et indebitum suum, vt in Falcidiam hæredi imputetur, & cōditionis gratia, vt legatum consequatur. Item si usus fructus pecuniæ nnmeratæ legatus fuerit, euenit vt una numeratione, & liberetur hæres ex testamento, & obliget sibi legatarium, Tantundem est, & si damnatus fuerit, alicui uendere, uel locare, Nam uendendo, uel locando, & liberatur ex Testamento hæres, & obligat sibi legatarium, ff. eo. l. in numerationibus, xliiii.

Solutam pecuniam intelligimus, utique naturaliter, si numerata sit creditori, sed & si iussu eius alii soluitur, vel creditori eius, uel futuro debitori, uel etiam cui donaturus erat: absolui debet. ratam quoq; solutionem, si creditor habuerit, idem erit. Tutori quoq; si soluta sit pecunia, vel curatori, uel procuratori, vel cuilibet successori: perficiet ei solutio. Quod si acceptum latum sit, quod stipulationis nōmine hypotheca erat obligata, uel sine stipalatione accepta sit solutionis quidem uerbum non proficiet, sed satisdationis sufficiet, ff. eod. l. solutam, xlix.

Si quis aliam rem pro alia uolenti soluerit, & euicta fuerit res manet pristina obligatio, & si pro parte fuerit euicta, tamen pro solido obligatio durat. Nam non accepisset re integra creditor, nisi pro solido eius fieret. Sed & si duos fundos verbi gratia, pro debito dederit, euicto altero fundo remanet integra obligatio. Tunc ergo res pro ressoluta liberationem præstat, cum pro solido facta est suscipientis. Sed & si quis per dolum pluris æstimatum fundum insolutum dederit, non liberatur, nisi id, quod deest, repleatur, ff. eo. l. si quis, xlvi.

Satisdatio pro solutione est, ff. eo. l. satisdatio, lii.

Soluere pro ignorante, & inuito cuique licet. cum sit iure ciuili constitutum, licere

cere etiam ignorantis. inuitiq; meliorem conditionem facere, ff. eo. l. solu. 53.

Solutionis verbum pertinet ad omnem liberationem, quoquo modo factam. magisque ad substantiam obligationis refertur, quam ad numorum solutionem, ff. eo. l. solutionis, liiii.

Qui sic soluit, ut reciperet, non liberatur, quemadmodum non alienantur numi, qui sic dantur, ut recipiantur, ff. eo. l. qui sic, lv.

Qui mandat solui, ipse uidetur soluere, ff. eo. l. qui mandat, lvi.

Cum iussu meo, id quod mihi debes, soluis creditori meo, & tu à me, & ego à creditore meo liberor, ff. eo. l. cum iussu, lxiiii.

Quamuis stipulanti vxori uir spoponderit, dirempto matrimonio, prædia, quæ doti erant obligata insolutum dare potest. tamen satis est offerri dotis quantitatem. Idem Frontonii responsum est perseueranti tutori in tutelæ administratione, licet capitis reo, potuisse id, quod pupillo bonafide debetur exsolui, ff. eo. l. quamuis, xlv. §. fin.

Titia cum propter dotem bona mariti possideret, omnia pro domina egit, reditus exegit, & mouentia distraxit, quæritur an ea, quæ ex re mariti percepit, in dotem ei reputari debeant. Marcellus respondit reputationem hanc non iniquam uideri. pro soluto enim magis habendum est, quod ex ea causa mulier percepit, sed si forte interesse quoque rationem arbiter dotis recuperandæ habere debuerit. ita est computandum, ut pro ut quicquid, quæ ad mulierem peruenit, non ex uniuersa summa decedat, Sed prius in eam quantitatem, quam interesse nomine mulierem consequi oportebat. quod non est iniquum, ff. eodem l. Titia, xlviii.

Si cum aurum tibi promisissem, ignoranti quasi aurum æs soluerim: non liberabor: Sed nec repetam hoc quasi indebitum solutum, quod sciens feci. petentem tamen te aurum exceptione summouebo, si non reddas æs, quod accepisti, ff. eo. l. si cum aurum, l.

Si quis stipulatus fuerit decem in melle, solui quidem mel potest antequam ex stipulatu agatur, Sed si semel actum sit, & petita decem fuerint: amplius mel solui non potest. item si mihi aut, Titio stipulatus fuero dari: deinde petam, Amplius Titio solui non potest: quamuis ante litem contestatam posset, ff. eodem l. si quis stipulatus, lvii.

Si duo rei stipulandi equum stipulati fuerint, & promissor utrique partes diuersorum equorum dederint, dubium non est, quin non liberentur, sed si eiusdem equi partes utrique dederint liberatio contingit: quia obligatio communis efficiet, ut quod duobus solutum est, uni solutum esse uideatur. Nã ex contrario cum duo fideiussores equum dare spoponderint, diuersorum quidem equorum partes dantes non liberantur, at si eiusdem equi partes dederint liberantur, ff. eo. l. qui hominem, 34. §. si duo rei.

Si duo rei stipulandi sunt, quorum alterius absentis procuratori datum antequam is ratum haberet, interim alteri solutum est, in pendenti est posterior solutio, ac prior, quippè incertum est, debitum, an indebitum exegerit, ff. eo. l. si quis, 58. §. fin.

Id quod pœnæ nomine à debitore exactum est, lucro debet cedere creditoris, ff. eod. l. id quod, 74.

Sicut acceptilatio in eum diem præcedentes peremit actiones, ita, & confusio. Nam si debitor hæres creditori extiterit, confusio hæreditatis peremit petitionis actionem, ff. eo. l. sicut, 75.

Si alieni numi inſcio, uel inuito domino ſoluti ſunt, manent eius, cuius fuerunt ſi mixti eſſent, ita ut diſcerni non poſſent, eius fieri, qui accepit in libris Gaii ſcriptum eſt, ff. eod. l. ſi alieni, 78.

Si pecuniam, quàm mihi debes, aut aliam rem, ſi in conſpectu meo ponere te iubeam: efficitur, vt & tu ſtatim libereris, & mea eſſe incipiat. Nam tum, quod à nullo corporaliter eius rei poſſeſsio detineretur adquiſita mihi, & quodammodo manu longa tradita exiſtimanda eſt, ff. in eodem lege ſi pecuniam, 79.

Si lancem depoſuerit apud me Titius, & pluribus hæredibus relictis deceſſerit: ſi pars hæredum me interpellet, optimum quidem erit, ſi prætor additus iuſſiſſet, me parti hæredum eam lancem tradere. quo caſu depoſiti me reliquis cohæredibus non teneri. Sed etſi ſine prætore, ſine dolo malo, hoc fecero. liberabor, aut quod uerius eſt, non incidam in obligationem optimum autem eſt, id per magiſtratum facere, ff. eo. l. ſi ſtipulatus, 81. §. ſi lancem.

Si cum Cornelius fundum ſuum nomine Seiæ uiro eius doti dediſſet, nec de eo reddendo quicquam cauiſſet, fecit, ut inter ſe, uir, & Seia paciſcerentur, vt diuortio facto is fundus Cornelio redderetur: diuortio facto, uir uetante Seia eum fundum Cornelio tutto non redditurus eſt ſicuti, ſi cum pactum conuentum nullum interceſsiſſet, diuortio facto mulier iuſsit eum fundum Cornelio reddi, deinde antequam redderetur, uetuiſſet: non tuto redderetur: ſed ſi antequam Seia uetaret, Cornelio eum fundum reddidiſſet, nec cauſam habuiſſet exiſtimandi id inuita Seia facturus eſt, nec melius, neque æquius eſt eum fundum Seiæ reddi, ff. eo. l. ſi cum 82.

Filiæ inteſtato patri hæredis negotia mater geſsit, & res uendendas per argentarios dedit, idque ipſum codice ſcriptum eſt. Argentarii uniuerſum redactum uenditionis ſoluerunt. Et poſt ſolutionem nouem ferè annis quicquid agendum erat nomine pupillæ mater agit, eamque marito nuptum collocauit, & res ei tradidit. quæſitum eſt, an puella cum argentariis aliquam actionem habeat: quando non ipſa ſtipulata ſit pretium rerum, quæ in uenditione datæ ſunt, ſed mater. Reſpondit Scæuola ſi de eo quæreretur, an iure ea ſolutione argentarii liberati eſſent, reſponderi iure liberatos. CLAVDIVS: ſubeſt enim illa ex iuriſditione pendens quæſtio an prætia rerum, quæ ſciebant eſſe pupillæ bona fide ſoluiſſe uideantur matri, quæ ius adminiſtrationis non habebat. Ideoque ſi hoc ſciebant non liberantur. ſcilicet, ſi mater ſoluendo non ſit, ff. eo. l. filiæ inteſtato, 88.

Filius, qui adminiſtrabat, ut hæres paterna bona, pecuniam ex his Sempronio mutuam dedit, & eandem particulatim recepit. Deinde ſe abſtinuit, quia minor annis erat, ab ea hæreditate. quæſitum eſt, curator bonorum patris conſtitutus an aduerſus Sempronium utilem actionem habeat. reſpondit Scæuola nihil proponi, cur non is, qui ſoluiſſet id, quod mutuum ita acceperat, liberatus eſſet, ff. eo. l. Filius, 90.

Si duo rei ſint ſtipulandi, & alter, alterum hæredem ſcripſit, uidendum an confundatur obligatio, placet non confundi quo bonum eſt hoc dicere? quod ſi intendat dari ſibi oportere, uel ideo dari oportet ipſi, quod hæres extitit, vel ideo quod proprio nomine ei deberetur, ad quin magna eſt huius rei differentia: Nam ſi alter ex reis pacti conuenti temporali exceptione ſummoueri poterit, intererit, is qui hæres extitit, utrum ne ſuo nomine, an hæreditario experiatur: ut ita poſsis animaduertere exceptioni locus ſit, nec ne, ff. eodem l. ſi duo,

si duo, 93. in principio.

Item si duo rei sint promittendi, & alter alterum hæredem scripsit: confunditur obligatio. sed & si, reus hæredem fideiussorem scripserit (non) confunditur obligatio, & quasi generale, quid retinendum est, ut ubi ei obligationi, quæ sequellæ locum obtinet, principalis accedit, confusa sit obligatio, quoties duæ sint principales, altera alteri potius adicitur ad actionem, quam confusionem parere, quid ergo si fideiussor reum hęredem scripserit? confundetur obligatio secundum sabini sententiam, licet proculus dissentiat, eodem l. si duo. §. item si duo.

Si is, cui numos debitor soluit alienos, numis integris pergat petere, quod sibi debeatur, nec afferat, quod accepit: exceptione doli summouebitur. sin autem communes numos credam, aut soluam, contestim pro parte mea nascetur, & actio, & liberatio: siue in singulis numis communionem pro indiuiso quis esse intelligat, siue in pecunia non corpora cogitet, sed quantitatem. sed, & si fideiussor alienos numos in causam fideiussoris dedit, consumptis his mandati agere potest, & ideo si eam pecuniam soluat, quam subripuerat mandati aget, postquam furti, uel ex causa condictionis præstiterit, ff. eod. l. si is cui, 94. in princ.

Aditio hæreditatis nonnunquam iure confundit obligationem. ueluti si creditor debitoris, uel contra debitor creditoris adierit hæreditatem, aliquando per solutione cedit, si forte creditor, qui pupillo, sine tutoris auctoritate numos crediderat hæres ei extitit. non enim quanto locupletior pupillus factus est, consequeretur: Sed insolidum creditum suum ex hæreditate retinet. aliquando euenit, ut inanis obligatio aditione hæreditatis confirmetur. Nam si hæres, qui restituerit ex Trebelliano hæreditatem fideicommissario hæres extiterit, uel mulier, quæ pro Titio intercesserat, eidem hæres extiterit. Incipit obligatio ciuilis propter hæreditatem eius, qui iure tenebatur, auxilium exceptionis amittere. etenim inconditum est, subuenire sexui mulieris, quæ suo nomine periclitetur, ff. eo. l. Stichum, 95. §. aditio.

Dolo fecisti quominus possideres, quod ex hæreditate ad alienum pertinente adprehenderas, si possessor corpus, aut litis æstimationem præstitit, ea res tibi proderit: quia nihil petitoris interest, cæterum si tu ante conuentus ex præterito dolo præstiteris: Nihil ea res possessori proderit, d. l. Stichum, §. dolo.

Qui res suas obligauit, postea aliquam possesionem ex his pro filia sua dotem promittendo obligauit, & soluit, si ea res à creditore euicta est, dicendum est maritum ex doctis promissione agere posse, ac si rem sub conditione legatam dotis nomine pro filia pater soluisset. harum enim rerum solutio non potest, nisi ex euentu liberare. scilicet quo casu certum erit remanere eas, ff. eodem l. qui res suas, 95. in prin.

Huic applicatur minor uigintiquinque annis, qui à creditore circumscriptus in rem ex causa debiti solutam restituitur, d. l. qui res suas, §. huic.

Rem autem castrensis peculii soluentem patrem, perinde accipere debemus, ac si alienam dedisset, quamuis posit resfidere apud eum, cui soluta est, prius mortuo intestato filio. sed tunc adquisita creditur, cum filius decesserit. & utique cuius fuerit, euentus declarat, sitque & hoc ex his, quæ post factis in præteritum, quid fuerit, declarent, d. l. qui res, §. rem autem.

Aream promissi alienam, in ea Dominus, insulam ædificauit, stipulatio extincta non est area enim in qua ædificium positum est, non desiit esse in rerum

natura. imo & peti poteſt area, & æſtimatio, eius ſolui debebit. pars enim inſulæ area eſt, & quidem maxima, cui etiam ſuperficies cedit. area enim extat, ſicuti cætera, ex quibus ædificium conſtitit. denique tabularum lex duodecim tignum ædibus iunctum uindicari poſſe ſcit: ſed interim id ſolui prohibuit, pretiumque eius dari uoluit. Item ſi nauem, quam tu promiſiſti Dominus diſſoluerit, deinde eiſdem tabulis compegerit, tu teneris. Hic enim eadem nauis eſt, quam te daturum ſpopondiſti, ut uideatur magis obligatio ceſſare, quam extincta eſſe, ſed ſi ea mente diſſolutam nauem poſueris, ut in alium uſum conuertentur Tabulæ, Deinde mutato conſilio eaſdem compoſitas, alia uidetur eſſe poſterior nauis, ff. eodem l. qui res, 98. §. aream.

Quæritur, an curatoribus, uel tutoribus in Prouincia datis, Romæ pecunia ſolui poſsit, quæ in Prouincia ita ab his data eſſet, vt Romæ ſolueretur, cum idem curatores, uel tutores rerum Italicarum adminiſtrationem non ſuſtineat: an ſi ſoluerit debitor liberetur. Paulus reſpondit, his tutoribus, uel curatoribus rectè pupillo pecuniam debitam ſolui, qui negotia eius adminiſtrant. eos autem, qui prouincialium rerum curatores, vel tutores ſunt, italica negotia adminiſtrare non ſolere: Niſi ſpecialiter tutores prouincialium rerum, ut ſibi Romæ redderetur, promitti curauerunt, ff. eo. l. quæro, 100.

Paulus reſpondit, non ideo eos, qui virilem portionem ex cauſa fideicommiſſi inferre debuerant, liberatos uideri, quoniam quidam ex collegis per errorem plus debito intulerunt, ff. eo. l. Paulus, 101. in princ.

Creditor oblatam à debitore pecuniam, ut alia die accepturus, diſtulit. mox pecunia, qua illa Reſp. utebatur, quaſi aeroſa iuſſu præſidis ſublata eſt. item pupillaris pecunia, ut poſsit idoneis nominibus credi, ſeruata, ita interempta eſt. quæſitum eſt, cuius detrimentum eſſet. reſpondit, Scæuola nec creditoris, nec tutoris detrimentum eſſe, ff. eod. l. creditor, 102. in prin.

Cum de ſorte debita conſtaret de intereſſe litigatum eſſet, nouiſsime ex appellatione pronuntiatum eſt, ſolutum quidem intereſſe non repeti in futurum vero non deberi, ſi qui dabat in ſortem ſe dare dixiſſet, intereſſe non debet proficere, d. l. creditor, §. cum de ſorte.

Si aliquis errore plus pro intereſſe ſoluerit, quam deberet, habenda erit ratio in ſortatu eius, quod amplius ſolutum eſſet, dicta lege creditor, 102. §. fin.

Aliud eſt, iure ſtipulationis Titio ſolui poſſe, aliud poſtea permiſſu meo, id contingere. Nam cui iure ſtipulationis rectè ſoluitur, ei etiam prohibente me rectè ſolui poteſt, cui uero alias permiſero ſolui, ei non rectè ſoluitur, ſi prius quam ſolueretur, denuntiauerim promiſſori, ne ei ſolueretur, ff. eodem lege aliud, 106.

Ei qui mandatu meo, poſt mortem meam ſtipulatus eſt rectè ſoluitur, quia talis eſt lex obligationis. ideoque etiam inuito me rectè ei ſoluitur, ei autem cui iuſsi debitorem meum poſt mortem meam ſoluere, non rectè ſoluitur, quia mandatum morte diſſoluitur, ff. eo. l. fin.

Pro criminis poſtulato interim nihil prohibet recte pecuniam à debitoribus ſolui, alioquin pleriſque innocentium neceſſario ſumptu egebunt, ff. eodem lege pro xli.

Sed nec illud prohibitum uidetur, ne à reo creditori ſoluatur, ff. eodem lege ſed nec, xlii.

Succeſſores eius, qui maior uigintiquinque annis inſolutum pro debito iure dedit, hæc reuocare non poſſe conſtat, C. eo. l. ſucceſſores. x.

Cum

Cum pro pecunia, quam mutuo acceperas ſecundum placitum, Euandro te fundum dediſſe profitearis: eius induſtriam vel euentum meliorem, tibi non ipſi prodeſſe, contrarium, ſi minoris diſtraxiſſet, non iuſte petis, C.eo.l.pen.

Sub conditione debitori ſi acceptum feratur poſtea conditione exiſtente intelligitur iam olim liberatus & hoc etiam ſi ſolutio re fiat, accidere Ariſto dicebat, ſcripſit enim ſi quis, qui ſub conditione pecuniam promiſit, dedit eam ea conditione, vt ſi conditio extitiſſet inſolutum cederet: exiſtente conditione liberari eum, nec obſtare quod ante eius pecunia facta eſſet, ff. de ſol. & liberatio. l. ſub conditione, xvi.

Caſsius ait, ſi cui pecuniam dedi, ut eam creditori meo ſolueret: ſi ſuo nomine dederit, ne utrum liberari: me, quia non meo nomine data ſit. illum, qui alienam dederit. cæterum mandati eam teneri. ſed ſi creditor eos numos ſine dolo malo cōſumpſiſſet, is, qui ſuo nomine eos ſoluiſſet, liberatur, nec ſi aliter obſeruaretur creditor in lucro uerſaretur, ff. eo. l. Caſsius, 17.

Si rem meam, quæ pignoris nomine alii eſſet obligata, debitam tibi ſoluero: non liberabor, quia auocari tibi res poſsit ab eo, qui pignoris accepiſſet, ff. eodem l. ſi rem, xx.

Si decem ſtipulatus à Titio, deinde ſtipuleris à Seio, quanto minus ab illo conſecutus ſis: & ſi decem petieris à Titio, non tamen abſoluitur Seius. quid enim ſi condemnatus Titius nihil facere poteſt? Sed ſi cum Seio prius egeris, Titius in nullam partem liberatur. incertum quippè eſt, an omnino Seius debiturus ſit, denique ſi totum Titius ſoluerit, nec debitor fuiſſe uidebitur Seius: quia conditio eius deficit, ff. eo. l. ſi decem, 21.

Filiusfamilias patre inuito debitorem eius liberare non poteſt, adquirere enim obligationem poteſt, deminuere non poteſt, ff. eo. l. filiusfamil. 22.

Solutione, uel iudicium pro nobis accipiendo, & inuiti, & ignorantes liberari poſſumus, ff. eo. l. ſolutionem, 23.

Etiam circa ſtipulationem, & ex teſtamento actionem, ſi res tradita fuerit, quæ debebatur, quamdiu aliquid iuri deeſt, adhuc tamen ipſa res petenda eſt, vtputa poſſum fundum petere, licet mihi traditus ſit, ſi ius quoddam cautionis ſupererit, ff. eo. l. etiam circa, 27.

Qui perpetua exceptione ſe tueri poteſt, ſolutum repetit: & ideo non liberatur. quare ſi ex duobus reis promittendi alter pepigerit ne ab eo peteretur: quamuis ſoluerit, Nihilominus alter obligatus manebit, ff. eodem l. qui hominem, xxxiiii. §. finali.

De peculio cùm patre actum eſt: is damnatus ſoluit, & fideiuſſores pro filio accepti liberantur. eandem enim pecuniam in plures cauſas ſolui poſſe, argumentum eſt, quod iudicatum ſolui ſatiſdatum eſt, & damnatus reus ſoluat: non ſolum actione iudicati, ſed etiam ex ſtipulatione, & ipſe & fideiuſſores liberentur, & magis ſimile eſt, quod cum poſſeſſor hæreditatis exiſtimans ſe hæredem eſſe ſoluerit, hæres non liberetur. tunc enim propterea id euenire poteſt, quod ille ſuo nomine indebitam pecuniam dando, repetitionem eius haberet, ff. eo. l. cum quis, 38. §. de peculio.

In omnibus ſpetiebus liberationum etiam acceſsiones liberantur: puta adpromiſſores, hypothecæ, pignora. præterquam quod inter creditorem, & ad promiſſores confuſione facta reus non liberatur, ff. eo. in omnibus, 43.

Is, qui alienum equum inſolutum dedit uſucapto æquo liberatur, ff. eodem lege is qui, 60.

In perpetuum quotiens id,quod tibi debeam ad te peruenit, & tibi nihil absit, nec quod solutum est,repeti possit,competit liberatio,ff. eod.l.in perpetuum quotiens,lxi.

Si debitor tuus non vult à te liberari, & præsens est: non potest inuitus à te solui. PAVLVS immo debitorem tuum etiam præsentem etiam inuitum liberare,ita poteris,supponendo à quo debitum nouandi causa stipuleris,quod etiam si acceptum non fueris,tamen statim,quod ad te attinet res peribit.Nā & petentem te doli mali præscriptio excludet,ff.eo.l.si debitor,xci.

Cum institutus deliberaret,substituto pecunia per errorem soluta est.ad eum hæreditate postea deuoluta,causa condictionis euanescit,quæ ratio facit,ut obligatio debiti soluatur,ff.eod.l.pupilli.96.§.finali.

Ante restitutam hæreditatem solutiones, & liberationes factæ ab hærede, ratæ habebuntur,ff.eo.l.Ante,104.

Quod diximus in eo hærede,qui fideiussori testatoris,id quod ante aditam hæreditatem ab eo solutum est,debere statim soluere, cum aliquo scilicet temperamento temporis intelligendum est,nec enim cum sacco adire debet, ff. eod.l. quod diximus,105.

Quod die certa promissum est,uel statim dari potest, totum enim medium tempus ad soluendum promissori liberum relinqui intelligitur,ff.eod.l.quod,70.

Inter Artifices longa differentia est,& ingenii,& naturæ,& doctrinę,& institutionis.Ideo si nauem à se fabricandam quis promiserit,uel insulam ędificandam, fossamve faciendam: & hoc spetialiter actum est,ut suis operis,id perficiat: fideiussor ipse ædificans,vel fossam fodiens, non consentiente stipulatore, non liberabit reum.quare etiam si illis stipulationibus, fideiussor accesserit, PER TE NON FIERI, QVOMINVS, MIHI IRE AGERE LICEAT? prohibens ire fideiussor, stipulationem non committit, & si patientiam præstet, non efficiet,quominus committatur stipulatio, ff. eod.l. inter artifices,xxxi.

Qui æquum,aut bouem dare promisit,si ęquum vulnerauerit,non magis eū dando liberatur,quàm si solum æquum promisisset,& à se uulneratum daret iudicio quoque accepto si ęquum,is cum quo agetur uulneratum à se offerret,condemnari debebit, sed & ab alio uulneratum si det, condemnandus erit: cum possit alium dare,ff.eo.l.qui sibi,33.§.fin.

Si decem aut bouem dari stipulatus fuero,& duos fideiussores accepero Titium, & Mæuium, & Titius quinque soluerit, non liberabitur priusquam Mæuius, quoque quinque soluat,quod si Mæuius partem bonis soluerit, vterq; obligatus remanebit. Qui perpetua exceptione se tueri potest, solutum repetit, & ideo non liberatur.quare si ex duobus reis promittendi alter pepigerit, ne ab eo peteretur: quamuis soluerit,nihilominus alter obligatus remanebit,ff.eod. l.qui hominem,34.si decem.

Si gener,socero ignorante filia,dotem soluisset,non est liberatus: sed condicere socero potest,nisi ratum filia habuisset. Et propemodum similis est gener ei, qui absentis procuratori solueret: quia in causam dotis participes, & quasi socia obligationis patri filia esset,ff.eo.l.qui hominem,§.si gener.34.

Si debitorem meum iussero pecuniam Titio dare donaturus ei, quamuis Titius ea mente acceperit,ut meos numos faceret: Nihilominus debitor liberabitur sed si postea Titius eandem pecuniam mihi dedisset, numi mei fient,d.l.si hominem,34.§. si debitorem.

Quidam filiumfamilias, a quo fideiussorem acceperat hæredem instituerat,

quæsitum

quæsitum est, si iussu patris adisset hæreditatem, an pater cum fideiussore agere posset. Respondit Iulianus quotiens reus satisdandi reo satis accipiendi hæres existeret, fideiussores ideo liberari, quia pro eodem apud eundem debere non possent. d.l. qui hominem, §. quidam.

Si prædo, id quod à debitoribus hæreditariis exegerat, petenti hæreditatem, restituerit, debitores liberabuntur. d.l. qui hominem, §. si prædo.

Si literarum Auxe nonis contemplatione, quas ad Aristonem denumeranda tibi pecunia dederat, recepisse te scripsisti debitum ab Aristone: Mandato non impleto, cum petitio debiti maneat integra, nihil legitimam exactionem impedire potest, C. eod. l. si literarum, xxiii.

DE ACCEPTILATIONIBVS. *Tit. II.*

PER acceptilationem tollitur obligatio est autem acceptilatio imaginaria solutio. item acceptilariæ est liberare per mutuam interrogationem qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio: quod enim ex uerborum obligationē Titio debetur, id si velit Titius remittere poterit sic fieri, vt patiatur hæc verba debitorem dicere quod ego promisi tibi habes ne acceptum, & Titius respondeat. habeo. quo genere (vt diximus) tantum è soluuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam cætere: consentaneum enim visum est verbis factam obligationem aliis posse verbis dissolui instituta quibus mod. tol. oblig. §. item per acceptil. & ff. de acceptil. l. prima. & l. octaua, §. acceptum fieri.

Si accepto latum fuerit ei, qui non verbis, sed re obligatus est: nō liberabitur quidem, sed exceptione doli mali vel pati conuenti se tueri potest. inter acceptilationem & apocam hoc interest, quod acceptilatione omni modo liberatio contingit, licet pecunia soluta non sit: apocha non alias, quam si pecunia soluta sit, ff. eod. l. si accepto, xix.

Si ego tibi acceptum feci, nihilomagis ego a te liberatus sum. Paulus, imo cum locatio, conductio, emptio, venditio, conuentione facta est, & nondum res intercessit: vtrinque per acceptilationem tametsi ab alterutra parte dūtaxat intersit, liberantur obligatione, ff. eod. l. finali.

Sed & id, quod ex alia causa debetur potes in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolui, Inst. quib. mod. tollitur oblig. §. sed & id.

Sicut autē quod debetur pro parte rectè soluitur, ita in parte debiti acceptilatio fieri potest. Inst. eod. §. sicut autem.

Pars stipulationis accepto fieri potest, non tantum si sic dicatur, EX NVMIS DECEM, QVOS TIBI PROMISI QVINQVE HABESNE ACCEPTOS? sed etiam si sic QVO EGO TIBI PROMISI, ID PRO PARTE DIMIDIA HABESNE ACCEPTVM. ff. de acceptil. l. pars ix.

Sed & si non numerata pecunia sed certum corpus veluti æquus in stipulationem deductus est: potest ex parte acceptilatio fieri quomodo & vni ex hæredibus acceptum fieri potest, ff. eod. l. sed & si. x.

Sed si id, quod in stipulationem deductum est diuisionem non recipiat: acceptilatio in partem nullius erit momenti; ut puta si seruitus fuerit prædii rustici, vel Vrbani. planè si vsusfructus sit in stipulatum deductus, puta fundi Titiani: poterit pro parte acceptilatio fieri: & erit residue partis fundi vsusfructus. si tamen

men viam quis ſtipulatus accepto iter,uel actum fuerit: acceptilatio nullius erit momenti:hoc idem eſt probandum, ſi actus fuerit accepto latus. ſi autem iter, & actus accepto fuerit latus, conſequens erit dicere liberatum eum qui viam promiſit,ff.eod.l.& per iuſiurandum,xiii.paulo poſt principium.

Illud certum eſt: eum qui fundum ſtipulatus,vſumfructum, vel viam accepto faciat: in ea eſſe cauſa,ut acceptilatio non valeat,qui.n.accepto facit,uel totum, uel partem eius, qđ ſtipulatus eſt debet accepto facere,hæ autē partes nō ſunt non magis quàm ſi quis domum ſtipulatus accepto feret cementa, uel feneſtras,vel parietem vel diętam.ſi quis vſumfructum ſtipulatus vſum accepto tulerit:ſi quidem ſic tulerit acceptum quaſi vſu debito: liberatio non continget. ſi vero quaſi ex uſufructu: cum posſit vſus ſine vſufructu conſtitui, dicēdum eſt acceptilationem ualere.d.l.& per iuſiurandum,§.illud.

Eum qui fundum ſtipulatus eſt non poſſe de dolo malo clauſulam acceptum ferre conſtat: non enim in partem debiti id conſtitit,& aliud eſt quod debetur, & aliud quod acceptum.d.l.& periuſiurandum.§.eum qui.

Ex pluribus reis ſtipulādi ſi unus acceptum fecerit, liberatio contingit in ſolidū d.l.& per iuſiurandum.in fine.

Si ex pluribus obligatis uni accepto feratur: ipſe non ſolus liberatur,ſed & qui Se ium obligatur.nam cum ex duobus pluribuſue eiuſdem obligationis participibus uni accepto fertur,cæteri quoque liberantur: non quoniam ipſis accepto latum ſit,ſed quoniam uelut ſoluiſſe uideatur is,qui acceptilatione ſolutus eſt, ff.eod.l.ſi ex pluribus,xvi.

Qui bouem,aut decem ſtipulatus eſt,ſi quinque accepto fecerit partem ſtipulationis peremit,& petere quinque,aut partem bouis poteſt.ff.eo.l.qui, xvii.

Ex uno ex pluribus contractibus,vel certis, vel incertis, uel quibuſdam exceptis cæteris,uel omnibus ex cauſis una acceptilatio,& liberatio fieri poteſt, ff.eod. l.ex uno,xviii.in prin.

Pluribus ſtipulationibus factis ſi promiſſor ita accepto rogaſſet. QVOD EGO TIBI PROMISI, HABESNE ACCEPTVM? ſi quidem apparet quid actū ſit: id ſolum per acceptilationem ſublatum eſt.ſi non apparet: omnes ſtipulationes ſolutæ ſunt: dummodo illud ſiamus,ſi ego aliud accepto tuli,aliud tu rogaſti,nihil ualere acceptilationem. Sanè & ſic acceptilatio fieri poteſt: ACCEPTA FACIS DECEM. ille reſpondit facio,ff.eod.l.pluribus,vi.& l.ſeq.

An inutilis acceptilatio utile habeat pactum,quæritur. & niſi in hoc quoque contra ſenſum eſt,habet pactum.dicet aliquis,poteſt ergo non eſſe conſenſus? cur non poſsit? fingamus eum qui accepto ferebat ſcientem prudentemq; nullius eſſe momenti acceptilationem ſic accepto tuliſſe: quis dubitat non ineſſe pactum, cum conſenſum paciſcendi non habuerit, ff. eodem l. an inutilis oct. in principio.

Acceptilatio ſub conditione fieri non poteſt,ff.eod.l.quarta.

In diem acceptilatio facta nullius momenti eſt.nam ſolutionis exemplo acceptilatio ſolet liberare,ff.eod.l.quinta.

Quod in diem uel ſub conditione debetur acceptilatione tolli poteſt. ſed ita id factum apparebit,ſi conditio ſtipulationis extiterit,uel dies uenerit, ff. eod.l. quod in diem,xii.

Si equum,aut decem ſub conditione ſtipulatus,equum aut acceptum fecerit, & pendente conditione equus deceſſerit: decem in obligatione manebunt perinde ac ſi ea acceptilatione interpoſita non fuiſſet,ff.eodem lege.& periuſiurandum

dum, xiii. §. si Stichum.

Pupillum per acceptilationem,& sine tutoris auctoritate liberari posse placet, ff. eod.l.secunda.

Rescripsit Antoninus Imp. Apronio posse apud Iudicem quæri, an solemnibus verbis tutoris auctoritate interueniente soror tua acceptilatione debitorem suum liberauerit. quare in repetenda pecunia; quam exsoluit diuersa pars, perseuerauerit vtetur defensionibus competentibus, C. eod.l.prima.

Per procuratorem, nec liberari, nec liberare quis quam acceptilatione sine mandato potest, ff. eod.l.tertia.

Filiusfamilias promittendo patrem ciuiliter non obligat, sed se obligat. propter quod accepto rogare filiusfamilias potest, vt se liberet. Quia ipse obligatus est. pater autem acceptum te rogando nihil agit, cum non ipse obligatus sit, sed filius, ff. eod.l. an inutilis, viii. §. finali.

Si quis equum stipulatus est frontinum accepto tulerit: Iulianus libro quinquagesimoquarto digestorum scripsit acceptilationem aliquid egisse, tulisse que totam obligationem: quod enim stipulatori inuito promissor soluere potest, id,& acceptum latum liberationem parit, ff. eodem l. & periusiurandum, xiii. §. si is qui.

Si fideiussori accepto fuerit latum cum reus re, non verbis fuisset obligatus: an reus quoque liberetur? & hoc iure vtimur, ut licet reus non sit verbis obligatus, tamen acceptilatione per fideiussorem liberetur, ff. eod.l. & periusiurandũ xiii. §. si fideiussori.

Si legatorum sub conditione relictorum, fideiussori dato accepto latum sit: legata debebuntur postea condictione eorum existente. Quia ita stipulatur à fideiussore, QVOD TITIO CREDIDERO FIDE TVA ESSE IVBES? deinde antequam crederet, acceptum fecit fideiussori: reus non liberabitur. sed si quandoque ei creditum fuerit: tenetur. nam & si fideiussorem non ante liberatum esse credimus, quam cum fuerit creditum reo: non tamen reus antiquiore acceptilatione, quam obligatio eius est liberari potuit, ff. eod.l. & periusiurandum, xiii. §. si legatorum.

Si iudicati fideiussor sit datus,& acceptus eique accepto latum sit: liberabitur & iudicatur, ff. eod.l. si ex pluribus, xvi. §. finali.

Tutor, curatorve furiosi acceptum ferre non possunt: ne procurator quidem facere potest acceptum. sed hi omnes debent nouare, possunt enim & sic accepto facere. ne is quidem acceptum fieri potest, sed nouatione facta poterunt liberari per acceptilationem, nam in absentium persona hoc remedio uti solemus: cum stipulamur ab aliquo id nouãdi causa, quod absens nobis debet: & ita accepto liberamus cum à quo stipulati sumus. ita fiet vt absens nouatione præsens per acceptilationem liberetur, ff. eod.l. & periusiurandum, xiii. §. tutor.

Si donationis gratia nouatione facta, per acceptilationem pręstitisti liberationẽ: omnis uia agendi perempta est, C. eod.l. secunda.

Hæres quoque liberare, & liberari accepto potest, ff. eodem. l. & periusiurandum. §. hæres.

Nisi consentiat acceptilatio cum obligatione,& nisi verum est quod in acceptilatione demonstratur: imperfecta est liberatio: quia uerbis uerba ea demum resolui possunt, quæ inter se congruunt, ff. eod.l. nisi, xiiii.

Si is qui æquũ promisit ita interroget QVOD EQVVM PROMISI EQVVM ET BOVEM HABES NE ACCEPTVM recte accepto latum erit, & pro

super-

ſuperuacuo mentio bouis erit facta: quemadmodum, ſi is, qui decem promiſit, ita interroget QVOD TIBI DECEM PROMISI, VIGINTI HABES NE ACCEPTA? etiam decem nomine erit liberatus, ff. eo. l. ſi is qui, xv.

Si accepto fuerit lata ob rem iudicatam clauſula Marcellus ait cæteras partes ſtipulationis euanuiſſe propter hoc enim tantum interponuntur ut res iudicari poſsit, ff. eod. l. ſi acceptilatio, xx.

Prodita eſt ſtipulatio quæ vulgo Aquiliana appellatur per quã contingit, vt omnium rerum obligatio in ſtipulationem deducatur, & per acceptilationem tollatur: ſtipulatio enim Aquiliana renouat omnes obligationes. & à Gallo Aquilio ita compoſita eſt, quidquid te mihi ex quacunque cauſa dare facere oportet, uel oportebit præſens in diemve aut ſub conditione: quarumcunque rerũ mihi tecum actio eſt quoque aduerſus te petitio, uel aduerſus te perſecutio eſt, vel erit quoque tu meum habes, tenes, poſsides, dolove malo feciſti quominus posſideas: quanti quæ earum rerum res erit tantam pecuniam dari ſtipulatus eſt, Aulus Augerius reſpondit Numerius Nigidius. Item ex diuerſo Numerius Nigidius interrogauit Aulum Augerium: quicquid tibi hodierna die per Aquilianã ſtipulationem ſpopondi id ne omnino habes ne acceptum: reſpondit Aulus Augerius, habeo acceptumque tuli Inſt. quib. mod. tollitur oblig. §. eſt autem prodita. & ff. de acceptilationibus. l. ex una, xviii. §. eius rei ſtipulatio, & ff. de tranſ. l. quarta.

Per Aquilianam ſtipulationem pacto ſubditam, obligatione præcedente ſublata, & acceptilatione quæ fuerat inducta perempta: ei qui ex nulla cauſa reſtitui poteſt omnis agendi uia præcluditur, C. eo. l. finali.

DE NOVATIONIBVS, ET DELEGATIONIBVS. *Tit. III.*

NOuatione tollitur obligatio veluti, ſi id quod tibi Seius debeat à Titio dari ſtipulatus ſis: nam interuentu. nouæ perſonæ noua naſcitur obligatio, & prima tollitur translata in poſteriorem: adeo ut interdum licet poſterior ſtipulatio inutilis ſit, tamen prima nouationis iure tollatur: veluti ſi id quod tu Titio debes à pupillo ſine tutoris auctoritate ſtipulatus fueris, quo caſu res amittitur: nam & prior debitor liberatur, & poſterior obligatio nulla eſt. Inſtitut. quibus. mod. tollitur oblig. §. præterea.

Nouatio eſt prioris debiti in aliam obligationem, vel ciuilem, uel naturalem trãsfuſio atque translatio: hoc cum ex præcedenti cauſa ita noua conſtituitur, ut prior perimatur: nouatio enim à nouo nomen accepit, & à noua obligatione. Illud non intereſt qualis præceſsit obligatio, utrum naturalis, an ciuilis, an honoraria: & utrum verbis, an re, an conſenſu qualiſcunque igitur obligatio ſit, quæ præceſsit, nouari uerbis poteſt: dummodo ſequens obligatio, aut ciuiliter teneat: aut naturaliter ut puta ſi pupillus ſine tutoris auctoritate promiſerit, ff. de Nouat. l. prima.

Nouare poſſumus, aut ipſi ſi ſui iuris ſumus, aut per alios qui uoluntate noſtra ſtipulantur. Pupillus ſine tutoris auctoritate non poteſt nouare: Tutor poteſt ſi hoc pupillo expediat: item procurator omnium bonorum, ff. eo. l. nouare, xx.

Omnes res tranſire in nouationem poſſunt. quodcumque enim ſine uerbis contractum eſt, ſiue non uerbis nouari poteſt, & tranſire in uerborum obligationem

nem ex quacunque obligatione. dummodo sciamus nouationem ita demum fieri, si hoc agatur ut nouetur obligatio, cæterum si hoc non agatur: due erunt obligationes, ff. eod. l. secunda.

Nouatione legitime facta, & hypothecæ liberantur, & pignus, & interesse pecuniæ non currit, ff. eod. l. nouatione, xviii.

Cui recte soluitur, is etiam nouare potest: excepto eo si mihi, aut Titio stipulatus sim: nam Titius nouare non potest, licet ei recte soluatur, ff. eod. l. cui recte, x.

Si quis absente me a debitore meo stipulatus sit nouandi animo, & ego postea ratum habuero: nouo obligationem, ff. eod. l. si quis, xxii.

Si is cui decem Titius quindecim Seius debebat ab Attio stipulatus est, quod ille, aut ille debeat dari sibi: nouatum utrunque nō est, sed in potestate Attii est pro quo velit soluere. & eum liberare. fingamus autem ita actum vt alterutrum daret. nam alioquin vtrunque stipulatus uidetur, & utrunque nouatum, si nouandi animo hoc fiat. ff. eod. l. si is cui, xxvi.

Si duo rei stipulandi sint an alter ius nouandi habeat quæritur, & quid iuris unusquisque sibi adquisierit? ferre autem conuenit (& rectè) vni solui unum in iuditio petentem totam rem in litem deducere item vnius acceptilatione perimi vtriusque obligationem ex quibus colligitur vnumquemque perinde sibi adquisisse ac si solus stipulatus esset: excepto eo quod etiam facto eius cum quo commune stipulandi ius est: admittere debitorem potest. secundū quæ si unus ab aliquo stipuletur, nouatione quoque liberare eum ab altero poterit, cum id specialiter agit: eo magis cum eam stipulationem similem esse solutionem existimemus. alioquin quid dicemus, si vnus delegauerit creditori suo communē debitorem, is que ab eo stipulatus fuerit: aut mulier fundum iusserit doti promittere uiro, vel nuptura ipsi doti eum promisit? nam debitor ab utroque liberabitur, ff. eod. l. si rem, xxxi. §. si duo rei.

Te æquum, & Seium mihi decem dare oportet. stipulor ab altero nouandi caussa, ita, quod te aut Seium dare oportet. vtrunque nouatur. PAVLVS. merito: quia utrunque in posteriorem deducitur stipulationem, ff. eodem. l. te hominem, xxxii.

In summa admonendi sumus nihil uetare, una stipulatione plures obligationes nouari: ueluti si ita stipulemur, QVOD TITIVM ET SEIVM MIHI DARE OPORTET, ID DARE SPONDES: licet enim ex diuersis iuris singuli fuerant obligati: utrique tamen nouationis iure liberantur: cum utriusque obligatio in eius personam, æquo nunc stipulemur, confluat, ff. eodem l. fina. §. finali.

Si æquum dari stipulatus fuerim, & cum in moram promissor esset, quominus daret, rursus eundem stipulatus fuero: desinit periculum ad promissorem pertinere, quasi mora purgata, ff. eod. l. octaua, in prin.

Legata, vel fideicommissa si in stipulationem fuerint deducta, & hoc actum, ut nouetur: fiet nouatio. si quidem pure fuerint relicta, statim. Si uero sub conditione, non statim, sed ubi conditio extiterit. Nam & alias qui in diem stipulatur, statim nouat, si hoc actum est, cum certurū sit, diem qn̄q; eventurū. At qui sub conditione stipulatur, non statim nouat, nisi conditio extiterit. d. l. 8. §. legata.

Si quis ita stipulatus à Seio sit, QVOD A TITIO STIPVLATVS FVERO, DARE SPONDES? an si postea à Titio stipulatus sim, fiat nouatio, solusque teneatur Seius? & ait Celsus nouationem fieri: si modo id actum sit ut nouetur: id est ut Seius debeat, quod Titius promisit. nam eodem tempore, & impleri prio-

ni prioris ſtipulationis cōditionē,& nouari ait: Iulianus eoq; iure utimur,ff.eodem lege octaua. §.ſi quis.

Idem celſus ait, IVDICATVM SOLVI, ſtipulatione actionem iudicati non nouari. Merito: quia hoc ſolum agitur ea ſtipulatione, vt fideiuſſoribus cautum ſit,non ut ab obligatione iudicati diſcedatur,d.l.octaua.§. idem celſus.

Si decem quæ mihi Titius debet, aut decem quæ Seius debet, à Titio ſtipulatus fuero: putat Marcellus neutrum liberari,ſed Tertium eligere poſſe,pro quo decem ſoluere uelit,d.l.octaua,§.idem celſus.

Si ab alio promiſſam dotem maritus ab vxore dotis nomine ſtipulatus ſit: non duplari dotem,ſed nouationem fieri placet.ſi hoc actum eſt: quid enim intereſt ipſam alius quilibet promittat?quod enim ego debeo,ſi alius promittat:liberare me poteſt,ſi nouationis cauſa hoc fiat,ſi autem nouandi animo hoc interuenit:uterque quidem tenetur,ſed ſoluente altero,alter liberabitur. non tamen ſi quis ſtipuletur,quod mihi debetur, aufert mihi actionem, niſi ex voluntate mea ſtipuletur.liberat autem me is,qui quod debeo,promittit etiam ſi nolim, d.l.octaua,§.finali.

Si creditor pœnam ſtipulatus fuerit,ſi ad diem pecunia ſoluta non eſſet: nouatione facta non committitur ſtipulatio,ff.eo.l.ſi creditor,xv.

Filius patris actionem ignorante eo nouare non poteſt,ff.eod.l.filius, 23.

Nouatio non poteſt contingere ex ea ſtipulatione,quæ nō committitur. nec huic contrarium eſt,quod ſi ſtipulatus à Titio fuero nouandi animo ſub conditione,quod mihi Sempronius debet, & pendente conditione Titius deceſſerit, quamuis ante aditam hęreditatem conditio extiterit: nouatio fieret: hic enim morte promiſſoris non extinguitur ſtipulatio, ſed tranſit ad hæredem, cuius perſonam interim hæreditas ſuſtinet,ff.eod.l.nouatio.24.

Non ideo nouare ueterem obligationem quiſquam recte poteſt, quod interdū recte ei ſoluitur. nam & his,qui in noſtra poteſtate ſunt, quod ab his creditum eſt,rectè interdum ſoluitur: cum nemo eorum per ſe nouare priorem obligationem iure poſsit,ff.eod.l.non ideo,25.

Fundum Cornelianum ſtipulatus,quanti fundus eſt, poſtea ſtipulator ſi non nouandi animo ſecunda ſtipulatio facta eſt,ceſſat nouatio, ſecunda uero ſtipulatio tenet,ex qua non fundus,ſed pecunia debetur. itaque ſi reus promittendi fundum ſoluat: ſecunda ſtipulatio iure non tollitur,nec ſi litem actor ex prima conteſtetur. denique meliore vel deteriore facto ſine culpa debitotis,poſtea fundo præſens æſtimatio fundo petito rectè conſideretur: in altera uero ea æſtimatio venit,quæ ſecundæ ſtipulationis tempore fuit,ff.eod.l.fundum, xviii.

Aliam cauſam eſſe nouationis uoluntariæ,aliam iudicii accepti, multa exempla oſtendunt.perit priuilegium dotis,& tutelæ,ſi poſt diuortium dos in ſtipulationem iudicatur,vel poſt pubertate tutellæ actio nouetur: ſi id ſpecialiter actum, eſt,quod nemo dixerit lite conteſtata: neque enim deteriorem cauſam noſtrā facimus actionem exercētes,ſed meliorem: ut ſolet dici in his actionibus, quæ tempore,uel morte finiri poſſunt,ff.eod.l.aliam,29.

Paulus reſpondit,ſi creditor à Sempronio nouandi animo ſtipulatus eſſet, ita ut à prima obligatione in uniuerſum diſcederetur: rurſus eaſdem res à poſteriore debitore ſine conſenſu prioris obligari non poſſe.ff.eod.l.Paulus,xxx.

Si obligatum ex cauſa mandati,non per ſtipulationem facta nouatione poſt acceptilationem liberaſti,ſed tantum receptam ex eadem cauſa debitam quantitatem falsò ſcripſiſti;figmento ueritatis extingui non potuit obligatio,C.de ſolutio.

lutio.l.si obligatum,xiii.

Si pupillus sine tutoris authoritate rem saluam fore stipulatus: pubes factus ratam stipulationem habuerit: nouandi causa: tollitur tutellæ actio, si non habuerit ratum: licet tutellæ egisset,habet tamen adhuc ex stipulatu actionẽ: sed iudex tutelæ non aliter condemnare debet quàm ex stipulatione liberatus sit. ff.eod.l.si pupillus,nona.in princ.

Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exstitura est, purè uidetur stipulari, d.l.si pupilli,§.qui sub conditione.

Quoties purè debetur nouandi causa sub conditione promittitur non statim fit nouatio,sed tunc demum cum conditio exstiterit, & ideo si fortè equus fuerit in obligatione,& pendente conditione decesserit: nec nouatio contingit; quia non subest res eo tempore,quo conditio impletur. vnde Marcellus, & si post moram equus in conditionalem obligationem deductus sit, purgari moram, nec in sequentem obligationem deduci putat. Sed si quod sub conditione debetur, pure quis nouandi causa stipuletur: ne nunc quidem statim nouat,licet pura stipulatio aliquid egisse uideatur: sed tunc nouabit cum conditio extiterit. etenim existens conditio primam stipulationem committit,commissamque in secundam transfert. & ideo si fortè persona promissoris pendente conditione fuerit deportata: Marcellus scribit, ne existente conditione ullam contingere nouationem: Quoniam nisi cum extitit conditio, non est persona, quæ obligetur. ff. eodem lege. Quoties, xiiii.

Si rem aliquam dari stipulatus sim, deinde eandem nouandi animo sub conditione ab eodem stipuler.manere oportet rem in rebus humanis, ut nouationi locus sit: nisi si per promissorem steterit, quominus daret. ideoque si bouem mihi dare te oporteat,& in mora fueris,quominus dares: etiam defuncto eo teneris.& si prius quàm decederet,cum iam mora facta sit, eundem a te sub conditione stipulatus fuero,& bouis postea decesserit, deinde conditio extiterit cum iam ex stipulatu obligatus es mihi: nouatio quoque fiet, ff. eod. l.si rem.31.in prin.

In diem obligatio potest nouari, & priusquam dies aduenerit. & generaliter constat,ex stipulatione in diem facta nouationem contigere: sed non statim ex ea stipulatione agi posse ante, quam dies aduenerit, ff. codem. lege quinta.

Filius ne peculiorem quidem obligationem citra uoluntatem patris nouare potest: sed adiicit potius obligationem,quam pristinam nouet, ff. eodem lege. seruus,xvi.

Dubitari non debet, quin filius cui administratio peculii concessa est, nouandi quoque peculiaria debita ius habeat: utique si ipse stipuletur, maximè etiam si meliorem suam conditionem eo modo, faciat. nam si alium iubeat stipulari interest vtrum donandi animo alium iubeat stipulari, an ut ipsi filio negotium gerat.quo nomine etiam mandati actio peculio adquiritur,ff.eodem l. finali, in principio.

Ad Agnatum furiosi, aut prodigi curatorem, nouandi ius habere, minime dubitandum est: si hoc furioso, vel prodigo expediat, dicta lege. finali.§. ad Agnatum.

Cui bonis interdictum est,nouare obligationem suam non potest, nisi meliorem con-

conditionem suam fecerit, ff. eod. l. tertia.

Si ita fuero stipulatus: QVANTO MINVS A TITIO DEBITORE EXEGERO, TANTVM FIDEIVBES? non fit nouatio: quia non hoc agitur, ut nouetur, ff. eod. l. sexta.

Cum pecuniam mutuam dedit quis sine stipulatione, & ex continenti fecit stipulationem, vnus contractus est. Idem erit dicendum, & si ante stipulatio facta, mox pecunia numerata sit. Cum enim pecuniam mutuam datam stipulamur, obligatio ex numeratione nō nascitur, & deinde stipulatione nouatur: & quia id agitur, ut sola stipulatio teneat, magis implende stipulationis gratia numeratio fieri intelligenda est. d. l. sexta, §. fin. cum l. seq.

Non abstulit tibi procurator tuus actionem, si cum ei mandasses ex actionem pecuniæ, quam ii tibi debebant, contra quos supplicas per te accepta, de reliquo eos liberauit: cum neque contra voluntatem tuam nouationem facere, neque in eo quod non soluebatur eos liberare potuerit, C. eod. l. quarta.

Si quis, vel aliam personam adhibuerit, vel mutauerit, uel pignus acceperit; vel quantitatem augendam, vel minuendam esse crediderit, vel conditionem, seu tempus addiderit, uel detraxerit, vel cautionē minorem acceperit, vel aliquid fecerit, ex quo nouationes intro ducebantur sancitum est, nihil pænitus prioris cautelæ innouari, sed anteriora stare, & posteriora incrementum illis accedere: nisi ipsi specialiter remiserint, quidem priorem obligationem, & hoc expresserint, quod secundam magis pro anterioribus elegerint, & generaliter diffinitum est, voluntate solum esse, non lege nouandum, & si non verbis exprimatur. C. eodem. lege. finali. & institut. quibus modis tollitur obligat. §. quod autem diximus.

De delegationibus.

Delegare est vice sua alium dare reum creditori, vel cui ius erit. fit autem delegatio, uel per stipulationem, vel per litis contestationem, ff. eodem lege. delegare, xi.

Si vsusfructus debitorem meum tibi legauero: non nouatur obligatio mea. quanuis exceptione doli, vel in factum tutus debea tesse aduersus me is, qui delegatus fuerit. & non solum donec manet eius vsusfructus, cui delegaui, sed etiam post interitum eius uidebimus: quia etiam hoc incōmodum sentit si post mortem meam maneat eius usus fructus. & hæc eadem dicenda sunt in qualibet obligatione personæ cohærenti. ff. eod. l. quarta.

Si quis delegauerit debitorem, qui doli mali exceptione tueri se posse sciebat: similis uidebitur ei, qui donat: quoniam remittere exceptionem uidetur, sed si per ignorantiam promiserit creditori: nulla quidem exceptione aduersus creditorem uti poterit, quia ille suum recepit: sed is qui delegauit, tenetur condictionem vel incerti, si pecunia soluta non esset, uel certi, si soluta esset, & ideo cum ipse præstiterit pecuniam, aget mandati iudicio, ff. eodem lege. si quis, xii.

Si non debitorem delegauero quaſi debitorem creditori meo: exceptio locum non habebit: ſed conditio aduerſus eum, qui delegauit competit, ff. eodem. l. ſi non debitorem. xiii.

Delegare ſcriptura, vel nutu, ubi fari non poteſt, debitorem ſuum quis poteſt, ff. eod. l. delegare, xvii.

Doli exceptio, quę poterat deleganti opponi, ceſſat in perſona creditoris, cui quis delegatus eſt. Idemque eſt, & in cæteris ſimilibus exceptionis. imo & in ea quæ ex ſenatuſconſ. filiofamil. datur nam. aduerſus creditorem, qui delegatus eſt ab eo qui mutuam pecuniam contra ſenatuſconſultum dederat, non utetur exceptione: quia nihil in ea promiſsione contra ſenatuſconſultum fit: tanto magis, quod nec hic ſolutum repetere poteſt. diuerſum eſt in muliere, quæ cõtra ſenatuſconſultum promiſit. nam & in ſecunda promiſsione interceſsio eſt. Idemque eſt in minore, qui circumſcriptus delegatur: quia ſi nunc etiam eſt minor, rurſus circumuenitur. diuerſum ut ſi iam, exceſsit ætatem vigintiquinque annorum, quamuis adhuc poſsit reſtitui aduerſus priorem creditorem. Ideoque autem denegantur exceptiones aduerſus ſecũdum creditorem: quia in priuatis contractibus, & pactionibus non facile ſcire petitor poteſt, quid inter eum, qui delegandus eſt, & debitorem actum eſt: aut etiamſi ſciat diſsimulare debet, ne curioſus videatur: & ideo merito deneganda eſt aduerſus eũ exceptio ex perſona debitoris, ff. eod. l. doli, xix.

Si debitorem meum iuſſero tibi ſoluere: non ſtatim tu etiam ſtipulando id nouare poſsis quamuis debitor ſoluendo tibi liberetur, ff. eodem. lege. ſi debitorem, xxi.

Emptor cum delegante venditore pecuniam ita promittit, QVID QVID EX VENDITO DARE FACERE OPORTET: nouatione ſecuta intereſſe neutri poſt inſecuti temporis debet, ff. eod. l. emptor, 27.

Si Titius donare mihi volens, delegatus à me creditori meo ſtipulanti ſpopondit: non habebit aduerſus eum illam exceptionem, ut quatenus facere poteſt, condemnetur. nam aduerſus me tali defenſione meritò utebatur, quia donatum ab eo petebam: creditor autem debitum perſequitur, ff. eodem lege. ſi Titius, 33.

Delegatio debiti, niſi conſentiente, & ſtipulanti promittente debitore, iure perfici non poteſt. nominis autem uenditio, & ignorante, uel inuito eo, aduerſus quem actiones mandantur, contrahi ſolet, C. eod. l. prima.

Ex contractu pecuniæ creditæ actio inefficax dirigitur, ſi delegatione perſonæ ritè facta, iure nouationis uetuſtior contractus euanuit, C. eodem l. ſecunda.

Si delegatio non eſt interpoſita debitoris tui, ac propterea actiones apud te remanſerunt: quamuis creditori tuo aduerſus eum ſolutionis cauſa mandaueras actiones: tamen antequam litem conteſtetur, vel aliquid ex debito accepit, vel debitori tuo denunciauit, exigere à debitore tuo debitam quantitatem nõ non uetaris, & eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere. Quod ſi delegatione facta, iure nouationis, tu liberatus es: fruſtra uereris, ne eo, quod quaſi à cliente ſuo non faciat exactionem, ad te periculum redundet: cum per uerborum obligationem uoluntate nouationis interpoſita, debito liberatus ſis. C. eod. l. tertia.

Si pater tuus, cui te ſucceſsiſſe proponis, creditori pro Alexandro ſuſcepto nomine certam pecuniam ſtipulanti ſpopondit: licet per improbitatem Alexander ei ſatis non fecit, tamen ſummæ promiſſæ nimis improbè

ſolutio negatur, C. eodem l. quinta.

Nec creditoris creditori quiſquam inuictus delegari poteſt, C. eod. l. ſexta.

Si ſoluere tibi pecuniam delegatus Eucarpus dare ſpopondit, uel debitum conſtituit: ſuo nomine conueniri poteſt. alioquin aduerſus eum experiri pro chyrographario debitore tuo fruſtra conaris. C. eod. l. ſeptima.

DE RESCINDENDA VENDITIONE, ET QVANDO LICEAT AB EMPTIONE DISCEDERE. *Tit. IIII.*

SI pater tuus per vim coactus domum vendidit: ratum non habebitur, quod non bona fide geſtum eſt, malæfidei enim emptio irrita eſt. aditus itaque nomini tuo præſes prouinciæ: auctoritatem ſuã interponet: maxime cum paratum te proponas id, quod pretii nomine illatum eſt, emptori refundere, C. de reſcindend. venditio. lege prima.

Ad reſcindendam venditionem, & malæfidei probationem hoc ſolum non ſufficit quod magno pretio fundum comparatum, minoris diſtractum eſſe commemoras, C. eod. l. quarta.

Si dolo aduerſarii deceptum venditionem prædii te feciſſe, præſes prouinciæ aditus animaduertit: ſciens contrarium eſſe dolum bonæfidei, quæ in huiuſmodi maxime contractibus exigitur: reſcindi venditionem iubebit. Quod ſi iure perfecta venditio eſt à maiore vigintiquinque annis: intelligere debes, conſenſu mutuo perfectam venditionem reſolui non poſſe, C. eodem. lege. quinta.

Si voluntate tua fundum tuum filius tuus venundedit: dolus ex calliditate, atque inſidiis emptoris argui debet, uel metus mortis, vel curiatus corporis imminẽs detegi, ne habeatur rata venditio: hoc enim ſolum. Quod paulo minore pretio fundum venditum ſignificas, ad reſcindendam venditionem inualidum eſt. Quod ſi videlicet contractus emptionis atque venditionis cogitaſſes ſubſtantiam, & quod emptor uiliore comparandi, uenditor cariore diſtrahendi uotũ gerentes, ad hunc contractum accedant, vixque poſt multas contentiones, paulatim venditore de eo, quòd petierat detrahente, emptore autem huic, quod obtulerat addente, ad certum conſentiat pretium: profecto perſpiceres neque bonam fidem, quæ emptionis, atque venditionis conuentionem tuetur, pati, neque ullam rationem concedere reſcindi propter hoc conſenſu finitum contractum, vel ſtatim, uel poſt pretii quantitatis diſceptationem: niſi minus dimidia iuſti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum eſſet, electione iã emptori præſtita ſeruanda, C. eod. l. octaua.

Dolus emptoris qualitate facti, non quantitate pretii æſtimatur. Quem ſi fuerit interceſſiſſe probatum: non aduerſus eum, in quem emptor dominium tranſtulit, rei uendicatio uenditori: ſed contra illum, cum quo contraxerat, in integrum reſtitutio competit, C. eod. l. dolus, x.

Venditor factum emptoris, quod eum tempore contractus latuit, poſt arguendo, non quod eo tempore ſcierit quo id ageretur, & conſenſit de dolo quæri poteſt. Igitur cum patrem tuum, ut maius compræhenderetur, inſtru-

instrumento pretium quam rei, quæ distrahebatur, esse conuenerat, consensis se profitearis: propter hoc solum de circumscriptione frustra quæritur. Sane si placitum pretium non probetur solutum, vel in quantitatem debiti per errorem facti compensari cautum fuerit: hoc reddi rectè postulatur. C. eodem leg. venditor, xi.

Hi qui imposita munera ciuitatum fuga destituunt, vel ineundos furtim existimāt esse contractus: intelligant sibi nihil hæc profutura esse cōmenta, & pretio emptorem fugæ conscium multandum esse quod dederit, C. eod. l. penul.

Rem minoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit: humanum est, vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias, auctoritate iudicis intercedente vel si emptor elegerit, quod deest iusto pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars ueri pretii soluta sit, C. eodem l. secunda.

Non est probabilis causa, propter quam rescindi consensum factam uenditionem desideras. Quamuis enim duplum offeras pretium emptori: tamen inuitus ad rescindendam uenditionem urgeri non debet, C. eod. l. sexta.

Ratas manere semper factas iure uenditiones, uestra etiam interest. nam si oblato pretio rescindere venditionem facile permittatur: eueniet, ut & si quid uos de laboribus uestris à fisco uel à priuato comparaueritis, eadem lege conueniamini, quam uobis tribui postulatis, C. eo. l. septima.

Pretii causa non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis contractus non constituitur irritus, C. eod. l. pretii. ix.

Non idcirco minus venditio fundi, quod hunc ad munus sumptibus necessariis urgentibus, non viliore pretio, vel urgente debito te distraxisse contendis, rata manere debet. Ab illicitis itaque petitionibus abstinendo, ac pretium si non integrum solutum est, petendo, facies consultius, C. eodem l. non idcirco. xii.

Si maior annis vigintiquinque fundum distraxisti: propter hoc solum quod emēti ne compararet socer tuus denunciauit, emptionem factam à te rescindi bona fides non patitur, C. eod. l. si maior, xiii.

Quamuis maior ætate prædia etiam procul posita distraxerit paulo uilioris pretii: nomine repetitionis rei uenditæ copiam nomine consequatur: neque enim inanibus immorari sinatur obiectis, ut uires locorum sibimet causetur incognitas, qui familiaris rei scire uires, uel merita atque emolumenta ante debuerat. C. eod. l. si quis maior. xv.

Ea conditione distractis prædiis ut quid reip. debeat, qui comparauit restitueret uenditor à se celebrata solutione, quanti interest, experiri potest: non ex eo ꝙ emptor non satis conuentioni fecit contractus irritus constituitur, C. eodem. l. ea conditione. xiiii.

Si quos debitorum mole depressos necessitas publicæ rationis adstringat proprias distrahere facultates: rei qualitas, & redituum quantitas extimetur, nec sub nomine subharctationis publicæ locus fraudibus relinquatur, vt possessionibus uiliore pretio distractis, plus exactor ex gratia, quam debitor ex pretio consequatur. Hi postremo sub empti titulo perpetuo dominii iure potiantur, qui tantum annumerauerint fisco, quantum exegerit utilitas priuatorum. Etenim per iniquum est, ut alienis bonis sub gratiosa auctione distractis, parum accedat publico nomini, cum totum pereat debitori. C. eodem lege, si quos, xvi.

De contractu venditionis,& emptionis iure perfecto,alterutro inuito,nulla rece di tempore bona fides patitur, nec ex rescripto Principis quo iure fiscum nostrum uti,sæpe constitum est,C.eod.l.tertia.

Fundus qui Lucii Titii erat,ob uectigal reipublicæ ueniit: sed cũ Lucius Titius debitor professus esset paratum se esse vectigal exoluere solidum,cum minoris venisset fundus,quàm debiti summa esset: præses prouinciæ rescindit venditionem,eumque restitui iussit Lucio Titio. Quæsitum est an post sententiam præsidis,antequam restitueretur in bonis Lucii Titii fundus emptus esset. Respondit Scæuola;non prius,quam emptore solutum in uectigal satisfactum esset.ff.de rescin.uend.l.fundus,ix.

Seius a Lucio Titio emit fundum,lege dicta,ut si ad certum diem pecuniam non soluisset,res inempta fieret. Seius parte pretii præsenti die soluta, defuncto uẽditore,filiis eius pupillaris ætatis,& ipse tutor cum aliis datus, neque contutoribus pretium secundum legem numerauit,nec rationibus tutellæ retulit. Quęsitum est an irrita emptio facta esset Respondit Scæuola secundum ea quæ proponerentur,ineptam uideri,ff.eod.l.fin.in prin.

Emptor prædiorum cum suspicaretur Numerariam,& Semproniam controuersiã moturas,pactus est cum uenditore,ut ex pretio aliqua summa apud se remaneret donec emptori fideiussor daretur à uenditore. postea uenditor eam legem inseruit,ut si ex die pecunia omnis soluta non esset, & venditor ea prædia uenisse nollet,inuendita essent. Interea de aduersariis alteram mulierem uenditor viperauit,cum altera transegit ita ut sine ulla quæstione emptor prædia possideret. Quæsitum est,cum neque fideiussor datus, neque omnis pecunia secundum legem suis diebus soluta sit: an prædia in vendita sint. Responsum est, si cõuenisset,ut non prius pecunia solueretur,quam fideiussor uenditi causa daretur,nec id factum esset,cum per emptorem non staret quominus fieret: non posse posteriorem legis partem exerceri,d.l.fi.§.final.

Quando liceat ab emptione discedere.

Eæ obligationes,quæ consensu contrahuntur, contraria uoluntate dissoluuntur, nam si Titius,& Seius inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureis deinde re nondum secuta, idest neque pretio soluto,neque fundo tradito,placuerit inter eos,ut dissolueretur, ab ea emptione & uenditione inuicem liberantur. Idem est in conductione,& locatione, & in omnibus contractibus,qui ex consensu descendunt,sicut iam dictum est Insti. quibus mod.tolit.oblig.§.finali.

Emptio,& venditio sicut consensu contrahitur, ita consensu contrario resoluitur antequam fuerit res secuta. Ideoque quæsitum est, si emptor fideiussorem acceperit,uel uenditor stipulatus fuerit,an nuda uoluntate resoluatur obligatio. Iulianus scripsit,ex empto quidem agi non posse: quia bonæfidei iudicio exceptiones pacti insunt.an autem fideiussori utilis sit exceptio, uidendum ex liberato reo, & fideiussor liberatur: item uenditorem ex stipulatu agentem exceptione summoueri oportet. Idemque iuris est,si emptor quoque rem in stipulationem deduxerit,ff.de rescind.vend.& quando liceat ab emptione disced.l.tertia.

Emptio

Emptio nuda conuentione diſſoluitur, ſi res ſecuta non fuerit mortuo autem æquo perinde habenda eſt uenditio, ac ſi traditus fuiſſet, utputa cum uenditor liberetur, & emptori æquus pereat. niſi iuſta pereat. Quare niſi iuſta conuentio interuenerit, actiones exempto & uendito manebunt, ff. eodem lege quinta, §. finali.

Re quidem integra ab emptione, & uenditione utriuſque partis conſenſu recedi poteſt. etenim quod conſenſu contractum eſt, contrariæ uoluntatis adminiculo diſſoluitur. etenim poſt traditionem interpoſitam nuda uoluntas non reſſoluit emptionem, ſi non actus quoque priori ſimilis, retroagens uenditioni interceſſerit, Quando liceat ab emp. diſced. l. prima.

Perfectam emptionem atque uenditionem re integra tantum pacto, & conſenſu poſſe diſſolui conſtat, ergo ſi quidem areæ nomine arorum datum ſit: potes hoc ſolum ſecundum fidem pacti recuperare ſin uero partem precii præſoluiſti ad ea, quæ uenditorem oportet ex uenditione præſtare magis actionem, quam ad precii quantitatem, quam te dediſſe ſignificas habes, C. eo. l. ſin.

Celſus filius putat, ſi uendidiſſet mihi filiusfamilias rem peculiarem, etiam ſi cõueniat utabatur ab ea uenditione, inter patrem & filium & me conuenire debere: ne ſi cum patre ſolo pactus ſim filius non poſſit liberari: & quæratur, utrum ne nihil agatur ex ea pactione, an uero ego quidem liberet filius maneat obligatus. ſicuti ſi pupillus ſine tutoris auctoritate paciſcatur, ipſe quidem liberatur, non etiam qui cum eo pactus eſt. nam quod Ariſto dixit, poſſe ita paciſci, ut unus maneat obligatus, non eſt uerum: quia pro una parte contrahentium abiri pacto ab emptione non poſſit, & ideo ſi ab una parte renouatus ſit contractus, dicitur non ualere eiuſmodi pactionem. ſed dicendum eſt, patre paciſcente, & liberato aduerſario, filium quoque obiter liberari, ff. de reſcind. uend. & quando liceat ab empt. diſced. l. prima.

Si quam rem à te emi, eandem uerſus à te pluris minorisve emero: dioceſſimus à priore emptione. poteſt enim dum res integra eſt conuenctione noſtra infecta fieri emptio: atque ita conſiſtit poſterior emptio, quaſi nulla præceſſerit, ſed non poterimus eadem ratione uti poſt pretium ſolutum emptione repetita: cum poſt precium ſolutum infectam emptionem facere non poſſimus, ff. eodem lege ſecunda.

Cum emptor uenditori, uel uenditor emptori acceptum facit, uoluntas utriuſq; oſtenditur id agentis, ut à negotio diſcedatur: & perinde habeatur ac ſi conueniſſet inter eos, ut neuter ab altero quidquam peteret, ſed (ut euidentius adpareat) acceptilatio in hac cauſa non ſua natura, ſed poteſtate conuentionis ualet, ff. eo. l. quinta. in princ.

Si conuenit, ut res, quæ uenit intra certum tempus diſplicuiſſet, redderetur exempto actio eſt (ut Sabinus putat) aut proxima empti actioni in factum datur, ff. eo. l. ſexta.

Si id, quod pure emi, ſub conditione uerſus emam: nihil agitur poſteriore emptione, ff. eo. l. ſeptima, in princ.

Si pupilli perſona interueniat, qui ante ſine tutoris authoritate deinde tutore auctore emit: quamuis uenditor iam ei obligatus fuerit: tamen quia pupillus non tenebatur, renouata uenditio efficit, ut inuicem obligati ſint, quod ſi ante tutoris authoritas interuenit deinde ſine tutore authore emit: nihil actum eſt poſteriore emptione. Idem poteſt quæri ſi ſine tutoris authoritate pactus fuerit, ut diſcedatur ab emptione: an perinde ſit, atque ſi ab initio ſine

tutoris

tutoris authoritate emisset, ut scilicet ipse non teneatur, sed agente eo retentiones competant? sed nec illud sine ratione dicetur, quoniam initio rectè emptio sit contracta: uix bonæfidei conuenire, eo pacto stari, quod alteri captiosum sit: & maxime, si iusto errore sit deceptus, d.l. septima, §. si pupilli.

Sicut ab initio libera potestas unicuique est habendi, uel non habendi contractus: ita renunciare semel constituta obligationi aduersario non consentiente nemo potest. Quapropter intelligere debetis uoluntariæ obligationi semel uos nexos ab hac, non consentiente altera parte, cuius precibus fecistis mentionem, minime posse discedere. C. de act. & obl. l. quinta.

DE COMPENSATIONIBVS.
Titulus V.

COMPENSATIO est debiti, & crediti inter se contributio, ff. de compensatio. l. prima.

Vnusquisque creditorem suum eundemque debitorem petentem summouet, si paratus est compensare, ff. eo. l. secunda.

Ideo compensatio necessaria est, quia interest nostra potius non soluere, quam solutum repetere, ff. eo. l. tertia.

Verum est, quod & Neratio placebat, & Pomponius ait: ipso iure eo minus fideiussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest. sicut enim cum totum peto à reo, male peto: ita, & fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, quam reus condemnari potest, ff. eodem lege quarta.

Si quid à fideiussore petetur, æquissimum est, eligere fideiussorem, quod ipsi, an quod reo debetur compensare malit. sed, etsi uelit utrunque compensare, audiendus est, ff. eod. l. quinta.

Etiam quod natura debetur uenit in compensationem, ff. eo. l. sexta.

Si constat pecuniam inuicem deberi: ipso iure pro soluto compensationem haberi oportet ex eo tempore, ex quo ab utraque parte debetur, utique quo ad concurrentes quantitates: eiusque solius; quod amplius apud alterum est, interesse debetur: si modo petitio eius subsistitit, C. eo. l. quarta.

Inuicem debiti compensatione habita, si quid amplius debeas: soluens uel accipere creditore nolente, offerens, & consignatum deponens de pignoribus agere potes, C. eod. l. inuicem, xii.

Postea quam placuit inter omnes id, quod inuicem debetur, ipso iure compensari, si procurator absentis conueniatur, non debebit de rato cauere: quia nihil compensat, sed ab initio minus ab eo petitur, ff. eo. l. posteaquam, xxi.

Quod in diem debetur, non compensabitur antequam dies uenit, quamquam dari oportet, ff. eo. l. septima, in princ.

Cum intra diem adiudicati executionem datum, iudicatus Titio agit cũ eodem Titio, qui & ipse pridem illi iudicatus est, compensatio admittetur. aliud est enim diem obligationis non uenisse, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri solutionis, ff. eo. l. cum milti, xvi. §. cum intra diem.

Ex causæ quidem iudicati si debitum solutum non repeti potest, ea propter nec compensatio eius admitti potest. tum uero, qui iudicati conuenitur, compensationem pecuniæ sibi debitæ implorare posse, nemini dubium est, C. eodem lege secunda.

In com-

In compenſationem etiam id deducitur, quo nomine cum auctore lis cõteſtata eſt, ne diligentior quiſque deterioris conditionis habeatur, ſi compenſatio ei denegetur, ff. eo. l. in compenſationem, viii.

Si cum filiusfamilias contracta ſit ſocietas, & agat pater, ſolidum per compenſationem ſeruamus. quamuis ſi ageremus, duntaxat de peculio præſtaretur. Sed ſi cum filiofamilias agatur, an quæ patri debeantur, filius compenſare poſſet, quæritur. & magis eſt admittendum: quia unus contractus eſt: ſed cum conditione, vt caueat patrem ſuum ratum habiturum. ideſt non exacturum, quod is compenſauerit, ff. eo. l. ſi cum filio, ix.

Si ambo ſocii parem negligentiam ſocietati adhibuimus, dicendum eſt deſinere nos inuicem eſſe obligatos, ipſo iure compenſatione negligentiæ facta ſimili modo probatur, ſi alter ex re communi aliquid percepit, alter tantam negligentiam exhibuerit, quæ eadem quantitate æſtimatur, compenſationem factam uideri, & ipſo iure inuicem liberationem, ff. eo. l. ſi ambo, x. in prin.

Si rationem compenſationis iudex non habuerit, ſalua manet petitio: nec enim rei iudicatæ exceptio obici poteſt. aliud dicam ſi reprobabit penſationem, quaſi non exiſtente debito. tunc enim rei iudicatæ, mihi nocebit exceptio. ff. eo. l. ſeptima, §. ſi rationem.

Si quis igitur compenſare potens ſoluerit, condicere poterit, quaſi indebito ſoluto, ff. eo. l. ſi ambo, x. §. ſi quis igitur.

Quotiens ex maleficio oritur actio, utputa ex cauſa furtiua, cæterorunque maleficiorum, ſed de ea pecuniariè agitur, compenſatio locum habet, idem eſt etſi condicatur ex cauſa furtiua. ſed & qui noxali iuditio conuenitur, compenſationem opponere poteſt, d. l. ſi ambo, §. quotiens.

In ſtipulationibus locum habet. & ſecundum Iulianum tam in ipſa ſtipulatione, quam in ex ſtipulatu actione poterit obiici compenſatio, d. l. ſi ambo, §. fin.

Idem iuris eſt non ſolum in priuatis, uerumetiam in cauſa fiſci conſtitutum, ff. eod. xii. in princ.

Iuſſit Imperator audiri adprobantem ſibi à fiſco deberi, quod ipſe conuenitur, ff. eod. l. fina.

Et ſenatus cenſuit, & ſæpe reſcriptum eſt, compenſationi in cauſa fiſcali, ita demum locum eſſe, ſi eadem ſtatim quid debeat, quæ petit, atque hoc ius propter confuſionem diuerſorum officiorum tenaciter ſeruandum eſt, C. eodem lege prima.

Si ex uenditione precium uenditori debetur: compenſationis ratio opponitur. aduerſus fiſcum enim ſolummodo emptores petitioni precii compenſationem obiicere prohibentur, C. eod. l. ſeptima.

In ea, quæ Reipublicæ te debere fateris, compenſari ea, quæ inuicem ab eadem tibi debentur, is, cuius de ea re notio eſt, iubebit: ſi neque ex calendario, neque ex uectigalibus, neque ex frumenti, uel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque eius, qui ſtatutis ſumptibus ſeruit, neque fideicommiſſi ciuitatis debitor ſis, C. eod. l. tertia.

Si uelut in id debitum, quod ſolennium publicarum penſitationum nomine debueras, compenſaturo tibi nihil petiturum, poſtea Mutiano ſcripſiſti: redditis iis, quæ uenerant in compenſationem, non indebiti ſoluti repetitio, ſedante debiti competit exactio, C. eo. l. ſi uelut, xiii.

Pecuniam certo loco à Titio dari ſtipulatus ſum: is petit à me, quam ei debeo pecuniam: quæritur an hoc quoque penſandum ſit quanti mea interfuit certo loco

to loco dari responsum est si Titius petit, eam quoque pecuniam quam certo loco promisit, in compensationem deduci oportere: sed cum sua causa, id est, ut ratio habeatur quanti Titii interfuerit eo loco, quo conuenerit, pecuniam dari, ff. eo. l. pecuniam, xv.

Ideo condamnatus quod artiorem annonam ædilitatis tempore præbuit, frumentariæ pecuniæ debitor non uidebitur. & ideo compensationem habebit, ff. eo. l. ideo, xvii.

In rem suam procurator datus, post litis contestationem si uice mutua conueniatur æquitate compensationis utetur, ff. eo. l. in rem, xviii.

Debitor pecuniam publicam seruo publico citra uoluntatem eorum soluit, quibus debitum rectè solui potuit: obligatio pristina manebit: sed dabitur ei compensatio peculii fini, quod seruus publicus habebit, ff. eo. l. debitor, xix.

Si debeas decem milia, aut equum, utrum aduersarius uolet, ita compensatio huius debiti admittitur, si aduersarius palam dixisser, utrum uoluisset, ff. eodem l. si debeas, xxii.

Etiam si fideicommissum tibi ex eius bonis deberi constat, cui debuisse te minorem quantitatem dicis: æquitas compensationis interesse excludit computationem. petitio autem eius, quod amplius tibi deberi probaueris, sola relinquiter, C. eo. l. quinta.

Si propter fructus ex possessione tua perceptos, uitricus tuus debitor tibi constitutus est: cum id, quod à matre tua ei legatum est, à te petere cœperit mutuo debitæ quantitatis apud eum, qui super ea re iudicaturus est, compensationem non immerito obiicies, C. eo. l. octaua.

Quoniam liberum fundum distractum tibi proponis, post uero ueluti præcedente emptionem obligationem, certum quid soluisse: si debitum à te apud præsidem Prouinciæ petatur: compensationem eius, quod indebitæ soluisti, potes opponere, C. eo. l. quoniam, x.

Neque scriptura, qua cautum est accepta, quæ negas tradita, obligare te contra fidem ueritatis potuit, & compensationis æquitatem iure postulas. non enim prius exsolui, quod debere te constiterit, æquum est, quam petitioni mutuæ responsum fuerit, eo magis, quod ea te persequi dicis, quæ a mulieris diuortii causa à mota quæris, C. eo. l. sexta.

Quod ait labeo, non est sine ratione: ut si cui petitioni specialiter destinata est compensatio, in cæteris non obiciatur, ff. eo l. quod labeo, xiii.

Quæcunque per exceptionem perimi possunt, in compensationem non ueniunt, ff. eo. l. quæcunque xiiii.

Cum militi Castrensium bonorum alius, cæterorum alius hæres extitit, & debitor alteri hæredum obligatus vult compensare, quod ab alio debetur, non audietur, ff. eo. l. cum militi, 16. in prin.

Creditor compensare non cogitur, quod alii quam debitori suo debet: quamuis creditor eius pro eo, qui conuenitur ob debitum proprium, uelit compensare, ff. eod. l. si rem, xviii. §. fina.

Eius, quod non ei debetur, qui conuenitur, sed alii compensatio fieri non potest, C. eod. l. eius, ix.

Ob negotium copiarum expeditionis tempore mandatem curatorem cōdemnatum, pecuniam iure compensationis retinere non placuit: quoniam ea non compensantur, ff. eo. l. ob negotium, xx.

Id quod pupillorum nomine debetur si tutor petat, non potest compensatio eius obiici

obiici eius pecuniæ, quam ipse tutor suo nomine aduersario debet, ff. eo. l. pe.

Si tutores pupillis officio magistratus urgente nominastis, hac pro his, propter onus primipili pecuniam soluistis: superstitiosam geritis sollicitudinem, ne ab ipsis conuenti hanc eis imputare minime possitis, vel à vobis quidquam amplius exigatur, si tamen quantum eis tutores debuerunt, uel uos nomine ipsorum maiorem quantitatem dedisse probetur, C. eo. l. si tutores, xi.

Compensationes ex omnibus actionibus ipso iure fieri sancitum est: nulla differentiam in rem, uel in personalibus actionibus inter se obseruandã. ita tamen compensationes obiiciuntur, si causa, ex qua compensatur liquida sit, & non multis ambagibus inuoluta, sed possit iudici facilem exitum sui præstare. satis enim miserabile est, post multa, forte uariaque certamina, cum res iam fuerit adprobata: tunc ex altera parte, quæ iam penè coniuncta est opponi compensationem iam certo, & indubitato debito, & moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi. Hoc itaque iudices obseruent, & non procliuiores ad admittendas compensationes existant, nec moli animo eas suscipiant: sed iure stricto utentes si inuenerint eas maiorem, & ampliorem exposcere indaginẽ: eas quidem alii iudicio reseruent, litem autem pristinam iam penè expedita sententia terminali componant: excepta actione depositi secundum sanctionem, in qua neque compensationi locum esse dispositum est. Possesionem etiam alienam perperam occupantibus, compensatio non datur, C. eo. l. fina.

Eius quantitatis, cuius petitionem ratio compensationis excludit interesse non posse reposci, manifestum est, C. eo. de solut. l. septima.

DE DISTRACTIONE PIGNORVM, ET HYPOTHECARVM.

Titulus VI.

CREDITOR, qui prædia pignori accepit, & post alium creditorem, qui pignorum conuentionem ad bona debitoris contulit, ipse quoque simile pactum bonorum, ob alium, aut eundem contractum interposuit, ante secundum creditorem dimissum, nullo iure cætera bona titulo pignoris uendidit, sed ob eam rem in personam actio contra eum creditori, qui pignora sua requirit, non competit, sed nec utilis danda est, nec furti rerum mobilium gratia rectè conuenietur: quia propriam causam ordinis errore ductus persecutus uidetur: præsertim cum alter creditor furto possesionem, quæ non fuit apud eum, non amiserit, ad exhibendum quoque frustra litem excipiet: quia neque posside, neque dolo fecit, ut desineret possidere. Sequitur, ut secundus creditor possessores interpellare debeat, ff. de distract. pign. l. prima.

Cum prior creditor pignus iure conuentionis uendidit: secundo creditori non superesse ius offerendæ pecuniæ conuenit, si tamen debitor, non interueniente creditore, pignus uendiderit, eiusque precium priori creditori soluerit, emptori poterit offerri, & quod ad alium creditorem de numis eius peruenit, & interesse medii temporis, nihil enim interest, debitor pignus datum uendiderit, an denuo pignori obliget, ff. eo. l. tertia.

Cum secundus creditor oblata priori pecunia, in locum eius successerit, uenditionem ob pecuniam solutam, & creditam rectè facit, ff. eodem lege quinta, in principio.

Si secundus creditor, vel fideiussor, soluta pecunia pignora susceperunt: rectè eis offertur, quamuis emptionis titulo ea tenuerunt. d.l. quinta, §. fin.

Cum posterior creditor à priore pignus emit, non tam adquirendi dominii, quam seruandi pignoris sui causa intelligitur pecuniam dedisse, & ideo offerri ei, & à debitore potest, ff. eo. l. sexta.

Fideiussor conuentus, officio iudicis adsecutus est, vt emptionis titulo prędium creditori pignori datum susciperet. nihilominus alteri creditori, qui postea sub eodem pignore contraxit offerendæ pecuniæ, quam fideiussor dependit cum interesse medii temporis facultas erit. Nam huiusmodi uenditio, transferendi pignoris causa, necessitate iuris fieri solet, ff. eo. l. secunda.

Cum soluendæ pecuniæ dies pacto confertur: conuenisse uidetur, ne prius vendendi pignoris potestas exerceatur, ff. eo. l. quarta.

Si creditor pignus, uel hypothecam uendiderit hoc pacto, ut liceat sibi reddere pecuniam, & pignus recuperare: an si paratus sit debitor reddere pecuniam, consequi id possit? & Iulianus libro undecimo Digestorum scribit, rectè quidem distractum esse pignus: cæterum agi posse cum creditore, ut si quas actiones habet, eas cedat debitori. quod autem Iulianus scribit in pignore, idem & circa hypothecam est, ff. eo. l. septima, in princ.

Illud inspiciendum est, an liceat debitori, si hypotheca uenierit pecunia soluta eam recuperare, & si quidem ita veniit, ut si intra certum tempus à debitore pecunia soluta fuerit, emptio rescindatur: intra illud tempus pecunia soluta recipiet hypothecam. Si uero tempus præterierit, aut si non eo pacto res uenierit, non poterit rescindi uenditio. nisi minor annis uigintiquinque debitor sit, aut pupillus, aut reip. causa absens uel in aliqua earum causarum ex quibus edicto succurritur, d.l. septima, §. illud.

Quæritur: si pactum sit à creditore, ne liceat debitori hypothecam uendere, uel pignus, quid iuris sit: & an pactio nulla sit talis, quasi contra ius sit posita, ideoque uenire possit? & certum est, nullam esse uenditionem, ut pactioni stetur, d.l. septima, §. fin.

Creditoris arbitrio permittitur: ex pignoribus sibi obligatis, quibus uelit, distractis: ad suum commodum peruenire, ff. eo. l. octaua.

Quæsitum est, si creditor ab emptore pignoris precium seruare non potuisset, an debitor liberatus esset, putat Paulus, si nulla culpa imputari creditori possit, manere debitorem obligatum: quia ex necessitate facta uenditio non liberat debitorem, nisi pecunia percepta. Pomponius autem lectionum libro secundo scripsit, ita quod in pignoribus dandis adiici solet, quominus pignus uenisset, reliquum debitor redderet: superuacuum est: quia ipso iure, ita se res habet, etiam non adiecto eo. ff. eo. l. quæsitum, ix.

Et si is, qui lege pignoris emit, ob euictionem rei redire ad uenditorem non potest: tamen non esse audiendum creditorem, qui fundum vendidit, si uelit eiusdem rei ex alia causa quæstionem mouere, ff. eo. l. & si is, x.

Arbiter diuidundæ hæreditatis cum corpora hæreditaria diuisisset: nomina quoque communium debitori separatim singulis insolidum assignauit. quæsitum est, an debitoribus pro solido cessantibus pignus uendere quisque posit, respondit Sceuola posse, ff. eo. l. arbiter, xi.

Arbitri diuidundæ hæreditatis inter hæredes cum corpora hæreditaria diuisissent, nomina quoque communium debitorum separatim singulis diuersa insolidum adsignauerunt. quæsitum est, an unusquisq; eorum debitore sibi addicto

dicto cessante in solutione, pro solido pignus sub eo nomine obligatum uendere posit? Respondit Sceuola potuisse, ff. eo. l. fin.

Rescriptum est ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem a debitore pignus emere posse: quia in dominio manet debitoris, ff. eo. l. rescrip. 12. in principio.

Si aliena res pignori data fuerit, & creditor eam uendiderit: uideamus, an precium, quod percepit creditor, liberet debitorem, personali actione pecuniæ creditæ. quod uerè respondetur, si ea lege uendidit, ne euictionis nomine obligaretur: quia ex contractu, quali obligatione a debitore interposita, certè quod occasione eius reddactum est, id precium æquius proficeret debitori, quam creditoris lucro cederet, sed quantum quidem ad creditorem, debitor liberatur. quantum uero, uel ad dominium rei, si necdum pignus euictum est, uel ad emptorem post euictionem: ipse debitor utili actione tenetur ne ex aliena iactura sibi lucrum adquirat. Nam etsi maiores fructus (fortè petemus à possessore) c;editor abstulit: uniuersos in quantitatem debitam accepto ferre debebit. sed & cum per iniuriam iudicis domino rem, quæ debitoris non fuisset, abstulisset creditor, quasi obligatam sibi: & quæreretur, an soluto debito restitui eam oporteret debitori? Sceuola restituendam putauit. quod si non ita uendidit, ut certum sit omnimodo apud eum precium remansurum, uerum obligatus est ad id restituendum: interim quidem nihil à debitore peti potest, sed in suspenso habetur liberatio. uerum si actione ex empto conuentus præstitisset precium creditor emptori: debitum persequi eum a debitore potest, quia adparuit non esse liberatum, d. l. rescriptum, §. si aliena.

Creditor qui iure suo pignus distrahit, ius suum cedere debet: & si pignus posside t, tradere utique possesionem, ff. eo. l. pen.

Creditor, qui hypothecæ, seu pignori rem sibi nexam uendiderit, rem litigiosam non uidetur uendere: quia præcario debitor posidet, C. de distractione pignorum, l. secunda.

Creditor hypothecas siue pignus cum proscribit, notum debitori facere debet, & sibi bona fide rem gerere, & quando licet, testato dicere debet, si quid itaque per fraudem in pignore uillæ uenditæ commisum probare potes: ut inferatur actio, quæ eo nomine competit, adi eum, cuius de ea re notio est, C. eodem lege quarta.

Si cesante solutione creditor non reluctante lege contractus ea, quæ sibi pignori nexa erant, distraxit: reuocari uenditionem, iniquum est. Quod si quid in ea re fraudulenter fecerit: non a te emptor, sed creditor conueniēdus est, C. eodem lege septima.

Quæ specialiter uobis obligata sunt, debitoribus detrectantibus solutionem, bona fide debetis, & solenniter uendere. ita enim patebit, an ex precio pignoris debito satisfieri posit. Quod si quid deerit: non prohibimini eriam cętera bona iure conuentionis consequi, C. eo. l. quæ specialiter, ix.

Si debitor rem tibi iure pignoris obligatam, te non consentiente, distraxit: dominium cum sua causa transtulit ad emptorem, C. eo. l. si debitor, xii.

Qui prædium obligatum à creditore comparauit, si in uacuam posesionem inductus non est: nullam in rem actionem habet, C. eo. l. qui prædium, xiii.

Si in hoc, quod iure tibi debetur, satisfactum non fuerit: & debitoribus res obligatas tenentibus, aditus pręses prouincię tibi distrahendi facultatem fieri iubebit, C. eo. l. si in hoc, xiiii.

Vnus ex multis debitoris, qui tradiderat pignora, hæredibus, quod ab eo personali actione peti potuit soluendo: res obligatos distrahendi creditori facultatem non adimit, C. eod. l. vnus ex, xvi.

Rei creditor obligatæ generali, siue speciali conuentione per creditorem alium, cui non fuerat nexa, uenundatæ non amittit persecutionem, C. eodem lege rei creditor, xvii.

Qui à creditore pignori obligatum iure emit, de proprietate uinci non potest, C. eod. l. qui a creditore, xviii.

Si maritus tuus mutuam pecuniam (licet tuam) dedit: eorum quæ, pignoris titulo accepit, si ei non successisti, distrahendi nomine tuo nullam habes facultatem, C. eo. l. si maritus, xix.

Secundum placiti fidem (si nihil specialiter conuenit) pignoribus a creditore maiore, quam ei debebatur, precio distractis: licet ex eo fundus comparatus sit, non super hoc in rem, sed in personam idest pignoraticia superflui, competit actio, C. eo. l. fin.

DEBITOREM VENDITIONEM PIGNORIS IMPEDIRE NON POSSE.

Titulus VII.

SI sunt, qui emere prædia tibi obligata uelint: non impediuntur scriptura testamenti, qua complexus est debitor, nulla a se prædia uenundari, & pœnam addidit, ut fisci fierent, nec enim potuisse eum huiusmodi lege ius creditoris facere deterius manifestum est, C. debitorem uend. pig. imp. non posse, l. prima.

Debitoris denunciatio, qui creditori suo, ne sibi rem pignori obligatam distrahat, uel iis, qui ab eo uolunt comparare, denunciat: ita demum efficax est, si uniuersum tàm sortis quam interesse offerat debitum creditori: eoque non accipiente, idonea fide probationis (ita ut oportet) depositum ostendat, nam si uel modicum de sorte, uel interesse indebito perseueret: distractio rei obligatæ non potest impediri, neque ea ratione emptor, tametsi sciat interpositum a debitore creditori denunciationem mala fide sit possessor, C. eod. l. fin.

SI VENDITO PIGNORE AGATVR.

Titulus VIII.

PRAESES prouinciæ aditus, si probatum fuerit tuum creditorem, cui ius distrahendi pignora fuit, dolo malo fundum uendidisse: quanti tua interest, restituere tibi eundem creditorem iubebit. quod si de bonis creditoris condemnati solui pecunia non potuerit, & probatum fuerit emptorem mala fide emisse offerente te pecuniam cum interesse, quanti fundus uenit restituere tibi fundum cum fructibus malafidei emptorem iubebit, C. si uend. pig. ag. l. prima.

Equos, quos nullo iure a creditore uenisse dicis, pater tuus, uel tu (si hæreditas eius ad te pertinet) à possessoribus petere potes. Quod si usucapti sunt: petat pater tuus precium eorum a creditore, qui non iure eos equos uendidit, C. eodem lege secunda.

Si uxor tua præsidi probauerit, cum auros triginta deberet, equos tuos amplioris precii per gratiam aureis uiginti creditorem uenundedisse eumq; soluendo nō fuisse: iubebit emptores recepto precio restituere equos. C. eo. l. tertia.

Cum

Cum contra bonam fidem venditionem obligatæ possessionis à creditore factam alleges, non obseruatis, quæ in distrahendis pignoribus celebrari consueuerunt, adito præside prouinciæ experire actiones competentes, non tantum aduersus creditorem, verumetiam aduersus possessorem, si fraudem eum participasse cum creditore potueris docere: vt reuocatis, quæ mala fide gesta constiterit, & fructuum ratio & damni, quod irrogatum apparuerit, haberi possit, C. eo. l. quarta.

Si creditore pignus, priusquàm satisfieret, distrahente, non per collusionem emptor comparauit, successor eius de superfluo non emptoris hæres, qui rem possidet conueniendus est, C. eod. l. fin.

DE LVITIONE PIGNORIS.

Tit. VIIII.

QVI pro parte hæres existit, nisi totum debitum exsoluat, suam portionem ex pignoribus recipere non potest. C. de luitione pigno. l. prima.

Intelligi debet, vincula pignoris durare, personali actione submota, C. eodem l. secunda.

Si reddita debita quantitate, vel rebus in solutum datis, siue distractis, & compensato precio, satis ei contra quem supplicas, factum esse adito præside probaueris, vel si quod consignatum: restitui tibi res pacto pignoris obligatas prouidebit: cum etiam edicto perpetuo actione proposita, pecunia soluta creditori, vel si per eum factum sit, quo minus solueretur ad reddenda, quæ pignori acceperat iure, eum satis euidenter vrgeri, manifestum sit, C. eodem lege finali.

SI VNVS EX PLVRIBVS HAEREDIBVS CREDITORIS, VEL DEBITORIS PARTEM SVAM DEBITI SOLVERIT, VEL ACCEPERIT.

Titulus X.

MANIFESTI & indubitati iuris est, defuncto creditore multis relictis hæredibus actionem quidem personalem inter eos ex lege duodecim tabularum diuidi, pignus vero unicuique insolidum teneri, C. si vnus ex pluribus. l. prima.

Actio quidem personalis inter hæredes pro portionibus quæsita scinditur: pignoris autem iure multis obligatis rebus, quas diuersi possident: cum eius vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur, qui possident, tenentes non pro modo singularum rerum substantiæ conueniuntur, sed insolidum: vt vel totum debitum reddant, vel eo, quod detinent cedant, C. eod. l. finali.

SI PIGNORIS CONVENTIONEM NVMERATIO PECVNIAE SECVTA NON SIT.

Titu. XI.

SI pecuniam tibi non esse numeratam, atque ideo frustra cautionem emissam, & pignus datum probaturus es: in rem experiri potes. nam intentio dati pignoris, neque redditæ pecuniæ non aliter tenebit, quam si de fide debiti constiterit, eademque ratione ueritas seruetur, si te possidere pignus aduersarius tuus agere cœperit, C. si pignoris conuen. l. prima.

Si (ut nunc adseueras) nihil creditor numerauit vxori tuæ, quæ pignus dedit, sed inanem extorsit cautionem: mendaci scriptura, contra fidem ueritatis obligari eius res non potest, C. eo. l. fin.

DE PACTIS PIGNORVM, ET DE COMMISSORIA LEGE IN PIGNORIBVS RESCINDENDA.

Titulus XII.

QVI pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam, quam mutuam accepit, solueret cessurum creditoribus hypothecæ uenditionem: non contraxit, sed id comprehendit, quod iure suo creditor in apiscendo pignore habiturus erat, communi itaque iure creditor hypothecam uendere debet, C. de pactis, pig. l. prima.

Si fundi nomine, quem uendideras, emptori ab alio mota proprietatis quæstiones: alterum fundum pro eius euictione pignoris hypothecæve titulo emptionis instrumentis ea lege dedisti, ut quem secundo tradideras, si is, quem uendideras euictus non fuerit, obtineas: de hoc contra eum, qui mouerat quæstionem lata sententia: emptori parata securitate circa eum, quem obligaueras, restituendum: conuentionis fidem impleri (si negocium integrum est) præses iubebit, C. eo. l. secunda.

Si res distracta fuerit, sic nisi intra certum diem meliorem conditionem inuenisset, fueritque tradita: & forte emptor; antequam melior conditio offerretur, hanc rem pignori dederit, Marcellus libro quinto Digestorum ait, finiri pignus, si melior conditio fuerit allata; quamquam ubi sic res distracta est, nisi emptori displicuisset, pignus finiri non putet, ff. quibus mod. pig. uel hyp. sol. lege tertia.

Quoniam inter alias captiones præcipuè commissoriæ pignorum legis crescit asperitas: placet infirmari eam; & in posterum omnem eius memoriam aboleri. si quis igitur tali contractu laborat; ac sanctione respiret, quæ cum aliquis præstiterit præsentia quoque repellit, & prohibet futura. creditores enim re amissa debent recipere, quod dederunt, C. eo. l. fin.

DE IVRE DOMINII IMPETRANDO.
Titulus XIII.

DOMINII iure pignora posſidere deſiderans nomina debitorum, quos in ſolutione ceſſare dicis, exprimere, & an ſolennia peregeris ſignificare debuiſti: dummodo ſcias, omnia bona debitoris, quæ pignori dedit, vt uniuerſa dominio tuo generaliter addicantur, impetrare te non poſſe, C. de iure dom. impetrando, l. prima.

Si creditor pignus iure dominii posſidere petiit, & poſt formam reſcripti alio anno intereſſe à uobis accepit, à beneficio impetrato receſſiſſe uidetur, C. eodem l. ſecunda.

Creditor pignus ex pactione, quamuis eius ea res non ſit, alienare poteſt: ſed hoc forſitan ideo uidetur fieri, quod uoluntate debitoris intelligitur pignus alienari: quia ab initio contractus pactus eſt, ut liceret creditori pignus uendere, ſi pecunia non ſoluatur: ſed ne creditores ius ſuum perſequi impedirentur, neque debitores temere ſuarum rerum dominium amittere uiderentur, certus modus impoſitus eſt: per quem pignorum diſtractio posſit procedere. Nam ſeruatur in primis pacta inter creditorem, & debitorem in re pignorata: ſin autem nihil fuit dictum licentia datur creditori ex denunciatione ſententiæ iudiciali poſt biennium numerandum, ex quo atteſtatio miſſa, uel ſententia prolata eſt, eam uendere,

Si nemo eam comparare uoluerit, & præſens ſit debitor poſt biennium denunciatio ei mittitur: aut ſi abſit, iudea competens certior fit à præſide de requiſitione facta debitori, & certum tempus ſtatuitur, intra quod debeat pecuniam offerre, & pignus recuperare.

Sin autem tempore ſtatuto non offerat totam pecuniam, tunc conceditur à Principe creditori eam rem in ſuo dominio retinere.

Sed poſtquam hæc fuerint ſubſecuta pietatis intuitu habet debitor intra biennium in rem ſuam regreſſum ſoluto debito: ſin autem biennium fuerit elapſum, tunc plenisſimè creditor rem habebit.

Sed ſi minus in pignore, plus in debito inueniatur, ius creditori integrum eſt: ſi plus in pignore, quam in debito ſit, iura omnia debitoris ſeruantur.

Sin uero creditor, poſtquam iure dominii hoc posſideat, uendere maluerit, licet quidem ei hoc facere: ſi quid autem ſuperfluum eſt, debitori ſeruando. ſi uero dubitatio exorta fuerit pro uenditione, utputa uiliori precio facta, ſacramenti religionem creditor præſtare compellitur.

Sin autem ex iuramento etiam minus habuiſſe creditor inuenitur, in reſiduum habet integram actionem.

In æſtimatione uero pignoris donec apud creditorem, eundemq; dominum permaneat id, quod iudex ſuper hoc ſtatuerit, obtinebit. Inſt. quibus alien. licet, uel non. §. contra autem creditor, uſque nunc admonendi, & C. de iure Dom. impe. l. finali.

QVIBVS MODIS PIGNVS, VEL HYPOTHECA SOLVITVR.
Titu. XIIII.

DEBITORIS absentis amicus negocia gessit, & pignora citra emptionem pecunia sua liberauit ius pristinum domino restitutum uidetur. igitur qui negocium gessit, utilem seruianam dari sibi nō rectè desiderabit. si tamen possideat exceptione doli defenditur, ff. quibus modis pignus uel hypotheca soluitur, l. prima, in princ.

Cum uenditor, numerata sibi parte precii, prædium quod uenierit pignori accepisset: ac postea residuum precium emptori, literis ad eum missis, donasset; eoque defuncto, donationem quibusdam modis inutilem esse constaret, frustra fiscum, qui in locum uenditoris successerat, petere prædium iure pignoris adparuit, cuius solutum esse pactum prima uoluntate donationis constabat: quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit, cui non est locus in pignore liberando, d. l. prima, §. cum uenditor.

Defensor absentis cautionem iudicatum solui præstitit, in dominum iudicio postea translato, fideiussores ob rem iudicatam, quos defensor dedit, non tenebuntur, sed nec pignora, quæ dederunt, d. l. prima, §. fin.

Si in uenditione pignoris consenserit creditor, uel ut debitor hanc rem permutet, uel donet, uel in dotem det, dicendum erit pignus liberari, nisi salua causa pignoris sui consenserit, vel venditioni, uel cæteris. Nam multi solent salua causa pignoris sui consentire, sed etsi ipse uendiderit creditor, sic tamen uenditionem fecerit, ne discederet à pignore, nisi ei satisfiat: dicendum erit, exceptionem ei non nocere, sed etsi non concesserit pignus uenundari, sed ratam habuerit uenditionem: idem erit probandum, ff. eo. l. quarta, §. si in uenditio.

Bellè quæritur. si fortè uenditio rei specialiter obligatæ non ualeat: an nocere hæc res creditori debeat, quod consensit: utputa si qua ratio iuris uenditionem impediat? dicendum est pignus ualere, d. l. quarta, §. fin.

Si consensit uenditioni creditor, liberatur hypotheca, sed in his pupilli consensus non debet aliter ratus haberi, quam si præsente tutore consenserit, aut etiam ipse tutor: scilicet, si commodum aliquod, uel satis ei fieri ex eo iudex existimauerit, ff. eo. l. septima, in prin.

Videbimus, si procurator omnium bonorum consenserit, an teneat consensus eius, & dicendum est, non posse, nisi specialiter hoc ei mandatum sit. Sed si cum debitoris procuratore conuenerit, ne res sit obligata: dicendum est, id debitori pro doli exceptionem prodesse, d. l. septima, §. videbimus.

Superuacuum est quærere, agrum specialiter hypothecæ datum, permissu creditoris uenisse, si ipse debitor rem possideat: nisi quod potest fieri, ut debitor permissu creditoris uendiderit, deinde postea bonafide redemerit ab eodem, uel ab alio, ad quem per successionem ea res pertinere cæpisset: aut si ipse debitor emptori hæres extiterit. veruntamen cum pecunia soluta non sit: doli mali suspicio inerit, translata ad præsens tempus, ut posit creditor replicationem doli mali obiicere, ff. eo. l. octaua, §. superuacuum est.

Illud uideamus, si Titius debitor uoluntate creditoris sui uendiderit Mæuio, uel ei, à quo Mæuius emerat: & postea Mæuius Titio hæres extiterit, & creditor ab eo petat: quid iuris sit, sed iniquum est, auferri ei rem à creditore,

qui non succeßionis iure, sed alio modo rem nactus est: potest tamen dici, cum Titii dolus in re uersaretur ne creditor à possessore pecuniam recipiat: iniquißimum ludificari eum. d.l. octaua. §. illud.

Quod si is fundus alicui à Mæuio obligatus poßideatur cui nondum satisfactum fuerit: tunc rursus æquum erit excipi. SI NON VOLVNTATE CREDITORIS VENIIT, licet enim dolus malus debitoris interueniat, qui non soluit: tamen secundus creditor, qui pignori accepit, potior est. Tutius tamen est, si debitor à creditore petat, ut ei permittat pignus vendere: quo magis satisfaciat, ante cautionem accipere ab eo, qui rem empturus erit, ut pretiũ rei uenditæ usque ad summam debiti creditori soluat. Venditionis autem appellationẽ, generaliter accipere debemus: ut & si legare permisit, ualeat quod concesit. quod ita intelligemus, ut & ei legatum repudiatum fuerit, conualescat pignus. d.l. octaua. §. quod si.

Voluntate creditoris pignus debitor uendidit, & postea placuit, inter eum, & emptorem, ut à venditione discederetur. ius pignorum saluum erit creditori. Nã sicuti debitori, ita & creditori pristinum ius restituitur: neque enim omnimodo creditor pignus remisit: sed ita demum si emptor rem retineat, nec reddat venditori, & ideo si iudicio quoque accepto uenditor absolutus, vel quia non tradebat, in id, quod interest, condemnatus sit: saluum fore pignus creditori, dicendum est: hæc enim accidere potuissent, etiam si non uoluntate creditoris uendidisset, ff. eod. l. voluntate. x. in prin.

Soluitur hypotheca, & si ab ea discedatur, aut paciscatur creditor, ne pecuniã petat, nisi quis dicat pactum interpositum esse, ut à persona non petatur. & quid si hoc actum sit, cum fortè alius hypothecam poßideat? sed cum pactum conuẽtum exceptionem perpetuam pariat: eadẽ in hoc casu possunt dici, ut & ab hypotheca discedatur, ff. eod. l. quinta, in prin.

Si paciscatur creditor, ne intra annum pecuniam petat, intelligitur de hypotheca quoque idem pactus esse, d.l. quinta, §. si paciscatur.

Si conuenerit, ut pro hypotheca fideiussor daretur, & datus sit: satisfactum esse videbitur, vt hypotheca liberetur, aliud est, si ius obligationis vendiderit creditor, & pecuniam acceperit: tunc enim manent omnes obligationes integræ: quia precii loco id accipitur, non solutionis nomine, d.l. v. §. si conuenerit.

Satisfactum esse creditori intelligitur, & si iusiurandum delatum datum est, hypothecæ non esse rem obligatam, d.l. quinta, §. finali.

Si deferente creditore iurauit debitor se dare nõ oportere, pignus liberatur: quia perinde habetur, atque si iudicio absolutus esset. Nam & si à iudice, (quamuis per iniuriam,) absolutus sit debitor, tamen pignus liberatur, ff. eodem. l. si deferente, xiii.

Item liberatur pignus, siue solutum sit debitum, siue eo nomine satisfactum. sed & si tempore finitum pignus est, idem dicere debemus: uel si qua ratione obligatio eius finita est, ff. eod. l. sexta, in princ.

Qui paratus est soluere, meritò pignus uidetur liberasse, qui uero non soluere, sed satisfacere paratus est: in diuersa causa est. ergo satisfecisse proderit, quia sibi imputare debet creditor, qui satisfactionem admiserit uice solutionis. at qui non admisit satisfactionem, sed solutionem desiderat: culpandus non est. In satisdatione autem non utimur. Atilicini sententia, qui putabat, si satis detur alicui certæ pecuniæ, recedere eum à pignoribus debere, d.l. 6. §. qui paratus est.

Si conueniet de parte pro indiuiso alienanda, si certa res est, quæ uenit: potest dici de reliqua parte ab initio agi oportere, nec obstare exceptionem, ff. eod. l. septima, §. penult.

Creditor ne res pignori hypothecęve sit, pacisci potest, & ideo si hęredi pactus fuerit, ei quoque proderit pactum cui is restituit hæreditatem ex senatusconsulto Trebelliano, ff. eod. l. octaua. §. creditor.

Si procurator debitoris in rem suam sit, non dubitatur quin pactum noceat creditori. itemque & si à parte creditoris procurator in rem suam exstiterit, paciscendo inutilem sibi faciet hypothecariam actionem, in tantum ut rectè dicatur, & dominis litis hoc casu noceat hæc exceptio. d. l. octaua, §. si procurator.

Si conuenerit, ne pars dimidia pro indiuiso pignori sit: quæcunq; eius fundi pars à quolibet possessore petatur, dimidia nō rectè petitur. Si plures dederint pro indiuiso, & cum uno creditor paciscatur ne hypothecæ sit, deinde ab eo petat: etiam si hic, cum quo pactus est solidum fundum possideat pro indiuiso: quia de parte conuenisset, non repellit eum à toto, d. l. viii. §. si conuenerit.

An pacisci possit filius fam. ne res pignori sit: cum peculiariter pignori hypothecam acceperit, & habet liberam peculii administrationem: videndum est an quemadmodum donare non possit, ita nec pacisci, ne pignori sit, possit? Sed dicendum est, ut concedere possit: scilicet si pretium pro pactione accipiat, quasi uendant. d. l. octaua. §. an pacisci.

Si voluntate creditoris fundus alienatus est, inuerecunde adplicari sibi eum creditor desiderat: Si tamen effectus sit secutus venditionis. nam si non uenierit: non est satis ad repellendum creditorem, quod uoluerit uenire, d. l. octaua. §. si voluntate creditoris.

Si debitor vendiderit rem, nec tradiderit, an nō repellatur creditor, quasi adhuc res in bonis sit debitoris: an verò: cum teneatur ex empto, pignus exstinguatur? quod & magis est. sed quid si pretium venditor consecutus non sit, nec paratus sit emptor dare? tantundem potest dici, d. l. octaua, §. si debitor uēdiderit.

Sed si permiserit creditor uendere, debitor uerò donauerit: an exceptione illum submoueat? an facti sit magis quæstio? & nunquid ideo venire uoluerit, ut pretio accepto, ipsi quoque res expediat? quo casu non nocebit consensus. quod si in dotem dederit: vendidisse in hoc casu rectè videtur, propter onera matrimonii in contrarium, si concesserit donare, & uendiderit debito, repelletur creditor, nisi quis dicat ideo concessisse donari, quod amicus erat creditori is, cui donabatur. d. l. octaua, §. sed si permiserit.

Quod si consenserit decem vendere, ille quinque vendiderit: dicendum est, non esse repellendum creditorem. in contrarium non erit quærendum, quin rectè vendat; si pluris uendiderit, quàm concesit creditor. Non uidetur autem concessisse creditor, & si sciente eo debitor rem vendiderit: cum ideo passus est uenire, quod sciebat ubique pignus durare, sed si subscripserit fortè in tabulis emptionis, concessisse uidetur, nisi manifestè adpareat eum deceptum esse, quod obseruari oportet. & si sine scriptis consenserit. dicta. l. octaua, §. quod si consenserint.

Si debitori concessum sit, & hæres eius vendiderit potest facti quæstio esse, quid intellexerit creditor, sed rectè uenisse dicendum est, hæc enim subtilitates à iudicibus non admittuntur. d. l. octaua. §. si debitori.

Si debitor fortè concessa uenditione rem desierit possidere, & nouus possessor vendiderit, an duret pignus, quasi personæ permiserit creditor? Quod & magis

gis est, nam si nouo possessori non debitori à quo hypothecam accepit, concessit creditor vendere: dicendum est, nocere ei exceptionem. sed si intra annum aut biennium concesserit, creditor uendere: post hoc tempus uendendo, non aufert pignus creditori, d.l. octaua. §. si debitor forte.

Si probaueris te fundum mercatum, possesionemque eius tibi traditam, sciente, & consentiente ea, quæ sibi eum à venditore dicit obligatum: exceptione eam remouebis: nam obligatio pignoris consensu, & contrahitur, & dissoluitur, C. de remissione pig. l. secunda.

Cum te à debitore mercatum proponas eam rem, quæ alii pignorata erat: si sciente eo, ac pignus suum remittente eam mercatus es: cum consensu nexus pignoris euanuerit, (si non noua uoluntas intercessit, quæ denuo obligationem pignoris restitueret) ea res uelut obstricta non potest uindicari, C. eo. l. quarta.

Si pignus, vel hypotheca rerum, quæ quibusdam creditoribus suppositæ, postea à debitoribus venduntur, vel alio modo transferuntur, creditor suum consensum contractui præbente, & quodam legitimo modo postea res ad priorem dominum reuertuntur. is creditor, qui semel consensit alienationi hypothecæ, & hoc modo ius suum respicit, non potest eandem rem (utpote ab initio ei suppositam) vendicare, uel tenentem inquietare. C. eod. l. finali.

Si creditor Seruiana actione pignus à possessore petierit, & possessor litis æstimationem obtulerit, & ab eo debitor rem vindicet: non aliter hoc facere conceditur, nisi prius debitum ei offerat, ff. quibus modis pigno. vel hypothe. sol. lege secunda.

Si creditor hypothecaria usus, à possessore litis æstimationem consecutus fuerit, & à debitore petatur debitum: putat Marcianus doli mali exceptionem obstaturam, ff. eod. l. octaua, §. finali.

Cui pignoris iure rem persequuntur à vindicatione rei remoueri solent: si qualiscunque possessor offerre debitum uelit, neque debet quæri de iure possessoris, cum ius petitoris remoueatur soluto pignore. ff. eod. l. paulus, xi. §. qui pignoris.

Si ignorante te uel inuito, debitor tuus, qui vniuersa bona sua ob pecuniam debitam tibi obligauerat, & si cum republica, postea contraxit: ius tuum non læsit, C. de remissione pignorum. l. tertia.

Debitum, cuius meministi, quod per pacti conuentionem inutiliter factam remisisti, etiam nunc petere non uetaris, & usitato more pignora uindicare, C. eod. l. quinta.

Res pignoris hypothecæve iure creditoribus obnoxias citra consensum eorum debitores alienantis, præcedentem non dissoluunt obligationem, C. eodem, l. penult.

Sicut re corporali exstincta, ita & usufructu exstincto pignus hypothecave perit, d. l. octaua, in prin.

Titius Sempronio fundum pignori dedit, & eundem postea Caio Seio: atque ita idem Titius, & Sempronio, & Caio Seio eundem fundum in assem vendidit, quibus pignori ante dederat insolidum singulis. quæritur, an in venditione interposita, ius pignoris exstinctum sit: ac per hoc ius solum emptionis apud ambos permanserit? Modestinus respondit, dominium ad eos, de quibus quæritur, iure emptionis pertinere: & cum consensum mutuo uenditioni dedisse proponatur, inuicem pignoraticiam actionem eos non habere, ff. eod. l. Titius, ix. in princ.

Titius Seio pecuniam sub pignore fundi dederat, is fundus, cum esset reip. antè obligatus, secundus creditor pecuniam reip. exsoluit. Sed Mæuius exstitit, qui dicebat ante remp. sibi fundum obligatum fuisse, inueniebatur autem Mæuius instrumento cautionis cum rep. antea facto a Seio interfuisse, & subscripsisse: quo cauerat Seius, fundum nulli alii fuisse obligatum quæritur, an actio aliqua in rem Mæuio competere possit? Modestinus respondit, pignus, cui is de quo quæritur, consensit: minime eum retinere posse, d.l.iii.§. Titius Seio.

Creditor quoque si pignus distraxerit, & ex vinditione recessum fuerit, dominiũ ad debitorem reuertitur. idemque est in omnibus aliis, quibus concessum est rem alienam uendere: non enim quia dominium transferunt, ideo ab emptore ius recipiunt: sed in pristinam causam res redit, resoluta uenditione, ff. eod. l. uoluntate, x.§. finali.

Lucius Titius cum esset uxoris suæ Caiæ Seiæ debitor sub pignore, siue hypotheca prædiorum eadem prædia cum uxore sua septiciæ communis filiæ nomine, Sempronio marito eius futuro in dotem dedit. postea defuncto Lucio Titio, septicia filia se abstinuit hæreditate paterna, quæritur, an mater eius hypothecam persequi posit. à Paulo respondit ur. pignoris quidem obligationem prædiorum Caiam Seiam, quæ uiro pro filia communi in dotem eadem danti cõsensit, cum communis filiæ nomine darentur, remisisse uideri: obligationem aut personalem perseuerasse, sed aduersus eũ, quæ patris hæreditate abstinuisset, actionem non esse dandam, ff. eod. l. Lucius, xi.

Paulus respondit Sempronium antiquiorem creditorem consentientem, cùm debitor eandem rem Titio creditori obligaret, ius sui pignoris remisisse uideri. non etiam tertium in locum eius succesisse, & ideo medii creditoris meliorẽ causam effectum, idem obseruandum, & si resp. tertio loco crediderit, ff. eod. l. Paulus, xii. in princ.

Primi creditoris, qui pignori prædia acceperat, & posterioris, cui quidam ex iisdem fundis dati erant; ad eandem personam hæreditas deuenerat, debitor offerebat, quantum à posteriore creditore mutuatus fuerat, respondit cogẽdum accipere, saluo iure pignoris contractus, ff. eod. l. final.

Cùm colono tibi conuenit, ut inuecta importata pignori essent, donec merces tibi soluta, aut satis factum esset. deinde mercedis nomine fideiussorem à colono accepisti. satisfactum tibi uidetur. & ideo illata pignori esse desiisse, ff. eod. l. penult.

Si eo tempore, quo prædium distrahebatur programmate admoniti creditores, cum præsentes essent ius suum exsecuti non sunt: possunt uideri pignoris obligationem amisisse, C. de remissione pig. l. sexta.

Creditricem patrui tui sub obligatione fundi, qui per chirographum nexus pignori fuerat, iubentem eandem cautionem reddi: pignoris etiam ius remisisse uideri manifestum est, C. eod. l. septima.

Si hypothecas fisco distrahente, creditores silẽtio tradiderunt negocium, palam est etiam actionem suam amisisse eos, quam in rem habebant. nam fiscalis hastæ fides facile conuelli non debet, C. eod. l. octaua.

Cum ex causa mandati pro socero tuo te pecuniam exsoluisse proponas, curabit præses prouinciæ in restituenda pecunia, quam pro eo exsoluisti, nec non etiã interesse eius, indemnitati tuæ prospicere. nam si recepta à creditore animalia, quæ pignori fuerant data, hac mente socero tuo tradidisti, ut pignoris uinculũ tuũ dissoluatur: obligatio semel exstincta instaurari non potest. C. eo. l. ix.

Fun-

Fundum pignori obligatum, si creditor ex fructibus debitum consecutus est: cum ipso iure pignus ab obligatione liberatum sit: distrahere minime potest, C. de distractione pig. l. prima.

Si residuum debiti paratus es soluere: preses prouinciæ dabit tibi arbitrum, apud quem quantum sit, quod superest, ex debito examinabitur: & siue aduersa pars ad iudicem uenire cessauerit, siue oblato superfluo ad uenditionem prosiluerit: improba alienatio proprietatis tuæ ius non auferret. Sed quandiu non est integra pecunia, creditori numerata: etiam si pro parte maiore eam consecutus sit: distrahendi rem obligatam non amittit facultatem, C. eodem l. quinta, & sexta.

Finis Libri Quinti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Sextus.

DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX DELICTO NASCVNTVR.
Titulus. I.

CVM ſit expoſitum ſuperiore libro de obligationibus ex contractu, & ex quaſi contractu, ſequitur, ut de obligationibus ex maleficio, & quaſi ex maleficio diſpiciatur, ſed ille quidem (ut ſuo loco tradi tum eſt) in quatuor genera diuiduntur, hæ uerò unius generis ſunt. Nam omnes ex re naſcuntur, ideſt eſt ipſo maleficio, ueluti ex furto, rapina, damno, iniuria. Inſtitut. de obligationibus. quæ ex delic. naſ.

DE FVRTIS.
Tit. II.

FVRTI pœna immutata eſt ubique, & furti, ſiue dupli, ſiue quadru pli tantum ad pœnæ perſecutionem pertinet. s. vltimo hoc Titulo. Item pro furto non debet vllum membrum amputari, aut mors irro gari. Nouell. conſt. 134. pro furto, ſed contrarium obſeruatur, ideo de furtorum materia tantum tractabitur, quantum aliquando euenire poteſt. Inſti. De furtis in princ.

Furtum eſt contrectatio rei fraudulosa lucri faciendi gratia, uel ipſius rei, uel etiã uſus eius poſſeſsionisue, quod lege naturali prohibitum eſt admittere. Furtũ autem, uel à furno, ideſt nigro dictum eſt, quod clam & obſcure fiat, & plerun-

que

que nocte, vel a fraude, vel a ferendo, idest aufferendo, vel a græco sermone, quo fures appellantur, φῶρας imo & græci ἀπὸ τοῦ φέρειν φῶρας dixerunt. inde sola cogitatio furti faciendi non facit furem, sic is qui depositum abnegat. Nō statim etiam furti tenetur, sed ita si id intercipiendi causa occultauerit, Insti. de furtis, §. furtum est & ff. de furtis, l. prima.

Qui saccum habentem pecuniam subripuit: furti etiam sacci nomine tenetur, quamuis non sit ei animus sacci subripiendi, ff. eo. l. qui saccum, 77.

Fullo, vel sarcinator, qui pollienda, vel sarcienda, vestimenta accepit: si forte is vtatur ex contrectatione eorum furtum fecisse videtur: quia non in eam causam ab eo videntur accepta, ff. eo. l. fullo, 82. in prin.

Furtum autem fit, non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amouet, sed generaliter, cum quis alienam rem inuito domino contrectat. Itaque siue creditor pignorum, siue is, apud quem deposita est res, ea re vtatur: siue is, qui rem vtendam accepit, in alium vsum eam transferat, quam cuius gratia ei data est furtum committit: veluti si quis argentum vtendum acceperit, quasi amicos ad cœnam inuitaturus, & id peregrè secum tulerit: aut si quis equum gestandi causa commodatum sibi, longius aliquo duxerit: quod veteres scripserunt, de eo, qui in aciem equum perduxisset, Institut. eodem. §. furtum autem.

Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter vterentur, quam vtendum acceperit, ita furtum committere si se intelligant, id inuito domino facere, eumque si intellexisset non aliter permissurum: at si permissurum credant extra crimen videri: optima sanè distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur, Inst. de furtis, §. Placuit.

Qui re sibi commodata, vel apud se deposita vsus est aliter, atque accepit. si existimauit se non inuito domino id facere: furti non tenebitur, sed nec depositi vllo modo tenebitur, commodati an teneatur in culpa æstimatio erit, idest an non debuerit existimare, id dominum permissurum, ff. de furtis, l. qui re sibi, lxxvi.

Qui iumenta sibi commodata longius duxerit alienamve rem inuito domino vsus sit, furtum faciet, ff. eo. l. qui iumenta, xl.

Sed & si credat aliquis inuito domino se rem commodatam sibi contrectare, Domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri, Institut. de furtis, §. sed & si.

Eum qui quid vtendum accepit ipse alii commodauerit furti obligare responsum est. ex quo satis apparet furtum fieri & si quis vsum alienæ rei in suum lucrum conuertat, nec mouere quem debet, quasi is nihil lucri sui gratia faciat. species enim lucri est ex alieno largiri, & beneficii debitorem sibi adquirere. vnde & is furti tenetur, qui ideo rem amouet, vt eam alii donet, ff. de furtis, l. si pignore, 55. §. eum qui quid.

Aliquando autem etiam suæ rei furtum quis committit: veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit, Institutione de furtis, §. aliquando.

Qui rem pignori dat, eamque surripit, furtum facit. Furtum autem rei pignoratę dominus non tantum facere videtur, cum possidenti, siue tenenti creditori aufert: verum & si eo tempore abstulerit, quo non possidebat. vtputa si rem pignoratam vendidit, ff. eo. l. in actione, 19. §. qui rem.

Si is qui rem pignori dedit, vendiderit eam: quamuis dominus sit, furtum facit:

ſiue eam tradiderit creditori, ſiue ſpeciali pactione tantum obligauerit, idq; & Iulianus putat, ff. de furt. l. ſi is qui, 66. in prin.

Eum creditorem, qui poſt ſolutam pecuniam pignus non reddat, furti tenetur, ſi celandi animo retineat, ff. de furtis, l. ſi quis vxori, 52. §. eum creditorem.

Si pignore vtatur creditor: furti tenetur. Eum, qui quid vtendum accepit, ipſe alii commodauerit, furti obligari reſponſum eſt. ex quo ſatis apparet: furtum fieri, & ſi quis vſum alienæ rei in ſuum lucrum conuertat. nec mouere quem debet, quaſi is nihil lucri ſui cauſſa faciat. ſpecies enim lucri eſt ex alieno largiri, & beneficii debitorem ſibi adquirere. vnde & is furti tenetur, qui ideo rem amouet, vt eam alii donet, ff. de furtis, l. ſi pignore, 54. in prin.

Cum creditor rem ſibi pignoratam aufert: non videtur contrectare, ſed pignori ſuo incumbere, ff. de furtis, l. cum creditor, 55.

Cum raptor omnimodo furtum facit, manifeſtus fur exiſtimandus eſt. is autem cuius dolo fuerit raptum; furti quidem non tenebitur: ſed vi bonorum raptorum, ff. eo. l. ſi vendidero, 80. §. cum raptor.

Furtorum genera ſunt duo, manifeſtum, & nec manifeſtum, ff. eo. l. ſecunda.

Fur eſt manifeſtus, quem græci appellant ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ hoc eſt, qui deprehenditur cum furto, & parui refert a quo deprehendatur: utrum ab eo cuius res fuit, an ab alio, ſed utrum ita demum fur ſit manifeſtus ſi in faciendo furto deprehendatur: an vero, & ſi alicubi fuerit deprehenſus? & magis eſt (vt & Iulianus ſcripſit) & ſi non tibi deprehendatur, vbi furtum fecit: attamen eſſe furem manifeſtum, ſi cum re furtiua fuerit adprehenſus, priuſquam eo loci rem pertulerit quo deſtinauerat, ff. eo. l. tertia.

Quo deſtinauerit quis auferre, ſic accipiendum eſt: quo deſtinauerit eo die manere cum eo furto, ff. eo. l. quarta.

Siue igitur in publico, ſiue in priuato deprehendatur, antequam ad locum deſtinatum rem perferret: in ea cauſa eſt, vt fur manifeſtus ſit, ſi cum re furtiua deprehendatur. & ita Caſsius ſcribit. Sed ſi pertulerit, quo deſtinauit: tametſi deprehendatur cum re furtiua, non tamen eſt manifeſtus fur. Quanuis enim ſæpe furtum contrectando fit. tamen initio, ideſt faciendi furti tempore, conſtituere viſum eſt, manifeſtus nec ne fur eſſet, ff. eo. l. quinta. & ſexta.

Qui ea mente alienum quid contrectauit, vt lucri faceret: tametſi mutato conſilio id domino poſtea reddidit, fur eſt, nemo enim tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſiit, ff. eo. l. qui ea mente. 66.

Inficiando depoſitum nemo facit furtum, nec enim furtum eſt ipſa inficiatio, licet propè furtum ſit, ſed ſi poſſeſsionem eius adipiſcatur interuertendi cauſæ facit furtum. nec refert in digito habeat annulum an dactyliotheca, quem cum depoſito teneret, habere pro ſuo deſtinauerit, ff. eodem l. inficiando, 67. in principio.

Nec manifeſtum furtum quid ſit, apparet. Nam quod manifeſtum non eſt. hoc ſcilicet nec manifeſtum eſt, ff. eo. l. octaua.

Cum æs pignori datur etiam ſi aurum eſſe dicitur, turpiter fit, furtum non ſit. Sed ſi datum eſt aurum, deinde cum dixiſſet ſe ponderare, aut obſignare uelle æs ſubiecit: furtum fecit. rem enim pignori datam interuenit, ff. eod. l. ſi æs pignori, 20. in prin.

Locaui tibi fundum & (vt adſolet) conuenit, vti fructus ob mercedem mihi pignori eſſent. ſi eos clam deportaueris: furti tecum agere poſſum. ſed & ſi tu alii fructus pendentes vendideris, & emptor eos deportauerit: conſe-

consequens est, ut in furtiuam causam eos incidere dicamus.& enim fructus quandiu solo cohæreant, fundi esse, & ideo colonum, quia voluntate domini eos percipere uideatur, suos fructus facere, quod certe in proposito non æque dicitur. qua enim ratione coloni fieri possunt, cum emptor eos suo nomine cogatur? ff. eod.l. si seruos,61.§.locaui.

Si is, qui pignori rem accepit cum de uendendo pignore nihilconuenisset,uendidit,aut antequam dies uenditionis ueniret, pecunia non soluta id fecit furti se obligat,ff.eod.l. si is qui,73.

Vulgaris est quæstio,an is,qui ex aceruo frumenti modium sustulerit: totius rei furtum faciat,an uero eius tantum quod abstulit?Offilius totius acerui furem esse putat. Nam & qui aurem alicuius tetigit (inquit) Trebatius totum uideri eum tetigisse, proinde (inquit) qui dolium aperuit & inde parum uini abstulit: non tantum eius, quod abstulit,verum totius uidetur fur esse. Sed uerum est, in tantum eos furti actione teneri,quantum abstulerunt. Nam & si quis armarium, quod tollere non poterat,aperuerit,& non omnes res,quæ in eo erant,contrectauit,atque ita discesserit. Deinde reuersus unam ex his abstulerit,& antequam se reciperet,quo destinauerat deprehensus fuerit, eiusdem rei & manifestus, & nec manifestus fur erit. sed & qui segetem ante lucem secat,& contrectat,eius quod secat manifestus, & nec manifestus fur est, ff.eo.l.vulgaris,21.in princ.

Si is,qui viginti numerum saccum deposuisset,alium saccum,in quo scit triginta esse errante eo, qui dabat,acceperit, putauerit autem illic sua uiginti esse: teneri furti decem nomine placet,ff.eod.l.vulgaris,§.si is qui.

Si is, cui te pecuniam ad matrem tuam perferendam dedisse proponis, parua quantitate numerata reliquam in vsus suos conuertit: furtum fecit,C.de furtis,l.septima.

Si quis æs subripuit,dum aurum se subripere putat, vel contra minus esse putat, cum plus esset,eius quod subripuit,furtum committit,Idem Iulianus scribit, d.l.vulgaris,§.si quis æs.

Sed & si quis subripuit furto duos sacculos,vnum decem, alterum viginti, quorum alterum suum putauit alterum scit alienum: profectò dicemus tantum vnius quem putauit alienum,furtum eum facere, quemadmodum si duo pocula abstulerit, quorum alterum suum putauit. alterum scit alienum. Nam & hic vnius fit furtum,d.l.vulgaris,§.sed & si.

Sed si ansam in poculo suam putauit,vel vere fuit, totius poculi eum furtum facere Pomponius scripsit,d.l.vulg.§.sed si ansam.

Sed si de naui onerata furto quis sextarium frumenti tulerit: utrum totius oneris, an uero sextarii tantum furtum fecerit? facilius hoc quæritur in horreo pleno. & durum est dicere, totius furtum fieri. & quidem si cisterna uini sit, vt aquæ cisterna quid dices? quid deinde,si de naue uinaria: ut sunt multæ,in quas uinum infunditur? quid dicemus de eo, qui uinum hausit? an totius oneris fur sit?& magis est,ut & hic non totius dicamus, d.l. vulgaris, §. sed & si de naui.

Certe si proponas in apotheca amphoras esse uini, easque subtractas: singularum furtum fit,non totius apothecæ: quemadmodum si ex pluribus rebus mouentibus in horreo reclusis unam tulerit,d.l.vulgaris,§.certe si.

Qui furti faciendi causa conclaue intrauit, nondum fur est, quamuis fu-

randi causa intrauerit. quid ergo, qua actione tenebitur? vtique iniuriarum, aut de ui accusabatur, si per uim introiuit. Item, si quis maioris ponderis quid aperuit, aut refregit, quod tollere non possit: non omnium rerum pro furto tenetur, sed earum tantum, quas tulerit. quia totum tollere non potuit, proinde si inuolucrum quod tollere non potuit, soluit, vt contrectet, deinde contrectauit quasdam res. quamuis singulas res, quæ in eo fuerant tollere potuerit: si tamen totum inuolucrum tollere non potuit, singularum rerum: quas tulerit fur est: cæterarum non est, quod si totum uas tollere potuit: dicemus eum totius esse furem, licet soluerit, vt singulas, vel quosdam tolleret. & ita sabinus ait, d. l. vulgaris, §. qui furti.

Si duo pluresve vnum tignum furati sunt, quod singuli tollere non potuerint: dicendum est omnes eos furti insolidum teneri, quamuis id vnus nec contrectare, nec tollere solus potuit, & ita utimur. Nec enim potest dici, pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei vniuersos. sic fiet, singulos furti teneri, d. l. vulgaris, §. si duo.

Quamuis autem earum quoque rerum: quas quis non abstulit, furti teneatur: attamen condici ei non potest: idcirco quia condici ea res, quæ ablata est, potest. & ita Pompon. scripsit, d. l. vulgaris, §. fin.

Si quid fur fregerit, aut ruperit, quod non etiam furandi causa contrectauerit: eius nomine cum eo furti agi non potest. si eo consilio arca fracta sit, vt vniones (puta) tollerentur hique furti faciendi causa contrectati sint: eorum tantummodo furtum factum videri. verum est. nam cæteræ res, quæ se ponuntur, vt ad vniones perueniatur, non furti faciendi causa contrectantur. qui lancem rasit, totius fur est, & pro furto tenetur ad id, quod domini interest, ff. eod. l. si quid, xxii.

Impubes furtum facere potest, si doli capax sit. Item potest cum impubere damni iniuria agi, quia id furtum ab impubere fit, sed modus adhibendus est. nam in infante id non cadit, cum impubere vero culpæ capaci aquilia agi potest. Item verum est, nec opere impuberis, furto facto teneri eum. Nec minus etiam condici ei posse Iulianus scripsit, ff. eo. l. Impuberem, 23. cum l. seq.

Si Apes feræ in Arborem fundi tui apes fecerint, & quis eas, vel fauum abstulerit: eum non teneri tibi pro furto, quia non fuerint tuæ: easque constat captarum terra, mari, cœlo numero est. Item constat, colonum, qui numis colat, cum eo, qui fructus stantes subripuerit acturum pro furto, quia vt primum decerpti essent, eius esse cœpissent. ff. eo. l. si apes, 26.

Ex furtiuis equis nati statim ad bonæ fidei emptorem pertinent merito: quia in fructu numerantur, ff. ead. l. qui vas, 48. §. ex furtiuis.

Qui tabulas, vel cautiones amouerit pro furto tenetur: non tantum precii earum tabularum, verum & eius quid interfuit: quod ad æstimationem refertur eius summæ, quæ in his tabulis continentur, scilicet si tanti interfuit: vtputa si chirographa aureorum decem tabulæ fuerint, quod si iam erant inanes, quia solutum proponebatur. potest dici: quia nonnunquam debitores tabulas sibi restitui petunt, quod nonnunquam calumniantur debitores, quasi in debito soluto ab his interest creditoris tabulas habere, ne forte controuersiam super ea re patiatur. Inde potest quæri si quis, cum alias probationes mensæ, quam scripturam haberet, chirographi furtum sit passus; aut si in binis tabulis instrumentum scriptum sit futurum tempus

est, vt

est,ut alio chirographo saluo securior sit creditor, sed nihil uidetur interesse, si sunt,& aliæ probationes solutæ pecuniæ. sed si quis non amouit huiusmodi instrumenta,sed interleuit: non tantum pro furto tenetur,uerum etiam legis Aquiliæ locum habet. Nam rupisse uidetur,qui corrupit,ff.eo. l. qui tabulas,xxvii.

Sed si subripuit prius, quam deleat: tanti tenetur, quanti domini interfuit non subripi.delendo enim nihil ad pœnam adiicit,ff.eo.l.sed si,xxviii.

Hoc amplius & ad exhibendum agi potest & interdicto quorum bonorum agi poterit: Si hæreditariæ tabulæ deletæ sint,ff. eo.l. hoc amplius, xxix. cum lege sequenti,xxx.

Sed & si imaginem quis uel librum deleuerit. & hic tenetur damni iniuriæ quasi ruperit. Si quis tabulas instrumentorum reip.municipii alicuius, aut subripuerit aut interleuerit: Labeo ait pro furto eum teneri. Idemque scribit, & de cæteris rebus publicis,deque societatibus,ff.eo.l.sed & si,xxxi.

De lege Aquilia maior quæstio est, quemadmodum posit probari, quanti eius intersit. Nam si potest alias probare, non patitur damnum. quid ergo si forte pecuniam sub conditione credidit, & interim sunt testimonia,quorum probationem habeat,quæ possunt mori conditione pendente: aut puta me petiisse creditum,& quia testes,& signatores,qui rem meminissent:præsentes non haberem, uictum remansisse: nunc uero eorum memoria & præsentia ad fidem creditæ pecuniæ uti possim,ff.eo.l.quidam,xxxii §.de lege Aquilia.

Tutor administrationem, quidem rerum pupillarium habet, intercipiendi autem potestas ei non datur,& ideo si quid furandi animo amouerit: furtum facit,nec usucapi res potest,quamuis & tutelæ cum eo agi posit.quod in tutore scriptum est,idem erit,& in curatore adolescentis,cæterisque curatoribus,ff. eo.l.tutor,xxxiii.

Si quis perferendum acceperit,quod scierit furtiuum esse: constet, si deprehendatur,ipsum duntaxat furem manifestum esse,si nesciuerit: neutrum, ff. eod. l.si quis,xxxv.

Falsus creditor,hoc est is,qui se simulat creditorem,si quid acceperit: furtum facit;Nec numi eius fiunt,ff.eo.l.falsus,xlii.in prin.

Falsus procurator furtum quidem facere uidetur: sed Neratius uidendum esse ait,an hæc sententia cum distinctione uera sit: ut si hac mente ei dederit. numos debitor,ut eos creditori perferret,procurator autem eos intercipiat: uera sit:Nam, & manent numi debitoris, cum procurator eos non eius nomine accepit, cuius debitor eos fieri uult, & inuito domino eos contrectando, sine dubio furtum facit. Quod si ita det debitor, ut numi procuratoris fiant: Nullo modo eum furtum facere ait,uoluntate domini eos accipiendo,d.l. falsus,§.falsus procurator.

Si iussu ab alio solcus creditoris procurator accepit:debitori iste tenetur pro furto,& numi debitoris erunt,ff.eod.l.si iussu,xliiii.in prin.

Si Titius cuius nomine pecuniam perperam falsus procurator accepit, ratum habeat: Ipse quidem Titius negotiorum gestorum aget: ei uero qui pecuniam in debitam dedit, aduersus Titium erit indebiti condictio: aduersus falsum procuratorem furtiua durabit condictio,& à Titio non iniquè per doli exceptionem,uti præstetur ei furtiua condictio,desiderabitur.ff.eod. l.si uendidero,80.§.si Titius.

Falsus procurator ita demum furtum pecunia facit:si nomine quoque ueri pro-

curatoris, quem creditor habuit, adsumpto, debitorem alienum circumuenerit, quod æquè probatur, & in eo, qui sibi deberi pecuniam, ut hæredi semproniì creditori adseuerauit, cum esset alius, ff. eodem. l. si uendidero, 80. §. Falsus autem.

Falsus procurator depositum recipiendo, uel æs alienum exigendo citra domini uoluntatem, furtum facit. C. de furtis, l. falsus, xix.

Si quis nihil in persona sua mentitus est, sed uerbis fraudem adhibuit: fallax est magis, quàm furtum facit. ut puta si dixit se locupletem: si in mercem se collocaturum quod accepit: si fideiussores idoneos daturum, uel pecuniam confestim se soluturum. Nam his omnibus magis decepit, quam furtum fecit. sed quia dolo fecit (nisi sit alia aduersus eum actio) de dolo dabitur, d. l. falsus. 43. §. si quis nihil in persona.

Qui alienum quid iacens lucri faciendi causa sustulit, pro furto obstringitur: siue scit, cuius sit, siue ignorauit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cuius sit ignoret, quid si dominus id dereliquit: furtum non fit eius, etiam si ego animum furandi habuero; nec enim furtum fit, nisi sit, cui fiat. in proposito autem nulli fit: quippè cum placeat Sabini, & Cassii sententia æstimantium statim nostram desinere rem esse, quam derelinquimus, sed et, si non sit derelictum putauit tamen derelictum: pro furto non tenetur, sed si neque fuit, neque putauit, iacens tamen tulit, non ut lucretur, sed redditurus ei, cuius fuit, non tenetur pro furto. proinde uideamus si nescit, cuius esset, sic tamen tulit, quasi redditurus ei, qui desiderasset, uel qui ostendisset rem suam: non obligatur. Plerique hoc etiam faciunt, ut libellum proponant continentem inuenisse se, & redditurum ei, qui desiderauerit. Hi ergo ostendunt se non animo furandi fecisse. d. l. falsus. 43. §. qui alienum.

Si quis sponte rem eiecit, uel iactauit, & ideo quasi pro derelicto habiturus, tuque rem hanc tuleris: an pro furto tenearis. Celsus ait: si quidem putasti pro derelicto habitam non teneri, quod si non putasti: hic dubitari posse ait, & tamen magis defendit, non teneri: quia (inquit) res nō interuertitur ei, qui eam sponte reiecit, d. l. falsus, §. si quis sponte.

Si rem meam, quasi tuam tibi tradidero scienti meam esse: magis est furtum se facere, si lucrandi animo id feceris, ff. eod. l. si ius. 44. §. si rem.

Qui furem nouit, siue indicet eum, siue non indicet, fur non est: cum multum intersit, furem quis cælet, an non indicet. qui nouit, pro furto non tenetur: qui cælat, hoc ipso tenetur, ff. eod. l. qui uas, 48. §. qui furem nouit.

Cum fur rem furtiuam uendidisset, eique numos precii dominus rei per uim extorsisset: furtum eorum numorum non fecisse rectè responsum est. Idem etiam ui bonorum raptorum actione tenebitur: quod enim ex re furtiua redigitur, furtiuum non esse, nemini dubium est. Numus ergo hic, qui redactus est ex pretio rei furtiuæ, non est furtiuus. d. l. qui uos, §. cum fur.

Qui iniuriæ causa ianuam effregit: quamuis mihi per alios res amotæ sint: non tenetur pro furto. Nam maleficia uoluntas, & propositum delinquentis distinguit. ff. eod. l. qui iniuriæ causa. 53. in prin.

Si cretæ fodiendæ caussa specum quis fecisset, & cretam abstulisset: fur est, non quia fodisset, sed quia abstulisset, ff. eod. l. si cretæ. 57.

Hæreditariæ rei furtum fieri Iulianus negabat, nisi fortè pignori dederat defunctus, aut commodauerat, aut in qua ususfructus alienus est. His enim casibus hæreditariarum rerum fieri furtum, & usucapionem impediri. ff. eod. l. hæreditariæ,

tariæ, 68. cum duabus seq.

Si quis ex bonis eius, quem putabat mortuum, qui uiuus erat, pro hærede res adpræhenderit, furtum non facit, ff. eod. l. si quis, 83. in prin.

Interdũ quoque pro furto tenetur, qui ipse furtũ nõ fecit; qualis est is, cuius ope, & consilio furtum factum est: in quo numero est, qui tibi numos excussit, ut alius eos raperet: aut tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet, aut oues tuas, uel boues fugauerit, ut alius eas acciperet. Et hoc ueteres scripserũt de eo qui panno rubro fugauit armentum. sed si quid eorum per lasciuiam, & non data opera, ut furtum admitteretur factum est; In factum actio dari debet. At ubi ope Marci Titius furtum fecerit, ambo furti tenentur. ope, & consilio eius quoque furtum admitti uidetur, qui scalas forte fenestris supponit, aut ipsas fenestras, uel ostium effringit, ut alius furtum faceret, quive feramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponerentur, commodauerit, certè qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atque hortatus est, ad furtum faciendum non tenetur pro furto. Institut. de furtis. §. interdum.

Ope consilio furtum factum celsus ait, non solum si idcirco fuerit factum, ut socii furarentur: sed, & si non, vt socii furarentur, inimicitiarum tamen causa fecerit. Recte Pedius ait: sicut nemo furtum faciat sine dolo malo. ita nec consiliũ uel opem ferre sine dolo posse. consilium autem dare uidetur, qui persuadit, atque impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum. opem fert, qui ministerium, atque adiutorium ad subripiendas res præbet, ff. eod. l. in furti. 50. §. ope consilio.

Cum eo, qui panũ rubrũ ostendit, fugauitque pecus, vt in fures incideret: si quidem dolo malo fecit, pro furto tenetur, sed si non furti, faciendi causa hoc fecit, non debet impunitus esse lusus tam perniciosus. idcirco Labeo scribit in factum dandam actionem. Nam & si præcipitata sint pecora: utilis actio danni iniuriæ, quasi ex lege Aquilia dabitur. d. l. in forti, §. fi. cum l. seq.

Si quis uxori res mariti substrahenti opem consiliumve accommodauerit: pro furto tenebitur. sed & si furtum cum ea fecit, tenebitur, cum ipsa non teneatur. ipsa quoque si opem furi tulit, pro furto non tenebitur, sed rerum amotarum, ff. eod. l. si quis. 52. in prin.

Si quis de manu alicuius numos aureos, uel argenteos, vel aliam rem excusserit, pro furto tenetur. si ideo fecerit, ut alius tolleret: isque sustulerit, d. l. si quis, §. si quis de manu.

Si quis massam meam argenteam subripuerit, & pocula fecerit possum pocula, vel massam condicere. Idem est & in uuis, & in musto, & in uinaceis. Nam uuas, & mustum, & uinaceam cõdicere possum. d. l. si quis, 52. §. si quis massam.

Qui ferramenta sciens commodauerit ad effringendum ostium, uel armarium, uel scalam, sciens cuius rei gratia id fieret, commodauerit ad ascendendum: licet nullum eius consilium principaliter, ad furtum faciendum interuenerit, tamen pro furto tenetur, ff. eod. l. si pignore, 54. §. qui ferramenta.

Nemo opem aut, consilium alii præstare potest, qui ipse furti faciendi consilium capere non potest, ff. eo. l. fullo, 90. §. fina.

Ii qui in parentum potestate sunt, si rem eis surripiunt furtum quidem faciunt, & res in furtiuam caussam cadit, nec ob id ab ullo usucapi potest antequam in domini potestatem reuertatur, Inst. de furtis, §. ii qui, & ff. eod. l. serui, xvii. in principio.

Ne cum filiofamilias pater pro furto agere posit, non iuris constitutio, sed natura rei impedimento est; quod non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possumus, ff. de furtis, l. ne cum filiofam. xvi.

Filius miles patri pro furto, non tenebitur, ff. eod. l. si quis, lii. §. idem dicendum.

In ciuilem rem desideratis, ut agnitas res furtiuas non prius reddatis, quam precium fuerit solutum à dominis curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna huiusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis, C. de furtis, l. secunda.

Ciuile est, quod a te aduersarius tuus exigit, ut rei, quam apud te fuisse fateris, exhibeas uenditionem. Nam a transeunte & ignoto te emisse, dicere non conuenit, volenti euitare alienam bono uiro suspicionem, C. eo. l. quinta.

Non potest præses prouinciæ efficere, ut furti damnatum non sequatur infamia, ff. de furtis, l. non potest, lxiii.

Quamuis res furtiua, nisi ad dominum redierit, usucapi nō potest: tamen si eo nomine lis æstimata fuerit, vel furti dominus eam uendiderit: non interpellari iam usucapionis ius dicendum est, ff. de furtis, l. quamuis, lxxxv.

Si ad dominum ignorantem peruenerit res furtiua, uel ui possessa: non uidetur in potestatem domini reuersa. ideoque nec si post talem domini possesionem bonafide ementi uenierit, usucadio sequetur, ff. eod. l. si ad dominum, 87.

Meminisse oportebit, nunc furti plerunque criminaliter agi: & eum, qui agit in crimen subscribere: non quasi publicum sit iudicium, sed quia uisum est temeritatem agentium etiam extraordinaria animaduersione coercendam, non ideo tamen minus is, qui uelit, poterit ciuiliter agere, ff. eo. l. fin.

VI BONORVM RAPTORVM.
Tit. II.

Eadem obseruanda sunt in ui bonorum raptorum, quæ in furto dicta sunt.

QVI res alienas rapit, tenetur etiam furti, (quis enim magis alienam rem inuito domino contrectat, quam qui ui rapit? ideoque recte dictum est, eum improbum furem esse, sed ne inueniatur uia per quam raptores suam exerceant auaritiam constitutum est, ut nemini liceat ui rapere, uel rem mobilem, uel se mouentem, licet eandem suam existimet. Sed si quis contra statuta principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadit, sinautem aliena res sit: post restitutionem eius etiam æstimationem eiusdem rei præstat, quod non solum in immobilibus rebus, quæ rapi possunt locum habet, sed etiam in inuasionib. quæ circa res soli fiunt ut ex hac causa ab omni rapina homines se abstineant. Iust. de ui bonorum raptorum in princ. & C. unde ui. l. si quis in tantdm.

Non prodest ei, qui ui rapit, ad euictandam pœnam, si ante iudicium restituat rem quam rapuit, ff. ui bon. rapt. l. pen.

Quod ui possessum raptuve sit, antequam in potestate Domini hæredisve eius peruenit, usucapi lex uetat, ff. eo. l. fin.

DE LEGE AQVILIA.
Tit. III.

LEX Aquilia omnibus legibus, quæ ante se de damno iniuria letatæ sunt, derogauit: Siue duodecim tabulisve alia, quæ fuit. quas leges nunc referre non est necesse. Quæ lex Aquilia plebiscitum est: cum eam Aquilius Tribunus plebis à plebe rogauerit, ff. ad legem Aquil. l. prima.

In hoc titulo tractatur de actione legis Aquiliæ. Sed quia materia hæc commode non potuit separari propter ordinem institutionũ leges omnes descripte sunt.

Damni iniuriæ actio constituitur per legem Aquiliam cuius capite cautum est, vt si quis quadrupedem, quæ pecudum numero sit, iniuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. Quod autem non præcise de quadrupede, sed de ea tantum, quæ pecudum numero est, cauetur, eo pertinet, ut neque de feris bestiis, neque de canibus cautum esse intelligamus, sed de iis tantum, quæ gregatim proprie pasci dicuntur, quales sunt æqui, muli, asini, oues, boues, capræ; de suis quoque idem placuit. Nam, & sues pecudum appellatione continentur: quia & hi gregatim pascuntur, sed canis inter pecudes non est longe magis bestię in eo numero non sunt: uelut ursi, leones, pantheræ, elefanti, autem, & cameli, quasi mixti sunt: Nam & iumentorũ operam præstant, & natura eorum fera est, & ideo primo capite contineri eas oportet, Inst. de lege Aquilia, in princ. & ff. ad legem Aquil. leg. secunda, §. vt igitur.

Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit: ut tamen id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat: ut tamen æque cum clamore testificetur, ff. eo. l. quarta, §. lex duodecim.

Sed & si quempiam alium ferro se petentem quis, occiderit, non uidebitur iniuria occidisse, & si metu quis mortis furem occiderit non dubitabitur. quin lege Aquilia non teneatur, si autem cum posset adprehendere, maluit occidere, magis est, ut iniuria fecisse uideatur, ergo & cornelia tenebitur, ff. eod. l. quinta, in princ.

Iniuria autem occidere intelligitur, qui nullo iure occidit: ac non his quidem hac lege tenetur, qui casu occidit: si modo culpa eius nulla inueniatur: Nam alioquin non minus ex dolo, quam ex culpa quisque hac lege tenetur, Insti. de lege Aquilia, §. Iniuria autem.

Iniuriam hic accipere nos oportet, non quemadmodum circa iniuriarum actionem contumeliam quandam sed quod non iure factum est, hoc est contra ius, idest si culpa quis occiderit, & ideo interdum utraque actio concurrit, & legis Aquiliæ, & Iniuriarum. Sed duæ erũt æstimationes alia damni. alia Contumeliæ. Igitur iniuriam hinc damnum accipiemus culpa datum etiam ab eo qui nocere uoluit. Et ideo quærimus si furiosus damnum dederit, an legis Aquilię actio sit. Et Pegasus negauit: quæ enim in eo culpa sit, cum suæ mentis non sit. Et hoc uerissimum est, cessabit igitur Aquilia actio. quemadmodum si quadrupedes damnum dederint, Aquilia cessat: aut si tegula ceciderit. sed & si infans damnum dederit, idem erit dicendum, quod si impubes id fecerit, Labeo ait, quia furti tenetur, teneri & Aquilia cum. & hoc est uerum si sit iam iniuriæ capax, ff. eo, l. quinta, §. iniuriam.

Quod dicitur damnum iniuria datum Aquilia persequi, sic erit accipiendum, vt videatur

videatur damnum iniuria datum, quod cum damno iniuriam attulerit: nisi magna ui cogente fuerit factum, vt Celsus scribit circa eum, qui incendii arcendi gratia vicinas ædes intercidit: nam hic scribit cessare legis Aquiliæ actionẽ: Iusto enim metu ductus ne ad se ignis perueniret, vicinas ædes intercidit, & siue peruenit ignis, siue ante extinctus est, existimat legis Aquiliæ actionum cessare, ff. eo. l. si quis fumo, 49. §. quod dicitur.

Occisum autem accipere debemus, siue gladio, siue etiam fuste. uel alio telo, uel manibus, si forte strangulauit eum, uel calce petiit, vel capite, vel qualiter qualiter, sed si quis plus iusto oneratus deiecerit onus, & equum occiderit Aquila locum habet: fuit enim in ipsius arbitrio, ita se non onerare. Nam & si lapsus aliquis equum alienum onere præsserit. Pegasus ait, lege Aquilia eum teneri, ita demum, si vel plus iusto se onerauerit, vel negligentius pro lubricum transierit. Proinde si quis alterius impulsu damnum dederit, Proculus scribit, Neque eum, qui impulit teneri, quia non occidit: Neque eum, qui impulsus est, quia damnum iniuria non dedit. Secundum quid in factum actio erit danda in eum, qui impulit, ff. eo. l. septima, §. occisum.

Si quis in colluctatione, uel in pangratio, vel pugiles dum inter se exercentur, alius alium occiderit, si quidem in publico certamine, alius alium occiderit, Cessat Aquilia, quia glorię causa, & uirtutis, non iniuriæ gratia uidetur damnum daturi, d. l. septima, §. si quis in colluctatione.

Si quis de ponte equum præcipitauit, Celsus ait, siue ipso ictu perierat, aut continuo submersus est, aut lassatus ui fluminis victus perierit, lege Aquilia tenetur, d. l. septima. sed si quis de ponte.

Idem iuris est, si medicamento perperam vsus fuerit, sed & qui bene secuerit, & dereliquit curationem, securus non erit, sed culpæ reus intelligitur, ff. eod. l. octaua, in princ.

Mulionem quoque si per imperitiam impetum mularum retinere non potuerit, si eæ alienum equum obtriuerint vulgo dicitur culpæ nomine teneri. Idem dicitur & si propter infirmitatem sustinere mularum impetum non poterit. Neque uidetur iniquum, si infirmitas culpæ adnumeretur cum affectare quisque non debeat in quo, uel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram. Idem iuris est in persona eius, qui impetum equi, quo vehebatur propter imperitiam, vel infirmitatem retinere non poterit, d. l. octaua, §. Mulionem.

Item cum eo, qui canem imitauerat, & affecerat ut aliquem morderet, quamuis eum non tenuit: Proculus respondit Aquiliæ actionem esse, sed Iulianus eum demum Aquilia teneri ait, qui tenuit & efficit, ut aliquem morderet. cęterum si non tenuit in factum agendum, ff. eo. l. item mela, ii. §. Item cum eo.

Fructuarium vel vsurarium melius est utile iudicium ex hac causa dandum, d. l. Item mela, §. fin.

Sed, & si proprietatis dominus vulnerauit equum, vel occiderit, in quo vsusfructus meus est, danda est mihi ad exemplum legis Aquiliæ actio in eum proportione vsusfructus, vt etiam ea pars anni in æstimationem veniat, qua nondum vsusfructus meus fuit, ff. eo. l. sed & si. xii.

Si Dominus equum suum occiderit, bonæfidei possessori vel ei, qui pignori accepit, in factum actione tenebitur, ff. eo. l. si Dominus, 17.

Sed & si is, qui pignori equum accepit, occidit eum vel vulnerauit, lege Aquilia & pignoratitia conueniri potest. Sed alterutra contentus esse debebit actor, ff. eo.

ff.eo.l.sed & si is qui,xviii.

Sed si communem equum occiderit quis, Aquilia teneri eum celsus ait. Idem est & si vulnerauerit, scilicet pro ea parte, pro qua dominus est, qui agat, ff. eo. l. sed si communem, 19, & 20.

His autem verbis legis, QVANTI ID EO ANNO PLVRIMI FVIT, illa sententia exprimitur, vt si quis animal tuum, quod hodie claudum, aut mancum, aut luscum erit, occiderit, quod in eo anno integrum, aut pretiosus fuerit non tanti teneatur, quanti hodie erit, sed quanti eo anno plurimi fuerit: Qua ratione creditum est pœnalem esse huius rei actionem. quia non solum tanti quisque obligatur, quantum damni dederit, sed aliquando longe pluris. Ideoque constat in hæredem eam actionem non transire, quæ transitura fuisset, si vltra damnum, nunquam lis extimaretur, Inst. de lege Aquilia, §. his autem verbis.

Ait lex QVANTI IS EQVVS IN EO ANNO PLVRIMI FVISSET. ista clausula æstimationem habet damni quod datum est, Annus autem retrorsus computatur, ex quo quis occisus est. Quod si morti fere fuerit vulneratus & postea post longum interuallum mortuus sit inde annum numerauimus secundum Iulianum ex quo vulneratus est, licet Celsus contrascribit. Sed utrũ corpus eius solum æstimamus quanti fuerit cum occideretur, an potius quanti interfuit nostra non esse occisum? & hoc iure utimur, vt eius, quid interest fiat æstimatio, ff. eo. l. Ait lex, 21. in prin.

In summa omnia commoda, quæ intra annum, quo interfectus est preciosiorem equum facerent, hæc accedere ad æstimationem eius dicendum est, ff. eod. l. inde Neratius, 23. §. in summa.

Hanc actionem, & hæredi cæterisque successoribus dari constat. sed in hæredem vel cæteros hæc actio non dabitur, cum sit pœnalis: Nisi forte ex damno locupletior hæres factus sit, ff. eo. l. inde Neratius, §. hanc actionem.

Huius legis secundum quidem capitulum in desuetudinem abiit. Tertio autem capite, ait eadem lex Aquilia: CAETERARVM AVTEM RERVM PRAETER PECVDES OCCISOS, SI QVIS ALTERI DAMNVM FAXIT, QVOD VSERIT, FREGERIT, RVPERIT, INIVRIA, QVANTI EA RES ERIT IN DIEBVS TRIGINTA PROXIMIS TANTVM AES DOMINO DARE DAMNAS ESTO. Si quis igitur non occiderit pecudem, sed vserit, fregerit, ruperit, sine dubio ex his verbis legis agendum erit, ff. eo. l. si seruus, 27. §. huius legis.

Capite tertio de omni cætero damno cauetur. Itaque si quis quadrupedem, quę pecudum numero est, vulnerauerit, siue eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, vel canem, aut feram bestiam vulnerauerit, aut occiderit, hoc capite actio constituitur, In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quæ anima carent, damnum per iniuriam datum, hac parte vindicatur. Si quid enim vstum, aut ruptum, aut fractum fuerit, actio ex hoc capite cõstituitur; quamquam poterat sola RVPTI appellatio in omnes istas causas sufficere. Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Vnde non solum fracta, aut vsta, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta, atque deteriora facta, hoc verbo continentur: Denique responsum est, si quis in alienum vinum, aut oleum, id immiscuerit, quo naturalis bonitas vini, aut olei corrũperetur ex hac parte legis Aquiliæ eum teneri. Illud palàm est, sicut ex primo capite ita Demum quisq; tenetur, si dolo, aut

culpa

culpa eius quadrupes occisa sit, ita ex hoc capite de dolo, aut culpa, & de cætero damno quemque teneri. Ex hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit. Ac ne (PLVRIMI) quidem verbum adiicitur. Sed Sabino rectè placuit, perinde habendam æstimationem, ac si etiam hac parte (plurimi) verbum adiectum fuisset: Inst. eod. l. §. capite tertio. & ff. eod. l. quemadmodum, 28. §. finali.

Si quis insulam voluerit meam exurere, & ignis etiam ad vicini insulam peruenerit, Aquilia tenebitur etiam vicino. Non minus etiam inquilinis tenebitur ob res eorum exustas, d. l. si seruus, §. si quis insulam.

Si fornicarius coloni ad fornacem obdormisset, & villa fuerit exusta, Neratius scribit, ex locato conuentum præstare debere si negligens in eligendis ministeriis fuit. Cæterum si alius ignem subiecerit, fornaci, alius negligenter custodierit, an tenebitur, qui subiecerit? Nam qui custodit, nihil fecit. qui rectè ignem subiecit non peccabit. quid ergo est? vtilis actio competit, tam in eum, qui ad fornacem obdormiuit, quam in eum, qui negligenter custodit. Nec quisquam dixerit in eo, qui obdormiuit, rem eum humanam, & naturalem passum: cum deberet, vel ignem extinguere, vel ita munire, ne euagetur, d. l. si seruus, §. si fornicarius.

Si furnum secundum Parietem communem haberes, an damni iniuria tenearis? & ait Proculus, agi non posse: quia nec cum eo qui focum haberet. & ideo æquius est in factum actionem dandam: scilicet si paries exustus sit. si autem nondum mihi damnum dederis, sed ita ignem habeas, vt metuam ne mihi damnum des, damni infecti sufficit cautio, d. l. si seruus, §. si furnum.

Si cum Apes meæ ad tuas aduolassent, tu eas exuseris legis Aquiliæ actionem competere Celsus ait, d. l. si seruus, §. si cum Apes.

Inquit lex, RVPERIT, rupisse verbum ferè omnes veteres sic intellexerunt, corruperit, & ideo Celsus quærit, si Lolium, aut abenam in segetem alienam inieceris, quo eam tu inquinares; Non solum quod ui, aut clam dominum posse agere, uel si locatus fundus sit, colonum: sed & in factum agendum, & si colonus eam exercuit, cauere eum debere, amplius non agi: scilicet ve dominus amplius inquietet. nam alia quædam species damni est, ipsum quid corrumpere, & mutare, vt lex Aquilia locum habeat: alia nulla ipsius mutatione applicare aliud, cuius molesta separatio sit, d. l. si seruus, 27. §. inquit lex.

Cum eo planè qui vinum spurcauit, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiauit, agi posse Aquilia Celsus ait: quia etiam effusum, & acetum factum CORRVPTI appellatione continetur, & non negat fractum, & vstum contineri: CORRVPTI appellatione, sed non esse nouum, vt lex specialiter quibusdam enumeratis, generale subiiciat verbum, quo specialia complectantur, quæ sententia vera est, d. l. si seruus, §. cum eo planè.

Rupisse eum vtique, accipiemus, qui vulnerauit vel virgis, vel loris, vel pugnis cecidit: vel telo, vel quo alio, vt scinderet alicui corpus, vel tumorem fecerit. sed ita demum, si damnum iniuria datum est. Cæterum si nullo equum pretio uiliorem, deterioremve fecerit, Aquilia cessat: iniuriarumque erit agendum duntaxat Aquilia enim eas ruptiones, quæ damna dant, persequitur. Ergo & si pretio quidem non sit deterior equus factus, verum sumptus in salutem eius & sanitatem facti sunt, in hæc uidetur damnum datum, atq; ideo lege Aquilia agi posse, d. l. si seruus, §. Rupisse.

Si quis

Si quis æs subripuit, dum aurum se subripere putat, uel contra minus esse putat, cum plus esset, eius quod subripuit, furtum committit, Idem Iulianus scribit, d.l. vulgaris, §. si quis æs.

Si quis vestimenta sciderit, vel inquinauerit, Aquila quasi ruperit, tenetur. Sed & si quis milium, vel frumentum meum effuderit in flumen, sufficit Aquiliæ actio. Item si quis frumento harenam, vel aliud, quid immiscuit, ut difficilis separatio sit, quasi de corrupto agi poterit, d.l. si seruus, §. si quis uestimenta.

Si quis de manu mihi numos excuserit, Sabinus existimat, damni iniuriæ esse actionem; si ita perierint, ne ad aliquem peruenirent, puta si in flumen, vel in mare, vel in cloacam ceciderunt. quod si ad aliquem peruenerunt, ope, consilio furtum factum agendum est, quod & Antiquis placuit. item etiam in factum dari potest actio, d.l. si seruus, 27. §. si quis de manu.

Si equa ictu a te percussa eiecerit. Brutus ait Aquilia teneri, quasi rupto, Et si multum plus iusto onerauerit, & aliquid membri ruperit, Aquiliæ locum fore, d.l. si seruus, §. si mulier.

Si mulum plus iusto onerauerit, & aliquid membri ruperit, Aquiliæ locum erit, d.l. si seruus, §. & si mulum.

Si nauem venaliciarum mercium perforasset, Aquiliæ actionem esse, quasi ruperit Viuianus scribit, d.l. si seruus, §. si nauem.

Si oliuam immaturam decerpserit, vel segetem desecuerit immaturam, vel vineas crudas Aquilia tenebitur, quod si iam maturas, cessat Aquilia. Nulla enim iniuria est, cum tibi etiam impensas donauerit, quæ in collectionem huiusmodi fructuum impenduntur. Sed si collecta hæc interceperit, furti tenetur octauenus in vuis adicit, nisi, inquit, in terram uuas proiecit, vt effunderentur. Idem & in silua cædua scribit: ut si immatura, Aquilia teneatur. Quod si matura interceperit, furti teneri eum, & arborum furtim Cæsarum, si salictum maturum ita ne stirpes læderes, tuleris cessare Aquiliam, d.l. si seruus, 27. §. si oliuam.

Si calicem diatrectum faciendum dedisti, si quidem imperitia fregit, damni iniuria tenebitur. si vero non imperitia fregit, sed rimas habebat uitiosas, potest esse excusatus, & ideo plerunque artifices conuenire solent, cum eiusmodi materiæ dantur, non periculo suo se facere, quæ res ex locato tollit actionem, & Aquiliæ, d.l. si seruus, §. si calicem.

Si quis ædificii mei fores confregerit, vel refregeris, aut si ipsum ædificium diruit, lege Aquilia tenetur, d.l. si seruus, §. si quis.

Si quis aquæductum mecum diruerit, licet cœmenta mea sunt, quæ diruta sunt, tamen quia terra mea non sit, qua aquam duco, melius est dicere actionem vtilem, d.l. si seruus, §. si quis aquæductum.

Si ex Placito lapis ceciderit, & quid ruperit, vel fregerit, Aquiliæ actione plostrarium teneri placet, si male composuit lapides, & ideo lapsi sunt, d.l. si seruus, §. si ex plaustro.

Item si tectori locaueris laccum vino plenum curandum, & ille eum pertulit, vt uinum sit effusum, Labeo scribit in factum agendum, d.l. si seruus. §. fin.

Qui foueas ursorum, ceruorumque capiendorum causa faciunt, si in iti-

neribus fecerunt, eoque aliquid decidit, factumque deterius est, lege Aquilia obligati sunt. at si in aliis locis, vbi fieri solent, fecerunt, nihil tenentur. Hæc tamen actio ex causa danda est, idest si neque denunciatum est, neque scierit, aut prouidere potuerit. & multa huiusmodi deprehenduntur, quibus sum moueretur petitor, si euitare periculum poterit. Quemadmodum si laqueos eo loci posuisses, quo ius ponendi non haberes, & pecus uicini in eos laqueos incidisset, ff. eod. l. qui foueas, 28. & seq. in princ.

Si protectum meum, quod supra domum tuam nullo iure habebam, recidisses, posse me tecum damni iniuria agere. Proculus scribit. Debuisti enim mecum. ius mihi non esse protectum habere, agere, nec esse equum damnum me pati, recisis a te meis tignis. Aliud est dicendum ex rescripto Imperatoris Seueri: qui ei per cuius domum traiectus erat, aquæ ductus citra seruitutem, rescripsit iure suo posse eum intercidere. & merito: Interest enim quod hic in suo protexit. Ille in alieno fecit, ff. eo. l. Quemadmodum, 29. §. si protectum.

Si nauis tua impacta in meam scapham, damnum mihi dedit, quæsitum est, quæ actio mihi competeret. & ait Proculus, si in potestate Nautarum fuit, ne id accideret, & culpa eorum factum sit, lege Aquilia cum nautis agendum: quia parui refert nauem immittendo, aut seruaculum ad Nauem ducendo, an tua manu damnum dederit. quia omnibus his modis parte damno afficior. Sed si fune rupto, aut cum à nullo regeretur nauis incurrisset cum domino agendum non esse. dicta lege quemadmodum, §. si nauis.

Item Labeo scribit, si cum vi ventorum nauis impulsa esset in funes anchorarum alterius, & nautæ funes præcidissent, si nullo alio modo nisi præcisis funibus explicare se potuit, nullam actionem dandam. Idemque Labeo, Et Proculus, & circa retia piscatorum, in quæ nauis piscatorum inciderat, æstimarunt: Planè si culpa nauturum id factum esset lege Aquilia agendum. Sed ubi damni iniuria agitur, ob retia non piscium, qui ideo capti non sunt, fieri æstimationem: cum incertum fuerit, an caperentur. Idemque & in uenatoribus, & in aucupibus probandum, d. l. quemadmodum, §. item Labeo.

Si nauis alteram contra se venientem obruisset, aut in gubernatorem, aut in ducatorem actionem competere damni iniuriæ Alfenus ait. Sed si tanta uis naui facta sit, quæ temperari non potuit, nullam in dominum dandam actionem, sin autem culpa nautarum, id factum sit, Aquilia sufficit. Si funem quis, quo religata nauis erat, præciderit, de naue, quæ periit in factum agendum est, d. l. quemadmodum, 28. §. si nauis alteram.

Hac actione ex hoc capite de omnibus animalibus læsis, quæ pecudes non sunt agendum est, puta ut de cane. Sed & de Apro, & Leone, cæterisque feris, & auibus: idem erit dicendum, dicta lege quemadmodum, xxviii. §. hac actione.

Magistratus municipales, si damnum iniuria dederint, posse Aquilia teneri. Nam & cum pecudes aliquis pignori cæpisset, & fame eas recauisset, dū non patitur, te eis cibaria adferre in factum actio danda est. Item si dū putat se ex

lege

lege capere pignus, non ex lege cæperit, & res tritas, corruptasve reddat, dicitur legem Aquiliam locum habere. quod dicendum, & si ex lege pignus cæpit. Si quid tamen magistratus aduersus resistentem uiolentius fecerit, non tenebitur Aquilia, dicta lege quemadmodum, §. magistratus.

Si quis alienum vinum, vel frumentum. consumpserit non videtur damnum iniuria dare, ideoque vtilis danda est actio, ff. eod. l. qui occiderit, 30. §. si quis alienum.

Si putatur ex arbore ramum cum deieceret, vel machinarius equum prætereuntem occiderit, ita tenetur si is in publicum decidat, nec ille proclamauit, vt casus eius euitari posit, sed Mutius etiam dixit, si in priuato id accidisset posse de culpa agi, culpam autem esse, quod cum a diligente prouideri poterit non esset prouisum: aut tum denunciatum esset, cum periculum euitari non posit. secundum quam rationem non multum refert per publicum an per priuatum interfieret: eum plerunque per priuata loca vulgo iter fiat. Quod si nullum iter erit, dolum duntaxat præstare debet, ne immittat in eum, quem viderit transeuntem. Nam culpa ab eo exigenda non est cum diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit, ff. eod. l. si putator, 31.

Si quadruplex cuius nomine actio essat cum domino, quod pauperiem fecisset, ab alio occisa est, & cum eo lege Aquilia agitur, æstimatio non ad corpus quadrupedis, sed ad causam eius, in quo de pauperie actio est. referri debet, & tanti damnandus est is, qui occidit, iudicio legis Aquiliæ, quanti actoris interest noxæ potius deditione defungi, quàm litis æstimatione, ff. eodem l. liber, 37. §. si quadruplex.

Quintus Mutius scribit equa cum in alieno pasceretur, in cogendo, quod prægnas erat, eiecit. Quærebatur dominus eius posset, ne cum eo, qui coegisset lege Aquilia agere, quia equam iniciendo ruperat. si percusisset, aut consulto vehementius egisset, visum est agere posse. Pomponius: quamuis alienum pecus in agro suo, quis deprehendisset, sic illud expellere debet. Quomodo si suum deprehendisset; quoniam si quid ex ea re damnum cæpit, habet proprias actiones. Itaque qui pecus alienum, ex agro suo deprehenderit, non iure id includit. Nec agere illud aliter debet, quàm ut supra diximus, quasi suum. Sed vel abigere debet sine damno, vel admonere dominum, ut suum recipiat, ff. eo. l. quintus Mutius, 39.

In lege Aquilia si deletum chirographum mihi esse dicam, in quo sub conditione mihi pecunia debita fuerit. & interim testibus quoque id probare possim, qui testes possunt non esse eo tempore, quo conditio existit, & si summatim re exposita, ad suspicionem iudicem adducam, debeam uincere. Sed tunc condemnationis exactio competit, cum debiti conditio extiterit, quod si defecerit, condemnatio nullas uires habebit, ff. eodem lege In lege, xl.

Si quis testamentum deleuerit, an damni iniuriæ actio competat, videamus, & Marcellus negat competere. quemadmodum enim, inquit, æstimatio inhibitur? Vulpianus notat, in testatore quidem hoc esse uerum: quia quod interest eius æstimari non potest. Veruntamen in hærede, uel legatariis diuersum: quibus testamenta penè chirographa sunt. Ibidem Mar-

 cellus,

cellus ſcribit, chirographo deleto competere legis Aquiliæ actionem. Sed & ſi quis tabulas teſtamenti apud ſe depoſitas deleuerit, vel pluribus præſentibus legerit, utilius eſt in factum & iniuriarum agi, ſi iuiuriæ faciendæ cauſa ſecreta iudiciorum publicauit, Interdum euenire Pomponius eleganter ait, vt quis tabulas delendo furti non teneatur, ſed tantum damni iniuriæ. vtputa ſi non animo furti faciendi, ſed tantum damni dandi deleuit nam furti non tenebitur; cum facto enim etiam animam furis furtum exigit, ff. eo. l. ſi quis, xli.

Qui tabulas teſtamenti depoſitas, aut alicuius rei inſtrumentum, ita deleuit, vt legi non poſsit depoſiti actione, & ad exhibendum tenetur: quia corruptam rem reſtituerit, aut exhibuerit, legis quoque Aquiliæ actio ex eadem cauſa competit: corrupiſse enim tabulas rectè dicitur, & qui eas interleuerit, ob id quod antequam hæreditatem adires, damnum admiſſum in res hæreditarias eſt legis Aquiliæ actionem habes, quod poſt mortem eius, cui hæres ſis, acciderit dominum enim lex Aquilia appellat, non vtique eum, qui tunc fuerit, cum damnum daretur. Nam iſto modo, ne ab eo, quidem cui hæres quis erit, tranſire ad eum ea actio poterit, neque ob id, quod tum commiſsum fuerit cum in hoſtium poteſtate eſses, agere poſtlimino reuerſus poteris, & hoc aliter conſtitui, ſine magna captione poſtumorum liberorum, qui partibus hæredes erunt. non poterit. Eadem dicemus, & de arboribus eodem tempore furtim cæſis. Et eadem dici poſſunt etiam de hac actione, quod vi, aut clam, ſi modo quis aut prohibitus fecerit, aut apparuerit eum intelligere debuiſſe, ab eis, ad quos ea hæreditas pertineret, ſi reſciſſent, prohibitum iri, ff. eo. l. qui tabulas, 42. cum leg. ſeq.

In hac quoque actione, quæ ex hoc capitulo oritur, dolus, & culpa punitur. Ideoque ſi quis in ſtipulam ſuam, vel ſpinam comburendæ eius cauſa ignem immiſerit, & vlterius euagatus, & progreſſus ignis alienam ſegetem, vel vineam læſerit, requiramus, num imperitia eius, aut negligentia, id accidit. Nam ſi die ventoſo id fecit, culpæ reus eſt. Nam & qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur. In eodem crimine eſt, & qui non obſeruabit, ne ignis longius procederit. At ſi omnia, quæ oportuit, obſeruauit, uel ſubita uis uenti longius ignem produxit, caret culpa, ff. eodem lege qui occidit, 30. §. in hac.

In lege Aquilia, & leuiſsima culpa venit, quotiens ſciente patre filius vulnerat, vel occidit Aquilia patrem teneri dubium non eſt. Et ſcientiam hic pro pacientia accipimus: ut qui prohibere potuit, teneatur, ſi non fecerit, ff. eod. l. in lege, 44. cum leg. ſeq. in princ.

Lege Aquilia agi poteſt, & ſanato, & vulnerato equo, ff. eod. l. ſcientiam, 45. §. lege Aquilia.

Qui cum aliter tueri ſe non poſſunt damni culpam dederint innoxii ſunt: uim enim vi defendere omnes leges omniaque iura permittunt. Sed ſi defendendi mei cauſa lapidem in aduerſarium miſero, ſed non eum, ſed prætereuntem percuſſero tenebor lege Aquilia. Illum enim ſolum, qui vim infert, ferire conceditur: & hoc ſi tuendi duntaxat, non etiam vlciſcendi cauſa factum ſit, d. l. ſcientiam, §. qui cum aliter.

Qui idoneum parietem ſuſtulit, damni iniuria domino eius tenetur, d. l. ſcientia, §. finali.

Si vul-

Si vulnerato equo lege Aquilia actum sit, postea mortuo ex eo vulnere, agi lege Aquilia nihilominus potest. Sed si priore iudicio æstimatione facta, postea mortuo equo de occiso agere dominus instituerit exceptione doli mali oppo sita compelletur. ut ex utroque iudicio nihil amplius consequatur, quam consequi deberet, si initio de occiso equo egisset, ff. eodem lege si vulnerato, 46. cum l. seq.

Si quis fumo facto apes alienas fugauerit, vel etiam necauerit, magis causam mortis præstitisse videtur, quàm occidisse. & ideo in factum actione tenebitur, ff. eo. l. si quis, xlix. in prin.

Qui domum alienam inuito domino demolit, & eo loco balneas extruxit, præter naturale ius, quod superficies ad dominum soli pertinet, etiam damni dati nomine actione subiicitur, ff. eo. l. qui domum. l.

Ita vulneratus est equus, vt eo ictu certum esset moriturum, & postea ab alio ictus decessit. Quæritur an cum vtroque de occiso lege Aquilia agi posit, respondit Iulianus, occidisse dicitur vulgo quidem qui mortis causam quolibet modo præbuit. sed lege Aquilia is demum teneri uisus est, qui adhibita ui, & quasi manu causam mortis præbuisset: tracta videlicet interpretatione vocis a cædendo, & a cæde, rursus Aquilia lege teneri existimati sunt, non solum qui ita vulnerassent, vt confestim vita priuarent, sed etiam hi quorum ex vulnere certum esset aliquem uitam excessurum. Igitur si quis equo mortiferum vulnus inflixerit, eundemque alius ex interuallo ita percusserit, ut maturius interficeretur, quàm priore vulnere moriturus fuerat statuendum est vtrunque eorum lege Aquilia teneri. idque est consequens auctoritati ueterum: qui cum a pluribus idem equus, ita vulneratus esset, vt non appareret cuius ictu perisset, omnes lege Aquilia teneri iudicauerunt. AEstimatio autem perempti non eadem in vtriusque persona fiet. Nam qui prior vulnerauit, tantum præstabit, quanto in anno proximo equus plurimi fuerit, repetitis ex die vulneris trecentum sexagintaquinque diebus, posterior in id tenebitur, quanti equus plurimi venire poteris in anno proximo, quo uita excessit. Eiusdem ergo equi occisi nomine alius maiorem, alius minorem æstimationem præstabit, nec mirum: cum uterque eorum ex diuersa causa, & diuersis temporibus occidisse equum intelligitur. Quod si quis absurdè a nobis hæc constitui putauerit, cogitet longè absurdius constitui, neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius: cum neque impunita maleficia esse oporteat, nec facile constitui posit, vter potius lege teneatur. Multa autem iure ciuili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse innumerabilibus rebus probari potest. Vnum interim posuisse contenti erimus. Cum plures trabem alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre non possent, furti actio ne omnes teneri existimantur: quamuis suptili ratione dici posit, neminem eorum teneri: quia neminem uerum sit eã sustulisse, ff. eo. l. ita vulneratus. 51.

Si ex plagis equus mortuus esset, neque id medici in scientia, aut domini negligentia accidisset, rectè de iniuria occiso eo agitur, ff. eodem lege si ex plagis, lii. in princip.

Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat: quidam præteriens eam sustulerat: Tabernarius eum consecutus lucernam reposcebat, & fugiente retinebat: Ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolor inerat, uerberare tabernarium cæperat, vt se mitteret: ex eo maiore rixa facta tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat: consulebat num dam

num iniuria non videtur dedisse, quoniam prior flagello percusus esset, respondit Alfenus nisi data opera effodisset oculum, non uideri damnum iniuria fecisse: culpam enim penes eum qui prior flagello percusit residere, sed si ab eo non prior uapulasset, sed cum ei lucernam erripere vellet, rixatus esset, tabernarii culpa factum videri, d.l. si ex plagis. §. tabernarius.

In cliuo Capitolino duo plostra onusta mulæ ducebant: prioris plostri muliones conuersum plostrum subleuabant, quo facile mulæ ducerent: interim superius plostrum cessim ire cæpit, & cum muliones qui inter duo plostra fuerunt, è medio exiissent, posterius plostrum à priore percussum retro redierat, & equum cuiusdam obtriuerat: Dominus equi consulebat cum quo se agere oporteret. responsum est in causa ius esse positum. nam si muliones, qui superius plostrum sustinuissent, sua sponte se subduxisset, & ideo factum esset, ut mulæ plostrum retinere non possint, atque onere ipso retraherentur, cum domino mularum nullam esse actionem: cum hominibus, qui conuersum plostrum sustinuissent lege Aquilia agi posse. Nam nihilominus eum damnum dare, qui quod sustineret mitteret sua voluntate, vt id aliquem feriret. veluti si quis asellum cum agitasset, non retinuisset; æque si quis ex manu tellum, aut aliud, quid immisisset damnum iniuria daret; sed si mulæ quia aliquid re formidassent, & muliones timore permoti ne opprimerentur plostrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse: cum domino mularum esse. Quod si neque mulæ, neque homines in causa essent, sed mulæ retinere onus nequissent, aut cum coniterentur, lapsæ concidissent, & ideo plostrum cessim redisset, atque hi, quo conuersum fuisset onus sustinere nequissent, neq; cum domino mularum, neque cum hominibus esse actionem. Illud quidem certè quoquo modo res se haberet cum domino posteriorum mularum agi non posse: quoniam non sua sponte, sed percussæ retro redissent, d.l. si ex plagis, §. in cliuo capitolino.

Quidam boues vendidit ea lege, vti daret experiundos. postea dedit experiundos, emptoris filius in experiundo percussus ab altero boue cornu est. quærebatur num uenditor emptori damnum præstare deberet. respondit Alfenus si emptor boues emptos haberet, non debere præstare, sed si non haberet emptos, tum si culpa hominis factum esset, ut a boue feriretur, non debere præstari si vitio bouis debere, d.l. si ex plagis, §. quidam.

Boues alienos in augustum locum coegisti, eoque effectum est, vt deiicerentur. datur in te ad exemplum legis Aquiliæ in factum actio. ff. eo. l. boues. 53.

Legis Aquiliæ debitori competit actio cum reus stipulandi, ante moram promissum animal vulnerauit, idem est, & si occiderit animal. quod si post moram promissoris, qui stipulatus fuerat occidit, debitor quidē liberatur, lege autem Aquilia hoc casu non recte experietur: Nam creditor ipse sibi potius, quàm alii iniuriam fecisse videtur, ff. eod. l. legis, 54.

Equum tibi commodaui; in eo tu cùm equitares, & vnà cum plures equitarent, vnus ex his inruit in equum, teque deiecit, & eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum vllam actionem esse. sed si equitis culpa factum esset, cum equite sanè non, cùm equi domino agi posse, verum est, ff. eo. l. fi.

DE INIVRIIS, ET FAMOSIS LIBELLIS. Titulus IIII.

GEneraliter iniuria dicitur omne,quod non iure fit: ſpecialiter alias contumelia,quæ à contemnendo dicta eſt,quam græci ὕβριν appellant:alias culpa,quam græci ἔγκλημα dicunt , ſicut in lege Aquilia damnum iniuria datū accipitur:alias iniquitas , & iniuſticia quam græci ἀνομιν,καὶ ἀδικιαν vocant. Cum enim Prætor vel iudex non iure contra quem pronuntiat,iniuriam accepiſſe dicitur,Inſt.de iniuriis,in prin.

Iniuria ex eo dicta eſt,quod non iure fiat:omne enim quod non iure fit , iniuria fieri dicitur hoc generaliter: ſpecialiter autem iniuria dicitur contumelia. Interdum iniuriæ appellatione damnum culpa datum ſignificatur , ut in lege Aquilia dicere ſolemus. interdum iniquitatem iniuriam dicimus. Nam cū quis iniquè,vel iniuſtè ſententiam dixerit: ex eo iniuriam dicam,quod iure & iuſtitia caret,quaſi non iuriam,contumeliam autem à contemnendo,ff.de iniuriis, l.prima.in princ.

Iniuriam autem fieri Labeo ait aut re,aut verbis; re, quoties manus inferuntur. Verbis autem quoties non manus inferuntur , ſed conuicium fit. omnemque iniuriam aut in corpus inferri,aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinere. In corpus fit,cum quis pulſatur.ad dignitatem , cùm comes matronæ abducitur,ad infamiam,cum pudicitia attentatur,d.l.prima.§.iniuriam.

Iniuria committitur,non ſolum cum quis pugno pulſatus,aut fuſtibus cæſus , uel etiam uerberatus erit,ſed & ſi cui conuicium factum fuerit , ſiue cuius bona, quaſi debitoris,qui nihil deberet,poſſeſſa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil eum ſibi debere: uel ſi quis ad infamiam alicuius libellum,aut carmen , aut hiſtoriam ſcripſerit,compoſuerit,ediderit dolove malo fecerit,quo quid eorum fieret: ſiue quis matremfamilias,aut pręteſtatum,præteſtatumve affectatus fuerit,ſiue cuius pudicitia attentata eſſe dicetur: & denique aliis plurimis modis admitti iniuriam,manifeſtum eſt. Inſt. de iniuriis §.iniuria autem.

Patitur autem quis iniuriam non ſolum per ſemetipſum, ſed etiam per liberos ſuos.Item per vxorem ſuam: id enim magis præualuit. Itaque ſi filiæ alicuius, quæ Titio nupta eſt,iniuriam feceris,non ſolum filiæ nomine tecum iniuriarum agi poteſt,ſed etiam patris quoque,& matris nomine. contra autem ſi viro iniuria facta ſit;vxor iniuriarum agere non poteſt: defendi enim vxores à uiris,non uiros ab uxoribus,æquum eſt.Sed & ſocer nurus nomine, cuius uir in eius poteſtate eſt,iniuriarum agere poteſt. Inſt.eo.§.patitur. & ff.eo.l.ſecunda.

Aut per ſemetipſum alicui fit iniuria,aut per alias perſonas,per ſemet, cum directo ipſi patrifamilias,vel matrifamilias fit iniuria per alias,cùm per conſequentias fit: ut cum fit liberis meis,vel vxori,nurive ſpectat enim ad nos iniuria,quę his fit,qui vel poteſtati noſtræ,uel adfectui ſubiecti ſunt, ff. eodem l. prima. §. item per.

Sponſus quoque ad iniuriarum actionem admittitur, etenim ſpectat ad contumeliam,eius iniuria , quæcunque ſponſæ eius fiat , ff. eodem. l. item apud, xv. §.ſponſum.

Si forte Cadaueri defuncti ſit iniuria, cui hæredes extitimus iniuriarum noſtro nomine actionem habebimus. ſpectat enim ad exiſtimationem noſtram, ſi qua ei fit iniuria. idemque eſt,& ſi fama eius,cuius hæredes exiſtimus laceſſatur, d. l.prima,§.& ſi forte.

Quo-

Quoties autem funeri testatoris, uel Cadaueri fit iniuria: si quidem post aditam hæreditatem fiat: dicendum est hæredi quodammodo factam. Semper enim hæredis interest defuncti existimationem purgare: quoties autem ante hæreditatem aditam: magis hæreditati, & sic hæredi per hæreditatem adquiri. Denique Iulianus scribit: si corpus testatoris ante aditam hæreditatem detentum sit: adquiri hæreditatem actionem, dubium non esse; d.l. prima, §. quoties.

Siue autem sciat quis filium meum esse, vel uxorem meam, siue ignorauerit, habere me meo nomine actionem. Neratius scribit. d.l. prima, §. siue autem.

Idem Neratius ait, ex vna iniuria interdum tribus oriri iniuriarum actionem, neque vnius actionem per aliam consumi. vt puta uxori meę filiæ familias, iniuria facta est, & mihi, & patri eius, & ipsi iniuriarum actio incipiet competere. d.l. prima, §. finali.

Ait Prætor SI EI QVI IN ALTERIVS POTESTATE ERIT, INIVRIA FACTA ESSE DICITVR: ET NEQVE IS, CVIVS IN POTESTATE EST, PRAESENS ERIT, NEQVE PROCVRATOR QVISQVAM EXISTET, QVI EO NOMINE AGAT: CAVSSA COGNITA IPSI, QVI INIVRIAM ACCEPISSE DICETVR, IVDICIVM DABO. filio familias iniuriam passo, si præsens sit pater agere: tamen non possit propter furorem, vel quem alium casum dementiæ: competit iniuriarum actio. nam & hic pater eius absentis loco est. planè si præsens agere nolit, aut quia differt, vel quia remittit, atque donat iniuriam: magis est, ut filio actio non detur. nam & cum abest idcirco datur actio filio, quia verisimile est patrem, si præsens fuisset, acturum fuisse, ff. eod. l. si vnus, xvii. §. ait prætor.

Interdum tamen putamus, & si pater remittat, iniuriarum actionem filio dandã. vt puta si patris persona uilis, & abiecta sit, filii honesta. neque enim debet pater vilissimus filii sui contumeliam ad suam vtilitatem metiri. ponamus eum esse patrem, cui iure, meritoque curator à prætore constitueretur. d.l. Sed si vnius. §. Interdum.

Sed & si pater lite contestata cœperit abesse vel etiam negligere executionem pater vilis. dicendum est causa cognita translationem filio competere. idem est & si emancipatus filius esse proponatur, d.l. sed si vnius. §. sed & si pater.

Procuratorem patris prætulit prætor ipsis personis, quæ iniuriam passæ sunt. si tamen procurator aut negligat, aut colludat, aut non sufficiat aduersus personas, quæ iniuriam fecerunt: ipsi potius, qui passus est iniuriam actio iniuriarum cõpetit, d.l. sed si vnius, xvii. §. procuratorem.

Procuratorem autem accipere debemus, non vtique eum, cui specialiter data est procuratio actionis iniuriarum, verum sufficit esse eum, cui omnium rerum administratio mandata est, d.l. sed si vnius, §. procuratorem autem.

Quod autem ait prætor CAVSA COGNITA, ita accipiendum est, ut in cognitione caussæ hoc versetur: quam longe pater absit, & quando superuenturus sit: & nunquid is, qui uult iniuriarum actionem mouere, segnior vel inutilis admodum sit, qui non sufficiat ad rei alicuius administrationem, ac per hoc nec ad actionem. Quod deinde ait, QVI INIVRIAM ACCEPISSE DICETVR: interdum ita accipiendum est, ut patri eius competat actio. utputa nepoti facta est iniuria. pater præsens est. auus abest. Scribit Iulianus, patri potius dandam iniuriarum actionem, quàm ipsi nepoti: ad cuius (inquit) officium pertinet, etiam viuente auo filium suum in omnibus tueri. Idem Iulianus scribit: filium non tantum ipsum agere debere, verum etiam procuratorem dare posse

re posse. alioquin (inquit) nisi ei permiserimus procuratorem dare posse: futurum est ut si ualetudine impediatur, neque sit qui iniuriarum actionem exsequatur, impediatur actio. Idem ait: & si nepoti facta sit iniuria, & nemo sit, qui aui nomine agat: permittendum esse patri, experiri, & is procuratorem dabit. omnibus enim, qui suo nomine actionem habent, procuratoris dandi esse potestatem. intelligi autem filium (inquit) familias suo nomine agere, cum patre cessante prætor ei agere permittit, d. l. sed si vnius, §. Quod deinde.

Si filius familias iniuriarum egerit: patri actio non competit. d. l. sed si vnius, §. si filius familias.

Idem ait, filio familias iniuriarum nomine actionem dari, quoties nemo est, qui patris nomine experiatur, & hoc casu quasi patremfamilias constitui. quare siue mancipatus siue ex parte hæres scriptus fuerit, vel etiam exhæredatus, siue paterna hæreditate abstinuerit; exsecutionem litis eis dandam; esse enim per absurdum, quem prætor manente patria potestate ad actionem admittendum putauerit, ei patri. familias facto ultionem iniuriarum suarum eripi, & transferri ad patrem, qui eum (quantū in ipso est) omiserit: aut, (quod est indignius) ad heredes patris, ad quos non pertinere iniuriam filio familias factam procul dubio est, d. l. sed si vnius, §. finali.

Filiofamilias si iniuria facta sit: cum vtrique tam filio quàm patri adquisita actio sit: non eadem utique facienda æstimatio est. Cum posit propter filii dignitatem maior ipsi quam patri iniuria facta esse. ff. eod. l. sermo, xxx. §. filiofamilias cum l. seq.

Pater cuius filio facta est iniuria, non est impediendus, quo minus duobus iudiciis, & suam iniuriam prosequatur, & filii, ff. eod. l. pater, xli.

Iniuriarum æstimatio non ad id tempus, quo iudicatur, sed ad id, quo facta est referri debet, ff. eod. l. iniuriarum, xxi.

Si nupta filiafamilias iniuriam acceperit, & uir, & pater iniuriarum agent. Pomponius rectè putat, tanti patri condemnandum esse reum, quanti condemnaretur, si ea in nullius potestate esset: quod sua cuiusque iniuria propriæ æstimationem habeat. & ideo si nupta in nullius potestate sit: non ideo minus eam iniuriarum agere posse, quod, & uir suo nomine agat, ff. eodem. l. Eum qui. xviii. §. si nupta.

Illud relatum peræque est; eos, qui iniuriam pati possunt, & facere posse. ff. eod. l. tertia, in princ.

Sanè sunt quidam, qui facere non possunt, ut putà furiosus, & impubes, qui doli capax non est. Namque hi iniuriam pati solent non facere, cum enim iniuria ex affectu facientis consistat: erit dicere hos siue pulsent, siue cōuitium dicant iniuriam fecisse non uideri. Itaque pati quis iniuriam, etiam si non sentiat potest; facere nemo nisi qui scit se iniuriam facere, & si nesciat, cui faciat, quare si quis per iocum percutiat, aut dum certat: iniuriarum non tenetur, d. l. tertia, §. sanè sunt.

Lex Cornelia de iniuriis competit ei, qui iniuriarum agere uolet, ob eam rem, quod se pulsatum, uerberatumve, domumve suam vi introitam esse dicat, qua lege cauetur, ut non iudicet, qui ei, qui aget, gener, socer, vitricus priuignus, sobrinusve est, propiusve eorum, quis quemquem in ea cognitione, affinitateve attinget, ff. eod. l. quinta, in prin.

Lex itaque Cornelia ex tribus causis dedit actionem, quod quis pulsatus, verberatusve, domusve eius ui introita sit. apparet igitur omnem iniuriam quæ ma-

nu fiat, lege Cornelia contineri, d.l.quinta, §.lex itaque.

Inter pulsationem & uerberationem hoc interest (Offilius scribit) verberare est cum dolore cædere, pulsare sine dolore, d.l.v.§.inter pulsationem.

Domum accipere debemus, non proprietatem domus, sed domicilium. quare si ue in propria domo quis habitauerit, siue in conducta, vel gratis, siue hospitio receptus: hæc lex locum habebit. Quid si quis in villa habitet, vel in hortis? idē erit probandum, d.l.v.§. Domum.

Et si dominus fundum locauerit inque eum impetus factus sit: colonus aget, non dominus. Si tamen in fundum alienum, qui domino colebatur, introitum sit: Labeo negat esse actionem domino fundi ex lege Cornelia: qui nō possit ubique domicilium habere, hoc est per omnes villas suas, putat vero Vulpianus ad omnem habitationem, in qua paterfamilias habitat, pertinere hanc legem: licet ibi quis domicilium non habeat. ponamus enim studiorum caussa Romæ vtique domicilium non habet. & tamen dicendum est, si vi domus eius introita fuerit Cornelium locum habere. tantum igitur ad meritoria, vel stabula nō pertinebit. cæterum ad hos pertinebit, qui inhabitant non momenti caussa, licet ibi domicilium non habeant, d.l.quinta, §. & si Dominus.

Illud quæritur an pater filiofamilias iniuriam passo ex lege Cornelia iniuriam agere possit? & placuit non posse, de eoque res inter omnes constat: sed patri quidem prætoria iniuriarum actio competit, filio vero legis Corneliæ, d. l.v. §.illud quæritur.

In lege Cornelia filiusfamilias agere potest ex omni caussa: nec cauere debet rem ratam patrem habiturum. nam nec alias agentem filium iniuriarum ad cautionem de rato compellendum Iulianus scribit, d.l.v.§.in lege Cornelia.

Posse de omne iniuria agi rescriptum est. Atrocem iniuriam quasi contumeliosiorem, & maiorem accipimus. Atrocem autem iniuriam, aut persona, aut tempore, aut re ipsa fieri Labeo ait. PERSONA atrocior iniuriam fieri, cum magistratui, cum parenti fiat. TEMPORE: si in ludis. & in conspectu prætoris: nam in prætoris conspectu, an solitudine iniuria facta sit, multum interesse ait: quia atrocior est, quæ in conspectu fiat. RE atrocem iniuriam haberi Labeo ait vtputa si vulnus illatum, os alicui percussum sit, ff. eodem l. septima, in fine.

Vulneris magnitudo atrocitatem facit, & nonnunquam locus vulneris, veluti oculo percusso; ff.eod.l.octaua.

Sed est quæstionis, quod dicimus RE iniuriam atrocem fieri: utrum si corpori inferatur, atrox sit: an & si non corpori, vtputa vestimentis scissis, comite abducto, vel conuicio dicto? & ait Pomponius, etiam sine pulsatione posse dici atrocem iniuriam, persona atrocitatem faciente, sed & si in theatro, vel in foro cædit, & vulnerat, quamquam non atrociter atrocem iniuriam facit. Parui autem refert, utrum patrifamilias, an filiofamilias talis iniuria facta sit. Nam & hæc atrox existimabitur, ff.eod.l.sed est, ii, in prin.

Si quis iniuriam atrocem fecerit, qui contemnere iniuriarum iudicium possit, ob infamiam suam, & egestatem: prætor atrociter exsequi hanc rem debet, & eos, qui iniuriam fecerunt coercere, ff.eod.l.si quis, 35.

Si quis tam fœminam, quam masculum impudicos facere attentauerit. iniuriarū tenebitur, d.l.sed est quæstionis, §.si quis tam.

Attentari pudicitia dicitur, cum id agitur, ut ex pudico impudicus fiat. ff. eodem l.attentari, x.

Si quis virgines appellasset, si tamen ancillari ueste vestitas: minus peccare uidetur. multo minus si meritricia veste fœminæ, non matrumfamiliarum vestita fuissent. Si igitur non Matronali habitu fœmina fuerit, & quis eum appellauerit, vel ei comitem abduxerit. iniuriarum tenetur. Comitem accipere debemus eum, qui comitetur, & sequatur: & (ut ait Labeo), siue masculum, siue fœminam. & ita Comitem Labeo definit: qui frequentandi cuiusque caussa, ut sequeretur destinatus in publico priuatove abductus fuerit. inter Comites vti que & pedagogi erunt. Abduxisse videtur (ut Labeo ait) non qui abducere Comitem cæperit, sed qui perfecerit, ut Comes cum ea non esset. abduxisse autē non tantum is videtur, qui per vim abduxit: Verum is quoque, qui persuasit comiti, ut eam desereret. Tenetur hoc edicto non tantum qui Comitem abduxit verum etiam si quem eorum appellauit, adsectatusve est. Appellare est blanda oratione alterius pudiciciam attentare. Hoc enim non est conuicium facere, sed aduersus bonos mores attentare. Qui turpibus verbis utitur, non tentat pudiciciam, sed iniuriarum tenetur. Aliud est attentare, aliud adsectari, appellat enim, qui sermone pudiciciam attentat: adsectatur, qui tacitus frequenter sequitur. assidua etenim frequentia quasi præbet nonnullam infamiam. Meminisse autem oportebit, non omnem, qui adsectatus est: nec omnem, qui appellauit, hoc edicto conueniri posse. Neque enim si quis colludendi, si quis officii honestè faciendi gratia id fecerit, statim in edictum incidit: sed qui contra bonos mores id fecit. ff. eo. l. item apud, xv. §. si quis virgines.

Si mandatu meo alicui iniuria: plerique aiunt, tam me, qui mandaui, quam eum, qui suscepit, iniuriarum teneri. Proculus rectè ait, si in hoc te conduxerim, ut iniuriam facias: cum utroque nostrum iniuriarum agi posse, quia mea opera: iniuria facta sit. Idemque ait, & si mandauero filio meo, ut tibi iniuriam faciat. Atlicinus autem ait, & si persuaserim alicui alias nolenti, vt mihi ad iniuriam faciendam obediret, posse iniuriarum mecum agi, ff. eod. l. Non solum, xi. §. si Mandatu meo.

Si quis de honoribus decernendis alicuius passus non sit decerni, vt putà immaginem alicui, vel quid aliud tale: an iniuriarum teneatur? & ait Labeo non teneri, quanuis hoc contumeliæ caussa fiat etenim multum interest contumeliæ causa quid fiat, an vero fieri quid non honorem alicuius, quis non patiatur, ff. eod. l. iniuriarum, xiii. §. si quis de honoribus.

Idem Labeo scribit: si cum alium contingeret locatio, alii hoc onus duumuir in dixerit: non posse agi iniuriarum ob laborem in dictum: aliud enim esse laborem indicere, aliud iniuriā facere. idem ergo erit probandum & in cæteris muneribus, atque honoribus, quæ per iniuriam in dicuntur ergo, & si quis per iniuriam sententiam iudex dixerit idem erit probandum, dicta. l. iniuriarum. §. idem Labeo.

Quæ iure potestatis à magistratu fiunt ad iniuriarum actionem non pertinent, d. l. iniuriarum, §. quæ iure.

Nec magistratibus licet aliquid iniuriosè facere. si quid igitur per iniuriam fecerit magistratus vel quasi priuatus, vel fiducia magistratus iniuriarum potest cō ueniri. sed utrum deposito magistratu: an vero & quamdiu est in magistratu? sed verius est: si is magistratus est, qui sine fraude in ius vocari non potest: expectādum esse quoad magistratu habeat: quod si ex minoribus magistratibus erit idest, qui sine imperio, aut sine potestate sunt magistratus, & in ipso magistratu

posse

posse eos conueniri, ff. eod. l. nec magistratibus, 32.

Quod Reipub. venerandæ caussa secundum bonos mores fit: etiam si ad contumeliam alicuius pertinet, quia tamen non ea mente magistratus facit, vt iniuriã faciat, sed ad vindictam magistratus publicè respiciat: actione iniuriarum non tenetur, ff. eod. l. quod Reip. 33.

Si quis me prohibeat in mari piscari, vel euerriculum, ducere: an iniuriarum iudicio posśim eum conuenire? sunt, qui putant iniuriarum me posse agere. & ita Pomponius & plerique esse huic similem eum, qui in publicum lauare, vel in caueca publica sedere, vel in quo alio loco agere, sedere, conuersari non patiatur: vt si quis re mea vti me non permittat. Nam & hic iniuriarum conueniri potest. Conductori autem veteres interdictum dederunt, si forte publice hoc conduxisset. Nam uis ei prohibenda est, quo minus condicione sua fruatur. Si quẽ tamen ante ædes meas, vel ante prætorium meum piscari prohibeam: quid dicendum est? me iniuriarum iudicio teneri an non? & quidem mare commune omnium est, & littora sicut aer, & sępisśime rescriptum est non posse quem piscari prohiberi: sed ne aucupari, nisi quod ingredi quis agrum alienum prohiberi potest. Vsurpatum tamen, & hoc est (tametsi nullo iure) vt quis prohiberi posśit ante ædes meas, vel prætorium meum piscari. quare si quis prohibeatur: adhuc etiam iniuriarum agi potest. In lacu tamen, qui mei dominii est, vtique piscari aliquem prohibere possum ff. eo. l. iniuriarum, xiii. §. si quis me.

Sanè si maris proprium ius ad aliquem pertineat, VTI POSSIDETIS interdictum ei competit, si prohibeatur ius suum exercere: quoniam ad priuatamiam caussam pertinet, non ad publicam hæc res: vt putà, cum de iure fruendi agatur, quod ex priuata causa contingat, non ex publica. ad priuatas enim caussas accommodata interdicta sunt, non ad publicas, ff. eod. l. sanè. xiiii.

Item apud Labeonem quæritur, si quis mentem alicuius medicamento aliove quo alienauerit: an iniuriarum actio locum habeat? & ait iniuriarum aduersus eos agi posse, ff. eod. l. item apud, xv. in prin.

Si quis pulsatus quidem non est, verum manus aduersus eum leuatæ, & sæpe territus est, quasi vapulaturus, non tamen percusśit: utili iniuriarum actione tenetur, ff. eod. l. item apud, xv. §. si quis pulsatus.

Ait prætor, QVI ADVERSVS BONOS MORES CONVITIVM, CVI FECISSE, CVIVSVE OPERA QVID FACTVM ESSE DICETVR, QVO ADVERSVS BONOS MORES CONVITIVM FIERET: IN EVM IVDICIVM DABO. Conuitium autem iniuriam esse Labeo ait: conuitium dicitur, vel à concitatione, vel à conuentu, hoc est à collatione vocum: cum enim in vnum complures voces conferuntur, conuicium appellatur, quasi conuocium. sed quod adiicitur à prætore ADVERSVS BONOS MORES: ostendit non omnem in vnum collatam vociferationem prætorem notare: sed eam, quæ bonis moribus improbetur, quæque ad infamiam vel ad inuidiam alicuius spectet, idem ait, ADVERSVS BONOS MORES sic accipiendum: non eius, qui fecit, sed generaliter accipiendum aduersus bonos mores huius ciuitatis, d. l. item apud. §. ait prætor.

Conuicium non tantum præsenti, verum absenti quoque fieri posse Labeo scribit. proinde si quis ad domum tuam venerit te absente: conuicium factum esse dicit. idem & si ad stationem, vel tabernam ventum sit, probari oportere, d. l. item apud, §. conuicium.

Fecisse

Fecisse conuicium non tantum is videtur, qui vociferatus est: verum is quoque, qui concitauit ad vociferationem alios, vel qui submisit, ut vociferentur. Cui non sine caussa adiectum est. nam si incertæ personæ conuicium fiat, nulla exsecutio est, d.l. Item apud, §. fecisse conuicium.

Si curauerit quis conuicium alicui fieri non tamen factum sit: non tenebitur, d.l. item apud, §. si curauerit.

Ex his apparet non omne male dictum conuicium esse: sed illud solum, quod cum vociferatione dictum est: siue vnus, siue plures dixerint, & quod in cætu dictum est, conuicium est: quod autem non in cætu, nec cum vociferatione dicitur: conuicium non propriè dicitur, sed infamandi causa dictum est, dicta l. item apud, §. ex his.

Cui euentum sententiæ velut laturus pecuniam, vendiderit fustibus castigatus iniuriarum damnatus videtur, vtique autem apparet hanc iniuriam ei, fecisse, cuius sententiam venditauit, d.l. item apud, §. si quis, idem ait.

Si quis bona alicuius, vel rem vnam per iniuriam occupauerit: iniuriarum actione tenetur, d.l. item apud, §. si quis.

Item si quis pignus proscripserit, venditurus, tamquam à me acceperit infamandi mei caussa: seruius ait iniuriarum agi posse, dicta lege, Item apud, §. item si quis.

Si quis non debitorem, quasi debitorem appellauerit iniuriæ faciendæ caussa: iniuriarum tenetur, d.l. item apud. §. si quis debitorem.

Si quis Astrologus, vel qui aliquam illicitam diuinationem pollicetur consultus aliquem furem dixisset, qui non erat: iniuriarum cum eo agi non potest, sed cōstitutiones eum tenent. d.l. item apud. §. si quis Astrologus.

Eum, qui nocentem infamauit, non esse bonum, & æquum ob eam rem condemnari. peccata enim nocentium nota esse, & oportere, & expedire. ff. eod. l. eum qui. xviii. in prin.

Si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus: aut si quis putat me Lucium Titium esse, quum sim Caius Seius: præualet, quod principale est: iniuriam eum mihi facere uelle. Nam certus sum ego: licet ille putet me alium esse, quam sim. & ideo iniuriarum habeo actionem. At cum aliquis filium familias patrem familias putat: non potest uideri iniuriam patri facere: non magis, quàm viro, si mulierem uiduam esse credat, quia neque in personam eorum confertur iniuria, nec transferri personæ putationem ex persona filiorum ad eos potest, cum adfectus iniuriam facientis in hunc tamquam in patrem familias consistat. Quod si scisset filiumfamilias esse: tamen si nescisset, cuius filius esset: frater suo nomine iniuriaram agere potest: nec minus uir, si ille nuptam esse sciret. Nam qui hęc non ignorat; cuicumque patri, cuicumque marito, per filium, per uxorem uult facere iniuriam. d.l. eum qui, §. finali.

Si creditor meus, cui paratus sum soluere, per iniuriam meam fideiussores meos interpellauerit: iniuriarum tenetur, ff. eod. l. si creditor, 19.

Qui iniuriæ faciendæ gratia. Seia domum absentis debitoris signasset sine authoritate eius, qui concedendi ius potestatemve habuit, iniuriarum actionem intendi posse respondit Paulus, ff. eod. l. qui iniuriæ, 20.

Si quis domum alienam inuito domino introiit, quamuis in ius vocati: actionem iniuriarum in eum competere Offilus ait, ff. eod. l. si quis, 23.

Si statua patris tui in monumento posita saxis cæsa est: sepulchri violati agi non posse, iniuriarum posse Labeo ait, ff. eod. l. si statua, 27.

Constitutionibus principalibus cauetur: ea quæ infamandi alterius causa in monumenta publica posita sunt tolli de medio. Etiam ex lege Cornelia iniuriarũ actio ciuiliter moueri potest: condemnatione, ęstimatione iudicis facienda, ff. eod. l. constitutionibus, 37.

Senatusconsulto cauetur, ne quis imaginem imperatoris in inuidiã alterius portet, & qui contra fecit in vincula publica mittatur, ff. eod. l. senatus, 38.

Vestem sordidam rei nomine in publico habere, capillum ve submittere nulli licet; nisi ita coniunctus sit adfinitate, vt inuitos in reum testimonium dicere cogi non posит, ff. eod. l. vestem, 39.

Inferiorum ædium dominus superioris vicini fumigandi causa fumum faceret; aut si superior vicinas inferiores ædes, quid aut proiecerit, aut infuderit: Negat labeo iniuriarum agi posse, quod falsum putat Iabolenus, si tamen iniuriæ faciendæ causa immittitur, ff. eod. l. si inferiorum, 44.

De famosis libellis.

Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripsit, composuit, edidit, dolove malo fecit, quo quid eorum fieret: etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine: vti de ea re agere liceat lex Cornelia permittit; & si condemnatus sit, qui id fecit intestabilis ex lege esse iubetur. Eadem pœna ex senatusconsulto tenetur etiam is, qui inscriptiones, aliudve quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit, ff. de iniuriis, l. v. §. si quis librum.

Ait prætor, NE QVID INFAMANDI CAVSA FIAT, SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT PRO VT QVAEQVE RES ERIT ANIMADVERTAM. Hoc edictum superuacuum esse Labeo ait: quippè cum ex generali clausula agere possimus. sed videtur, & ipsi Labeoni, & ita se habet: prætorem eandem caussam secutum, voluisse & specialiter de ea re loqui: ea enim quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta, ff. eod. l. item apud, xv. §. ait prætor.

Generaliter vetuit prætor ad infamiam alicuius quid fieri. proinde quodcunque quis fecerit, vel dixerit, vt aliquem infamaret: erit actio iniuriarum, d. l. item apud, §. generaliter.

Hæc autem ferè sunt, quæ ad infamiam alicuius fiunt: vtputa si ad inuidiam alicuius veste lugubri vtatur, aut squalida: aut si barbam demittat, vel capillos submittat: aut si carmen conscribat vel proponat, vel cantet aliquid, quod pudorẽ alicuius lædat, d. l. item apud, §. hæc autem.

Quod autem ait Prætor. SI QVIS ADVERSVS EA FECERIT: PROVT QVAEQVE RES ERIT ANIMADVERTAM. sic accipiendum est; vt plenior sit prætoris animaduersio: id est, vt quidque eum mouerit, vel in persona eius, qui agit iniuriarum actione: vel eius aduersus quem agitur vel etiam in re ipsa. id est qualitate iniuriæ non audiat eum qui agit, dicta. l. item apud, §. quod autem.

Si quis libello suo, vel principi, vel alii famam alienam insectatus fuerit: iniuriarum erit agendum, vt Pomponius ait, d. l. item apud. §. si quis libello.

Diuus Seuerus Dionysio Dionegi, ita rescripsit: atrocis iniuriæ dãnatus in ordine decurionũ esse non potest: nec prodesse tibi debet error præsidum, aut eius, qui de te aliquid pronunciauerit: aut eorum, qui contra formam iuris man-

sisse

fisse te in ordine decurionum putauerint, ff. eod. l. Diuus, 40.

Iudici ab appellationibus conuicium fieri non oportet. alioquin infamia notantur, ff. eo. l. Iudici, 42.

Qui iniuriarum actionem per calumniam instituit: extra ordinem damnatur, ut exilium, aut relegationem, aut ordinis amotionem patiatur, ff. eod. l. qui iniuriarum, 43.

Pœna iniuriarum, quæ in iudiciis frequentata est, vt iudex vel tanti reum condemnet, quanti iniuriam passus æstimauerit, vel minoris pro vt ei visum fuerit. Nam secundum gradum dignitatis, vitæq; honestatem crescit, aut minuitur æstimatio pecuniæ, Inst. de iniuriis, §. pœna.

De iniuriis vnus extra ordinem ex causa & persona statui solet, ff. de iniur. l. fina. in princip.

In summa sciendum est, de omni iniuria eum, qui passus est, posse uel criminaliter agere, vel ciuiliter. & si quidem ciuiliter agitur, æstimatione facta, secundum ea, quæ dicta sunt, pœna reo imponitur. sin autem criminaliter officio, Iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur. hoc videlicet obseruando, vt viri illustres, quique super eos sunt, & per procuratores possint actionem iniuriarum criminaliter, vel ciuiliter persequi, vel suscipere, Inst. eo. §. in summa.

Iniuriarum actio in bonis nostris non computatur antequam litem cōtestemur, ff. eod. l. iniuriarum, 28.

Hac lege cornelia permittitur actori iusiurandum deferre, ut reus iuret iniuriarum se non fecisse, sed Sabinus in adecessorio etiam prætores exemplum legis secutos ait, & ita res se habet, ff. de iniuriis, l. quinta, §. hac lege.

Prætor edixit, QVI AGIT INIVRIARVM CERTVM DICAT, QVID INIVRIAE FACTVM EST: quia qui famosam actionem intendit, non debet vagari cum discrimine alienæ æstimationis: sed designare certum, & specialiter dicere, quam se iniuriam passum contendit, ff. eo. l. septi. in prin.

Quod autem ait Prætor, certum dicat, quemadmodum accipiendum est, certum eum dicere, Labeo ait, qui dicat nomen iniuriæ, neq; sub alternatione, puta illud, aut illud: sed illam iniuriam se passum. Si mihi plures iniurias feceris: puta turba, & cætu facto domum alicuius introeas, & hoc pacto efficiatur, vt simul, & conuitium patiar, & verberer: an possum separatim tecum experiri de singulis iniuriis, quæritur. & Marcellus secundum Neratii sententiam, hoc probat: cogendum iniurias, quas simul passus sit, coniungere, d. l. septima, §. quod autem.

Non solum is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, idest, qui percussit, verum ille quoque tenebitur, qui dolo fecit iniuriam, vel qui procurauit, vt cui mala pugno percuteretur, Inst. de iniuriis, §. nō solū, & ff. eo. l. non solum, 1. in princ.

Hæc actio ex bono, & equo est, & dissimulatione aboletur, ff. de iniuriis, l. non solum, xi. §. iniuriarum actio, & Inst. eo. §. fin.

Iniuriarum actio, neq; hæredi, neq; in hæredē datur, ff. eo. l. iniuriarū, 13. in prin.

Agere quis iniuriarum, & per se & per alium potest, vtputa per procuratorem, tutorē, cæterosq;, qui pro aliis solent interuenire, ff. eo. l. non solum, xi. §. agere.

Finis Libri Sexti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Septimus.

DE OBLIGATIONIBVS QVAE EX DELICTO NASCVNTVR.

Titulus. I.

SI iudex litem suam fecerit, non propriè ex maleficio obligatus videtur: sed quia non ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & utique peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam, ideo videtur quasi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re, æquum religioni iudicantis videbitur, pœnam sustinebit. Insti. de oblig. quæ ex quasi delict. nascun. in prin. & ff. de oblig. & actio. l. quarta, §. si iudex.

Aliud exemplum obligationis ex quasi delicto.

IS, ex cuius cænaculo, uel proprio ipsius, uel conducto, vel in quo gratis habitat, deiectum, effusumve aliquid est, ita, vt alicui noceret, quasi ex maleficio obligatus intelligitur. ideo autem non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerunque ob alterius culpam tenetur, cui similis est is, qui ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum, aut suspensum habet. quod potest, si ceciderit, alicui nocere: quo casu pœna decem aureorum constituta est. De eo vero, qui deiectum, effusumve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio, Insti. eodem. §. item is, ex cuius. & ff. de oblig. & actio. l. quarta, §. is quoque.

Si filiusfamilias seorsum à patre habitauerit, & quid cænaculo deiectum, effusumve fuerit, siue quid positum, suspensumve habuerit, cuius casus periculosus est, in patrem nulla est actio. sed cum ipso filio agendum est. Quod & in filiofamilias iudice obseruandum est, qui litē suam fecerit, Inst. eo. §. si filiusfa.

De

DE HIS, QVI EFFVDERINT VEL DEIECERINT. Titulus II.

PRætor ait de his, qui deiecerint, vel effuderint. VNDE IN EVM LOCVM, QVO VVLGO ITER FIET, VEL IN QVO CONSISTETVR, DEIECTVM, VEL EFFVSVM QVID ERIT: QVANTVM EX EA RE DAMNVM DATVM, FACTVMVE ERIT: IN EVM QVI IBI HABITAVIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. ff. de his, qui effud. l. prima. in prin.

Summa cùm vtilitate id prætorem ædixisse, nemo est, qui neget, publicè enim vtile est, sine metu, & periculo per itinera commeari, d. l. prima. §. summa cum.

Parui autem interesse debet, vtrum publicus locus sit, an verò priuatus: dummodo per eum vulgo iter fiat: quia iter facientibus prospicitur: non publicis uiis studetur: semper enim ea loca, per quæ vulgo iter fieri solet, eandem securitatem habere debent, cęterum si aliquando vulgus in illa via non commeabat, & tunc deiectum sit, vel effusum, cum adhuc secreta loca essent, & modo cæpit commeari: non debet hoc edicto teneri, d. l. prima, §. parui autem.

Quod cum suspenderetur decidit, deiectum videri: sed, & quod suspensum decidit, pro deiecto haberi magis est. proinde & si quid pendens effusum sit: quamuis nemo hoc effuderit, edictum tamen locum habere, dicendum est, d. l. prima §. quod cùm.

Hæc in factum actio in eum datur qui inhabitauit, cum quid deiiceretur, vel effunderetur, non in dominium ædium, culpa enim penes eum est. nec adiicitur culpæ mentio, vel inficiationis, vt in duplum detur actio: quamuis damni iniuriæ vtrunque exigat, d. l. prima. §. hæc in factum.

Hæc autem verba, SI VIVET, NOCITVMQVE EI ESSE DICETVR: non pertinent ad damna, quæ in rem hominis facta sunt, (si fortè vestimenta eius, vel quidquid aliud scissum, corruptumve est.) sed ad ea, quæ in corpus eius admittuntur, d. l. prima, §. hæc autem.

Si filiusfamilias cænaculum conductum habuit, & inde deiectum, vel effusum quid sit: de peculio in patrem non datur, quia non ex contractu venit, in ipsum itaque filium hæc actio competit, d. l. prima, §. si filiusfamilias.

Habitare dicimus, vel in suo, vel in conducto, vel gratuito. Hospes planè non tenebitur, qui ibi non habitet, sed paulisper hospitatur: sed is tenetur, qui hospitium dedit. Tantum autem interest inter habitatorem, & hospitum, quantum interest inter domicilium habentem, & peregrinantem si plures in cænaculo eodem habitent unde quid deiectum est; in quemuis hæc actio dabitur. Cùm sanè impossibile est scire, quis deiecisset. vel effudisset. Et quidem in solidum. sed si cum vno fuerit actum cæteri liberabuntur, d. l. prima. §. finali cum duobus ll. sequent.

Perceptione, non litis contestatione: præstaturi partem damni, societatis iudicio vel vtili actione ei, qui soluit, ff. eod. l. quarta.

Si vero plures diuiso inter se cænaculo habitent, actio in eum solum datur, qui inhabitat eam partem, vnde effusum est, ff. eo. l. quinta, in prin.

Si quis gratuitas habitationes dederit clientulis, vel suis, uel uxoris: ipsum eorum nomine teneri, Trebatius ait, quod verum est. idem erit dicendum, & si quis amicis suis modica hospitiola distribuerit. Nam, & si quis cænaculariam

exer-

exercens, ipse maximam partem cænaculi habeat: solus tenebitur, d.l. quinta, §. si quis.

Sed, & si quis hospitalia habeat æque solus tenebitur, d.l. quinta, §. sed si.

Sed si quis cænaculariam exercens, modicum sibi hospicium retinuerit, residuũ pluribus locauerit: omnes tenebuntur, qui in hoc cænaculo habitant, unde deiectum, effusumve est, d.l. quinta, §. sed si quis.

Interdum tamen, quo sine captione actoris fiat, oportebit prætorem æquitate motum potius dare actionem in eum ex cuius cubiculo, vel exhedra deiectum est, licet plures in eodem cænaculo habitent. quod d ex mediano cænaculi, quid deiectum sit: verius est, omnes teneri, d.l. quinta, §. Interdum tamen.

Si horrearius aliquid deiecerit, vel effuderit, aut conductor hypothecæ, vel qui in hoc duntaxat conductum locum habeat, vt ibi opus faciat, vel doceat, in factum actioni locus est, etiam si quis operantium deiecerit, vel effuderit, vel discentium, d.l. quinta, §. si horrearius.

Cum autem legis Aquiliæ actione propter hoc, quis condemnatus est: meritò ei, qui ob hoc, quod hospes, vel quis alius de cænaculo deiecit, condemnatus est, in factum dandam esse labeo ait aduersus deiectorem, quod verum est, planè si locauerit deiectori: etiam ex locato habebit actionem, d.l. quinta, §. cum autem.

Hæc autem actio, quæ competit, de effusis, & deiectis, perpetua est, & hæredi competit: in hæredem vero non datur. nam & pœnalis est, & popularis. Dummodo sciamus: ex pluribus desiderantibus hanc actionem, ei potissimum dari debere, cuius interest, vel qui adfinitate, cognationeve defunctum contingit, d.l. quinta, §. hæc autem actio.

Prætor ait, NE QVIS IN SVBGRVNDA PROTECTOVE SVPRA EVM LOCVM, QVO VVLGO ITER FIET, INVE QVO CONSISTETVR: ID POSITVM HABEAT, CVIVS CASVS NOCERE, CVI POSSIT. QVI ADVERSVS EA FECERIT: IN EVM SOLIDORVM DECEM IN FACTVM IVDICIVM DABO, d.l. quinta, §. prætor ait.

Hoc edictum superioris portio est, consequens etenim fuit, prætorem etiam in hunc casum prospicere: vt si quid in his partibus ædium periculosè positum esset, ne noceret, d.l. quinta, §. hoc edictum.

Ait prętor, NE QVIS IN SVBGRVNDA PROTECTOVE, hęc uerba, NE QVIS, ad omnes pertinent, vel inquilinos, vel dominos ædium: siue inhabitent, siue non habeant: tamen aliquid in his locis expositum. SVPRA EVM LOCVM, QVO VVLGO ITER FIET, INVE QVO CONSISTETVR ID POSITVM HABEAT. Accipere debemus POSITVM HABEAT: siue in habitationibus, vel cænaculis, siue etiam in horreis, uel cuius alterius ædificii positum habere etiam is rectè uidetur, qui ipse quidem non posuit, uerum ab alio positum patitur. Quare si filius posuerit; pater autem positum patiatur: non noxali iudicio pater, sed suo nomine tenebitur, d.l. quinta, §. ait prætor, NE.

Prætor ait, CVIVS CASVS NOCERE, CVI POSSIT; ex his verbis manifestatur, non omne, quod positum est, sed quicquid sic positum est, vt nocere possit: hoc solum prospicere prætorem, ne possit nocere, nec spectamus, vt noceat: sed omnino si nocere possit, edicto locus sit, coercetur autem, qui positum habuit: siue nocuit id, quod positum erat, siue non nocuit, d.l. quinta,

§. Præ-

§. Prætor ait, CVIVS.

Si id quod positum erat, deciderit, & nocuerit: in eum competit actio, qui posuit, non in eum, qui habitauit: quasi hæc actio non sufficiat, quia positum habuisse; non utique uidetur, qui posuit: nisi uel dominus fuit ædium, vel inhabitator. Nam cum pictor in pergula clypeum, vel tabulam expositam habuisset, eaq; excidisset, & transeunti damni quid dedisset, seruius respondit ad exemplum huius actionis dari oportere actionem. hanc enim non competere, palam esse: quia neque in subgrunda, neque in protectò tabula fuerat posita. Idem seruandum respondit, & si amphora ex resticulo suspensa decidisset, & damnum dedisset: quia & legitima, & honoraria actio deficit, d. l. quinta, §. si id, quod.

Ista autem actio popularis est, & hæredibus, similibusque competit: in hæredem autem non competit, quia pœnalis est, d. l. quinta, §. fin.

Hoc edictum non tantum ad ciuitates & uicos, sed & ad uias, per quas vulgo iter fit, pertinet Labeo ait locum habere hoc edictum, si interdiù deiectum sit non nocte. sed quibusdam locis, & nocte iter fit, ff. eo. l. pen. in prin.

Habitator suam suorumque culpam præstare debet. si de naue deiectum sit dabitur actio vtilis in eum, qui naui præpositus sit, d. l. pen. §. fin.

In Institutionibus Titulo de obligationibus, quæ ex quasi delicto nascuntur est obligatio sequens, quæ describitur.

Exercitor nauis, aut caupona, aut stabuli, de dolo aut furto, quod in naui, aut caupona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri uidetur, si modo ipsius nullum est maleficium, sed alicuius eorum, quorum opera nauem, aut cauponam, aut stabulum exercet. cum enim neque ex maleficio, neq; ex contractu sit aduersus eum constituta hic actio, & aliquatenus culpæ reus sit, quod opera malorum hominum uteretur, ideo quasi ex maleficio teneri uidetur, Inst. de obligat. quæ ex quasi Delic. Nasc. §. item exercitator.

FVRTI ADVERSVS NAVTAS CAVPONES TABVLARIOS. Titulus III.

IN eos, qui naues cauponas, stabula exercent, si quid à quoquo eorum, quos, quasve ibi habebunt, furtum factum esse dicetur: iudicium datur, siue furtum ope, & consilio exercitoris factum sit, siue eorum, cuius, qui in ea naui nauigandi causa esset. Nauigandi autem causa accipere debemus eos, qui adhibentur, ut nauis nauiget, hoc est nautas. Et in duplum actio est. cum enim in caupona, vel naui res perierit, ex edicto prætoris obligatur exercitor nauis, uel caupo, ita ut in potestate sit eius, cuius res subrepta sit, utrum malit cum exercitore honorario iure, an cum fure iure ciuili experiri. Quod si recipit saluum fore caupo uel nauta: furtiuam condictionem non dominus rei subreptæ, sed ipse habet: quia recipiẽdo periculũ custodiæ subiit. ff. fur. aduer. nau. cau. stab. l. vnica. in prin.

Caupo præstat factum eorum, qui in ea caupona eius cauponæ exercendę causa ibi sunt: item eorum, qui habitandi causa ibi sunt. Viatorum autem factum non præstat. namq; viatorem sibi eligere caupo, vel stabularius non videtur, nec repellere potest iter agentes, inhabitatores verò perpetuos ipse quodam

modo

modo elegit, qui non reiecit, quorum factum oportet eum præstare, in naui quoque vectorum factum non præstatur, d.l. unica. §. caupo.

In institutionibus eodem Titulo de obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur vltimo. §. tractatur de actione quæ competat ex obligationibus, ex quasi male officio. videlicet.

In his autem casibus in festum actio competit, quæ hæredi quidem datur, aduersus autem hæredem non competit. Inst. de oblig. quæ ex quasi delic. §. fin.

Finis Quintæ Partis.

Omnes sunt Terniones, præter ZZZZz, qui est duernio.

SEXTA PARS.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omissis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Primus.

DE ACTIONIBVS.

Titulus I.

SVPEREST, vt de Actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud est, quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Omnium autem actionum, quibus inter aliquos, apud iudices, arbitrosve de quacunq; re quæritur, summa diuisio in duo genera deducitur, aut enim in rem sunt, aut in personā. Namq; agit vnusquisq; aut cum eo, qui ei obligatus est, uel ex contractu, vel ex maleficio, quo casu proditæ sunt actiones in personam, per quas intendit aduersarium ei dare, aut facere oportere, & aliis quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo iure ei obligatus est, mouet autem ei de aliqua re controuersiam, quo casu proditæ actiones in rem sunt, veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum eius se esse dicat. nam si Titius, suam esse intendat, in rē actio est, Inst. de Actionib. in prin. & ff. de obl. & ac. l. nihil, 51.

Actionum genera sunt duo, in rem, quæ dicitur uindicatio; & in personam, quæ condictio appellatur. in rem actio est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus: & semper aduersus eum est, qui rem possidet. in personam actio est, qua cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandū, & semper aduersus eundē locū habet, ff. de obl. & act. l. actionū, xxv. in prin.

Actionum autem, quædam ex contractu, quædam ex peccato, quædam in factum

ſunt, ex contractu actio eſt, quoties quis ſui lucri cauſa cum aliquo contrahit, veluti emendo, uendendo, locando, conducendo, & cæteris ſimilib. ex peccato aut actio eſt, quoties ex eo, teneri quis incipit, quod ipſe admiſit, veluti ſi furtum, vel iniuriam commiſerit, uel damnum dederit, in factum actio dicitur qualis eſt, (exempli gratia) actio quę datur patri aduerſus filium, à quo contra edictum prætoris in ius uocatus eſt, d.l. actionum, §. actionum.

Ex contractibus uenientes actiones in hæredes dantur, licet delictum quoque verſetur: ueluti cum tutor in tutela gerenda dolo fecerit, aut is, apud quem depoſitum eſt, quo caſu etiam, cum filiusfamilias, quid tale commiſerit de peculio actio datur non noxalis, ff. eo. l. ex contractibus, xlix.

Omnes autem actiones, aut ciuiles dicuntur, aut honorariæ, dicta l. actionum, §. finali.

Actionis verbo continetur in rem, in perſonam, directa, utilis, præiudicium, ſicut ait Pomponius, ſtipulationes etiam, quæ prætoriæ ſunt: quia actionum inſtar obtinent: ut damni infecti legatorum, & ſi quæ ſunt ſimiles, interdicta quoque actionis verbo continentur, ff. eo. l. actionis, xxxvii. in prin.

Creditores eos accipere debemus, qui aliquam actionem, vel ciuilem habent (ſic tamen ne exceptione ſubmoueantur) vel honorariam, vel in factum, ff. eod. l. is cui, xlii. §. finali.

Hæreditariarum actionum loco habentur, & legata quamuis ab hærede cęperint, ff. eo. l. hæreditariarum, xl.

Plura delicta in una re, plures admittunt actiones, ſed non poſſe omnibus uti, probatum eſt. nam ſi ex una obligatione plures actiones naſcantur: una tantummodo, non omnibus utendum, ff. eo. l. plura, liii. in prin.

Nunquam actiones pœnales de eadem pecunia concurrentes alia, aliam conſumit, ff. eo. l. penult.

Actiones aduerſus patrem filio præſtari non poſſunt, dum in poteſtate eius eſt filius, ff. eod. l. ſeptima.

Filiusfamilias ſuo nomine nullam actionem habet, niſi iniuriarum, & QVOD VI AVT CLAM DEPOSITI, ET COMMODATI, ut Iulianus putat, ff. eodem l. nona.

Quotiens lex obligationem introducit, niſi ſi nominatim cauerit, vt ſola ea actione utamur, etiam veteres eo nomine actiones competere, clarum eſt, ff. eod. l. quotiens, xli. in prin.

Si ex eodem facto, duæ competunt actiones poſtea iudicis potius partes eſſe, ut quo plus ſit in reliqua actione, id actor ferat, ſi tantundem, aut minus: id conſequatur, d. l. quotiens, §. fin.

Data certæ pecuniæ quantitate ei, cuius meminiſti, inuicem debiti actiones tibi aduerſus debitorem, pro quo ſoluiſti, dicis eſſe mandatas, & ante, quam eo nomine litem conteſtateris, ſine hærede creditorem fati munus impleſſe proponis, quæ ſi ita ſunt, utilis actio tibi competit, C. de actionibus, & obligationibus, l. prima.

Animalibus in dotem datis: quamuis nec delegatio præceſſerit, nec lites conteſtatio ſubſecuta ſit: utilem tamen marito actionem ad ſimilitudinem eius, qui nomen emerit, dari oportere, ſæpe reſcriptum eſt, C. eo. l. ſecunda.

Ob cauſam proprii debiti locatoris conueniri colonos, penſionibus ex placito ſatisfacientes, per quam iniurioſum eſt, C. eo. l. tertia.

Si in ſolutum nomen debitoris ſui debitor tibi dedit tuus, ac te in rem tuam pro

curatorem

tuam procuratorem fecit: pignora, quæ specialiter, vel generaliter habes obligata persequere. Quod si ab his, quibus fuerant obligata, cum potiores erant, distracta probentur: emptoribus auocari non posse, perspicis, C. eod. l. sexta.

Si à creditore nomen comparasti, ea pignora, quæ venditor nominis persequi posset, apud præsidem prouinciæ uindica. Nam si debitum ex eius persona res obligatas tenentes non transferant: iure communi pignora distrahere non prohiberis sanè si creditoribus in ordine pignorum antecedentibus, uenundantibus, qui possident comparauerunt, vel longi temporis præscriptione muniti perhibentur: pignorum distrahendorum facultatem te non habere, perspicis, C. eod. l. septima.

Negantes debitores non oportet armata ui terreri, sed petitore quidem non implente suam intentionem, vel exceptione submoto, absolui conuictos autem condemnati, ac iuris remediis ad solutionem urgeri conuenit, C. eodem, l. negantes, nona.

Aduersus debitorem electis pignorib. personalis actio non tollitur: sed eo, quod de precio seruari potuit indebitum computato, de residuo manet integra, C. eod. l. aduersus, x.

Nimia credulitate circumuenta es, cum quod colonis in rem suam mutuo dedisti à domino prædii postulare posse credidisti: nec ad eum obligandum actorũ ipsius adiuuat te præsentia, C. eo, l. Nimia credulitate, xi.

Eum, cui mutuam dedisti pecuniam ad solutionem vrgere competenti debes actione. nam aduersus negociatores, quos ex mercibus pecuniam abstulisse tuo debitori proponis, nullam habes actionem, C. eo. l. pen.

Est in arbitrio uestro personali debitoris hæredes actione, an eum, qui ab his distracta, sibiq; tradita pignora tenet in rem seruiana (si non longi temporis pręscriptione munitus sit) an utrosq; conueniatis, C. eo. l. fin.

Hoc titulo generali de actionibus posito, vt pleno tractetur de actionibus incipiendum est à personalibus actionibus, & ab his, quæ ex contractu proficiscuntur, ideo sequitur titulus: si certum petatur.

SI CERTVM PETATVR.
Tit. II.

CErti condictio competit ex omni caussa, & ex omni obligatione, ex qua certum petitur, siue ex certo contractu petatur, siue ex incerto. licet enim nobis ex omni contractu certum condicere: dummodo præses sit obligatio. cæterum si in diem sit, vel sub conditione obligatio: ante diem, vel conditionem non potero agere. competit hæc actio etiam ex legati causa, & ex lege Aquilia, sed & ex causa furtiua per hanc actionem condicitur: sed & si ex Senatusconsulto agetur, competit hæc actio: Veluti si is, cui fiduciaria hæreditas restituta est agere uolet. Siue autem suo nomine quis obligatus sit, siue alieno: per hanc actionem rectè conuenietur, ff. de rebus credit. si cert. pet. l. nona, in princ.

Quoniam igitur ex omnibus contractibus, hæc certi condictio competit, siue RE fuerit contractus factus, siue uerbis, siue coniunctim, referendæ sunt nobis, quædam species, quæ dignum habent tractatum, an hæc actio ad petitionem earum sufficiat, d. l. nona, §. quoniam.

Numeraui tibi x. & hæc alii stipulatus sũ. nulla est stiplõ, an condicere x. per hanc actionẽ possĩ, quasi duob. ɔtractib. ĩteruenientib. vno, q̃ RE factus est, i. numera

tione, alioqui verbis, idque inutiliter, quoniam alii stipulari non potui, & verum est, posse, d. l. nona, §. numeraui.

Res pignori data, pecunia soluta condici potest, & fructus ex iniusta causa percepti, condicendi sunt. Nam & si colonus post lustrum completum fructus perceperit, condici eos constat: ita demum, si non ex uoluntate domini percepti sunt. Nam si ex uoluntate domini: proculdubio cessat condictio, ff. de rebus cred. si certum petatur, l. quarta, §. res pignori.

Quidam æstimarunt, neque eum, qui decem peteret cogendum quinque accipere, & reliqua persequi, neque eum, qui fundum suum diceret, partem duntaxat iudicio persequi, sed in utraque causa humanius facturus videtur prætor, si actorem compulerit ad accipiendum id, quod offertur: cum ad officium eius pertineat, lites deminuere, ff. eo. l. quidam, xxi.

Vinum, quod mutuum datum erat, per iudicem petitum est. quæsitum est, cuius temporis æstimatio fieret, utrum cum datum esset, an cum lis contestata fuisset, an cum res iudicaretur? Sabinus respondit, si dictum esset, quo tempore redderetur, quanti tunc fuisset, si non quanti tunc, cum petitum esset. Interrogatus cuius loci precium sequi oporteat? Iulianus respondit, si conuenisset, ut certo loco redderetur, quanti eo loco esset, si dictum non esset: quanti ubi esset petitum, ff. eo. l. Vinum, xxii.

Si eum equum, qui tibi legatus sit, quasi mihi legatum possederim, & uendiderim mortuo eo, posse te mihi precium condicere Iulianus ait, quasi ex re tua locupletior factus sim, ff. eo. l. si eum, xxiii.

Si quis certum stipulatus fuerit, ex stipulatu actionem non habet, sed illa condictitia actione, id persequi debet, per quam certum petitur, ff. eo. l. si quis, xxiiii.

Creditor, qui ad restitutionem ædificiorum credidit, in pecuniam, quam credidit, priuilegium exigendi habebit, ff. eod. l. creditor, xxv.

Cum fundus, vel equus per condictionem petitus est, nos hoc iure utimur, ut post iudicium acceptum causa omnis restituenda sit, idest omne, quid habiturus esset actor, si lites contestandæ tempore solutus fuisset, ff. eo. l. cum fundus, xxxi. in principio.

Pecuniam, quam mihi sine conditione debebas. iusso meo promisisti, Attio sub conditione, cum pendente conditione in eodem statu sit obligatio tua aduersum me, tanquam si sub contraria conditione eam mihi spopondisses, si pendente conditione petam, an nihil acturus sim? respondit Iabolenus, non dubito, quin ea pecunia, quam ipse sine conditione stipulatus sum (etiam si conditio in persona Attii, qui ex mea voluntate eandem pecuniam sub conditione stipulatus est non extiterit) credita esse permaneat. perinde est enim ac si nulla stipulatio interuenisset. pendente autem causa conditionis iidem petere non possum, quoniam cum incertum sit, an ex ea stipulatione deberi possit, ante tempus petere uideor, ff. eo. l. pecuniam, xxxvi.

Si ego decem stipulatus à Titio, deinceps stipuler à Seio, quanto minus à Titio consequi possim, si decem petiero à Titio, non liberatur Seius. Alioquin ne quidquam mihi caueatur. At si iudicatum fecerit Titius, nihil ultra Seius tenebitur. Sed & si cum Seio egero, quantumcunque est, quo minus à Titio exigere potero, eo tempore, quo iudicium inter me, & Seium acceptum est, tantominus postea à Titio petere posum, ff. eo. l. fi. in prin.

Labeo ait, cum decem dari, curari stipulatus sis, ideo non pose te præcisè decem dari oportere intendere, quia etiam reũ locupletem dando promisor liberari posit.

posſit. quo ſcilicet ſignificat: non eſſe cogendum eũ accipere iudicium, ſi reum locupletem offerat, d. l. fin. §. fin.

Quamuis pecuniam tuam Aſclepiades ſuo nomine crediderit: ſtipulando tamen ſibi ius obligationis quæſiuit, quam pecuniam, vt poſsis petere: mandatis tibi ab eo actionibus conſequeris, C. ſi certum pet. l. ſecunda.

Si non ſinguli inſolidum accepta mutua quantitate, vel ſtipulanti creditori ſponte vos obligaſtis, licet uni numerata ſit pecunia, vel non interceſsionis nomine hanc pro reo ſuſcepiſtis obligationem: fruſtra verimini, ne eius pecuniæ nomine vos conuenire poſsit, quam alii mutuo dedit, ſi intra preſtitutum tempus rei geſta quæſtionem detuliſtis, ac multo magis inanem timorem geritis, ſi pecunia numerata oleum ſuſceptum inſtrumento ſit collatum: cum ſi de reddendo oleo ſtipulatio nulla ſubiecta eſt, & huius rei habita eſt ſolennis conteſtatio, in ſuo ſtatu remanente eo, quod verè factum interceſſit, ex olei accepti ſcriptura, nihil deberi manifeſtum ſit, C. eod. l. quinta.

Si ex pretio debitæ quantitatis facta nouatione per ſtipulationem intereſſe licitum ab eo, contra quem ſupplicas, ſtipulatus es: falſa mutuæ datæ quantitatis demonſtratio præmiſſa, cum obligationis ſubſtantia non defecerit, quo minus vſque admodum placitum intereſſe poſsit exigi, nihil nocet. Si verò citra uinculum ſtipulationis tantum mutuam pecuniam datam conſcriptum eſt, & eius præſtari intereſſe conuenit, ſimulatis pro infectis habitis, huiuſmodi placitum nihil de præcedenti mutauit obligatione, C. eo. l. ſexta.

Si pro mutua pecunia, quàm à creditore poſcebas, argentum, vel iumenta, uel alias ſpecies vtriuſque conſenſu æſtimatas accepiſti, dato auro pignori: licet ultra legitimum intereſſe ſtipulanti ſpopondiſti: tamen ſors, quæ æſtimatione placito partium definita eſt, & intereſſe titulo legitimo tantum rectè petitur, nec quidquam tibi prodeſſe poteſt, quominoris eſſe precii pignus, quod dediſti proponis, quominus huius quantitatis ſolutionis pareas, C. eodem. l. ſi pro mutua, octaua.

Cùm te in Gallia cum Syntropho certum auri pondus, itemque numeratam pecuniam mutuo dediſſe, vt Romæ ſolueretur, precibus adſeueras: aditus competens iudex, ſi duos reos ſtipulandi, vel re pro ſolido tibi quæſitam actionem, ſiue ab hæredibus Syntrophi procuratorem te factum animaduerteret: totum debitum alioquin, quod dediſti, ſolum reſtitui tibi iubebit, C. eod. l. cum te, ix.

Eo, quod à multis proprii debiti ſingulorum obligationis uno tantum inſtrumento probatio continetur, exactio non interpellatur. Nam ſi pro pecunia, quam mutuo dediſti, tibi uinum ſtipulanti, qui debuerant, ſpoponderunt: negocii geſti pœnitentia rectè habitum contractum non conſtituit irritum, C. eodem, l. eo, quod, x.

Incendium ære alieno non exuit debitorem, C. eo. l. incendium, xi.

Si in rem communem cum Ione mutuam ſumpſiſti pecuniam, nec re, nec ſolennitate verborum te obligaſti inſolidum: & ſi eam poſt integram ſoluiſti: de reſtituenda tibi parte contra Ionem experiri, ut debitum poſceres iudice cognoſcente potes, C. eo. l. ſi in rem, xii.

Eum, qui mutuam ſumpſit pecuniam, licet in res alienas, creditore non contemplatione domini rerum eam dante, principaliter obligatum, obnoxium remanere oportet, C. eo. l. eum, xiii.

Mutuæ pecuniæ, quam aliis dedit, creditor, citra ſolennitatem verborum ſubſcribentem inſtrumento non habet obligatum, C. eo. l. mutuæ, xiiii.

Non aduersus te creditores, qui mutuam sumpsisti pecuniam, sed eius, cui hanc crediderás, hæredes experiri: contra iuris formam euidenter postulas, C. eodem. l. non aduersus. xv.

Quia in obligationibus R E post obligationem mutui, sequitur de obligatione indebitè recepti, meritò post titulum, Si certum petatur, sequitur de condictione indebiti.

DE CONDICTIONE INDEBITI. Titulus III.

NVnc videndum de indebito soluto, & quidem si quis indebitum ignoras soluit: per hanc actionem condicere poterit; sed si sciens se non debere soluerit, cessat repetitio, ff. de condit. indeb. l. prima. Hæc condictio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum, sine causa deprehenditur, reuocare consueuit, ff. eod. l. penult.

Si quis sic soluerit, ut si apparuisset esse indebitum, vel Falcidia emerserit, reddatur: repetitio locum habebit, negocium. n. contractum est inter eos. si quid ex testamento solutum sit, quod postea falsum, uel inofficiosum, uel irritum, uel ruptum apparuerit, repetetur. Sed & si post multum tempus emerserit æs alienum, vel codicilli diu celati prolati sunt, qui ademptionem continent legatorum solutorum, vel deminutionem per hoc, quia aliis quoque legata relicta sunt. Nam Diuus Adrianus circa inofficiosum, & falsum testamentum rescripsit, actionem dandam ei, secundum quem de hæreditate iudicatum esset, ff. eod. l. secunda.

Idem est, & si solutis legatis noua, & inopinata caussa hæreditatem abstulit: ueluti nato posthumo, quem hæres in utero fuisse ignorabat: uel etiam ab hostibus reuerso filio, quem pater obiisse falso præsumpserat. Nam utiles actiones posthumo, vel filio, qui hæreditatem euicerit, dari oportere in eos, qui legatũ perceperunt. Imperator Titius Antoninus rescripsit; scilicet quod bonæfidei possessor, inquantum locupletior factus est, teneatur. nec periculum huiusmodi nominum ad eum, qui sine culpa soluit, pertinebit. Et idem est, & si aliud testamentum proferatur, ff. eo. l. tertia, & quarta.

Nec nouum est, vt quod alius soluit, alius repetat. Nam & cum minor uigintiquinque annis inconsultè adita hæreditate, solutis legatis, in integrum restituitur. non ipsi repetitionem competere, sed ei, ad quem bona pertinent ab Arriano Titiano rescriptum est, ff. eo. l. quinta.

Si procurator tuus indebitum soluerit, & id tu ratum non habeas: posse repeti, Labeo scripsit, quod si debitum fuisset; non posse repeti. Celsus: ideo, quia cum quis procuratorem rerum suarum constituit: id quoque mandare uideatur, ut soluat creditori: neque postea expectandum sit, ut ratum habeat. Idem Labeo ait: si procuratori indebitum solutum sit, & dominus ratum non habeat posse repeti, ff. eo. l. sexta, in princ.

Celsus ait eum, qui procuratori debitum soluit, continuo liberari, neq; ratihabitionem considerari, quod si indebitum acceperit: ideo exigi ratihabitionem. quoniam nihil de hoc nomine exigendo mandasse videatur. & ideo si ratum non habeatur: repetendum à procuratore. Iulianus ait, neque tutorem, neque procuratorem soluentes repetere posse, neque interesse suam pecuniam, an pupilli, vel domini soluant, d. l. sexta, §. Celsus ait.

Quod indebitũ per errorem soluitur: aut ipsum, aut tantundẽ repetitur, ff. eo. l. 7.

Quod

Quod nomine mariti,qui soluendo non est,alias mulieri soluit:repetere non potest,ideo quia debitum est mulieri. Nam & maritus si, cùm facere, nihil possit, dotem soluerit in ea causa est,ut repetere non possit,ff.eod.l.octaua,& sequen.

In diem debitor adeo debitor est, vt ante diem solutum repetere non possit. ff. eod.l.in diem,x.

Si is,cum quo de peculio actum est,per imprudentiam plus,quàm in peculio esset soluerit,repetere non potest,ff.eod.l.si is,xi.

Si fundi mei vsumfructum tibi dedero,falso existimans me eum tibi debere: & antequam repetam,decesserim condictio eius ad hæredem quoque meum trãsibit,ff.eod.l.si fundi,12.

Item quod pupillus sine tutoris authoritate mutuum accepit, & locupletior factus est:si pubes factus,soluat,non repetit. Nam hoc natura æquum est. neminẽ cum alterius detrimento fieri locupletiorem,ff.eod.l.Naturaliter, 13.§.finali, cum l.sequen.

Indebiti soluti condictio naturalis est,& ideo etiam quod rei solutæ accesit, venit in condictionem,vt puta fœtus,qui ex æqua natus est: vel quod alluuione accesit.imo,& fructus,quos is,cui solutum est bona fide perceperit,in condictionem venient.ff.eod.l.indebiti,15.in prin.

Sed & si numi alieni dati sunt:condictio competit, vt vel possesio eorum reddatur: quemadmodum,& si falso existimãs possesionem me tibi debere alicuius rei,tibi tradidissem,condicerem.sed & si possesionem tuam fecissem, & ita tibi per longi temporis præscriptionem auocari non possit,etiam sic rectè tecum per indebiti condictionem agerem.sed & si vsusfructus in re soluta alienus sit: deducto vsufructu à te condicam,d.l.indebiti,§.fin.

Sub conditione debitum per errorem solutum,pendente quidem condictione repetitur: condictione autem existente repeti non potest.Quod etiam sub incerto die debetur,die existente,non repetitur. Nam & si CVM MORIAR dare promisero,& antea soluam: repetere me non posse,Celsus ait,quæ sententia vera est.ff.eod.l.sub condictione,16.& l.seq.

Quod si ea condictione detur,quæ omni modo extitura sit: solutum repeti non potest:licet sub alia condictione,quæ an impleatur incertum est,si ante soluatur,repeti possit,ff.eod.l.quid si,xviii.

Si pœnæ causa eius,cui debetur,debitor liberatus sit; naturalis obligatio manet, & ideo solutum repeti non potest,ff.eod.l.si pœnæ,19.in principio.

Pœnæ non solent repeti,cum dispensæ sunt,ff.eod.l.pœnæ,42.

Quamuis debitum sibi quis recipiat:tamen is,qui dat non debitum dat; repetitio competit.veluti si is,qui hæredem se,vel bonorum possessorem falso existimans creditori hæreditario soluerit. hic enim neque uerus hæres liberatus erit,& is,quod dedit repetere poterit.Si falso existimans debere,tibi numos soluero,qui pro parte alieni,pro parte mei fuerunt.eius summæ partem dimidiã non corporum condicam, d.l.si pœnæ,19.§.quamuis.

Si putem me equum,aut bouem debere,cum equum debeam,& bouem soluam;repetam quasi indebitum solutum;nec enim pro eo,quod debeo, uideor id soluisse,d.l.si pœnæ,§.si putem.

Si duo rei,qui decem debebant,viginti pariter soluerint,Celsus ait,singulos quina repetituros,d.l.si pœnæ,§.finali.

Si reus,& fideiussor pariter soluerint,in hac causa non differũt à duobus reis promittendi quare omnia,quæ de his dicta sunt, & ad hos transferre licebit, ff.eod.

ff. eodem, l. si reus. xx.

Planè si duos reos non eiusdem pecuniæ, sed alterius obligationis constitueris (vt puta equi, & bouis) & pariter duos datos, aut togam, vel denarios mille: non idem dici poterit in repetitione, vt partes repetant, quia nec soluere ab initio sic poterunt. igitur hoc casu electio est creditoris, cui velit soluere: vt alterius repetitio impediatur, ff. eod. l. plane, 21.

Sed & si me putem tibi, aut Titio promisisse: cum aut neutrum factum sit, aut Titii persona in stipulatione comprehensa non sit, & Titio soluero: repetere à Titio potero. cum iter excipere deberem, fundum liberum per errorem tradidi, incerti condicam, vt iter mihi concedatur, ff. eod. l. sed & si, 22.

Eleganter Pomponius quærit: si quis suspicetur transactionem factam ab eo, cui hæres est, vel ab eo, cuius procurator est: & quasi ex transactione dederit, quæ facta non est: an locus sit repetitioni: & ait repeti posse. ex falsa enim causa datum esse. idem dicendum est, & si transactio secuta non fuerit propter quam datum est, sed etiam si resoluta sit transactio. idem erit dicendum, ff. eod. l. eleganter, 23. in princ.

Si post rem iudicatam quis transegerit, & soluerit, repetere poterit idcirco, quia placuit transactionem nullius momenti esse. hoc. n. Imperator Antoninus cum Diuo patre suo rescripsit. retineri tamen, atque compensari in causam iudicati quod ob talem transactionem solutum est, potest. quid ergo si appellatũ sit, vel hoc ipsum incertum sit, an iudicatum sit, vel an sententia valeat? magis est, vt trãsactio vires habeat. tunc enim rescriptis locum esse credendum est, cum de sententia indubitata, quæ nullo remedio attentari potest, transigitur. Item si ob transactionem alimentorum testamento relictorum datum sit; apparet posse repeti, quod datum est; quia transactio senatusconsulto infirmatur, d. l. eleganter, §. si post rem.

Si quis post transactionem nihilominus condemnatus fuerit dolo quidem id fit, sed tamen sententia valet. potuit autem is, (si quidem ante litem contestatam transegerit) volenti litem contestari, opponere doli exceptionem. sed & si post litem contestatam transactum est; nihilominus poterit doli exceptione uti post secuti. dolo enim facit, qui contra transactionẽ expertus, amplius petit, & ideo condemnatus repetere potest, quod ex causa transactionis dedit, sanè quidem ob causam dedit. neque repeti solet, quod ob causam datum est, causa secuta. sed hic non videtur causa secuta, cum transactioni non stetur. Cùm ergo repetitio eius oritur; transactionis exceptio locum non habet; neque enim utrunq; debet locum habere, & repetitio, & exceptio, d. l. eleganter, §. si quis.

Si qua lex ab initio dupli, vel quadrupli statuit actionem, dicẽdum est, solutum ex falsa eius causa, repeti posse, d. l. eleganter, § finali.

Si is, qui perpetua exceptione tueri se poterat, cum sciret sibi exceptionem profuturam promiserit aliquid, vt liberaretur, condicere non potest, ff. eodem, l. si is qui, xxiiii.

Cum duo pro reo fideiussissent in decem, deinde reus tria soluisset, & postea fideiussores quina, placuit eum, qui posterior soluisset, repetere tria posse. hoc merito, quia tribus à reo solutis, septem sola debita supererant, quibus persolutis tria indebitò soluta sunt, ff. eod. l. cum duo. 25.

Si fideiussor iure liberatus, soluerit errore pecuniam, repetenti non oberit. si verò reus promittendi per errorem, & ipse postea pecuniam soluerit, non repetet, cũ prior solutio, quæ fuit irrita, nec naturale uinculum dissoluit, nec ciuile, si reus

promit-

promittendi tenebatur, ff. eod. l. si fideiussor, 59.

Si non sortem quis sed interesse debitum soluit: repetere nō poterit soluto interesse. Sed si supra legitimum modum soluit: Diuus Seuerus rescripsit (quo iure utimur) repeti quidem non posse, sed sorti imputandum: & si postea sortem soluit, sors, quasi indebita repetetur, quod si simul soluerit: poterit dici, & tunc repetitionem locum habere, ff. eod. l. si non sortem, 26. in principio.

Si quis falsò se sortem debere credens, interesse soluerit: potest condicere, nec uidetur sciens indebitum soluisse, d. l. si non sortem, §. si quis falsò.

Indebitum autem solutum accipimus, non solum si omnino non debeatur, sed & si per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat, quare hoc quoque repeti poterit: nisi sciens se tutum exceptione soluit. d. l. si non sortē, §. indebitū.

Si centum debens quasi ducenta deberem, fundum ducentorum solui: competere repetitionem, Marcellus libro vicesimo Digestorum scribit, & in centum manere stipulationem: tamen si ex falsa debiti quantitate maioris pretii res soluta est: non fit confusio partis rei cum pecunia: nemo enim inuitus compellitur ad communionem. Sed & condictio integræ rei manet, & obligatio incorrupta, ager aut retinebitur, donec debita pecunia soluatur, d. l. si non sortē, §. si centū.

Idem Marcellus dicit, si cum fundi pars mihi deberetur, quasi totus deberetur, æstimatione facta, solutio pecuniæ solidi pretii fundi facta sit: repeti non posse non totum pretium, sed partis indebitæ pretium, d. l. si non sortem, §. idem Marcellus.

Adeo autem perpetua exceptio parit condictionem, vt Iulianus scripserit: si emptor fundi damnauerit hæredem suum, vt venditorem à nexu venditi liberaret mox venditor ignorans, rem tradiderit: posse eum fundum condicere. idemq; & si debitorem hæredem suum damnauerit, liberare & ignorans soluerit, d. l. si non sortem, §. Adeo autem.

Qui filiofam. l. soluit, cum esset eius peculiaris debitor: si quidem ignorauit ademptum ei peculium, liberatur, si scit, & soluit: condictionem non habet, quia sciēs indebitum soluit, d. l. si non sortem, §. qui filiofam.

Filiusfam. contra Macedonianum mutuatus si soluerit, & patri suo hæres effectus velit vindicare numos, exceptione submouebitur à vindicatione numorum. d. l. si non sortem, §. filiusfamilias.

Si quis quasi ex compromisso condemnatus falso soluerit: repetere potest. Hæredi, vel bonorum possessori (si quidem defendat hæreditatem) indebitum solutum condici poterit. Si vero is non defendat: etiam debitum solutū repeti potest. d. l. si non sortem, §. si quis.

Hæreditatis possessori, si quidem defendat hæreditatem, indebitum solutum condici poterit. Si vero is non defendat etiam debitum solutum repeti potest, d. l. si non sortem. §. hæreditatis.

Si decē aut equū stipulatus soluā quinque quæritur, an possim condicere? quęstio ex hoc descēdit an liberer ī quinque. Nā si liberor, cessat cōdictio, si nō liberor cōdictio erit. placuit aūt (vt Celsus, & Marcellus scripsit) nō perimi partē dimidiā obligationis. ideoq; eum, qui quinque soluit in pendenti habendū, an liberetur: petique posse ab eo reliqua quinque aut equum, & si præstiterit residua quinque: videri eum & priora debita soluisse. sin autem equum præstitisset. quinque eum posse condicere, quasi indebita. sic posterior solutio comprobat, priora quinque vtrum debita, an indebita soluerētur. Sed & si post soluta quinque, & equus soluatur, & malim ego habere quinque, & equum reddere, an sim

audien-

audiendus, quærit Celsus? & putat natam in quinque condictionem: quamuis vtroque simul soluto, mihi retinendi, quod vellem arbitrium daretur, d.l. si non sortem, §. si decem.

Item si duo hæredes sint stipulatoris: non sic poterit, alteri quinque solutis, alteri partem equi solui. idem & si duo sint promissoris hæredes. secundum quæ liberatio non contingit: nisi aut vtrique quina, aut vtrique partes equi fuerint solutæ, d.l. si non sortem, §. finali.

Qui loco certo debere existimans, indebitum soluit, quolibet loco repetet. non enim existimationem soluentis eadẽ species repetitionis sequitur, ff. de cond. ind. l. qui certo loco, 27.

Iudex si male absoluerit, & absolutus sua sponte soluerit. repetere non potest, ff. eodem, l. iudex, 28.

Interdum persona locum facit repetitioni: vtputa si pupillus sine tuthoris auctoritate, vel furiosus, vel is, cui bonis interdictum est, soluerit. Nam in iis personis generaliter repetitioni locum esse non ambigitur, & si quidem exstant numi vindicabuntur: pro consumptis verò condictio locum habebit. ff. eodem, lege interdum, 29.

Qui inuicem creditor, idemque debitor est, in casibus, in quibus compensatio locum non habet, si soluit, non habet condictionem, veluti indebiti soluti, sed sui crediti repetitionem, ff. eod. l. qui inuicem, 30.

Is, qui plusquam hæreditario portio efficit per errorem creditori cauerit: indebiti promissi habet condictionem. ff. eod. l. Is, qui plus, 31.

Cum is, qui equum, aut bouem debet, simul vtrunque soluerit: si posteaquam vtrũque soluit, aut vterque, aut alter ex his desierit in rerum natura esse, nihil repetere potest: id enim remanebit in soluto, quod superest, ff. eod. l. cùm is, qui. 32. in principio.

Fideiussor cum paciscitur, ne ab eo pecunia petatur, & per imprudentiam soluerit: condicere stipulatori poterit. idque eo, quia reus quidem manet obligatus ipse autem sua exceptione tutus est. nihil autem interest fideiussor, an hæres eius soluerit. quod si huic fideiussori reus hæres exstiterit, & soluerit. nec repetet sed liberabitur. d.l. cùm is, §. fideiussor.

Si in ea opinione sit mulier, vt credat se pro dote obligatam. quicquid dotis nomine dederit, non repetit. sublata enim falsa opinione, relinquitur pietatis causa, ex qua solutum repeti non poterit, d.l. cum is, §. mulier.

Qui equum generaliter promisit, similis est ei, qui equum, aut decẽ debet. & ideo si cum existimaret se equum persicum promisisse, eum dederit: condicet, alium autem quemlibet dando liberari poterit. d.l. cùm is, §. fin.

Si in area tua ædificassem, & tu ædes possideres, condictio locum non habebit: quia nullum negocium inter nos contraheretur. nam is, qui non debitam pecuniam soluit hoc ipso aliquid negocii gessit. Cum autem ædificium in area sua ab alio positum, dominus occupat, nullum negocium cõtrahit. Sed si is, qui in aliena area ædificasset, ipse possessionem tradidisset: condictionem non habebit: quia nihil accipientis faceret, sed suam rem dominus habere inciperet, & ideo constat, si quis cum existimaret se hæredem esse, insulam hæreditariam fulsisset nullo alio modo, quam per retentionem impensas seruare posse, d.l. si in area, 33.

Is, cui hæreditas tota per fideicommissum relicta est, & præterea fundus, si decem dedisset hæredi: si hæres suspectam hæreditatem dixerit, & eam ex Trebelliano

no restituerit: caussam dandæ pecuniæ non habet,& ideo quod eo nomine,qua si implendæ condictionis gratiæ dederit,condictione repetet, ff. eodem, lege is,cui. 34.

Si quis,cum à fideicommissario sibi cauere poterat,non cauerit: quasi indebitum eum plus debito solutum repetere posse,diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt,ff.eod.l.si quis,39.

Qui ob rem non defensam soluerit,(quamuis postea defendere paratus est)nõ repetet,quod soluit,ff.eod.l.ob rem.35.

Frater à fratre cum in eiusdem potestate esset,pecuniam mutuatus, post mortem patris ei soluit,quæsitum est an repetere possit? respondit. Africanus vtique quidem pro ea parte,qua ipse hæres patri extitisset, repetiturum. pro ea vero, qua frater hæres exstitisset: ita repetiturum,si non minus ex peculio suo ad fratrem peruenisset. naturalem enim obligationem,quæ fuisset,hoc ipso sublatam videri,quod peculii partem frater sit consecutus: adeo vt si prælegatum filio ei demque debitori fuisset,deductio huius debiti,à fratre ex eo fieret. idque maximè consequens esse ei sententiæ, quàm Iulianus probaret, si extraneo quid debuisset,& ab eo post mortem patris exactum esset: tantum iudicio eum famili æ erciscundæ recuperaturum à cohæredibus fuisse quantum ab iis creditor actione de peculio consequi potuisset. igitur si re integra familiæ erciscundæ agatur: ita peculium diuidi æquum esse,vt ad quantitatem eius indemnis à cohæredibus prǣstetur. porrò eum,quem aduersus extraneum defendi oporteret: longè magis in eo quod fratri debuisset indemnem præstandum. Quæsitum est si pater filio crediderit,isque emancipatos soluat,an repetere possit? respondit. Africanus si nihil ex peculio apud patrem remanserit,non repetiturum. nã manere naturalem obligationem argumento esse,quod extraneo agente intra annum de peculio,deduceret pater,quod sibi filius debuisset. contra si pater, quod filio debuisset,eidem emancipato soluerit: non repetet. Nam hic quoq; manere naturalem obligationem,eodem argumento probatur. quod si extraneus intra annum de peculio agat,etiam quod pater ei debuisset,computetur. eademque erunt,& si extraneus hæres exhæredato filio soluerit id, quod ei pater debuisset,ff.eod.l.frater.38.

Pro intelligentia prǣsumitur ambo fraus habuisse peculia profectitia, & fratrẽ qui mutuam pecuniã soluit esse Titium. cum cui solutum est Seium.

Si emancipatus filius patri non succesit quicquid indebitum per errorem(vtputa patris successor dedit,eius condictionem sibi competere non est incerti iuris,C.eod.l.quinta.

Qui exceptionẽ perpetuam habet,solutum per errorem repetere potest. Sed hoc non est perpetuum. nam si quidem eius causa exceptio datur, cum quo agitur: solutum repetere potest,vt accidit in Senatusconsulto de intercessionibus. vbi verò in odium eius cui debetur,exceptio datur. perperam solutum non repetitur,veluti si filiusfam. contra Macedonianum mutuam pecuniam acceperit, & paterfam. factus soluerit: non repetit,ff.eod.l.qui exceptionem. 40. in prin.

Si pars domus,quæ in diem per fideicommissum relicta est,arserit ante diem fidei commisso cedentem,& eandem hæres sua impensa refecerit: & deducendam esse impensam ex fideicommisso constat,& si sine deductione domum tradiderit: posse incerti condici,quasi plus debito dederit, d. l. qui exceptionem, §. si pars domus.

Quod pupillus sine tutoris authoritate stipulanti promiserit,& soluerit: eius repetitio est,quia nec natura debet,ff. eod.l. quod pupillus,41.

Cùm in debitum impuberis nomine tutor numerauit, impuberis condictio est. ff.eod.

ff.eodem,l.cum indebitum,57.in principio.

Tutores pupilli quibusdam creditoribus patris ex patrimonio paterno soluerunt: sed postea non sufficientibus bonis,pupillum abstinuerunt. quæritur an quod amplius creditoribus per tutores pupilli solutum est, vel totum quod acceperunt,restituere debeant: Respondit Scæuola si nihil dolo tutoris factum esset, tutori quidem,vel pupillo non deberi: creditoribus autem aliis in id, quod amplius sui debiti,solutum est teneri,ff.eod.l.tutores,lxi.

Tutor creditori pupilli sui plus quàm debebatur,exsoluit: & tutelæ iudicio pupillo non imputauit,quæritur an repetitionem aduersus creditorem haberet: respondit Scæuola habere,ff.eod.l.finali,§.tutor.

Si quis iurarit se dare non oportere ab omni contentione discedetur: atque ita solutam pecuniam repeti posse dicendum est,ff.eod.l.si quis,43.

Si is,qui hæreditatem vendidit,& emptori tradidit, id, quod sibi mortuus debuerat,non retinuit,repetere poterit,quia plus debito solutum per condictionem rectè recipitur,ff.eod.l.si is,qui.45.

Qui hæredis nomine legata non debita ex numis ipsius hæredis soluerit, ipse quidem repetere non potest: sed si ignorante hærede numos eius tradiderit: dominus eos rectè vindicabit,eadem causa rerum corporalium est, ff. eod. l. qui hæredis 46.

Indebitam pecuniam per errorem promisisti,eam,qui pro te fideiusserat soluit, si nomine tuo soluerit fideiussor: tu fideiussori, stipulatorque tibi obligatus erit, nec expectandum erit,vt ratum habeas: quoniam potest videri idipsum te mandasse,vt tuo nomine solueretur. sin autem fideiussor suo nomine soluerit quod non debebat: ipse à stipulatore repetere potest, quoniam indebitum iuregentium pecuniam soluit,quod minus autem consequi poterit ab eo, cui soluit à te mandati iudicio consecuturus est: si modo per ignorantiam petentem exceptione non submouerit,ff.eod.l.indebitam,xlvii.

Qui promisit,si aliquid à se factum sit,vel cum aliquid factum sit, dare se decem: si priusquam id factum fuerit,quod promisit, dederit: non videbitur fecisse, quod promisit,atque ideo repetere potest,ff.eod.l.qui promisit.48.

His solis pecunia condicitur,quibus quoquomodo soluta est, non quibus proficit,ff.eod.l.his solis,49.

Si vrbana prædia locauerit prędo: quod mercedis nomine acceperit ab eo,qui soluit,non repetetur: sed domino erit obligatus.idemque iuris erit in vecturis nauium,quas ipse locauerit,aut exercuerit. Sed & si vecturas nauium,quas dominus locauerat. item pensiones insularum acceperit: ob indebitum ei tenebitur, qui non est soluendo liberatus,quod ergo dici solet prædoni fructus posse condici: tunc locum habet,cum domini fructus fuerunt,ff.eod.l.si vrbana, 55.

Sufficit ad causam indebiti,incertum esse,temporaria sit, an perpetua exceptionis defensio. Nam si quis ne conueniatur,donec Titius consul fiat paciscatur, quia potest Titio decedente perpetua fieri exceptio, quæ ad tempus est: Titio consulatum ineunte, summa ratione dicetur, quod interim soluitur, repeti. vt enim pactum,quod in tempus certum collatum est, non magis inducit condictionem,quam si debitor ex ea die soluisset,ita prorsus defensio iuris, quæ causam incertam habet,condictionis instar obtinet,ff.eod.l.sufficit,56.

Creditor,vt procuratori suo debitum redderetur mandauit. maiore pecunia soluta,procurator indebiti causa conuenietur. quod si nominatim, vt maior pecunia solueretur,delegauit: indebiti cum eo,qui delegauit: erit actio, quę non videtur

detur

detur adempta, si frustra cum procuratore lis fuerit instituta, ff. eod. l. cum indebitum, 57. §. creditor.

Creditoris falso procuratori soluenti aduersus eum indebiti repetitio, non obligationis liberatio competit, C. eod. l. octaua.

Fideicommissum in stipulationem deductum: tametsi non debitum fuisset: quia tamen à sciente fidei explendæ causa promissum esset, debetur, ff. eod. l. fideicommissum. 62.

Fideicommissum, vel legatum indebitum per errorem facti solutum repeti posse, explorari iuris est, C. eod. l. septima.

Titius, cum multos creditores haberet, in quibus, & Seium: bona sua priuatim venditione facta Mæuio concessit, vt satis creditoribus faceret. Sed Mæuius soluit pecuniam Seio tamquam debitam, quæ iam à Titio fuerat soluta. quæsitum est, cum postea reperiantur apochæ apud Titium debitorem partim solutæ pecuniæ: cui magis repetitio pecuniæ in debitæ solutæ competit. Titio debitori an Mæuio, qui in rem suam procurator factus est? responsum est secundum ea, quæ præponerentur, ei, qui postea soluisset, ff. eodem, l. finali. §. Titius, cum multos.

Idem quæsiit, an pactum, quod in pariationibus adscribi solet in hunc modum. EX HOC CONTRACTV NVLLAM INTER SE CONTROVERSIAM AMPLIVS ESSE, impediat repetitionem? Respondit Scęuola nihil proponi, cur impediret, d. l. fin. §. item quæsiit.

Lucius Titius Caio Seio minori annis vigintiquinque pecuniam certam credidit & ab eo aliquantulum interesse nomine accepit. Caii Seii minoris hæres aduersus Publicum Mæuium à præside prouinciæ in integrum restitutus est, ne debitum hæreditarium solueret, & nec quidquam de interesse eiusdem sortis, quod Seius minor annis vigintiquinque exsoluerat, repetendis tractatum apud præsidem, aut ab eo pronunciatum est. quæritur an interesse, quod Caius Seius minor annis vigintiquinque, quoad viueret, creditori exsoluerat, hæres eius repetere posit? respondit secundum ea, quæ proponerentur, condici id, quod interesse nomine defunctus soluisset, non posse. d. l. finali, §. finali.

Item quæritur, si existimes repeti non posse, an ex alio debito hæres illud retinere posse? responsum est ne hoc quidem posse. d. l. finali, §. fin.

Damus aut ob causam, aut ob rem. ob causam, & eam præteritam veluti cum ideo do. quod aliquid à te consecutus sim, vel quia aliquid à te factum est: vt etiam si falsa causa sit, repetitio eius pecuniæ non sit. ob rem verò datur, vt aliquid sequatur: quo non sequente, repetitio competit, ff. eodem, l. damus. 52.

Ex his omnibus causis, quæ iure non valuerunt, vel non habuerunt effectum: secuta per errorem solutione condictioni locus erit, ff. eodem, l. ex his omnibus causis, 54.

In summa (ut generaliter de repetitione tractemus) sciendum est dari, aut ob transactionem, aut ob causam, aut propter condictionem, aut ob rem, aut indebitum, in quibus omnibus quæritur de repetitione. Et quidem quod transactionis nomine datur: licet res nulla media fuerit, non repetitur. nam si lis fuerit, hoc ipsum, quod à lite disceditur, causa videtur esse. sin autem euidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, & repetitio dabitur, id, quoque, quod ob causam datur, puta quod negocia mea adiuta ab eo putauit, licet non sit fa-

ctum: quia donare volui (quamuis falso mihi persuaserim) repeti non potest. Sed & agere per condictionem propter condictionem legati, vel hæreditatis (siue non sit mihi legatum, siue ademptum sit legatum) possum, vt repetam, quod dedi: quoniam non contrahendi animo dederim: quia causa, propter quam dedi, non est secuta. idem & si hæreditatem adire nolui, vel non potui, non idem potest dici, si filius meus sub conditione hæres institutus sit, & ego dedero, deinde manumissus adierit. nam hoc casu secuta est res. quod ob rem datur ex bono, & æquo habet repetitionem: veluti si dem tibi, vt aliquid facias, nec feceris, ff. eod. l. in summa, 65. in prin.

Ei, qui indebitum repetit, & fructus, & fœtus restitui debent, deducta impensa. In frumento indebito soluto, & bonitas est repetenda: & si consumpsit frumentũ, pretium repetit. sic & habitatione data, pecuniam condicam: non quidẽ quanti locare potui, sed quanti tu conducturus fuisses. d. l. in summa. §. ei qui indebitum repetit.

Indebitum est non tantum, quod omnino non debetur: sed & quod alii debetur, si alii soluatur: aut si id, quod alius debebat, alius quasi ipse debeat, soluat, d. l. in summa. §. finali.

Si per ignorantiam facti non debitam quantitatem pro alio soluisti, & hoc adito rectore prouinciæ fuerit probatum hanc ei, cuius nomine soluta est, restitui eo agente prouidebit, C. eod. l. sexta.

Pecuniæ indebitæ per errorem, non ex causa iudicati solutæ, esse repetitionem iure condictionis non ambigitur. si quid igitur probare potueris, patrem tuum, cui hæres extitisti amplius debito creditori suo persoluisse: repetere potes. Interesse autem eius summæ præstari tibi frustra desideras. actione enim condictionis ea sola quantitas repetitur, quæ indebita soluta est, C. de condictio. indeb. l. prima.

Si citra vllam transactionem pecuniam indebitam alieno creditori promittere delegata es: aduersus eam, quæ te delegauit, condictionem habere potes, C. eod. l. secunda.

Cum, & soluta indebita quantitas ab ignorante repeti posit: multo facilius quantitatis indebitæ interpositæ scripturæ condictio competit. vel doli exceptio agenti opponitur, C. eod. l. tertia.

Repetitio nulla est ab eo, qui suum recepit: tametsi ab alio, quàm à vero debitore, solutum est, ff. eod. l. repetitio, 44.

Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ut postea repeteret, repetere non potest, ff. eod. l. quod quis, 50.

Ex quibus causis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus: ea, si soluerimus, repetere non possumus, ff. eod. l. ex quibus.

Iulianus verum debitorem post litem contestatam, manente adhuc iudicio, negabat soluentem repetere posse: quia nec absolutus, nec condemnatus repetere posset: licet enim absolutus sit. natura tamen debitorem manere, similemque esse ei dicit, qui ita promisit, siue nauis ex asia venerit siue nõ uenerit: quia ex vna causa alterius solutionis origo proficiscitur. Vbi autem quis, quod purè debet, sub condictione nouandi animo promisit: plerique putant, pendenti nouatione solutum repeti posse, quia ex qua obligatione soluat, adhuc incertum sit. idemque esse, ac si diuersas personas ponas eandem pecuniam purè, & sub cõdictione nouandi animo promisisse. sed hic dissimile est, in stipulatio-

ne enim pura,& conditionali eundem debiturum certum est, ff. eodem . l. Iulianus, 60.

Ea,quæ per inficiationem in lite crescunt,ab ignorante etiam indebita soluta repeti non posse,certissimi iuris est. sed & si cautio indebitæ pecuniæ ex eadem causa interponatur: condictioni locum non esse constat,C.eod.l. quarta.

Indebitum solutum sciens non rectè repetit. Citra mandatum ab alio re distracta, dominus euicta re,vel ob præcedens vicium satis emptori faciens, non indebitum prætendere,sed per huiusmodi factum ratum contractum habuisse probās à se debitum ostendit solutum.C.eod.l.indebitum,9.

Si quis equum certi nominis,aut,quandam solidorum quātitatem, vel aliam rem promiserit,& cum licentia ei fuerat, vnum ex iis soluendo liberari, vtrunque per ignorantiam dependerit;dubitabatur,cuius rei daretur à legibus ei repetitio vtrumne equi,an pecuniæ,& vtrum stipulator, an promissor habeat huius rei facultatem. Et Vlpianus quidem electionem ei præstat,qui utrunque accepit,vt hoc reddat,quod sibi placuerit: & tam Marcellum,quam Celsum sibi cōsonantes refert.Papinianus autem ipsi,qui vtrumque persoluit, electionem donat: qui & antequam dependat,ipsam habet electionem, quod velit præstare,& huius sententiæ sublimissimum testem adducit Saluium Iulianum Summę auctoritatis hominem,& prætorii edicti perpetui ordinatorem. Sed placuit Iuliani,& Papiniani sententia,vt ipse habeat electionem recipiendi,qui & dandi habuit,C.eod.l.penul.

Omnibus,qui incerto animo, & mente titubante indebitam dederint pecuniam, vel aliam quandam speciem persoluerint,repetitio non denegatur, & præsumptio transactionis non contra eos inducitur: nisi hoc specialiter ab alia parte approbetur,C.eod.l.finali.

Cum titulus de condictione indebiti descriptus sit;conueniens est totam materiam condictionum ponere. Ideo sequitur titulus de condictione causa data,causa non secuta.

DE CONDICTIONE CAVSA DATA, CAVSA NON SECVTA. Titulus IIII.

SI ob rem non inhonestam data sit pecunia, puta vt filius emanciparetur,vel à lite discederetur,causa secuta repetitio cessat. Si parendi conditioni causa tibi decem dedero,& mox repudiauero hæreditatem,vel legatum: possum condicere, ff. de cond. cau. dat. non secu.l.prima.

Sed & si falsum testamentum siue scelere eius,qui decem dedit, vel inofficiosum pronuntietur: veluti causa non secuta,decem repetentur.ff. de cond. cau.dat. non secu.l.secunda.

Dedi tibi pecuniam meam,ne ad iudicem iretur,qua quasi decidi. an posim condicere,si mihi non caueatur,ad iudicem non iri?& est verum,multum interesse vtram ab hoc solum dedi, ne eatur: an vt & mihi repromittatur non iri. si ob hoc vt repromittatur:condici poterat, si non repromittatur. si ut non eatur: condictio cessat,quandiu non itur,ff.de condictio.cau. data. non secu. l.tertia in principio.

Si quis accepto tulerit debitori ſuo, cùm conueniret, vt expromiſſorem daret, nec ille det, poteſt dici, poſſe condici ei, qui accepto ſit liberatus, ff. eodem. l. quarta.

Si pecuniam ideo acceperis, vt Capuam eas: deinde parato tibi ad proficiſcendum, condictio temporis, vel valetudinis impedimento fuerit, quominus proficiſcereris: an condici poſsit, videndum. & cum per te non ſteterit: poteſt dici, repetitionem ceſſare. Sed cum liceat pœnitere ei, qui dedit: procul dubio repetetur id, quod datum eſt: niſi fortè tua interſit, non accepiſſe te ob hanc cauſam pecuniam. Nam ſi ita ſe res habeat, vt licet nondum profectus ſis, ita tamen rem compoſueris, vt neceſſe habeas proficiſci: vel ſumptus, qui neceſſarii ſint, ad profectionem iam feciſti, vt manifeſtum ſit plus fortè, quam acceperis, te erogaſſe: condictio ceſſabit. ſed ſi minus erogatum ſit, condictio locum habebit: ita tamen, vt indemnitas tibi præſtetur eius, quod expendiſti. ff. eod. l. quinta, in principio.

Si extraneus pro muliere dotem dediſſet, & pactus eſſet, vt quoquo modo finitum eſſet matrimonium, dos ei redderetur: nec fuerint nuptiæ ſecutæ: quia de his caſibus ſolummodo fuit conuentum, qui matrimonium ſequuntur, nuptiæ autem ſecutæ non ſunt: quærendum erit, vtrum mulieri condictio, an ei, qui dotem dedit, competat? & veriſimile eſt, in hunc quoque caſum eum, qui dat ſibi proſpicere. nam quaſi cauſa non ſecuta, habere poteſt condictionem, qui ob matrimonium dedit, matrimonio non copulato: niſi fortè euidentiſsimis probationibus mulier oſtenderit, hoc eum ideo feciſſe, vt ipſi mulieri magis, quàm ſibi proſpiceret. Sed & ſi pater pro filia det, & ita conuenit, (niſi euidenter aliud actum ſit) condictionem patri competere Marcellus ait, ff. de condict. cau. data. l. ſexta.

Qui ſe debere pecuniam mulieri putabat, iuſſu eius dotis nomine promiſit ſponſo, & ſoluit, nuptiæ deinde non interceſſerunt. quæſitum eſt, vtrum ipſe poſſit repetere, qui pecuniam dediſſet, an mulier? Nerua, & Atilicinus reſponderunt; quoniam, putaſſet quidam debere pecuniam, ſed exceptione doli mali tueri ſe potuiſſet; ipſum repetiturum. Sed ſi cùm ſciret ſe nihil mulieri debere, promiſiſſet; mulieris eſſe actionem, quoniam pecunia ad eam pertineret. Sin autem verè debitor fuiſſet, & ante nuptias ſoluiſſet, & nuptiæ ſecutæ non fuiſſent; ipſum poſſe. condicere, cauſa debiti integra mulieri ad hoc ſolum manente, vt ad nihil aliud debitor compellatur, niſi vt cedat ei condictitia actione, ff. eo. l. ſeptima, in princ.

Fundus dotis nomine traditus, ſi nuptiæ ſecutæ non fuerint, condictione repeti poteſt. fructus quoque poterunt, d. l. ſeptima. §. finali.

Si donaturus mulieri, iuſſu eius ſponſo numeraui, nec nuptiæ ſecutæ ſunt; id mulier condicet. ſed ſi ego contraxi cum ſponſo, & pecuniam in hoc dedi, vt ſi nuptiæ ſecutæ eſſent, mulieri dos adquireretur: ſi non eſſent ſecutæ, mihi redderetur, quaſi ob rem datum, & re non ſecuta, ego à ſponſo condicam, ff. eod. l. donaturus, 9. in prin.

Si quis in debitam pecuniam per errorem iuſſu mulieris ſponſo eius promiſiſſet, & nuptiæ ſecutæ fuiſſent; exceptione doli mali uti non poteſt. maritus enim ſuum negocium gerit, & nihil dolo facit, nec decipiendus eſt. quod fit, ſi cogatur in dotatam vxorem habere, itaque aduerſus mulierem competit ei condictio, ut aut repetat ab ea, quod marito dedit, aut

vt liberetur, si nondum soluerit, sed si soluto matrimonio maritus peteret: in eo duntaxat exceptio obstare deberet, quod mulier receptura esset, d.l. si donaturus, §. si quis indebitam.

Si mulier ei, cui nuptura erat, cum dotem dare vellet pecuniam, quæ sibi debebatur, acceptam fecit, neque nuptiæ secutæ sunt: rectè ab eo pecunia condicetur. quia nihil interest, vtrum ex numeratione pecunia ad eum sine causa, an per acceptilationem peruenerit, ff. eod. l. si mulier. x.

Si quis mortis causa donationem fecerat, cùm conualuit donator, condicit, fructus quoque & fœtus donatarum rerum, & quod adcreuit rei donatæ, repetere potest, ff. eod. l. si quis, xii.

Si procuratori falso indebitum solutum sit: ita demum à procuratore repeti non potest, si dominus ratum habuerit: sed ipse dominus tenetur. sed & Iulianus scribit, quòd si dominus ratum non habuisset (etiam si debita pecunia soluta fuisset) ab ipso procuratore repetetur: non tamen quasi indebitum datum, sed quasi ob rem datum, nec res secuta sit ratihabitione non intercedēte, vel quod furtum faceret pecuniæ falsus procurator: ab eo condici ei poterit, ff. eod. l. si procuratori, xiiii.

Pecuniam, quam te ob doctem accepisse pacto interposito proponis: impediente quocunque modo iuris authoritate matrimonium, iure condictionis restituere debes: & pactum, quod ita interpositum est, perinde ac si interpositum non esset, haberi oportet, C. de condict. ob cau. dat. l. prima.

Si, (vt proponis) pater tuus ea lege sorori tuæ prædia, cæteraque, quorum meministi, donauit, vt creditoribus ipsa satisfaceret, ac si placita obseruata non essent, donatio solueretur: eaque contra fidem negocii gesti versata est: non est iniquum actionem condictionis ad repetitionem rerum donatarum tibi, qui patri successisti, decerni, C. eod. l. secunda.

Si, ea lege in vos collata donatio, vt neutri alienandæ suæ portionis facultas vlla competeret, id efficit, ne alteruter eorum dominium prorsus alienet: vel vt donatori, vel eius hæredi condictio, si non fuerit condictio seruata, quæratur, C. eod. l. tertia.

Si cum exiguam pecuniam reuera susciperes, longè maiorem te accepisse cauisti, eo quod, tibi patrocinium aduersarius repromitteret: cum dicas fidem promissi non secutam, vt libereris obligatione eius, quod non acceptum propter speratum patrocinium spopondisti per condictionem consequeris, C. eodem, l. quarta.

Si militem ad negocium procuratorem fecisti (cum hoc legibus interdictum sit) ac propter hoc pecuniam ei numerasti: quidquid ob causam datum est, causa non secuta, restitui tibi competens iudex curæ habebit. C. eodem, lege quinta.

Si repetendi, quod donabas vxori eius, quem ad proficiscendum tecum huiusmodi liberalitate prouocare proposueras, nullam addidisti condictionem: remanet integra donatio cum leuitati perfectam donationem reuocare cupiētium iure occurratur, C. eod. l. septima.

Dictam legem donationi, (si non impossibilem contineat causam) ab eo, qui hanc suscepit, non impletam condictioni facere locum, iuris dictat disciplina: quapropter, si titulo liberalitatis res tuas in sponsam conferrendo certam dixisti legem, nec huic illa, cum posset, paruit: successores ipsius de repetendis, quæ dederas, si hoc tibi placuerit, conuenire non

prohiberis, C. eod. l. dictam, 8.

Pecuniam à te datam, ſi hæc cauſa, pro qua data eſt non culpa accipientis, ſed fortuito caſu non eſt ſecuta: minimè repeti poſſe, certum eſt, C. eod. l. pen.

Aduocationis cauſa datam pecuniam: ſi per eos, qui acceperant, quominus ſuſceptam fidem impleant, ſtetiſſe probetur: reſtituendam eſſe conuenit, C. eodem, lege finali.

Dedi tibi pecuniam, vt mihi equum dares, vtrum id contractus genus pro portione emptionis, & venditionis eſt: an & hic nulla alia obligatio eſt, quàm ob rem dati, re non ſecuta? in quo procliuior eſt Celſus, & ideo ſi mortuus eſt equus, repetere poſſum: quod ideo tibi dedi, vt mihi equum dares, finge alienum eſſe equum, ſed te tamen eum tradidiſſe. repetere à te pecuniam potero: quia equũ accipientis non feceris, & rurſus ſi tuus eſt, equus, & pro euictione eius promittere non vis: non liberaris, quominus à te pecuniam repetere poſsim, ff. eodem lege finali.

DE CONDICTIONE OB TVRPEM VEL INIVSTAM cauſam. Titulus V.

OMne, quod datur, aut ob rem datur, aut ob cauſam, & ob rem, aut turpem, aut honeſtam. turpem autem, aut vt dantis ſit turpitudo, non accipientis duntaxat, non etiam dantis: aut vtriuſque. ob rem igitur honeſta datum ita repeti poteſt: ſi res, propter quam datum eſt, ſecuta non eſt. quod ſi turpis cauſa accipientis fuerit, etiam ſi res ſecuta fuerit repeti poteſt. Vtputa dedi tibi, ne ſacrilegium facias, neu furtum, neve hominem occidas, in qua ſpecie Iulianus ſcribit, ſi tibi dedero, ne hominem occidas, condici poſſe. idem ſi tibi dedero, vt mihi rem apud te depoſitam reddas, vel vt inſtrumentum. ſed ſi dedi, vt ſecundum me in in bona cauſa iudex pronunciaret, eſt quidem relatum condictioni locum eſſe: ſed hic quoque crimen contrahit. Iudicem enim corrumpere videtur, & non ita pridem Imperator noſter conſtituit, litem eum perdere. Vbi autem, & dantis, & accipientis turpitudo verſatur; non poſſe repeti dicimus. veluti ſi pecunia detur, vt malè iudicetur, ff. de cond. ob turp. vel iniuſt. cauſ. lege prima. & duabus ſequentibus.

Idem ſi ob ſtuprum datum ſit, vel ſi quis in adulterio deprehenſus redemit ſe. ceſſat enim repetitio. idque Sabinus, & Pegaſus reſponderunt. Item ſi dederit fur, ne proderetur; quoniam vtriuſque turpitudo verſatur, ceſſat repetitio. Quoties autem ſolius accipientis turpitudo verſatur Celſus ait, repeti poſſe, veluti ſi tibi dedero ne mihi iniuriam facias. ſed & quod meretrici datur repeti non poteſt, vt Labeo, & Marcellus ſcribunt; ſed noua ratione, non eo quod vtriuſque turpitudo verſatur, ſed ſolius dantis. illam enim turpiter facere, quod ſit meretrix; ſed non turpiter accipere, cùm ſit meretrix, ff. eodem, l. quarta. in principio.

Si tibi iudicium dedero, vt furem rerum mearum indices non poteſt repeti, quod datum eſt. nec enim turpiter accepiſti. Sed ſi ipſe fur indicium à me accepit, vel furis ſocius condictio locum habet, dicta l. quarta. §. Si tibi iudicium.

Perpetuo Sabinus probauit veterum opinionem, exiſtimantium id, quod ex iniu

ſta cauſa

sta causa apud aliquem sit, posse condici, in qua sententia etiam Celsus est, ff. eodem, l. sexta.

Ex ea stipulatione, quæ per vim extorta est, si exacta esset pecunia, repetitionem esse constat, ff eo. l. septima.

Si ob turpem causam promiseris Titio, quamuis si petat, exceptione doli mali, vel in factum submouere eum possis: tamen si solueris, non potes repetere, quoniã sublata proxima causa stipulationis, quæ propter exceptionem inanis esset, pristina causa, idest turpitudo superesset. porrò autem si & dantis, & accipientis turpis causa sit: possessorem potiorem esse, & ideo repetitione cessat tametsi ex stipulatione solutum sit, ff. eo. l. pen.

Si uestimenta tibi utenda commodauero, deinde precium, ut reciperem, dedissem: condictione me rectè acturum, responsum est. quamuis enim propter rem datum sit, & causa secuta sit: tamen turpiter datum est. Si ob rem locatam tibi, vel uenditam à te, vel mandatam, vt redderes, pecuniam acceperis: habebo tecum ex locato, vel vendito, vel mandati actionem. quod si, ut id, quod ex testamento, vel ex stipulatu debebas, redderes mihi, pecuniam tibi dederim: condictio duntaxat pecuniæ datæ eo nomine erit. idemque & Pomponius scribit, ff. eodem, l. finali.

Si ex cautione tua conueniri cœperis: nullam te accepisse pecuniam, sed ob turpem causam, & quam fieri prohibitum est, interpositam cautionem, ei, qui super ea re cogniturus est, probandum est: & eo impleto, absolutio sequetur; C. eodem, l. prima.

Cum te propter turpem causam contra disciplinam temporum, domum aduersariæ dedisse profitearis: frustra eam tibi restitui desideras: cum in pari causa possessoris conditio melior habeatur, C. eod. l. secunda.

Si euitandi tyrocinii causa dedisse te apud competentem iudicem ei, de quo quæreris, indubia probationis luce constiterit: instantia eius recipies. Qui memor censuræ publicæ, post restitutionem pecuniæ etiam concussionis crimen inultum esse non patietur, C. eo. l. tertia.

Quoties accipientis, non etiam dantis turpis inuenitur causa: licet hæc secuta fuerit: datum condici tantum, non etiam interesse peti potest, C. eo. l. quarta.

Mercalem te habuisse uxorem proponis, unde intelligis, & confesionem Lenocinii preces tuas continere, & cautæ quantitatis ob turpem causam exactioni locum non esse, quamuis enim utriusque turpitudo uersatur, ac soluta quantitate cessat repetitio, tamen ex huiusmodi stipulatione contra bonos mores interposita, denegandas esse actiones, iuris authoritate demonstratur, C. eodem, l. quinta.

Ob restituenda, quæ subtraxerat, accipientem pecuniam, cum eius tantum turpitudo interueniat, condictione conuentum, hanc restituere debere conuenit, C. eod. l. penult.

Eum, qui ob restituenda, quæ abegerat pecora, pecuniam accepit, tam hãc, quam ea, quæ per hoc commissum tenuit restituere debere conuenit, licet mortua, vel alio fortuito casu perisse dicantur, cum hoc casu in rem mora fiat, C. eodem, l. finali.

DE CONDICTIONE SINE CAVSA. Titulus VI.

EST, & hæc ſpecies condictionis, ſi quis ſine cauſa promiſerit, vel ſoluerit. quid indebitum, qui autem promiſit ſine cauſa, condicere quantitatem non poteſt, quam non dedit, ſed ipſam obligationem. Sed & ſi ob cauſam promiſit, cauſa tamen ſecuta non eſt: dicendum eſt, condictionem locum habere. Siue autem ab initio, ſiue cauſa promiſſum eſt, ſiue fuit cauſa promittendi, quæ finita eſt, vel ſecuta non eſt: dicendum eſt condictioni locum fore conſtat, id demum poſſe condici alicui, quod vel non ex iuſta cauſa ad eum peruenit, vel redit ad non iuſtam cauſam, ff. de condict. ſine cau. l. prima.

Si fullo veſtimenta lauanda conduxerit, deinde amiſsis eis, domino precium ex locato conuentus præſtiterit. poſteaque dominus inuenerit veſtimenta: qua actione debeat conſequi precium, quod dedit? & ait Caſsius eum non ſolum ex conducto agere, verum & condicere domino poſſe. putatur ex conducto omnimodo eum haberi actionem, an autem, & condicere poſsit. quęſitum eſt, quia non indebitum dedit: niſi fortè, quaſi ſine cauſa ei datum ſit, putamus condici poſſe. Etenim ueſtimentis inuentis, quaſi ſine cauſa datum videtur, ff. eodem, l. ſecunda.

Qui ſine cauſa obligantur, incerti condictione conſequi poſſunt, ut liberentur. nec refert, omnem quis obligationem ſine cauſa ſuſcipiat, an maiorem, quam ſuſcipere eum oporteat, niſi quod alias condictione id agitur, ut omni obligatione liberetur: alias ut exoneretur, veluti qui decem promiſit. nam ſiquidem nullam cauſam promittendi habuit: incerti condictione conſequitur, ut tota ſtipulatio accepto fiat, at ſi cum quinque promittere deberet, decem promiſit: incerti condictione conſequitur, ut in quinque liberetur, ff. eo. l. tertia.

Nihil refert, vtrum ne ab initio ſine cauſa, quid datum ſit, an cauſa, propter quam quid datum eſt, ſecuta non ſit, ff. eo. l. quarta.

Auunculo nuptura pecuniam in dotem dedit, neque nupſit, an eandem repetere poſsit, quæſitum eſt? dixit Papinianus cum ob turpem cauſam dantis, & accipientis pecunia numeretur, ceſſare condictionem, & in delicto pari potiorem eſſe cauſam poſſeſsionis. quam rationem fortaſsis aliquem ſecutum reſpondere, non habituram mulierem cōdictionem. ſed rectè defendi, non tam turpem cauſam in propoſito, quàm nullam fuiſſe: cum pecunia, quæ daretur in dotem conuerti nequiret. non enim ſtupri, ſed matrimonii gratia datam eſſe, ff. eodem, l. fina. in princip.

Nouerca priuigno, nurus ſocero, pecuniam dotis nomine dedit, neque nupſit, ceſſare condictio, prima facie videtur, quoniam iure gentium inceſtum committitur. at quin magis in ea ſpecie nulla cauſa dotis dandæ fuit condictio igitur competit, d. l. fin. §. fin.

DE CONDICTIONE EX LEGE. Titulus VII.

SI obligatio noua lege introducta ſit, nec cautum ſit, eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendu m eſt, ff. de cond. ex lege, l. unica.

DE CONDICTIONE TRITICARIA.
Titulus VIII.

QVi certam pecuniam numeratam petit, ille actione utitur, si certum petatur. qui autem alias res, per triticariam condictionem petet, & generaliter dicendum est: omnes res per hanc condictionem peti, quæ sunt, præter pecuniam numeratam: siue põdere, siue men sura constent, siue mobiles sint, siue soli, quare fundum quoq; per hanc actionem petimus, & si vectigalis sit: siue etiam ius stipulatus quis sit, ueluti vsumfructum, vel seruitutem vtroque prædiorum, ff. de condi. triticaria. l. prima, in princ.

Rem autem suam per hanc actionem nemo petet, nisi ex causis, quibus potest: ueluti ex causa furtiua, vel mobili re ui abrepta, d. l. prima, §. fin.

Sed & ei, qui ui aliquem de fundo deiecit, posse fundum condici, Sabinus scribit. & ita etiam Celsus. sed ita, si dominus sit, qui deiectus condicat. cæterum si non sit: possessionem eum condicere Celsus ait, ff. eo. l. secunda.

In hac actione si quæratur: res, quæ petita est, cuius temporis æstimationem recipiat? verius est, quod Seruius ait, condemnationis tempus spectandum. si uero desierit esse in rebus humanis: mortis tempus secundum Celsum erit spectandum. non enim debet nouissimum vitæ tempus æstimari, ne ad exiguum precium æstimatio redigatur, in equo forte mortiferè vulnerato, in utroq; autem, si post moram deterior res facta sit. Marcellus scribit, habendam æstimationem quanti deterior res facta sit. & ideo si quis post moram equum eluscatum dederit, nec liberari eum. Quare ad tempus moræ in his erit reducenda æstimatio, ff. eod. l. tertia.

Si merx aliqua, quæ certo die dari debebat, petita sit (ueluti uinum, oleum, frumentum,) tanti litem æstimandam, Cassius ait, quanti fuisset eo die, quo dari debuit, si de die nihil cõuenit, quanti tunc cum iudicium acciperetur. Idemque iuris in loco esse: ut primum æstimatio summatur eius loci, quo debuit dari. si de loco nihil conuenit, is locos spectaretur, quo peteretur, quod & de cæteris rebus iuris est, ff. eod. l. fin.

Post obligationem indebiti sequitur obligatio ex commodato: vnde post condictionem indebiti, & alias condictiones, nunc tractandum est de actione commodati.

DE ACTIONE COMMODATI, VEL CONTRA.
Titulus IX.

AIt prætor QVOD QVIS COMMODASSE DICETVR DE EO IVDICIVM DABO. huius edicti interprætatio non est difficilis. Vnum solummodo notandum: Quod qui edictum concepit, commodati fecit mentionem, cum Pacunius utendi fecerit mentionem: inter commodatum autem, & utendum datum, Labeo quidem ait, tantum interesse, quantum inter genus & speciem. cõmodati enim rem mobilem, non etiam soli, utendum dari etiam soli, sed (ut apparet) propriè commodata res dicitur, & quæ soli est, idque Cassius existimat. Viuianus etiam habitationem commodari posse ait, ff. de act. commod. l. prima, in princip.

Impuberes commodati actione non tenentur, quando nec consistit commoda-

tum in pupilli personam sine tutoris authoritate: vsque adeo, ut etiam si pubes factus dolum, aut culpam admiserit, hac actione non teneatur, quia ab initio non constitit, d.l. ait prætor, §. impuberes.

Nec in furiosum commodati actio danda est: sed ad exhibendum aduersus eos dabitur, ut res exhibita uindicetur, ff. eo. l. secunda.

Si reddita quidem sit res commodata. sed deterior reddita, non uidetur reddita, nisi quod interest, pręstetur. propriè enim dicitur res non reddita, quę deterior redditur, ff. eod. l. tertia, §. si reddita.

In hac actione, sicut in cæteris bonæ fidei iudiciis, similiter in litem iurabitur, ut rei iudicandi tempus, quanti res sit, obseruetur: quamuis in stricti iuris litis contestatæ tempus spectetur, d.l. tertia, §. in hac actione.

Hæres eius, qui commodatum accepit pro ea parte, qua hæres est conuenitur: nisi fortè habeat facultatem totius rei restituendæ, nec faciet. tunc enim cōdemnatur in solidū, quasi hoc boni iudicis arbitrio conueniat, d.l. tertia, §. hęres eius.

Si filiofam. commodatum sit: duntaxat de peculio agendum erit: cum ipso autem filiofam. etiam directo, quis poterit. sed si filiæfamil. commodauerit duntaxat de peculio agendum erit, d.l. tertia, §. si filiofam.

Sed non tantum ex causa doli pater condemnatur, sed & ipsius patris fraus duntaxat venit, d.l. tertia, §. sed non tantum.

Si ut certo loco, vel tempore reddatur commodatum conuenit: officio iudicis inest, vt rationem loci, uel temporis habeat, ff. eo. l. quinta, in princ.

Si quis hac actione egerit, & oblatam lites æstimationem susceperit: rem offerrentis facit, d.l. quinta, §. si quis.

Nunc uidendum est, quid ueniat in commodati actione, utrum dolus, an & culpa, an vero, & omne periculum: & quidem in contractibus interdum solum dolum, interdum & culpam præstamus. dolum in deposito. nam quia nulla utilitas eius uersatur, apud quem deponitur, meritò dolus solus præstatur: nisi fortè, & merces accessit. tunc enim (vt est constitutum) & culpa exhibetur. aut si hoc ab initio conuenit, ut & culpam, & periculum præstet is, penes quem deponitur, sed ubi vtriusq; utilitas vertitur, ut in empto, in locato, in dote, in pignore, in societate, & dolus, & culpa præstatur. Commodatum autem plerunq; solam utilitatem continet eius, cui commodatur, & ideo verior est. Quinti sententia existimantes, & culpam præstandam, & diligentiam, & si fortè res æstimanda data sit, omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturum recepit, d.l. quinta, §. nunc uidendum.

Qui aliàs re commodata utitur, non solum commodati, verum furti quoque tenetur, ut Iulianus scilicet. idemq; ait: si tibi codicem commodauero, & in eo chirographarium debitorem tuum cauere feceris, egoque interleuero: si quidem ad hoc tibi commodauero, vt caueretur tibi in eo, teneri me tibi contrario iudicio. si minus, nec me certiorasti, chirographum ibi esse scriptum: etiam teneris mihi (inquit) commodati. imo (ait) etiam furti, quoniam aliter re commodata vsus es: quemadmodum, qui equo (inquit), vel vestimento aliter, quàm commodatum est, vtitur furti tenetur, d.l. quinta, §. quinimo, & qui.

Vsque adeo autem in re commodata diligentia præstanda est, vt etiam in ea, quæ sequitur rem cōmodatam præstari debeat. puta equam tibi commodaui, quam pullus committabatur. etiam pupilli custodiam præstari debere, ueteres responderunt, d.l. quinta, §. vsq; adeo.

Nunc uidendum in quibus speciebus commodati actio locum habeat, & est apud

veteres

veteres de huiusmodi speciebus dubitatum. Rem tibi dedi, vt creditori tuo pignori dares. dedisti, non repignoras, vt mihi reddas, Labeo ait, commodati actionem locum habere. Quod verum est, nisi merces interuenit. tunc.n. vel in factum, vel ex locato, & conducto agendum erit. Planè si ego pro te rem pignori dedero tua uoluntate: mandati erit actio· idem Labeo rectè dicit: si à me culpa absit repignorandi, creditor autem nolit reddere pignus, competere tibi ad hoc duntaxat commodati, ut tibi actionem aduersus eum præstem. abesse autē culpa à me uidetur, siue iam solui pecuniam, siue soluere sum paratus. sumptū planè litis, cæteraque æquum est eum agnoscere, qui commodatum accepit, d. l. quinta, §. nunc uidendum.

Si de me petisses, vt triclinium tibi sternerem, & argentum ad ministerium præberem, & fecero: deinde petisses, ut idem sequenti die facerem, & cum commodè argentum domum referre non possem, ibi hoc reliquero, & perierit: qua actione agi posset, & cuius esset periculum? Labeo de periculo scripsit: multum interesse, custodem posui, an non. si posui, ad me periculum spectare. si minus; ad eum, penes quem relictum est. Sed commodati quidem agendum est verum custodiam is præstare debet, penes quem res relictæ sunt, nisi aliud nominatim conuenit, d. l. quinta, § si de me.

Si duobus vehiculum commodatum sit, vel locatum simul: Celsus filius scribit, libro sexto digestorum, quæri posse vtrum unusquisq; eorum insolidum, an pro parte teneatur? & ait duorum quidem in solidum, dominium, vel possessionem esse, non posse, nec quenquam partis corporis dominum esse, sed totius corporis pro indiuiso, pro parte dominium habere. Vsum autem balinei quidem vel porticus, vel campi uniuscuiusque in solidum esse (neque enim minus me uti, quod & alius uteretur) verum in vehiculo commodato, vel locato pro parte, quidem effectu me usum habere, quia non omnia loca uehiculi teneam: sed esse verius ait, & dolum, & culpam, & diligentiam, & custodiam in totum me præstare debere. Quare duo quodammodo rei habebuntur. Et si alter conuentus præstiterit, liberabit alterum, d. l. quinta, §. si duob. vehiculum.

Sed si legis Aquiliæ aduersus socium eius habuit commodator actionem uidendum erit, ne cedere debeat: si fortè damnum dederit alter, quod hic, qui conuenitur, commodati actione sarcire compellitur. Nam & si aduersus eum habuit Aquilia actionem commodator: æquissimum est, vt commodati agendo, remittat actionem. nisi fortè si quis dixerit agendo eum ex lege Aquilia, hoc minus consecuturum, quam ex causa commodati consecutus est, quod uidetur habere rationem, ff. commod. l. septima, §. sed si legis.

Eum, qui rem commodatum accepit, si in eam rem vsus est, in quam accepit, nihil præstare, si eam in nulla parte culpa sua deteriorem fecit, verum est, nam si culpa fecit deteriorem tenebitur, ff. eo. l. eum qui, x. in princ.

Commodatam rem missus, qui repeteret, cum recepisset, aufugit, si dn̄s ei dari iusserat. dn̄o periit. Si commonendi causa miserat, ut referretur res commodata, ei, cui commodata est, ff. eo. l. si mei caussa, 2ii. §. commodatam rem.

Is, qui commodatum accepit, si non apparentis rei nomine commodati condemnetur, cauendum est ei, ut repertam dn̄s ei præstet, ff. eo. l. is, qui, xiii. in prin.

Si quem quæstum fecerit is, qui experiundū, quid accepit, veluti si iumenta fuerint, eaq; locata sint, idipsum præstabit ei, qui experiundū dedit. neq;.n. anteā rem quæstui cuiq; esse oportet, q̄ piculo eius sit, d. l. is qui, §. si quem quæstum.

In commodato pactio, ne dolus præstetur, rata non est, contraria commodati actio

etiam

etiam sine principali moueri potest: Sicut & cæteræ, quæ dicuntur contrariæ, ff. eo. l. incommodato, xvii. in prin.

Si ex facto hæredis agatur commodati insolidum condemnatur, licet, ex parte hæres est, d. l. incommodato, §. si ex facto.

Sicut autem voluntatis, & officii magis, quàm necessitatis est commodare, ita modum commodati, finemq́ue præscribere, eius est, qui beneficium tribuit. cum autem id fecit, idest postquam commodauit: tunc finem præscribere, & retro agere, atq; intespestiuè usum commodatæ rei auferre: non officium tãtum impedit, sed & suscepta inter damnum accipiendumq; obligatio. geritur enim negocium inuicem, & ideo inuicem propositæ sunt actiones, ut adpareat, quod in principio beneficii, ac nudæ uoluntatis fuerat conuerti in mutuas præstationes, actionesq; ciuiles: ut accidit in eo, qui absentis negotia agere inchoauit, neque impunè peritura deserit, suscepisset enim fortassis alius, si is non cœpisset. uoluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis est consumare. igitur si pupillares mièi commodasti, ut debitor mihi caueret, non rectè facies, importunè repetendo. nã si negasses, vel emissem, vel testes adhibuissem, idem que & si ad falciendam insulam tigna commodasti. deinde subtraxisti, aut etiã sciens uiciosa commodasti: adiuuari quippè nos non decipi beneficio oportet. ex quibus causis etiam contrarium iudicium utile erit dicendum, d. l. Incommodato, §. sicut autem.

Duabus rebus commodatis rectè de altera commodati agi posse, Viuianus scripsit, quod ita uideri uerum, si sæparatæ sint, Pomponius scripsit. nam eum, qui carucham puta, vel lecticam commodauit: non rectè acturum de singulis partibus, d. l. incommodato, §. duobus.

Rem commodatam perdidi, & pro eo precium dedi. deinde res in potestatem tuã venit, Labeo ait contrario iudicio, aut rem mihi præstare te debere, aut quod à me accepisti reddere, d. l. incommodato, §. fin.

In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet: ita ut tamen eos casus non præstet, quibus resisti non possit: ueluti mortis equorum, quæ sine dolo, & culpa eius accidunt, latronum hostiumve incursus, piratarum insidias, naufragium, incendiũ, fugas equorum, qui custodiri non solent. quod autem de latronibus, & piratis, & naufragio diximus: ita scilicet accipimus, si in hoc commodata sit alicui res, vt eam rem peregre secum ferat, alioquin si cui ideo argentum commodauerim, quod is amicos ad canam inuictaturum se diceret, & id peregrè secum portauerit, sine ulla dubitatione etiam piratorum, & latronum, & naufragii casum præstare debet. hæc ita si duntaxat accipientis gratia commodata sit res. at si utriusque veluti si communem amicum ad cœnam inuictauerimus, tuque eius rei curam suscepisses, & ego tibi argentum commodauerim. scriptum quidem apud quosdam est, quasi dolum tantum præstare debeas. Sed vidẽdum est, ne & culpa præstanda sit: ut ita culpæ fiat æstimatio, sicuti in rebus pignori datis, & dotalibus æstimari solet. Siue autem pignus, siue commodata res, siue deposita deterior ab eo, qui acceperit, facta sit. non solum istæ sunt actiones, de quibus loquimur, verumetiam legis Aquiliæ. sed si qua earum actũ fuerit, aliæ tolluntur. Possunt iustæ causæ interuenire, ex quibus cum eo, qui commodasset agi deberet: veluti de impensis, in ualetudinem equi factis. Nam cibariorum impensæ naturali, etiam ratione ad eum pertinent, qui utendum accepisset, sed id, quod de impensis ualetudinis, diximus ad maiores impensas pertinere

debet

debet, modica enim impendia uerius est, vt sicuti cibariorum ad eundem perti neant. Item, qui sciens vasa viciosa commodauit, si infusum ibi uinum, uel oleũ corruptum, effusumve est, condemnandus eo nomine est. Et si quod contrario iudicio consequi quisque potest, id etiam recto iudicio, quod cum eo agitur, potest saluum habere iure pensationis: sed quia fieri potest, ut amplius sit, quod inuicem aliquem consequi oporteat, aut iudex pensationis rationem non habeat, aut idem de restituenda re cum eo non agatur, quia ea res casu intercidit, aut sine iudice restituta est: dicemus necessariam esse contrariam actionem, ff. eod. l. in rebus commodatis, xviii.

Ad eos, qui seruandum aliquid conducunt, aut utendum accipiunt, damnum iniuria ab alio datum non pertinere, proculdubio est. qua enim cura aut diligentia consequi possumus, ne quis damnum nobis iniuria det: ff. eo. l. ad eos, xix.

Rem mihi commodasti, eandem subripuisti, deinde cum commodati ageres, nec à te scirem esse subreptam iudex me condemnauit, & solui, postea comperit à te esse subreptam. quæsitum est, quæ mihi tecum actio sit. Responsum est commodati contrarium iudicium utile mihi fore, ff. eo. l. rem mihi, xxi. in prin.

Si commodauero tibi equum, quo uteris usque ad certum locum, si nulla tua culpa interueniente, in ipso itinere deterior equus factus sit, non teneris commodati. nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter equum commodauerim, qui eum laborem sustinere non potuit, ff. eo. l. fin.

Ea quidem, quæ maiore vi auferuntur, detrimento eorum, quibus res commodantur, imputari non solent. sed cum is, cui à te commodari sibi postulabat bouem hostilis incursionis contemplatione periculum amissionis, & fortunam futuri damni in se suscepisse proponatur, præses prouinciæ, si probaueris eum indemnitatem tibi promisisse, placitũ conuentionis implere eũ cõpellet, C. eo. l. i.

Cum eum, qui temporalis ministerii causa susceperit equam ad restitutionem eius bona fides vrgeat, consequens est, socerum tuum huius rei causa tradidisse equam adito præside prouinciæ, probare, ut fidem susceptam is, aduersus quem supplicas, compellatur agnoscere, C. eo. l. secunda.

De restituendis rebus, quas obligandas pro se dederas, postquam debitum fuerit extenuatum, commodati actionem etiam aduersus hæredes eius exercere potes, C. eod. l. penult.

Prætextu debiti restitutio commodati non probabiliter recusatur, C. eo. l. fin.

Post actionem commodati sequitur actio depositi: quia in obligationibus est idem ordo.

DE ACTIONE DEPOSITI. Tit. X.

PRetor ait. QVOD NEQVE TVMVLTVS, NEQVE INCENDII NEQVE RVINAE, NEQVE NAVFRAGII CAVSSA DEPOSITVM SIT IN SIMPLVM, EARVM AVTEM RERVM, QVAE SVPRA COMPREHENSAE SVNT IN IPSVM IN DVPLVM, IN HAEREDEM EIVS, QVOD DOLO MALO EIVS FACTVM ESSE DICETVR, QVI MORTVVS SIT IN SIMPLVM, QVOD IPSIVS IN DVPLVM IVDICIVM DABO, ff. depositi. l. i. §. ptor.

Merito has caussas deponendi separauit prætor, quæ continent fortuitam causam depositionis, ex necessitate descendentem, non ex uoluntate proficiscentem. Eum tamen deponere tumultus, uel incendii, vel cæterarum causarum gratia intelligendum est, qui nullã aliã causam deponendi habet, quam imminẽs

ex causis suprascriptis periculum. hæc autem separatio causarum iustam ratio nem habet, quippè cum quis fidem elegit, nec depositum redditur: contentus esse debet simplo. cum uero extante necessitate deponat: crescit perfidiæ crimen, & publica utilitas coeundo uindicanda est. est enim inciuile in causis huiusmodi frangere, d. l. prima, §. merito.

Quæ depositis rebus accedunt, non sunt deposita; vtputa si equus cum capistro, nam solus equus depositus est, d. l. prima, §. quæ depositis.

Si conuenerit, vt deposito, & culpa præstetur: rata est conuentio. contractus enim lege ex conuentione accipiunt, illud non est probandum, dolum non esse præstandum, si conuenerit. nam hæc conuentio contra bonam fidem, contraq; bonos mores est, & ideo nec sequenda est, d. l. prima, §. si conuenit.

Si uestimenta seruanda balneatori data perierint, siquidem nullam mercedem seruandorum vestimentorum accepit: depositi eum teneri, & dolum duntaxat præstare debere verum est, quod si accepit, ex conducto; d. l. prima, §. si uestimenta.

Si te rogauero, ut rem meam perferas ad Titium, ut is eam seruet, qua actione experiri tecum possim; apud Pomponium quæritur? & putat tecum mandati: cum eo vero, qui eam recipit, depositi, si uero tuo nomine receperit Titius. tu quidē mandati nihil teneris, ille tibi depositi, quam actionem mihi præstabis, mandati iudicio conuentus, d. l. prima, §. si te rogauero.

Quod si rem tibi dedi, vt si Titius non recipisset, tu custodires, nec eum recepit: uidendum est, vtrum depositi tantum, an & mandati actio sit. & Pompon. dubitat. Sed tamen mandati erit actio: quia plenius fuit mandatum habens, & custodiæ legem, d. l. prima, §. quod si rem.

Idem Pomponius quærit: si tibi mandauero, ut rem ab alio meo nomine receptā custodias, idq; feceris, mandati an depositi tenearis? & magis probat, mandati esse actionem, quia hic est primus contractus. idem quærit. si apud te uolente me deponere iusseris apud amicum tuum deponere: an possim tecum depositi experiri? & ait, si tuo nomine, hoc est, quasi te custodituro, deposuissem, mihi tecum depositi esse actionem. Sin uero suaseris mihi, ut magis apud eum deponam. tecum nullam esse actionem, cum illo uero depositi: nec mandati te teneri, quia rem meam ipse gessi. sed si mandasti mihi, ut periculo tuo apud eum deponam, cur non sit mandati actio, non uidetur. Planè si fideiussisti pro eo. Labeo omnimodo fideiussorem teneri ait: non tantum si dolo fecit is, qui depositum suscepit: sed & si non fecit, est tamen res apud eum. Quid enim si fureret is, apud quem depositum est, vel pupillus esset, vel neque hæres extaret? tenebitur ergo, vti præster, quod depositi actione præstari solet, d. l. prima, §. idem Pomponius.

An in pupillum apud quem sine tutoris authoritate, depositum est, depositi actio detur, quæritur? sed probari oportet, si apud doli mali, iam capacem deposueris: agi posse, si dolum commisit, nam inquantum locupletior factus est, datur actio in eum, & si dolus non interuenit, d. l. prima, §. an in pupillum.

Si res deposita deterior reddatur: quasi non redderetur agi depositi potest. cum enim deterior redditur: potest dici, dolo malo reditam non esse, d. l. prima, §. si res deposita.

Non tantum præteritus dolus in depositi actionem uenit, sed etiam futurus, idest post litem contestatam. Inde Neratius scribit. Si res deposita, sine dolo malo amissa esset, & post iudicium acceptum recuperaretur, nihilominus rectè ad restitutionem reum compelli, nec debere absolui, nisi restituat.

idem

Idem Neratius ait. quamuis tunc tecum depositi actum sit, cum restituendi facultatem non habeas (horreis fortè clausis) tamen si ante condemnationem restituendi facultatem habeas: condemnandum te, nisi restituas: quia res apud te est. tunc enim quærendum, an dolo malo feceris, cum rem non habeas, d.l. prima, §. non tantum.

Est autem & apud Iulianum scriptum, eum, qui rem deposuit, statim posse depositi actione agere. hoc. n. ipso dolo facere eum, qui suscepit, quod reposcenti rem non reddat. Marcellus autem ait, non semper videri posse dolo facere eum, qui reposcenti non reddat. Quid enim si in prouincia res sit, vel in horreis, quorũ aperiendorum condemnationis tempore non sit facultas: vel conditio depositionis non extiterit? d.l. prima, §. est autem.

Hanc actionem bonæ fidei esse, dubitari non oportet, & ideo fructus in hanc actionem uenire, & omnem causam, & fœtum dicendum est, ne nuda res veniat. Si rem depositam vendidisti, eamq; postea redemisti in causam depositi, etiam si sine dolo malo postea perierit, teneri te depositi, quia semel dolo malo fecisti, cum venderes. In depositi quoque actione in litem iuratur, d.l. prima. §. hanc actionem.

Si pecunia apud te ab initio hac lege deposita sit, vt si uoluisses utereris priusquam vtaris, depositi teneberis, d.l. prima, § si pecunia.

Sæpe euenit, vt res deposita, vel numi periculo sint eius, apud quem deponuntur, vtputa si hoc nominatim conuenit, sed & si quis se deposito obtulit. Idem Iulianus scribit, periculo se depositi alligasse, ita tamen ut non solum dolum, sed etiam & culpam, & custodiam præstet, non tamen fortuitos casus, d. l. prima, §. sæpe euenit.

Si pecunia in sacculo signato deposita sit, & unus ex hæredibus eius, qui deposuit, veniat repetens, quemadmodum ei satisfiat, uidendum est. Pomenda est pecunia, vel coram prætore, vel interuenientibus honestis personis, & exsoluenda pro parte hæreditaria. sed & si resignetur, non contra legẽ depositi fiet cum vel authore prætore, vel honestis personis interuenientibus hoc euenerit, residuo uel apud eum remanente, si hoc uoluerit (sigillis uidelicet prius ei impressis, vel à prætore, vel ab his, coram quibus signacula remota sunt) vel si hoc recusauerit, in ædem deponendo, sed si res sunt, quæ diuidi non possunt omnes debebit tradere, satisdatione idonea à petitore ei præstanda in hoc, ꝗ supra eius partem est. satisdatione autem non interueniente, rem in ædem deponi, & omni actione depositarium liberari, d.l. prima, §. si pecunia.

Apud Iulianum talis species relata est. si depositor decesserit, & duo existant, qui inter se contendat, vnusquisque solum se hæredem dicens, ei tradendam rem, qui paratus est aduersus alterum reum defendere, quod si neuter hoc onus suscipiat, commodissimè dici ait, non cogendum esse à prætore iudicium suscipere: oportere igitur rem deponi in ædem aliquam, donec de hæreditate iudicetur, d.l. prima, §. apud Iulianum.

Si quis tabulas testamenti apud se depositas, pluribus præsentibus legit, ait Labeo, depositi actione rectè de tabulis agi posse, sed Vulpianus arbitratur, & iniuriarum agi posse, si hoc animo recitatum est testamentum quibusdam præsentibus, ut iudicia secreta eius, qui testatus est, diuulgarentur, d.l. prima, §. si quis tabulas.

Si prædo, vel fur deposuerit, & hos Marcellus putat depositi rectè acturos. nam interest eorum, eo quod teneantur, d.l. prima, §. si prædo.

Si quis argentum, vel aurum depositum petat: vtrum speciem, an & pondus complecti debeat? & magis est, vt vtrumque complectatur. scyphum fortè, lancem, vel pateram dicendo, & materiam, & pondus addendo. Sed & si purpura infecta sit, vel lana, pondus similiter adiiciendum: saluo eo, vt si de quantitate ponderis incertum est, iuranti succurratur, d.l.prima, §.si quis.

Si cista signata deposita sit: vtrum cista tantum petatur, an & species comprehendendæ sint? & ait Trebatius cistam repetendam, non singularum rerum depositi agendum, quod si, & res ostensæ sunt (species fortè, vel uestes) & sic depositæ: adiiciendas, & species, & uestes: Labeo autem ait, eum, qui cistam deponit singulas quoque res videri deponere. ergo & de rebus agere eum oportere. Quid ergo si ignorauit is, qui depositum suscipiebat, res ibi esse, non multum facere, cum suscepit depositum. Sed & rerum depositi agi potest, quamuis signata cista deposita sit, d.l.prima, §.si cista.

Filiumfamilias teneri depositi constat: quia & cæteris actionibus tenetur. Sed cum patre eius agi potest, duntaxat de peculio. idem & in filio. nam cum patre agetur. Planè (ut Iulianus scripsit) si eorum nomine, qui sunt in potestate, agatur: venit in iudicium, & si quid per eum, in cuius iure sunt, captum, fraudatumve, vt & dolus eorum ueniat. non tantum ipsorum, cum quibus contractum est, d.l.prima, §.filiumfam.

Si apud duos sit deposita res, aduersus vnumquemque eorum agi poterit: nec liberabitur alter, si cum altero agatur. non enim electione, sed solutione liberantur, proinde si ambo dolo fecerint, & alter, quod interest præstiterit: alter non conuenietur, exemplo duorum tutorum, quod si nihil alter, uel minus facere posit, ad alium peruenietur, idemque & si alter dolo non fecerit, & idcirco sit absolutus, nam ad alium peruenietur. d.l.prima, §.si apud duos.

Sed si duo deposuerint, & ambo agunt: siquidem sic deposuerunt, vt vel vnus tollat totum: poterit insolidum agi, si uero pro parte, pro qua eorum interest: tunc dicendum est, in partem condemnationem faciendam, d.l.prima, §. sed si duo.

Si deposuero apud te, vt post mortem tuam reddas, & tecum, & cum hærede tuo possim depositi agere. possum enim mutare uoluntatem, & ante mortem tuam depositum repetere, proinde, & si sic deposuero, ut post mortem meam reddatur: potero & ego, & hæres meus agere depositi mutata uoluntate, d.l. prima, §.si deposuero.

Quoniam autem dolus duntaxat in hanc actionem venit. quæsitum est si hæres rem apud testatorem depositam, vel commodatam distraxit, ignorans depositam uel commodatam, an teneatur? & quia dolo non fecit, non tenebitur de re. an tamen uel de precio teneatur, quod ad eum peruenit? & uerius est, teneri eum. hoc enim ipso dolo facit, quod id, quod ad se peruenit, non reddit, d.l.prima, §.finali.

Quid ergo si precium nondum exegit, aut minoris, quam debuit, vendidit actiones suas tantummodo præstabit. Planè si posit rem redimere, & præstare nec velit: non caret culpa: quemadmodum nec si redemptam, vel alia ratione suam factam, noluit præstare causatus, quod semel ignarus uendiderit, ff. depositi, l. secunda, & tertia.

Sed & si non sit hæres, sed putauit se hæredem: & uendidit: simili modo lucrum ei extorquebitur, ff. eo. l. quarta.

Ei, apud quem depositum esse dicetur, contrarium iudicium depositi datur, in quo iudicio meritò in litera, non iuratur, non enim de fide rupta agitur, sed

ſed de indemnitate eius, qui depoſitum ſuſcepit, ff. eo. l. quinta, in princ.

In ſequeſtrum depoſiti actio competit. ſi tamen cum ſequeſtro conuenit, vt certo loco rem depoſitam exhiberet, niſi ibi exhibeat, teneri eum palam eſt. Quod ſi de pluribus locis conuenit, in arbitrio eius eſt, quo loco exhibeat, ſed ſi nihil conuenit, denunciandum eſt ei, ut apud prætorem exhibeat, d. l. quinta, §. in ſequeſtrum.

Si velit ſequeſter officium deponere, quid ei faciendum ſit: & ait Pomponius, adire eum prætorem oportere: & ex eius auctoritate denunciatione facta his, qui eum elegerant: ei rem reſtituendam, qui præſens fuerit. Sed hoc haud ſemper verum eſt. Nam plerunque non eſt permittendus, officium, quod ſemel ſuſcepit contra legem depoſitionis deponere: niſi iuſtiſsima cauſa interueniente. & cum permittitur: ratio ei res reſtituenda eſt, qui uenit, ſed oportet eam arbitratu iudicis apud ædem aliquam deponi. Propriè autem in ſequeſtre eſt depoſitum, quod à pluribus inſolidum certa condictione cuſtodiendum, reddendumque traditur, d. l. quinta, §. fin. cum l. ſeq.

Cum ſequeſtro rectè agetur depoſiti ſequeſtraria actione, cum & in hęredem eius reddi oporteat, ff. eo. l. ſi in Aſia, xii. §. pen.

Datur actio depoſiti in hæredem ex dolo defuncti in ſolidum quamquam. n. alias ex dolo defuncti non ſolemus teneri, niſi pro ea parte, quæ ad nos peruenit: tũ quia hic dolus ex contractu, reique perſecutione deſcendit: ideoque inſolidum vnus hæres tenetur, plures vero pro ea parte, qua quiſque hæres eſt, ff. eodem, l. ſeptima, §. datur.

Quoties foro cedunt numularii, ſolet primo loco ratio haberi depoſitariorum: hoc eſt eorum, qui depoſitas pecunias habuerint, quas apud numularios, uel cum numulariis, vel per ipſos exercebant, & ante priuilegia igitur ſi bona uenerint, depoſitariorum ratio habetur, dummodo eorum, qui uel poſtea intereſſe acceperunt, ratio non habeatur, quaſi renuntiauerint depoſito, d. l. ſeptima. §. quoties.

Item quæritur, vtrum ordo ſpectetur eorum, qui depoſuerunt: an uero ſimul omnium depoſitariorum ratio habeatur: & conſtat ſimul admittendos. Quod priuilegium exercetur, non in ea tantum quantitate, quæ in bonis argentarii ex pecunia depoſita reperta eſt, ſed in omnibus fraudatoriis facultatibus, idque propter neceſſarium vſum argẽtariorum ex vtilitate publica receptum eſt. Planè ſumptus cauſa, qui neceſſario factus eſt, ſemper præcedit. Nam deducto eo bonorum calculus ſubduci ſolet, d. l. ſeptima, §. fin. cum l. ſeq.

In depoſiti actione ſi ex facto defuncti agam aduerſus vnum ex pluribus hæredib. pro parte hęreditaria agere debeo: ſi uero ex ſuo delicto, pro parte non ago, merito: quia æſtimatio refertur ad dolum, quem inſolidum ipſe hęres admiſit, nec aduerſus cohæredes eius, qui dolo carent, depoſiti actio competit, ff. eod. l. in depoſiti, 9. cum l. ſeq.

Si in Aſia depoſitum fuerit, ut Romam reddatur, videtur id actum, ut non impenſa eius, id fiat, apud quem depoſitum ſit, ſed eius qui depoſuit, ff. eo. l. ſi in Aſia, xii. in princip.

Depoſitum eo loco reſtitui debet, in quo ſine dolo malo eius eſt, apud quem depoſitum eſt. Vbi vero depoſitum eſt, nihil intereſt. eadem dicenda ſunt communiter, & in omnibus bonæfidei iudiciis. ſed dicendum eſt, ſi velit actor ſuis impenſis, ſuoque periculo perferri rem Romam, vt audiendus ſit, quoniam & in ad exhibendum actione, id ſeruatur. d. l. ſi in Aſia. §. Depoſitum.

Quemadmodum, quod ex stipulato, vel ex testamento dari oportet post iudicium acceptum cum detrimento rei perit: sic depositum quoq; eo die, quo depositi actum sit: periculo eius, apud quem depositum fuerit est: si iudicii accipiendi tempore potuit id reddere Reus, nec reddidit, d.l. si in Asia, §. fin.

Si quis inficiatus sit, non aduersus dominum, sed qui eum, qui rem depositam petebat, verum procuratorem non putarit, aut eius, qui deposuisset, hæredem; nihil dolo malo fecit; Postea autem sic cognouerit, cum eo agi poterit, quoniam tunc incipit dolo malo facere, si reddere eam non vult, ff. eod. l. si quis, xiii. in princip.

Competit etiam condictio depositæ rei nomine: sed non antequam, quid dolo admissum sit. non enim quemquam hoc ipso, quod depositum accipiat, uerum quod dolum malum admiserit, condictione obligare constat, d.l. si quis, §. competit.

Si plures hæredes fuerint ei, qui deposuerit: dicitur si maior pars adierit, restituendam rem præsentibus. maiorem autem partem non ex numero vtiq; personarum, sed ex magnitudine portionum hæreditariarum intelligendum cautela idonea reddenda, ff. eo. l. si plures, xiiii. in prin.

Siue autem cum ipso, apud quem deposita res est, actum fuerit, siue cum hærede eius, & sua natura res ante rem iudicatam interciderit (veluti si equus mortuus fuerit) Sabinus & Cassius absolui debere eum, cum quo actum est, dixerunt, quia equum sit naturale interritum ad actorem pertinere, vtiq; cum interritura sit res, & si restituta esset actori, d.l. si plures, xiiii. §. siue autem.

De eo, quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii causa depositum est: in hęredem de dolo mortui actio est, & pro hæreditaria portione, & in simplum, & intra annum quoque in ipsum uero, & in solidum, & in duplum, & in perpetuum datur, ff. eo. l. de eo, xviii.

Filius familias depositi rectè agere potest, ff. eo. l. Iulian. xix.

Die sponsaliorum, aut postea, res ablatas puellæ, quæ sui iuris fuit, pater suscepit, hæres eius, vt exhibeat, rectè conuenietur etiam actione depositi, ff. eod. l. die sponsa liorum, xxv. in princ.

Qui pecuniā apud se non assignatam, vt tantundem redderet depositam, ad vsus proprios conuertit; post moram in interesse, quoque iudicio depositi condemnandus est, d. l. die, §. qui pecuniam.

Lucius Titius, ita cauit. SVSCEPI AB EOQVE APVD ME TITVLO DEPOSITIS SVPRASCRIPTA DENARIVM ARGENTI DECEM MILIA: ME'QVE AD PRAESCRIPTVM OMNIA PRAESTATVRVM, ET PROMITTO, ET PROFITEOR: CONVENTIONE SCILICET INITA, VT QVO AD OMNE ARGENTVM REDDATVR INTERESSE PRAESTARE. quæsitum fuit ad interesse. Paulus respondit eum contractum, de quo quæritur depositæ pecuniæ modum excedere. ideo secundum conuentionem interesse, quoque actione peti posset, ff. eod. l. Publica Mæuia, §. Lucius Titius.

Quintus Cæcilius Cādidus ad Pacciū Rogatianū epistolā scripsit in uerba infrascripta. Cęcilius Cādidus Paccio Rogatiano suo salutē. Vigintiquinque numos quos apud me esse uoluisti, notū tibi hac epistola facio, ad ratiunculā meam eos peruenisse, quibus ut primum prospiciam, ne uacui tibi sint, curæ habeo. quæsitum est, an ex ea epistola, etiam interesse peti posit? respondit Scæuola debere ex bonæfidei iudicio: siue pcepit, siue pecuniā in rē suā usus est, ff. eo. l. 5. in pri.

Si ex

Si ex permissu meo deposita pecunia is, penes quem deposita est, vtatur: vt in cæteris bonæfidei iudicis interesse eius nomine præstare mihi cogitur, ff. eod. l. si sacculum, 29. §. fin.

Interesse pecuniæ in depositi actione, sicuti in cæteris bonæfidei iudicis ex mora venire solet, C. depositi. l. secunda.

Si depositi experiaris non immeritò etiam interesse tibi restituit flagitabis: cum tibi debeat gratulari, quod furti eum actione non facias obnoxium. si quidem si quis rem depositam inuito domino sciens, prudensque in vsus suos conuerterit: etiam furti delicto succedit, C. eod. l. tertia.

Si deposita pecunia is, qui eam suscepit, vsus est, non dubium est etiam interesse debere præstari. sed si cum depositi actione expertus es, tantummodo sortis facta condemnatio est: vltra non potes propter interesse experiri. non enim duæ sunt actiones, alia sortis, alia pro interesse, sed vna: ex qua condemnatione facta, iterata actio rei iudicatæ exceptione repellitur, C. eod. l. quarta.

Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, & is penes quem depositum fuit, me inuito contrectauerit, & depositi, & furtiua condictio mihi competit, ff. depositi, l. si sacculum, 29. in prin.

Si fideiussor pro te, apud quem depositum est, litis æstimatione damnatus sit: rem tuam fieri Neratius ait. ff. eod. l. si fideiussor. 30.

Quod Nerua diceret latiorem culpam dolum esse, Proculo displicebat: Celso verissimum esse videtur, nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est: nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstat, fraude non caret. nec enim salua fide minorem his, quam suis rebus, diligẽtiam præstabit, ff. eod. l. quod Nerua. 32.

Potes agere depositi cum eo, qui tibi non aliter, quàm numis à te acceptis, depositum reddere voluit: quamuis sine mora, & incorruptum reddiderit. ff. eodem, l. finali.

Propter instrumenta quidem, quæ te deposuisse cum aduersario tuo dicis, vt residua pecunia, quæ ex conductione debebatur, soluta, ea reciperes. Quamuis autem hæc reddita non fuerint: tamen aduersus eum à quo fundum conduxeras: si omne quod ex hoc contractu debebatur: reddidisti, ipsis solutionibus tutus es. C. eod. l. quinta.

Is, penes quem vtrasque partes transactionis, vel alia instrumenta cõmendasse dicis, legem, qua hæc suscepit, seruare necesse habet, C. eod. l. sexta.

Desiderium tuum cum rationibus iuris non congruit, nam si custodiam pecuniæ suscepisti, quam aliis à te mutuo datam conscriptum instrumentum, quo hanc tibi reddi profiteris, arguit: solutionem eius competẽtem improbè recusas, C. eod. l. septima.

Si is, qui depositam à te pecuniam accepit, eam suo nomine, vel cuiuslibet alterius mutuò dedit: tam ipsum de implenda suscepta fide, quam eius successores teneri tibi certissimum est, aduersus eum autem, cui accepit, nulla actio tibi competit: nisi numi extent, tunc enim contra possidentem vti rei vindicatione potes, C. eod. l. si is qui, 8.

Qui depositum non restituit, suo nomine conuentus, & condemnatus, ad eius restitutionem cum infamiæ periculo vrgetur, C. eod. l. qui depositum. x.

Si quis, vel pecunias, vel res quasdam pro depositis acceperit titulum: eas volenti ei, qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compẽsationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi & ipse quasdã

contra

contra eum, qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens: cum non sub hoc modo depositum accepit, ut non concessa ei retentio generetur, & contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. sed & si ex vtraque parte aliquid fuerit depositum, nec in hoc casu compensationis præpeditio oriatur, sed depositæ quidem res, vel pecuniæ ab vtraque parte, quàm celerrimè, sine aliquo obstaculo restituantur ei, videlicet primum, qui primus hoc voluerit, & postea legitimæ actiones integræ quoque ei reseruentur. Quod obtinere (sicut iam dictum est) oportet, & si ex vna parte depositio celebrata est, ex altera autem compensatio fuerit opposita: vt integra omni legitima ratione seruata depositæ res, vel pecuniæ prima fronte restituantur. Quòd si in scriptis attestatio non per dolum, vel per fraudem fuerit ei, qui depositum suscepit, ab illo transmissa, vt minimè depositum restituat, hocque per iusiurandum adfirmauerit: licet ei, qui deposuit, sub defensionis cautela idonea præstita, res depositas, quàm ocyssimè recuperare, C. eod. l. penul.

Si quis ab aliquo, vel aurum, vel certas res depositi titulo sub certis conditionibus accipiat: Deinde hæ impleantur. habet sanè necessitatem, semel impletis conditionibus, aurum aut eas res restituere, nulla omnino licentia subsistente vt extraneis vtatur aliquis denunciationibus, & depositi restitutionem remoretur, cui pleraque alia quoque priuilegia à legibus data sunt. Nam vt maximè eum, cuius fidei depositum concreditum est, his, qui restitutionem impedit, nõ obturbet: licentiam tam habebit, ei, qui id aurum, vel res recepturus est, de rebus cum illo controuersis, & dictare iudicium, & iuris, atque legis obtinere beneficium. Non autem per hanc causam ei, qui attestationem suscepit, magna inducat dispendia: compellatque eum aut defensiones expectare, aut res apud se detinere, vt neque si velit, possit se erga eum, qui deposuit, prębere benignum. quod si tale aliquid egerit (omnino enim oportet non solum, nos delictorum prohibitione contentos esse, sed etiam transgressoribus metum incutere, iustũ est) siue intercidere eas res, aut pecuniam contigerit, & hoc probetur: siue fortuitus aliquis casus existat: vt hoc ipsum eum respiciat, qui attestationem emisit. Agnoscat insuper ab eo tempore, ex quo attestatio facta est pro pecunia interesse legitimè soluendo ei, qui sua recipere prohibitus fuit. Neque id tãtum, si aurum sit, quod depositum prohibetur restitui, sed etiam si aliæ res: quo magis huius metu homines à vanis illis, & summam præ se inuidiam ac degenerẽ animum ferentibus detentionibus, desistant. Nouel. const. de deposito. 88. in prin. alias de deposito. coll. 6. const. fin.

Quare pignoratitia actio sequatur, ex notatis in alijs titulis patet.

DE PIGNORATITIA ACTIONE, VEL CONTRA. Titulus XI.

SEruiana, & quasi Seruiana, quæ etiam hypothecaria vocatur, ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt. Seruiana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris iure pro mercedibus fundi ei tenetur. Quasi Seruiana autem est, qua creditores pignora hypothecasve persequuntur. Inter pignus autem, & hypothecam quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest, nam de qua re inter creditorem, & debitorem conuenerit, vt sit pro debito obligata, vtraq; hac appel-

appellatione continetur. sed in aliis differentia est, nam pignoris appellatione eam rem propriè contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit: at eam, quæ sine traditione nuda conuentione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus. Institut. de Actio. §. item Seruiana.

Pignus contrahitur non solum traditione, sed etiam nuda conuentione, & si traditum non est. si igitur contractum sit pignus nuda cõuentione: videamus si quis aurum ostenderit, quasi pignori daturus, & æs dederit, an obligauit aurum pignori. & consequens est, vt aurum obligetur, non autem æs: quia in hoc non cõsenserunt. Si quis tamen cum ęs pignori daret, adfirmauit hoc aurum esse, & ita pignori dedit: videndum erit, an æs pignori obligauit, & nunquid, quia in corpore consensum est, pignori esse videatur. quod magis est. tenebitur tamen, & pignoraticia contraria actione, qui dedit: pręter stellionatum, quem fecit. ff. de pignoraticia act. l. prima.

Pignori plura animalia. Si data sint, & quædam certo precio ita vendiderit creditor, vt euictionem eorum præstaret, & creditum suum habeat: & reliqua animalia potest retinere, donec ei caueatur, quod euictionis nomine promiserit indemnem eum futurum, ff. eod. l. octaua. §. si pignori.

Si rem alienam mihi debitor pignori dederit, aut malitiose in pignore versatus sit, dicendum est, locum habere contrarium iudicium, ff. eod. l si rem. 9. in prin.

Non tantum autem ob pecuniam, sed ob aliam causam pignus dari potest, veluti si quis pignus alicui dederit, vt pro se fideiubeat, d. l. si rem. §. non tantum.

Propriè pignus dicimus, quod ad creditorem transit hypothecam, cum non transit, nec possessio ad creditorem, d. l. si rem, §. propriè.

Per alienam personam pignoris obligatio nobis non adquiritur: adeo, vt nec per procuratorem plerumque, nec tutorum adquiratur. & ideo ipsi actione pignoraticia conuenientur, sed nec mutat. quod constitutum est ab Imperatore, posse per liberam personam possessionem adquiri. nam hoc eo pertinebit, vt possimus quidem pignoris nobis obligati possessionem per procuratorem, vel tutorem adpræhendere: sed si procurator meus, vel tutor rem pignori dederit: ipse agere pignoraticia poterit. quod in procuratore ita procedit, si mandatum fuit, vt pignori daret. Vel vniuersorum bonorum administratio ei permissa est ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere. ff. eod. l. solutum, xi. § per liberam.

Etiam vectigale prædium pignori dari potest. sed & superficiarium: quia hodie vtiles actiones superficiariis dantur. Sanè diui Seuerus, & Antonius rescripserunt, vt sine deminutione mercedis soli obligetur, ff. eod. l. Tutor, 16. §. finali. cum l. sequen.

Si conuenerit, vt nomen debitoris mei pignori tibi sit, tuenda est à prætore hæc conuentio: vt, & in te in exigenda pecunia, & debitorem aduersus me (si cum eo experiar) tueatur. ergo si id nomen pecuniarium fuerit: exactam pecuniam tecum pensabit, si vero corporis alicuius, id, quod acceperis, erit tibi pignoris loco, ff. eod. l. si conuenerit, 14. in princ.

Si nuda proprietas pignori data sit: vsusfructus, qui postea adcreuit, pignori cedit, eadem causa est alluuionis, d. l. si conuenerit, §. si nuda.

Si fundus pignoratus venierit, manere causam pignoris constitit: quia cum sua causa fundus transeat, sicut in fœtu equę, qui post venditionem natus sit, d. l. si conuenerit, §. si fundus.

Si quis cauerit, vt sylua sibi pignori esset: nauem ex ea materia factam non esse pignori, Cassius ait: quia aliud sit materia, aliud nauis, & ideo nominatim in dando pignore adiiciendum esse ait: QVAE'QVE EX SYLVA FACTA, NATA SINT, d.l. si conuenerit, §. si quis cauerit.

Filius rem peculiarem si pignori dederit: tuendum est, si liberam peculii administrationem habuit. nam, & alienare eas res potuit, d.l. si conuenerit. §. seruus.

Eadem, & de filio familias dicta intelligimus, ff. eod. l. eadem, 19.

Aliena res pignori dari voluntate domini potest, sed & si ignorante eo data sit, & ratum habuerit: pignus valebit, ff. eo d.l. aliena, 20. in prin.

Si pluribus res simul pignori detur, æqualis omniũ causa est, d.l. aliena, §. si plurib.

Domo pignori data, & area eius tenebitur: est enim pars eius, & contra, ius soli sequitur ædificium, ff. eod. l. domo, 21.

Si pignore subrepto furti egerit creditor: totum quidquid percepit, debito imputari Papinianus confitetur, & est verum: etiam si culpa creditoris furtum sit factum. multò magis hoc erit dicendum in eo, quod ex condictione, consecutus est. Sed quod ipse debitor furtiua condictione præstitit creditori, vel condictione: an debito sit imputandum, videamus, & quidem nõ oportere restitui id ei, quod ipse ex furtiua condictione præstitit perǫque Relatum est, & traditum, & ita Papinianus ait: ff. eod. l. si pignore, 22. in prin.

Si prędo rem pignori dederit, competit ei, & de fructibus pignoratitia actio, quãuis ipse fructus suos non facit, à prędone enim fructus, & vindicari extantes possunt, & consumpti condici, proderit igitur ei, quod creditor bona fide possessor fuit, d.l. si pignori. §. si prædo.

Non est mirum, si ex quacunque causa magistratus in possessionem aliquem miserit, pignus constitui: cum testamento quoque pignus constitui possit, sciendum tamen vbi iussu magistratus pignus constituitur: non alias constitui, nisi ventum fuerit in possessionem, ff. eod. l. non est. 26.

Petenti mutuam pecuniam creditori cum præ manu debitor non haberet, species auri dedit, vt pignori apud alium creditorem poneret. Si iam solutione liberatas, receptasque eas is, qui susceperat, tenet, exhibere iubendus est. quod si etiam nunc apud creditorem creditoris sunt: voluntate domini nexæ videntur. Sed ut liberatæ tradantur: domino earum propria actio aduersus suum creditorem competit, ff. eod. l. petenti. 27.

Si rem alienam bona fide emeris, & mihi pignori dederis, ac præcario rogaueris, deinde me dominus hæredem instituerit: desinet pignus esse, & sola præcarii rogatio susceperit. idcirco vsucapio tua interpellabitur, ff. eod. l. si rem, 24.

Pignus, manente proprietate debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem. potest tamen & præcario, & coaducto debitor re sua uti, ff. eod. l. cum ex sortis, 35. §. finali.

Si quis in pignore dando pro auro æs subiecisset creditori qualiter teneatur, quæsitum est: in qua specie rectissimè Sabinus scribit: si quidem auro dato, æs subiecisset pro furto teneri. quod si in dando æs subiecisset, turpiter fecisse, non furem esse. sed hic pignoratitium iudicium locum habet, & ita Pomponius scribit. sed, & extra, ordinem stellionatus nomine plectetur, ut est sæpissimè rescriptum. sed & si quis rem alienam mihi pignori dedit sciens, prudensque aut alii obligatum, mihi obligauit, nec me de hoc certiorauit: eodem crimine plectetur; planè si ea res ampla est, & ad modicum æris fuerit pignorata, dici debebit, cessare non solum stellionatus crimen, sed etiam pignoratitiam & de dolo ma-

lo actionem: quasi in nullo captus sit, qui pignori secundo loco accepit, ff. eod. l. si quis, 36.

Si pignus mihi traditum locassem domino per locationem retineo possessionē: quia ante, quam conducerer debitor, non fuerit eius possessor: cum, & animus mihi retinendi sit, & conducenti non sit animus possessionem adipiscendi, ff. eod. l. si pignus, 37.

Pupillo capienti pignus, propter metum pignoratitiæ actionis necessaria est tutoris authoritas, ff. eod. l. pupillo, 38.

Si rem pignori datam vēdidit, & tradidit, tuque ei numos credidisti, quos ille soluit ei creditori, cuius pignus dederat: tibique cum eo conuenit, vt ea res, quam iam vendiderat, pignori tibi esset: nihil te egisse constat, qui rem alienam pignori acceperis, ea enim ratione emptorem pignus liberatum habere cæpisse: neque ad rem pertinuisse, quod tua pecunia pignus sit liberatum, ff. eodem. l. secunda.

Si quasi recepturus à debitore tuo cominus pecuniam reddidisti ei pignus: isque per fenestram demisit, excepturo eo, quem de industria ad id posuerat: Labeo ait, te condictione furtiua cum debitore agere posse, & ad exhibendum, & si agente pignoratitia contraria, excipiat debitor de pignore sibi reddito: replicabitur de dolo, & fraude per quam nec redditum, sed per fallaciam ablatum id intelligitur, ff. eod. l. tertia.

Si conuenerit de distrahendo pignore (siue ab initio, siue postea) non tantum venditio valet, verum incipit emptor dominium rei habere, sed & si non conuenerit de distrahendo pignore: hoc tamen iure vtimur, vt liceat distrahere: si modo non conuenit, ne liceat. vbi verò conuenit ne distraheretur: creditor, si distraxerit, pro furto obligatur: nisi ei ter fuerit denunciatum, vt soluat, & cessauerit, ff. eod. l. quarta.

Idque iuris est: siue omnino fuerint pacti, ne veneat, siue in summa, aut condictione, aut loco contra pactionem factum sit. ff. eod. l. quinta.

Quamuis conuenerit, vt fundum pignoratitium vendere tibi liceret: tamen nihilo magis cogendus es vendere, licet soluendo non sit is, qui pignus dedit: quia tua causa id caueatur. Sed Atilicinus ex causa cogendum creditorem esse ad vendendum dicit: quod enim si multo minus sit, quod debeatur: & hodie pluris venire possit pignus, quam postea? melius autem est dici eum, qui dedit, pignus posse vendere: & accepta pecunia soluere id, quod debeatur, ita tamen, vt creditor necessitatem habeat, ostendere rem pignoratam, si mobilis sit, prius idonea cautela à debitore pro indemnitate ei præstanda, inuictum enim creditorem cogi vendere, satis est inhumanum, ff. eod. l. sexta. in princ.

Si creditor pluris fundum pignoratum vendiderit, si id mercatori dederit pro honesto lucro: interesse eius pecuniæ præstare debet ei, qui dedit pignus, sed & si ipse vsus sit ea pecunia: interesse præstare oportet, quod si eā depositam habuerit: interesse non debet. Si autem tardius superfluum restituat creditor, quod apud eum depositum: ex mora interesse debitori hoc nomine præstare cogendus est. d. l. sexta, §. finali, cum l. seq.

Si annua, bima, trima die stipulatus acceperim pignus: pactusque sim, vt nisi sua quoque die pecunia soluta esset, vendere eam mihi rem liceret; placet ante, quā omnium pensionum dies veniat, non posse me pignus vendere, quia eis verbis omnes pensiones demonstrentur, nec verum est, sua quaque die non solutam pecuniam, antequam omnes dies veniant. sed omnibus pensionibus præteritis,

etiam

etiam si vna portio soluta non sit, pignus potest vendere. sed si ita scriptum sit, si qua pecunia sua die soluta non erit: statim competit ei pacti conuentio, ff. eo. dem, l. octaua, §. si annua.

De vendendo p gnore in rem pactio concipienda est, vt omnes contineantur. sed & si creditoris duntaxat persona fuerit comprehensa: etiam hæres eius iure vendet, si nihil in contrarium actum sit, d. l. octaua, §. pen.

Cum pignus ex pactione uenire potest: non solum ob sortem non solutam uenire poterit, sed ob cætera quoque, veluti interesse, & quæ in id impensa sunt, d. l. octaua, §. finali.

Pactum vulgare, quod proposuistis, vt si intra certum tempus pecunia soluta non fuisset, prædia pignori, vel hypothecę data vendere liceret: non adimit debitori aduersus creditorem pignoratitiam actionem, C. eo. l. tertia.

Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum, vt nascatur pignoratitia actio, satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum siue enim aliis pignoribus sibi cauere voluit, vt ab hoc recedat, siue fideiussoribus, siue reo dato, siue precio aliquo, vel nuda conuentione, nascitur pignoratitia actio. & generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor à pignore: videri ei satisfactum, si vt ipse voluit, sibi cauit: licet in hoc deceptus sit. is quoque, qui rem alienam pignori dedit, soluta pecunia solet pignoratitia experiri, ff. eo l. si rem, 9. §. omnis.

Qui ante solutionem egit pignoratit. a: licet non rectè agit: tam etsi offerat in iudicio pecuniam, debet rem pignoratam, & quod sua interest consequi, d. l. si rem, §. finali.

Quod si non soluere, sed alia ratione satisfacere paratus est, fortè si ex promissorem dare vult, nihil ei prodest, ff. eo. l. quod si non. x.

Si pecuniam debitor soluerit, potest pignoraticia actione uti ad recuperandum mutuum. nam cum pignus sit, hoc uerbo poterit uti, ff. eo. l. si pecuniam, xxxiii.

Soluta pecunia, creditor possessionem pignoris, quæ corporalis apud eum fuit, restituere debet, nec quisquam amplius præstare cogitur. itaque si medio tempore pignus creditor pignori dederit, domino soluente pecuniam, quam debuit, secundi pignoris neque persecutio dabitur, neque retentio relinquetur, ff. eo. l. debitor, xl. §. fina.

Solutum non uidetur, si lis contestata cum debitore sit de ipso debito: vel si fideiussor conuentus sit. nouata autem debiti obligatio pignus perimit: nisi conuenit, vt pignus repetatur, ff. eo. l. solutum, xi. in princip.

Si cum uenderet creditor pignus, conuenit inter ipsum, & emptorem, ut si solueret debitor pecuniam precii emptori, liceret ei recipere rem suam: scripsit Iulianus, & est rescriptum, ob hanc conuentionem pignoraticiis actionibus teneri creditorem, ut debitori mandet ex vendito actionem aduersus emptorem. sed & ipse debita, aut uindicare rem poterit, aut in factum actione aduersus emptorem agere. Venit autem in hanc actionem, & dolus, & culpa, vt in commodato. venit, & custodia, vis maior non uenit, ff. eo. l. si cum uenderet, xiii.

Si vendiderit quidem creditor pignus pluris, quam debitum erat, nõdum autem precium ab emptore exegerit, an pignoratitio iudicio conueniri possit ad superfluum reddendum, an uero, vel expectare debeat, quoad emptor soluat, uel suscipere actiones aduersus emptorē? & verum est non esse vrgendum ad solutionem creditorem: sed aut expectare debitorem, debitorem debere, aut si nõ expectet, mandandas ei actiones aduersus emptorem periculo tamen uenditoris.

ris. quod si accepit iam pecuniam superfluum reddit, ff. eod. l. eleganter, xxiiii. §. si vendiderit.

Si vnus ex hæredibus debitoris portionem suam soluerit, tamen tota res pignori data venire poterit, quemadmodum si ipse debitor portionem soluisset, ff. eo. l. si necessarias, octaua, §. si vnus.

Si creditori plures hæredes extiterint, & vni, ex his pars eius soluatur, non debent cæteri hæredes creditoris iniuria affici, sed possunt totum fundum uendere, oblato debitori eo, quod cohæredi eorum soluit, quæ sententia non est, sine ratione solutam autem pecuniam accipiendam, non solum si ipsi, cui obligata res est: sed & si alii sit soluta voluntate eius, vel ei, cui hæres extitit, procuratori eius pecuniis exigendis præposito. Vnde si domum conduxeris, & eius partem mihi locaueris, egoque locatori suo pensionem soluero: pignoratitia aduersus te potero experiri. Nam Iulianus scribit solui ei posse. & si partem tibi, partem ei soluero: tamtundem erit dicendum, planè in eam duntaxat summam inuecta in ea, & illata tenebuntur, in quam cænaculum conduxi. non enim credibile est, hoc conuenisse, vt ad vniuersam pensionem insula, friuola mea teneantur. videtur autem tacitè, & cum domino ædium hoc conuenisse: vt non pactio cænacularii proficiat domino, sed sua propria, ff. eodem. l. solutum, xi. §. si creditori, & §. solutam.

Ea igitur, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exiguntur, ff. eo. l. ea igitur. xiiii.

Creditor si cum pignus reddit, de dolo debet debitori repromittere, & si prædium pignoratum est, etiam de iure eius repromittendum: ne fortè seruitutes cessante vti creditore omissæ sint, ff. eo. l. creditor, xxv.

Qui ratiario crediderat, cum ad diem pecunia non solueretur, ratem in flumine sua authoritate detinuit, postea flumen creuit, & inde ratem abstulit, si inuito ratiario retinuisset: eius periculo ratem fuisse, respondit Paulus, sed si debitor sua voluntate conuenisset, vt retineretur, culpam duntaxat ei præstandum, non vim maiorem, ff. eo. l. qui ratiario, xxx.

In pignoratitio iudicio venit, & si res pignori datus malè tractauit creditor, vel equos debilitauit, ff. eo. l. eleganter, 24. §. fin.

Creditor iudicio, quod pignore dato proponitur, vt superfluum precii, cum interesse restituat, iure cogitur. nec audiendus erit, si uelit emptorem delegare, cum in venditione, quæ ritè est facta suum creditor negocium gerat, ff. eo. l. creditor, 42.

Si creditor sine uitio suo argentum pignori datum perdidit, restituere id non cogitur. sed si culpæ reus deprehenditur, vel non probat manifestis probationibus se perdidisse, quanti debitoris interest, condemnari debet, C. eodem, l. quinta.

Quæ fortuitis casibus accidunt, cum prouideri non potuerant (in quibus etiam aggressura latronum est) nullo bonæ fidei iudicio præstantur, & ideo creditor pignora, quæ ex huiusmodi causa interierint, præstare non compellitur, nec a petitione debiti submouetur, nisi inter contrahentes placuerit, ut amisso pignorum liberet debitorem, C. eo. l. sexta.

Creditor, qui fundos, & domos pignori, vel hypothecæ accepit, damnum

in decidendis arboribus domibusque destruendis, ab eo datum, in rationem deducere cogitur. & si dolo, vel culpa rem suppositam deteriorem fecerit, eo quoque nomine pignoratitia actione tenebitur, ut talem restituat, qualis fuerit tempore obligationis. creditor autem necessarios sumptus, quo circa res pignoratitias fecit exigere non prohibetur, C. eodem, l. septima.

Si nulla culpa, seu segnitia creditori imputari potest, pignorum amissorum dispendium ad periculum eius minimè pertinet. sanè si simulata amissione etiam num eadem pignora (vt adseueras) à parte diuersa possidentur, aduersus eum experiri potes, C. eod. l. septima.

Pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipsi perire in dubium non venit, eum igitur ad seuerus in horreis pignora deposita, consequens est, secundum ius perpetuum pignoribus debitori pereuntibus ? si tamen in horreis, quibus, & alii solebant publicè uti, res depositæ sint) personalem actionem debiti reposcendi gratia integram te habere, C. eodem, l. octaua.

Tutor, lege non refragante, si dederit rem pupilli pignori, tuendum erit, scilicet si in rem pupilli pecuniam accipiat, idem in curatore adolescentis, vel furiosi, ff. eo. l. tutor. 16. in prin.

Pupillo capienti pignus propter metum pignoraticiæ actionis necessaria est tutoris authoritas, ff. eo. l. pupillo, 38.

Si per creditorem stetit, quominus ei soluatur: rectè agitur pignoraticia. interdum, & si soluta sit pecunia. tamen pignoratitia actio inhibenda est, ueluti si creditor pignus suum emerit à debitore, ff. eodem, l. aliena. vigesima, §. finali.

Si post distractum pignus debitor, qui præcario rogauit, vel conduxit, pignoris possessionem non restituat, contrario iudicio tenetur, ff. eodem, l. si pignore, 22. §. si post.

Si creditor, cum uenderet pignus duplam promisit (nam vsu hoc euenerit) conuentus ob euictionem, & condemnatus, an habeat regressum pignoratitiæ contrariæ actionis ? & post dies esse regressum, si modo sine dolo, & culpa sic vendidit, & ut paterfamilias diligens id gessit. si vero nullum emolumentum talis venditio attulit; sed tanti vendidit, quanti uendere potuit, etiam si hæc non promisit, regressum non habere. Nec enim amplius à debitore, quam debiti summa est consequi poterit. Sed si stipulatus interesse fuerat, & post quinquennium fortè, quàm precium ex re obligata consecutus est, victus eam emptori restituat: etiam medii temporis interesse à debitore petere potest, quia nihil ei solutum esse, pro euictione, ut auferri non posit, palàm factum est. sed si simplum pręstitit, doli exceptione repellendus erit ab interesse petitione, quia habuit usum pecuniæ precii, quod ab emptore acceperat, dicta l. si pignore, §. finali, cum l. sequen.

Eleganter quæsitum est, si impetrasset creditor à Cæsare, ut pignus possideret, idque euictum esset, an habeat pignoraticiam contrariam ? & uidetur finita esse pignoris obligatio, & à contractu recessum, imo vtilis ex empto accómodanda est, quemadmodũ si pro soluto ei res data fuerit, ut in quantitatẽ debiti ei satisfiat,

ei satisfiat, vel inquantum eius intersit. sed, & compensationem habere potest creditor, si fortè pignoratitia, vel ex alia causa cum eo agetur, ff. eod. l. eleganter, 24. in prin.

Si in sortem duntaxat, vel pro interesse obstrictum est pignus. eo soluto propter quod obligatum est, locum habet pignoratitia. Siue autem interesse in stipulatum deductum sit, siue non: si tamen pignus, & in illud obligatum fuerit, quamdiù quid debetur pignoratitia cessabit. alia causa est earum quod quis supra licitum modum promisit. nam hoc pœnitus illicitum est, ff. eod. l. solutum, xi. §. si in sortem.

Cum & sortis nomine, & pro interesse aliquid debetur ab eo, qui sub pignoribus pecuniam debet, quidquid ex venditione pignorum recipietur, primum interesse, quod iam tunc deberi constat: deinde si quid superest sorti accepto ferendum est. nec audiendus est debitor, si cum parum idoneum se esse sciat: eligat quo nomine exonerari pignus suum malit, ff. eod. l. cum & sortis, xxxv. in principio.

Qui reprobos numos soluit creditori, an habeat pignoraticiam actionem, quasi soluta pecunia, quæritur? & constat, neque pignoratitia eum agere, neque liberari eum posse: quia reproba pecunia non liberat soluentem, reprobis uidelicet numis reddendis, ff. eodem, l. eleganter, vigesimaquarta, §. qui reprobos numos.

Si creditor, qui rem pignori acceperat, amissa eius possessione, & Seruiana actione petierit, & litis æstimationem consecutus sit, postea debitor eandem rem petens exceptione submouetur: nisi offerat ei debitor, quod pro eo solutum est ff. eo. l. si creditor, qui, xxviii.

Si necessarias impensas fecerim in fundum, quem pignoris causa acceperam: non tantum retentionem, sed etiam contrariam pignoratitiam actionem habebo. finge enim medicis cum ægrotaret filius, dedisse me pecuniam, & cum decessisse. item insulam fulcisse, vel refecisse, & postea deustam esse: nec habere, quod possem retinere, ff. eod. l. si necessarias, octaua, in princ.

Cum debitore, qui alienam rem pignori dedit, potest creditor contraria pignoratitia agere & si soluendo debitor sit, ff. eod. l. cum debitor, 32.

Titius cum credidisset pecuniam Sempronio, & ob eam pignus accepisset, futurumque esset, vt distraheret id creditor, quia pecunia non solueretur, petiit à creditore, vt fundum certo precio emptum haberet, & cum impetrasset epistolam, qua se vendidisse fundum creditori significaret, emisit, quæsitum est, an hanc venditionem reuocare posit offerendo sortem, & interesse, quod debetur? Marcellus respondit, secundum ea, quæ proposita esset, reuocare non posse, ff. eod. l. Titius, 34.

Debitor à creditore pignus, quod dedit, frustra emit: cum rei suæ nulla emptio sit. nec si minoris emerit, & pignus petat, aut dominium uindicet, ei non totum debitum offerenti creditor possessionem pignoris restituere cogitur, ff. eo. l. debitor, xl. in prin.

Debitoris filius, qui manet in patris potestate, frustra pignus à creditore patris peculiaribus numis comparat. nam pecunia, quam filius ex re patris in precium dedit, pignus liberatur, d. l. debitor, §. debitoris.

Locũ purũ pignori creditori obligauit, eiq; instrm̃ emptionis tradidit, & cũ eum locũ inædificare vellet, mota sibi controuersia à Vicino de latitudine (quod alias probare nõ poterat) petiit à creditore, ut instrm̃ auctoritatis à se traditũ exhibe

ret, quo non exhibente minorem locum ædificauit, atque damnum paſſus eſt. quæſitum eſt, an ſi creditor pecuniam petat, vel pignus vindicet, doli exceptione poſtea, iudex huius damni rationem habere debeat? Reſpondit Scæuola ſi operam non dediſſet, vt inſtrumenti facultate ſubducta, debitor caperetur: poſſe debitorem, ſi pecuniam ſoluat pignoratitia agere. opera autem in eo data: tunc & ante pecuniam ſolutam in id, quod intereſt cum creditore agi, ff. eod. l. fin. in princ.

Titius pecuniam mutuam accepit à Caio Seio ſub pignore culleorum, iſtos culleos cum Seius in horreo haberet miſſus ex officio annonæ centurio, culleos ad annonam ſuſtulit, poſtea inſtantia Cuii Seii creditoris recuperati ſunt. quæritur: interrituram, quæ ex operis facta eſt vtrum Titius debitor, an Seius creditor agnoſcere debeat? reſponſum eſt, ſecundum ea, quæ proponerentur ob id, quod eo nomine interimenti accidiſſet, non teneri, d. l. fin. §. fin.

Poſt omnes obligationes RE *extat obligatio* VERBIS: *& titulus de eo, quod certo loco dari oportet deſcendit ex obligatione uerborum. Ideo de ipſo tractatur.*

DE EO, QVOD CERTO LOCO DARI OPORTET. Titulus XII.

ALio loco, quam in quem ſibi dari quiſque ſtipulatus eſſet, nec uidebatur agendi facultatem competere: ſed quia iniquum erat, ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſiſſet, nũquam accederet (quod vel data opera faceret, vel quia aliis locis neceſſario diſtingueretur) nõ poſſe ſtipulatorem ad ſuum peruenire: ideo viſum eſt, vtilem actionem in eam rem comparare, ff. de eo, quod certo loco, l. prima.

Arbitraria actio vtriuſque vtilitatem continet, tàm actoris, quàm rei, quod ſi rei intereſt: minoris ſit pecuniæ condemnatio, quàm intentatum eſt. at ſi actoris maioris, ff. eo. l. ſecunda, in princ.

Hæc autem actio ex illa ſtipulatione venit, vbi ſtipulatus ſum à te Epheſi decem dari. Si quis Epheſi decem, aut Capuæ equum dari ſtipulatus, experiatur: non debet detracto altero loco experiri, ne auferat loci vtilitatem reo, d. l. ſecunda, §. hæc autem actio.

Scæuola ait non vtique ea, quæ tacitè inſunt ſtipulationibus ſemper in rei eſſe poteſtate: ſed quid debeat, eſſe in eius arbitrio: an debeat, non eſſe, & ideo eum, qui equum promittit: eligere poſſe, quod ſoluat: quandiu ambo viuunt. cæterum vbi alter deceſſit: extingui eius electionem, ne ſit in arbitrio eius, an debeat, dum non vult viuum præſtare, quem ſolum debet. quare & in propoſito eum, qui promiſit Epheſi aut Capuæ, ſi fuerit in eius arbitrio, vbi ab eo petatur, conueniri non potuiſſe. ſemper enim alium locum electurum, ſic euenire, vt ſit in ipſius arbitrio, an debeat. quare putat, poſſe ab eo peti altero loco, & ſine loci adiectione damus igitur actori electionem petitionis, d. l. ſecunda, §. Sceuola.

Et generaliter definit Scæuola petitorem electionem habere, vbi petat: reum, vbi ſoluat: ſed ante petitionem. Proinde mixta (inquit) rerum alternatio locorum alternationi, ex neceſsitate facit actoris electionem, & in re propter locum. alioquin tollis ei actionem, dum uis reſeruare reo optionem, d. l. ſecunda, §. generaliter.

Si quis ita stipuletur, Ephesi, & Capuæ? hoc agit, vt Ephesi partem, & Capuæ partem petat. Si quis insulam fieri stipuletur, & locum non adiiciat: non ualet stipulatio, d.l. secunda, §. si quis.

Qui ita stipulatur, Ephesi decem dari? si ante diem, quàm Ephesum peruenire possit, agat: perperam ante diem agit. quia & Iulianus putat, diem tacitè huic stipulationi inesse, quare uerum est, quod Iulianus ait: eum, qui Romæ stipulatur, hodie Chartagini dari: non utiliter stipulari, d.l. secunda, §. qui ita.

Idem Iulianus tractat: an is, qui Ephesi sibi, autem Titio, dari stipulatus es, si alitus es, si alibi Titio soluatur, nihilominus posit intendere sibi dari oportere. & scribit, liberationem non contigisse: atque ideo peti posse, quod interest. Marcellus autem, & alias tractat, & apud Iulianum notat posse dici, & si mihi alibi soluatur, liberationem contigisse, quamuis inuitus accipere non coget. planè si non contingat liberatio: dicendum ait, superesse petitionem integræ summæ, quemadmodum si quis insulam alibi fecisset, quàm vbi promiserat, in nihilum liberaretur, sed mihi uidetur summæ solutio distare à fabrica insulæ, & ideo, quod interest solum petendum, d.l. secunda, §. idem Iulianus.

Nunc de officio iudicis huius actionis loquendum est, vtrum quantitati contractus debeat seruire, an vel excedere, vel minuere quantitatem debeat, vt si interfuisset rei, Ephesi potius soluere, quam eo loco, quo conueniebatur, ratio eius habebatur. Iulianus Labeonis opinionem secutus, etiam actoris habuit rationem, cuius interdum potuit interesse Ephesi recipere. itaque utilitas quoque actoris ueniet. quid enim si traiectitiam pecuniam dederat, Ephesi recepturus, ubi sub pœna debebat pecuniam, vel sub pignoribus, & distracta pignora sunt, vel pœna commissa mora tua? uel aliquid fisco debebatur, & res stipulatoris uilisimo distracta est: in hanc arbitrariam, quod interfuit, veniet, & quidem ultra legitimum modum interesse, quid si merces solebat comparare, an & lucri ratio habeatur, non solius damni, & lucri habenda est ratio, d.l. secunda, §. nunc de officio.

Ideo in arbitrium iudicis refertur hæc actio, quia scimus, quàm varia sint precia rerum per singulas ciuitates, regionesque, maximè, uini, olei, frumenti. pecuniarum quoque licet uideatur, una, & eadem potestas, vbique esse, tamen aliis locis facilius, & leuiori damno inueniuntur, aliis difficilius, & grauiori damno. ff. eod. l. tertia.

Quod si Ephesi petetur, ipsa sola summa petatur, nec amplius quid, nisi si quid stipulatus est, vel si temporis vtilitas interuenit, ff. eodem, l. quarta in prin.

Interdum iudex, qui ex hac actione cognoscet (cum sit arbitraria) absoluere reum debet, cautione ab eo exacta, de pecunia ibi soluenda, vbi promissa est: quid enim si ibi, vel oblata pecunia actori dicatur, vel deposita, vel ex facili soluenda, nonne debebit interdum absoluere? in summa æquitatem ante oculos habere debet iudex, qui huic actioni additus est, d.l. quarta, §. interdum.

Si hæres à testatore iussus sit certo loco, quid dare, arbitraria actio competit. Et si mutua pecunia data fuerit, vt certo loco reddatur; ff. eodem, l. quinta, & sexta.

In bonæ fidei iudiciis, etiam si in contrahendo conuenit, vt certo loco quid præstetur: ex empto, vel uendito, uel depositi actio competit, non arbitraria; si tamen certo loco condictum se quis stipulatus sit: hac actione utendum erit, ff. eod. l. septima.

Centum capuæ dari stipulatus, fideiussorem accepisti, ea pecunia ab eo similiter:

ut ab ipso promissore peti debebit: idest, ut si alibi, quam Capuæ petantur, arbitraria agi debeat: lisque tanti æstimetur, quanti eius, vel actoris interfuit eam summam Capuæ potius, quam alibi solui. nec oportebit, (quod forte per reum steterit, quo minus tota centum Capuæ soluerentur) obligationem fideiussoris augeri. neque enim hæc causa rectè comparabitur obligationi interesse. ibi enim duæ stipulationes sunt, hic tantum una pecuniæ creditæ, circa cuius executionem æstimationis ratio arbitrio iudicis committitur, eiusque differentię manifestissimum argumentum est: quod si post moram factam pars pecuniæ soluta sit, & reliquum petatur: officium iudicis tale esse debeat, vt æstimet, quanti actoris intersit eam duntaxat summam, quæ peteretur, Capuæ solutam esse, ff. eodem, l. octaua.

Is, qui certo loco dare promittis, nullo alio loco, quam in quo promisit soluere inuito stipulatore potest, ff. eo. l. pen.

Si post moram factam, quò minus Capuæ solueretur, cum arbitraria uellet agere, fideiussor acceptus eius actionis nomine. videamus, ne ea pecunia, quæ ex sententia iudicis accedere potest, non debeatur, nec sit in obligatione: adeo, ut nunc quoque sorte suluta velut si Capuæ petatur, arbitrium iudicis cesset, nisi quis dicat, si iudex centum, & uiginti condemnare debuerit: centum solutis ex vniuersitate, tàm ex sorte, quàm ex pœna solutũ uideri: ut supersit petitio eius, quod excedit sortem, & accedat pœna pro eadem quantitate, quod non est admittendum: tanto magis, quod creditor accipiendo pecuniam, etiam remisisse pœnam, videtur, ff. eo. l. fina.

In obligationibus EX CONSENSV prima est emptionis, & venditionis: Vnde non immeritò sequitur de actionibus empti, & venditi.

DE ACTIONIBVS EMPTI, ET VENDITI.
Titulus XIII.

Venditi actio, si non ab initio aliud conuenit, non facile ad restituendam perfectam venditionem, sed ad precium exigendum competit, C. de act. empt. l. sexta.

Aduersus eum, cui agrum uendidisti, iudicio uenditi consiste. nec enim tibi in rem actio cum emptor, qui personaliter tibi sit obligatus, competit, C. eod. l. prima.

Exempto actione is, qui emit, vtitur. Et in primis sciendum est, in hoc iudicio, id demum deduci, quod præstari conuenit. cum enim bonæfidei iudicium sit: nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actũ est. quod si nihil conuenit: tunc ea præstabuntur, quæ naturaliter sunt in huius iudicii potestate, & in primis ipsam rem præstare venditionem oportet (idest tradere, quæ res, siquidem dominus fuit venditor, facit emptorem dominum. Si non fuit: tantum euictionis nomine venditorem obligat, si modo precium est numeratum, aut eo nomine satisfactum. emptor autem numos venditoris facere cogitur, ff. eo. l. ex empto, xi. in princ.

Redhibitionem, quoque contineri empti iudicio. Labeo & Sabinus putant, Animalium quoque venditor cauere debet ea sana præstari, & qui iumenta vendiderit, solet ita promittere ESSE, BIBERE, VT OPORTET, d. l. ex empto, §. redhibitionem.

Si res vendita non tradatur in id, quod interest, agitur: hoc est, quanti rem habere

emptoris

emptoris intereſt. hoc autem interdum precium egreditur: ſi pluris interſit, quam res ualet, vel empta eſt, ff. de act. empt. l. prima, in princ.

Venditor ſi cum ſciret deberi ſeruitutem, cælauit non euadet ex empto actionem: ſi modo eam rem emptor ignorauit. omnia enim quę contra bonam fidem fiũt, ueniunt in empti actionem. Sed ſcire uenditorem, & cælare, ſic accipimus: non ſolum ſi non admonuit, ſed & ſi negauit ſeruitutem iſtam deberi, cum eſſet ab eo quæſitum. Sed & ſi proponas eum, ita dixiſſe, NVLLA QVIDEM SERVITVS DEBETVR, VERVM, VT EMERGAT INOPINATA SERVITVS, NON TENEOR: is ex empto tenetur. ſi ſeruitus debebatur, & ſciuit. Sed & ſi id egit, ne cognoſceret emptor, aliquam ſeruitutem deberi: ex empto tenetur, & ſi improbato more uerſatus eſt in cælanda ſeruitute debet teneri: non ſi ſecuritati ſuæ proſpectum voluit. hæc ita vera ſunt, ſi emptor ignorauit ſeruitutem: quia non uidetur eſſe cælatus, qui ſcit: nec certiorari debuit, qui non ignorauit, d. l. prima, §. uenditor.

Si in emptione modus dictus eſt, & non præſtatur: ex empto actio eſt, ff. eodem, l. ſecunda.

Vacua poſſeſsio emptori tradita non intelligitur, ſi alius in ea legatorum fideicommiſſorumve ſeruandorum cauſa in poſſeſsione eſt, aut creditores bona poſsident, idem dicendum eſt, ſi uenter in poſſeſsione ſit, nam & ad hoc pertinet vacui appellatio, d. l. ſecunda, §. vacua.

Ratio poſſeſsionis, quæ à uenditore fieri debet, talis eſt, ut ſi quis eam poſſeſsionem iure auocauerit, tradita poſſeſsio non intelligatur, ff. eo. l. tertia, in prin.

Si emptor uacuam poſſeſsionem tradi ſtipulatus ſit, & ex ſtipulatu agat: fructus nõ venient in eam actionem: quia, & qui fundum tradi ſtipulatur, vacuam quoque poſſeſsionem tradi oportere, ſtipulari intelligitur: nec tamen fructuum præſtatio ea ſtipulatione continetur. neque rurſus plus debet eſſe in ſtipulatione: ſed ex empto ſupereſſe ad fructuum præſtationem, d. l. tertia, §. ſi emptor.

Si iter, actum, uiam, aquæductum per tuum fundum emero, vacuæ poſſeſsionis traditio nulla eſt, itaque cauere debes, per te non fieri, quo minus utar. d. l. tertia, §. ſi iter.

Si tibi iter vendidero, ita demum auctorem me laudare poteris: ſi tuus fuerit fundus, cui adquirere ſeruitutem uolueris. iniquum eſt enim teneri me, ſi propter hoc adquirere ſeruitutem non potueris, quia dominus vicini fundus non fueris. ſed ſi fundum tibi vendidero, & ei fundo iter acceſſurum dixero, omnimodo tenebor itineris nomine. quia vtriuſque rei, quaſi unus uenditor, obligatus ſum, ff. eo. l. ſexta, §. ſi tibi iter.

Si per venditorem vini mora fuerit, quo minus traderet: condemnari eum oportet, utro tempore pluris uinum fuerit: vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur. itẽ quo loco pluris fuit, vel quo uenit, vel ubi agitur. Quod ſi per emptorem mora fuit, æſtimari oportet preciũ, quod ſit, cum agatur, & quo loco minoris ſit, mora autem videtur eſſe, ſi nulla difficultas uenditorem impediat, quo minus traderet, & præſertim, ſi omni tempore paratus fuit tradere. itẽ non oportet eius loci precia ſpectari, in quo agitur, ſed eius, vbi vina tradi oportet. nam quod à Brunduſio vinum venit, & ſi uenditio alibi facta ſit, Brunduſii tradi oportet, ff. eod. l. tertia, § ſi per venditorem.

Is, qui vinum emit, arræ nomine certam ſummam dedit. Poſtea conuenerat, vt emptio irrita fieret. Iulianus ex empto agi poſſe ait, vt arra reſtituatur. ff. eod. l. ex empto, xi. §. is, qui vinum.

Exar-

Ex arrali pacto personalis dumtaxat actio paciscentibus preparatur, C. eo. l. tertia.

Sicut periculum uini mutati, quod certum fuerat comparatum ad emptorem, ita commodum aucti pretii pertinet: utque hoc uerum est, sic certæ qualitatis ac mensuræ distracto vino, fidem placitis seruandam esse conuenit, quo non restituto: non pretii quantitatis, sed quanti interest emptoris competit actio. C. eo. l. sicut, xii.

Si modus agri minor inueniatur, pro numero iugerum auctor obligatus est: quia ubi modus minor inuenitur non potest æstimari bonitas loci, qui non extat. sed non solum si modus totius agri minor est, agi cum venditore potest, sed etiam de partibus eius, vt puta si dictum est vineæ iugera tot esse, vel Olitueti & minus inueniatur, ideo his casibus pro bonitate loci fiet æstimatio, ff. eodem, l. quarta. §. si modus.

Si Titius fundum, in quo nonaginta iugera erant, vendidit; & in lege emptionis dictum est in fundum centum esse iugera: & antequam modus manifestetur, decem iugera alluuione adcreuerint: Placet mihi Neratii sententia existimantis, vt si quidem sciens vendidit, ex empto actio competat aduersus eum, quamuis decem iugera adcreuerint: quia dolo fecit, nec dolus purgatur, si vero ignorans vendidit, ex empto actio non competat, ff. de act. emp. l. Iulianus, 13. §. si Titius.

Si in qualitate fundi venditor mentitus sit, non in modo eius: tenetur tamen emptori. pone enim dixisse eum, quinquaginta iugera uineæ esse, & quinquaginta prati: & in vinea minus, in prato plus inueniri: esse tamen omnia centum iugera, ff. eod. l. si in qualitate. 22.

Si duorum fundorum venditor separatim de modo cuiusque pronunciauerit, & ita utrunque uno pretio tradiderit, & alteri aliquid desit: quamuis in altero exsuperet (fortè si dixerit unum centum iugera, alterum ducenta habere) nõ proderit ei, quod in altero ducenta decem inueniantur, si in altero decem desint, & de his ita apud Labeonem relatum est. sed an exceptio doli mali uenditori profutura sit? & potest dubitari. utique si exiguus modus syluæ desit, & plus in uineis habeat, quam repromissum est; an non faciat dolo, qui iure perpetuo utitur? nec enim hoc, quod amplius in modo agri inuenitur, quam alioquin dictũ est, ad compendium uenditoris, sed emptoris pertinet; & tunc tenetur uẽditor, cum minor modus inuenitur. Videamus tamen, ne ulla quærela sit emptoris in eodem fundo, si plus inueniatur in uinea, quàm in prato, cum uniuersus modus constet. similis quæstio esse potest ei, quæ in duobus fundis agitata est. Et si quis duos equos uno precio emat, & dicat, unum decem dare iussum, qui quindecim dare debuerat, alterum decem, qui quinque debebat. nam & hic tenebitur ex empto actione, quamuis emptor a duobus uiginti accepturus sit. sed rectius est in omnibus suprascriptis casibus lucrum cum damno compensari, & si quid deest emptori, siue pro modo, siue pro qualitate loci, hoc ei resarciri, ff. eod. l. si duorum, xlii.

Si fundo uendito in qualitate iugerum captio est, ex empto erit actio, ff. eodem, l. si fundo. xxxiiii.

Fundum mihi cum uenderes deducto usufructu dixi usumfructum Titii esse, cum is apud te remansurus esset, si cæperis eum usumfructum uindicare, reuerti aduersus te non potero. donec Titius uiuat, nec in causa esse cœperit, ut etiam si eius ususfructus esset, amissurus eum fuerit. nam tunc, idest, si capite deminutus, uel mortuus fuerit Titius, reuerti potero ad te uenditorem. idemq; iuris est, si dicas eum usumfructum Titio esse, cum sit Seii, ff. eo. l. septima.

Si tibi

Si tibi liberum prædium tradidero, cum id seruiens tradere deberem: etiam condictio incerti competit mihi, vt patiaris eam seruitutem, quæ debuit imponi. quod si seruum prædium in traditione fecero, quod liberum tibi tradere debui: ex empto habebis actionem, remittendæ eius seruitutis gratia, quam pati non debebas, ff. eo. l. octaua.

Si is, qui lapides ex fundo emerit, tollere eos nolit: ex uendito agi cum eo potest, vt eos tollat, ff. eod. l. nona.

Si fundum mihi alienum vendideris, & hic ex causa lucratiua meus factus sit: nihilominus ex empto mihi aduersus te actio competit. In his autem, quæ cum re empta præstari solent, non solum dolum, sed & culpam præstandam arbitror. Nam & Celsus scripsit: cum conuenerit, ut uenditor præteritam mercedem exigat, & emptori præstet. non solum dolum, sed etiam culpam eum præstare debere, ff. eo. l. Iulianus, x. §. si fundum.

Idem Celsus scribit, fundi quem cum Titio communem habebas, partem tuam vendidisti, & antequam traderes, coactus es communi diuidundo iudicium accipere, si socio fundus sit adiudicatus: quantum ob eam rem à Titio consecutus es, id tantum emptori præstabis, quod si tibi fundus totus adiudicatus est: totum (inquit) eum emptori trades. sed ita, ut ille soluat, quod ob eam rem Titio condemnatus es. sed ob eam quidem partem, quam uendidisti pro euictione cauere debes: ob alteram autem, tãtum de dolo malo repromittere. æquum est enim eandem esse condictionem emptoris, quę futura esset, si cum ipso actũ esset communi diuidundo, sed si certis regionibus fundum inter te, & Titium iudex diuisit: sine dubio partem, quæ adiudicata est, emptori tradere debes, d. l. Iulianus, §. idem Celsus.

Si inter emptorem prædiorum, & venditorem conuenisset, si ea prædia emptor, hæresve eius pluris vendidisset, eius partem dimidiam venditori præstaret: & hæres emptoris pluris ea prædia uendidisset: venditorem ex vendito agendo, partem eius, quo pluris vendidisset, consecuturum, d. l. Iulianus, §. si inter.

Si tibi fundum vendidero, vt eum conductum certa summa haberem: ex uendito eo nomine mihi actio est, quasi in partem precii ea res sit. sed & si tibi fundum ita vendidero, ut nulli alii eum, quàm mihi venderes: actio eo nomine ex uendito est, si alii vendideris, ff. eo. l. si sterilis, xxi. §. si tibi fundum.

Si quis, cum fundum uenderet, dolia centum, quę in fundo esse adfirmabat, accessura esse dixisset: quamuis ibi nullum dolium fuisset: tamen dolia emptori debebit, ff. eo. l. si quis, xxvi.

Quidquid venditor accessurum dixerit, id integrum, ac sanum tradi oportet. uelut si fundo dolia accessura dixit: non quassa, sed integra dare debet, ff. eodem, l. quidquid, xxvii.

Si quis rem vendiderit, & ei accessurum quid dixerit, omnia quidem, quæ diximus in re distracta, in hoc quoque sequenda sunt: ut tamen euictionis nomine non in duplum teneatur, sed in hoc tantum obligetur, ut emptori rem habere liceat: & non solum per se, sed per omnes, ff. de action. empt. l. ex empto, xi. §. si quis rem.

Qui autem habere licere promitens vendidit, videamus, quid debeat præstare, & multum interest, vtrum polliceatur per se, venientesque à se personas non fieri, quo minus habere liceat, an uero per omnes. nam si per se: non uidetur id præstare, ne alius euincat. Proinde si euicta res erit: siue stipulatio interposita est, ex stipulatu non tenebitur: siue non est interposita, ex empto non tenebitur.

tur. Sed Iulianus ſcribit: etiam ſi apertè venditor pronunciat, per ſe, hæredemque ſuum nõ fieri, quominus habere liceat: poſſe defendi ex empto eum in hoc quidem non teneri, quod emptoris intereſt: veruntamen ut precium reddat, teneri. ibidem ait, item eſſe dicendum, & ſi aperte in venditione comprehendatur, nihil euictionis nomine præſtitu iri: precium quidem deberi re euicta, vtilitatem non deberi. neque enim bonæ fidei contractum hanc pati conuentionem, vt emptor rem amitteret, & precium uenditor retineret. niſi fortè (inquit) ſiquis omnes iſtas ſupradictas conuentiones reciperet, quemadmodum recipitur, vt venditor numos accipiat, quamuis merx ad emptorem non pertineat: veluti cum futurum iactum retis à piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel pantheram ab aucupe. nam etiam ſi nihil capit: nihilominus emptor precium præſtare neceſſe habebit: ſed in ſupraſcriptis conuentionibus contra erit dicendum: niſi fortè ſciens alienum vendidit. tunc enim dicendum eſt, ex empto eum teneri: quia dolo facit, d. l. ex empto, §. qui autem.

Si mercedem inſulæ acceſſuram emptori dictum eſt, quanti inſula locata eſt, tantum emptori præſtetur. PAVLVS. imò ſi totam inſulam eo nomine locaueris, vt amplius conductor locet, & in uendenda inſula mercedem emptori ceſſuram eſſe dixeris: id accedet, quod tibi totius inſula conductor debebit, ff. eod. l. ſi mercedem, liii. in princ.

Si dolia octoginta accedere fundo, quæ in foſſa eſſent, dictum erit, & plura erunt, quam ad eum numerum: dabit emptori ex omnibus, quæ vult, dummodo integra det. ſi ſola octaginta ſint: qualicunque ſunt, emptorem ſequentur: nec pro non integris quidquam ei uenditor præſtabit, ff. eo. l. pen. § ſi.

Prædia mihi vendidiſti, & conuenit, vt aliquid facerem, quod ſi non feciſſem: pœnam promiſi. Reſpondit Iulianus, venditor antequam pœnam ex ſtipulatu petat, ex vendito agere poteſt. ſi conſecutus fuerit quantum pœnæ nomine ſtipulatus eſt: agentem ex ſtipulatu doli mali exceptio ſubmouebit. ſi ex ſtipulatu pœnam conſecutus fuerit, ipſo iure ex uendito agere non poterit: niſi in id, quod pluris eius interfuerit id fieri, ff. eo. l. prædia mihi, xxviii.

Si quis fundum emerit, quaſi per eum fundum eundi agendi ius non eſſet, & interdicto de itinere actuque uictus ſit: ex empto habebit actionem. licet enim ſtipulatio de euictione non committitur, quia non eſt de iure ſeruitutis in rem actione pronunciatum: tamen dicendum eſt, ex empto actionem competere, ff. eo. l. ſi quis fundum, xxxv.

Quæritur ſi quis ita fundum vendiderit, vt id venundatum eſſe videatur, quod intra terminos ipſe poſſedit, ſciens tamen aliquam partem certam ſe non poſſidere, non certiorauerit emptorem: an ex empto iudicio teneatur, cum hæc generalis adiectio ad ea, quæ ſpecialiter nouit, qui vendit, nec excepit, pertinere non debeat? ne alioquin emptor capiatur, qui fortaſſe, ſi hoc cognouiſſet, uel empturus non eſſet, vel minoris empturus eſſet, ſi certioratus de loco certo fuiſſet: cum hoc, & apud ueteres ſit relatum in eius perſona, qui ſic exceperat, SERVITVTES, SI QVAE DEBENTVR, DEBEBVNTVR? Etenim iuris authores reſponderunt: ſi certus venditor quibuſdam perſonis certis certas ſeruitutes deberi non admonuiſſet emptorem, ex empto eum teneri debere quando hæc generalis exceptio non ad ea pertinere debeat, quæ venditor nouit, quæ ſpecialiter excipere, & potuit, & debuit: ſed ad ea, quæ ignorauit, & de quibus emptorem certiorare nequiuit. Hæremius Modeſtinus reſpondit, ſi quid circunueniendi emptoris cauſa uenditor in ſpecie, de qua

quæritur

quæritur, fecit: ex empto actione conueniri posse, ff. eo. l. quæro, xxxix.

Quintus Mutius scribit, dominus fundi de prædio arbores stantes vendiderat. pro his rebus pecuniam acceperat, & cum eas tradere nolebat: emptor quæsiit, quid se facere oporteret? & uerebatur, ne hæ arbores eius non uiderentur factæ. POMPONIVS arbor, quæ in fundo continentur non est separatum corpus à fundo, & ideo, vt dominus suas specialiter arbores uindicare emptor non potest, sed ex empto habet actionem, ff. eod. l. quintus, xl.

Titius hæres Sempronii fundum Septitio uendidit, ita FVNDVS SEMPRONIANVS, ET QVIDQVID SEMPRONIANI IVRIS FVIT, ERIT TIBI EMPTVS TOT NVMIS. uacuamque possesionem tradidit, neque fines eius demonstrauit: quæritur, an empti iudicio cogendus sit ex instrumentis hæreditariis, & quid iuris defunctus habuit, & fines ostendere? Respondit Scæuola, id ex scriptura præstandum, quod sensisse intelliguntur, quod si non adpareat: debere uenditorem, & instrumenta fundi, & fines ostendere, hoc etenim contractui bonæ fidei consonans esse, ff. eo. l. Titius, xlviii.

Creditor fundum sibi obligatum, cuius chyrographa tributorum à debitore retro solutorum apud se deposita habebat, uendidit ea lege Mæuio, ut si quid tributorum nomine debitum esset, emptor solueret. idem fundus ob causam eorum tributorum, quæ iam soluta erant à conductore saltus, in quo idem fundus est, venit: eumque idem Mæuius emit, & precium soluit: quæsitum est, an empti iudicio, uel aliqua actione emptor à uenditore consequi possit, ut solutionum suprascriptarum chyrographa dentur. Respondit Scæuola posse emptorem empti iudicio consequi, ut instrumenta de quibus quæreretur exhibeantur, ff. eo. l. creditor, lii. in princip.

Prædium æstimatum in dotem à patre filiæ suæ nomine datum, obligatum creditori deprehenditur. quæsitum est, an filius, qui hæreditatem patris retinet (cũ ab ea se filia abstinuisset dote contenta) actione ex empto teneatur, ut à creditore lueret, & marito liberum prædium præstaret? Responsum est, d. l. creditor, §. prædium æstimatum.

Fundi nihil est, nisi quod terra se tenet, ædium autem multa sunt, quæ ędibus adfixa non sint, ignorari non oportet, utputa seras claues, claustra, multa etiam defossa sunt, neque tamen fundi, aut uillæ habentur, utputa uasa uinaria torcularia: quoniam hæc instrumenti magis sunt, etiam si ædificio cohęrent, sed & uinum, & fructus perceptos uillæ non esse constat, ff. eod. l. fundi, 17. in prin.

Fundo uendito, uel legato sterculinium, & stramenta emptoris, & legatarii sunt. ligna autem uenditoris, uel hæredis, quia non sunt fundi, tametsi ad eum parata sunt, in sterculinio autem distinctio Trebatii probanda est: ut si quidem stercorandi agri causa comparatum sit, emptorem sequatur: si uendendi, uenditorem: nisi si aliud est actum, nec interest in stabulo iaceat, an aceruus sit, d. l. fundi. §. fundo.

Quæ tabulæ pictæ protectorio includuntur, item crustæ marmoreæ, ædium sunt, reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item cilicia, uela, ędium non sunt. item quod insulę causa paratum est, si nondum perfectum est: quamuis positum in ędificio sit, non tamen uidetur ędium esse, d. l. fundi, §. quæ tabulę.

Si ruta, & cęsa excipiantur in uenditione, ea placuit esse ruta, quæ eruta sunt, ut arena creta, & similia, cæsa esse, ut arbores cesas, carbones, & his similia. Gallus autem Aquilius, (cuius Mela refert opinionem) rectè ait. frustra in lege uenditionis de rutis. & cæsis contineri: quia si non specialiter uenierint ad exhibendum

bendum de his agi posſit. neque enim magis de materia cęſa, aut de cæmentis, aut de arena cauendum eſt uenditori, quàm de cæteris, quæ ſunt precioſiora, d. l. fundi, §. ſi ruta.

Labeo generaliter ſcribit ea, quæ perpetui caſus cauſa in ædificiis ſunt, ædificii eſſe, quæ vero ad præſens, non eſſe ædificii, vtputa fiſtulæ temporis quidem cauſa poſitæ, non ſunt ædium: veruntamen ſi perpetuo fuerint poſitæ, ædium ſunt. Caſtella Plumbea, putea, opercula puteorum, epiſtomia fiſtulis adplumbata, aut quæ terra continentur: quamuis non ſint adfixa. ædium eſſe conſtat. item conſtat ſigilla, columnas quoque & perſonas, è quarum roſtris aqua ſalire ſolet, villæ eſſe, d. l. fundi, §. labeo.

Pali & uineæ cauſſa parati ſunt, antequam collocentur, fundi non ſunt. Sed qui exempti ſunt hac mente, ut iterum collocentur: fundi ſunt, d. l. fundi, §. ſi.

Si vendidit tibi inſulam certa pecunia, & vt aliam inſulam meam reficeres: agam ex vendito, vt reficias. ſi autem hoc ſolum, vt reficias eam conuenit: non intelligitur emptio, & venditio facta, vt Neratius ſcribit, ſed ſi aream tibi uendidi certo precio, & tradidi, ita ut inſula ædificata partem dimidiam mihi retradas: verum eſt, vt ædifices, agere me poſſe ex vendito, & ut ædificatam mihi retradas. quamdiù enim aliquid ex re vendita apud te ſupereſt, ex vendito me habere actionem conſtat, ff. eo. l. ſexta, §. ſi vendidit.

Si venditor habitationem exceperit, vt inquilino liceat habitare: vel colono, vt perfrui liceat ad certum tempus: magis eſſe ſeruius putabat ex vendito actionem. Denique Tubero ait. ſi iſte colonus damnum dederit, ex empto emptorem agentem cogere poſſe venditorem, vt ex locato cum colono experiatur: ut is, quidquid fuerit conſecutus emptori reddat, ff. eo. l. Iulian. xiii. in prin.

Aedibus diſtractis, vel legatis ea eſſe ædium ſolemus dicere, quæ quaſi par ędium, vel propter ædes habentur, vtputa putea. ideſt quo puteum cooperitur, d. l. Iulianus, §. fin. cum l. ſeq.

Funes, labra, ſalientes, fiſtulæ quoque, quæ ſalientibus iunguntur (quamuis longe excurrant extra ædificium) ædium ſunt. item canales, piſces autem, qui ſunt in piſcina non ſunt ædium, nec fundi. Non magis quàm pulli, aut cætera animalia, quæ in fundo ſunt, ff. eo l. funes, xv. cum l. ſeq.

Granaria, quæ ex tabulis fieri ſolent, ita ædium ſunt, ſi & ſtipites eorum in terra defoſsi ſunt. quod ſi ſupra terram ſunt: ratis, & cæſis cedunt. Tegulæ, quæ nõdum adhuc ædificiis impoſitæ ſunt: quamuis tegendi gratia allatæ ſunt, in rutis, & cæſis habentur, aliud iuris eſt in his, quæ detractæ ſunt, ut reponerentur. ædibus enim accedunt, ff. eod. l. granaria, xviii.

Venditor domus, antequam eam tradat, damni infecti ſtipulationem interponere debet, quia antequam vacuam poſſesſionem tradat, cuſtodiam, & diligẽtiam præſtare debet: & pars eſt diligentiæ, cuſtodiæque hanc interponere ſtipulationem, & ideo ſi id neglexerit: tenebitur emptori, ff. eo. l. venditor, xxxvi.

Firmius à Proculo quęſiit, ſi de plumbeo, caſtello fiſtulæ ſub terra miſſæ aquam ducerent in ænum lateribus circumſtructum: an hæ, ut iuncta, fixaque ædium eſſet, an ut ruta, cæſaque non eſſent ædium? ille reſcripſit, referre quid acti eſſet. quid ergo ſi nihil de ea re, neque emptor, neque venditor cogitauerunt: vt plerunque in eiuſmodi rebus euenire ſolet? nonne propius eſt, vt inſerta, & incluſa ædificio, ſic partem eius exiſtimemus eſſe: ff. eod. l. ſi venditor, 38. §. firmius.

Si mihi alienam aream vendideris, & in eam ego ædificauero, atque ita eam dominus euincat. nam cum poſſim petentem, niſi impenſam ædificiorum ſoluat,

doli

doli mali exceptione submouere, magis est, vt eas res ad periculum venditoris non pertineat, ff. eo. l. idq;. 45. §. illud.

Ante domum mari iniunctam molibus iactis pilam constituit: & uti ab eo possessa domus fuit. Caio Seio uendidit. quæritur, an pila, quæ ab auctore domui coniuncta erat, ad emptorem quoque iure emptionis pertineat? Respondit Scæuola, eodem iure fore venditam domum, quo fuisset prius, quàm ueniret, ff. eo. l. creditor, 52. §. ante domum.

Si habitatoribus habitatio lege venditionis recepta est: omnibus in ea habitantibus præter dominum, rectè recepta habitatio est. PAVLVS, imò si cui in ea insula, quàm vendideris, gratis habitationem dederis, & sic receperis, HABITATIONIBVS, AVT IN QVAM QVISQVE DIEM CONDVCTVM HABET: parum caueris, nominatim enim de his recipi oportuit, itaque eos habitatores emptor insulæ habitatione impunè prohibebit, ff. eo. l. si merces, 53. §. si habitatoribus.

Si hæres testamento, quid vendere damnatus sit, & vendiderit: de reliquis, quæ per consequentiam, emptoris propria sunt, uel ex empto, uel ex testamento agi cum eo poterit. sed si falso existimans se esse damnum uendere, uendiderit, dicendum est, agi cum eo ex empto non posse: quoniam doli mali exceptione actor submoueri potest, quemadmodum & si falso existimans se danatum dare, promisisset: agentem doli mali exceptione submoueret. Pomponius etiam incerti condicere eum posse ait, ut liberetur, ff. eo. l. quinta.

Si uas aliquod mihi uendideris, & dixeris certam mensuram capere, vel certum pondus habere: ex empto tecum agam, si minus præstes, sed si uas mihi vendideris, ita vt adfirmares integrum: si id integrum non sit, etiam id, quod eo nomine perdiderim, præstabis mihi, si vero id non sit actum, vt integrum præstes dolum malum duntaxat præstare te debere, quidam putant. Labeo contra: & illud solum obseruandum, ut (nisi in contrarium, quid actum sit) omnimodo integrum præstari debeat, & est uerum, quod & in locatis doliis præstandum Sabinum respondisse Minicius refert, ff. eodem, l. sexta, §. si uas.

Si filiusfamilias rem vendiderit mihi, & tradiderit: sicut paterfamilias tenebitur, si dolo malo aliquid fecit venditor in re uendita, ex empto eo nomine actio emptori competit. nam & dolum malum eo iudicio æstimari oportet, ut id, quod præstaturum se esse pollicitus sit uenditor, emptori præstari oporteat. d. l. sexta. §. penul.

Si uenditor sciens obligatum, aut alienum uendidisset, adiectum sit, neve eo nomine, quid præstaret: æstimari oportet dolum malum eius, quem semper abesse oportet in iudicio empti: eo quod bonæ fidei sit, ff. eodem, l. sexta, §. fin.

Non est nouum, ut duæ obligationes in eiusdem persona de eadem re concurrant. cum enim is, qui venditorem obligatum habeat, ei hæres extiterit, qui eundem venditorem habeat obligatum: constat duas esse actiones in eiusdem personas concurrentes, propriam, & hæreditariam: & debere hæredem institutum (si uelit) separatim duarum actionum commodo, uti ante aditam hæreditatem proprium uenditorem conuenire, deinde adita hæreditate, hæreditarium, quod si prius adierit hæreditatem, actionem mouere potest: sed ita, ut per eam vtriusque contractus sentiat commodum. ex contrario quoque si venditor venditori hæres extiterit: palàm est, duas euictiones eum præstare debere, ff. eo. l. non est nouum. x.

Iulianus differentiam facit in condemnatione ex empto. ait enim, qui pecus morbosum, aut tignum viciosum vendidit: si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione præstaturum, quanti minoris esset empturus, si ita scisset. si vero sciens retinuit, & emptorem decepit: omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei, siue igitur ædes vicio tigni concurrunt ædium æstimationem: siue pecora contagione morbosi pecoris perierunt, quod interfuit, idoneè venisse, erit præstandum, ff. eod. l. Iulianus. 13. in princip.

Si minor à venditore (siue sciente, siue ignorante) dicebatur capitatio prædii venditi, & maior inuenta sit, in tantum conuenitur, in quantum si scisset emptor ab initio minus daret precii. si vero huiusmodi onus, & grauamen functionis cognouisset: nullam aduersus venditorem habet actionem, C. eodem, l. si minor, nona.

Idem Iulianus dolum solere à venditore præstari, etiam in huiusmodi specie ostendit, si cum venditor sciret fundum pluribus municipiis legata debere, in tabula quidem scripserit, uni municipio debere: uerum postea legem consignauerit, si qua tributorum, aut vectigalis, indictionisve, quidem nomine, aut ad viæ collationem præstare oportetet, id emptorem dare facere, præstare oportere: respondit Iulianus ex empto eum teneri, quasi decepisset emptorem, quæ sententia vera est, ff. de action. empti. eodem, l. Iulianus, 13. §. idem Iulianus.

Sed cum in facto proponeretur, tutores hoc idem fecisse, qui rem pupillarem vendebant: quæstionis fuisse ait, an tutor dolum pupillus præstare deberet? & si quidem ipsi tutores vendiderunt. ex empto eos teneri, nequaquam dubium est, sed si pupillus auctoribus eius vendidit, in tantum tenetur, in quantum locupletior ex eo factus est, tutoribus in residuum perpetuò condemnandis, quia nec transfertur in pupillum post pubertatem, licet quid dolo tutorum factum est, d. l. Iulianus, 13. §. sed cum in facto.

Offerri precium, ab emptore debet, cum ex empto agitur, & ideo si partem precii offerat, nondum est ex empto actio ad rem adquirendam. venditor enim quasi pignus retinere potest eam rem, quàm vendidit. vnde quæritur, si parte precii soluta, res tradita postea euicta sit: utrum eius rei nomine consequatur integrum precium, ex empto agens, an uero, quod numerauit? & magis est id, quod numerauit propter doli exceptionem, d. l. Iulianus, §. offerri.

Vltra modum tritici distracti, citra pactum in solutione, mora non facta, nihil emptor exigere potest, C. eo. l. ultra, 15.

Si frugibus iam maturis ager distractus sit: etiam fructus emptori cedere, nisi aliud conuenit exploratum est, ff. eo. l. Iulian. §. si frugibus.

Qui pendentem uindemiam emit, si uuam legere prohibeatur à uenditore: aduersus eum petentem precium, exceptione uti poterit, si ea pecunia, de qua agitur non pro ea re petitur, quæ uenit, neque tradita est. cæterum post traditionem: siue lectam uuam calcare, mustum euehere, prohibeatur, ad exhibendum, uel iniuriarum agere poterit, quemadmodum si quilibet alius eum rem suam tollere prohibeat, ff. eod. l. qui procedentem, 25.

Fructus post perfectum iure contractum emptoris spectare personam conuenit, ad quem & functionum grauamen pertinet. Venditor, quoque precium tantum, ac si moram intercessisse probetur, interesse officio iudicis

exigere

exigere potest, C. eod. l. fructus, xiii.

Post perfectam venditionem fętus quidem pecorum emptori, venditori vero sumptus, si quos bona fide fecerit restitui debere notissimum est, C. eod. l. penul.

Si is ager locatus fuit, pensiones vtique ei cedent, qui locauerat, idem & in prædiis vrbanis, nisi si quid nominatim conuenisse proponatur, d. l. Iulianus, §. si is ager.

Sed & si quid præterea rei venditæ nocitum est: actio emptori pręstanda est, damni fortè infecti, vel aquæ pluuiæ arcendæ, vel Aquiliæ, vel interdicti, QVOD VI, AVT CLAM. d. l. Iulianus, 13. §. sed & si.

Si annulus datus sit arræ nomine, & secuta emptione, precioque enumerato, & tradita re annulus non reddatur: qua actione agendum sit? vtrum condicatur, quasi ob causam datus, & causa finita sit: an vero ex empto agendum sit? & Iulianus dicit, ex emptō agi posse, certè etiam condici poterit: quia iam sine causa apud uenditorem est annulus, ff. eod. l. ex empto, xi. §. ego illud.

Neratius ait, venditorem in re tradenda debere præstare emptori, ut in lite de possessione prior sit, sed Iulianus scribit, nec videri traditum, si superior in possessione futurus non sit, erit igitur ex empto actio, nisi hoc præstetur, d. l. ex empto, §. inde Neratius.

Cassius ait, eum, qui ex duplæ stipulatione litis æstimationem consecutus sit: aliarum rerum nomine de quibus in venditionibus caueri solet, nihil consequi posse, Iulianus deficiente dupla, ex empto agendum putauit, d. l. ex empto, §. Cassius ait.

Sententia Iuliani verissima est, in pignoribus, quoque. nam si iure creditoris vendiderit, deinde hæc fuerint euicta non tenetur, nec ad precium restituendum, ex empto actione creditor. hoc enim multis constitutionibus expressum est. dolum planè venditor præstabit, denique etiam repromittet de dolo, sed & si non repromiserit, sciens tamen sibi non obligatum, vel non esse eius, qui sibi obligauerit, vendiderit, tenebitur ex empto, quia dolum eum præstare debere ostendimus, d. l. ex empto, §. sententia.

Si iactum retis emero, & recte iactare piscator noluit: incertum huius rei ęstimandum est. Si quod extraxit piscium, reddere mihi noluit: id æstimari debet, quod extraxit, ff. de act. emp. l. si iactum retis, 12.

Ex vendito actio uenditori competit ad ea consequendi, quæ ei ab emptore præstari oportet. veniunt autem in hoc iudicio infrascripta, in primis precium, quanti res venit. item interesse precii, post diem traditionis. nam cum re emptor fruatur æquissimum est, eum interesse precii dependere, ff. eod. l. Iulianus, 13. §. ex vendito.

Præterea ex vendito agendo consecuturus est sumptus, qui facti sunt in re distracta: vtputa si quid in ædificia distracta erogatum est. scripsit enim Labeo & Trebatius, esse ex vendito hoc nomine actionem, idem est, si quid in ægri equi curatione impensum est ante traditionē, aut in disciplinas filiorū, in quas uerisimile erat etiam emptorem uelle impēdi, hoc amplius Labeo ait, & si quid in funus filii defuncti impensum sit, ex vendito cōsequi oportere, si modo sine culpa venditoris morte obierit, item si conuenerit, cum res ueniret, vt locuples ab emptore reus detur, ex vendito agi posse, vt id fiat, d. l. Iulianus, §. præterea.

Si procurator uendiderit, & cauerit emptori, quæritur an domino, vel aduersus dominum actio deberi debeat? & Papinianus libro tertio responsorum putat cum domino ex empto agi posse vtili actione ad exemplum institutoriæ actio-

nis: si rem vendendam mandauit. ergo & per contrarium dicendum est, vtilem ex empto actionem domino competere, d.l. Iulianus. §. si procurator.

Idem Papin. respondisse se refert, si conuenit, vt ad diem precio non soluto, venditori duplum præcii præstaretur: in fraudem constitutionum videri adiectum, quod interesse legitimum excedit, diuersamque caussam commissoriæ esse ait: cum ea specie (inquit) non fœtus illicitum contrahatur, sed lex contractui non improbata dicatur, d.l. Iulian. 13. §. idem Papin.

Si quis colludente procuratore meo, ab eo emerit, an possit agere ex empto? & verum est Hactenus, vt aut stetur emptioni, aut discedatur, sed & si quis minorem vigintiquinque annis circumuenerit: & huic hactenus dabimus actionem ex empto, vt diximus in superiori casu, d.l. Iulianus, §. si quis.

Qui per collusionem imaginarium colonum circunueniendi emptoris causa supposuit, ex empto tenetur, nec defenditur, si quo facilius excogitata fraus occultetur colonum, & quinquennii pensiones in suam fidem recipiat, ff. eod.l. qui collusionem, 49. in princip.

Si quis à pupillo sine tutoris authoritate emerit: ex uno latere constat contractus, nam qui emit obligatus est pupillo: pupillum sibi non obligat, d.l. Iulianus. §. si quis.

Venditi actionem ad recipiendum residuum, precium intendere aduersario tuo poteris, nec quod in compensationem uenerit, quasi & tu inuicem deberes, id obesse tibi poterit, si in bonæfidei contractu, in quo maiores etiam vigintiquinque annis officio iudicis in id, quæ dolo commissa sunt, adiuuantur: iusto errore deductum, vel fraude aduersarii captum, quasi debitum id esset, quod re uera non debebatur pepigisse monstraueris. fructus quoque perceptos ante venditionem contractam, quos cum venditioni non accessissent eundem emptorem inuasisse proponis, eodem iudicio reposces, C. eod. l. secunda.

Veteres emptione, venditioneque in appellationibus promiscuè utebantur, idem est in locatione & conductione, ff. eo. l. ueteres, 19. cum l. seq.

Cui res sub conditione legata erat, is eam imprudens ab hærede emit actione ex empto poterit consequi emptor precium, quia non ex causa legati rem habet, ff. eod. l. cui res, 29.

Si ea res, quam ex empto præstare debebam ui mihi adempta fuerit: quamuis eam custodire debuerim: tamen propius est, vt nihil amplius, quàm actiones persequendę eius præstari à me emptori oporteat. quia custodia aduersus uim parũ proficit, actiones autem eas non solum arbitrio, sed etiam periculo tuo præstare debebo, vt omne lucrum ac dispendium te sequatur. at si per me factum sit, quominus eam suo tempore à me haberes: non solum id, quod ipse per eam aquisiit, præstare debebo: sed & id, quod emptor iam tunc sibi tradito equo, adquisiturus fuisset, ff. eod. l. si ea res, quam, 31. in princip.

Expulsos vos de fundo per violentiam à Nerone, quem habere ius in eo negatis, profitentes: nullam vobis aduersus eum, ex cuius venditione fundum possidetis, actionem competere, probatis. igitur adinstar interdicti, seu actionis permissæ experiundum esse perspicitis, C. eo. l. fin.

Vterque nostrum eandem rem emit à non domino, cum emptio, venditioque sine dolo malo fieret, traditaque est, siue ab eodem emimus, siue ab alio, atque alio: is ex nobis tuendus est, qui prior ius eius adprehendit, hoc est, cui primum tradita est. sed si alter ex nobis à domino emisset: is omnimodo tuendus est, ff. eod. l. si ea res, 31. §. vterque.

Sicut

Sicut æquum est bonæ fidei emptori alterius dolum non nocere, ita non est æquum eidem personæ venditoris sui dolum prodesse, ff. eo. l. sicut, 37.

Si quis à me oleum, quod emisset adhibitis iniquis ponderibus accepisset, vt in modo me falleret, vel emptor circunscriptus sit à venditore ponderibus minoribus: Pomponius ait, posse dici venditorem sibi dare oportere, quod plus est petere, quod habet rationem. ergo & emptor ex empto habebit actionem, qua contentus esse posit, ff. eo. l. si quis, 32.

Et si vno precio plures res emptæ sint: de singulis ex empto, & vendito agi potest. Si fundo vendito in qualitate iugerum captio est, ex empto erit actio, ff. eo. l. & si uno, 33. & cum l. seq.

Si quis alienam rem vendiderit, & medio tempore hæres domino rei extiterit: cogetur implere uenditionem, ff. eod. l. si quis, 46.

Lucius Titius accepta pecunia ad materias vendendas sub pœna certa ita, ut si non integras præstiterit intra statuta tempora in pœnam conueniatur: partim datis materiis decessit. cum igitur testator in pœnam commiserit. neque eius hæres reliquam materiam exhibuerit, an in pœnam & in interesse conueniri possit, præsertim cum emptor mutuatus pecuniam interesse grauissimum expendit? Paulus respondit. Ex contractu, de quo quæratur etiam hęredem venditoris in pœnam conueniri posse, in actione, quoque ex empto officio iudicis post morem intercedentem interesse precii rationem haberi oportere, ff. eod. l. Lucius Titius, 47.

Bona fides non patitur, vt cum emptor alicuius legis beneficio pecuniam rei venditæ debere desiisset, antequam res ei tradatur: uenditor tradere compellatur, & re sua carere. possessione autem tradita futurum est, vt rem uenditor eam amittat: vtpotè cum petenti eam rem emptor exceptionem rei venditæ, & traditæ obiiciat: ut perinde habeatur, ac si petitor ei neque vendidisset, neque tradidisset, ff. eo. l. bona fides, 50.

Et si per emptorem, & venditorem mora fuisset, quominus vinum præberetur, & traderetur: perinde esse ait, quasi si per emptorem solum stetisset. non enim posse uideri moram per venditorem emptori factam esse, ipso emptore posteriorem moram faciente. Quod si fundum emisti ea lege, vt des pecuniam Kalendis Iuliis: & si ipsis Kalendis per venditorem esset factum, quominus pecunia ei solueretur: deinde per te staret, quominus solueres: uti posse aduersus te lege sua venditorem dixit, quia in vendendo hoc ageretur, ut quandocunq; per emptorem factum sit, quominus ei pecunia soluatur, legis pœnam patiatur, hoc ita verum est, nisi si quid venditor in ea re dolo fecit, ff. eo. l. & si. 51.

Inter venditorem, & emptorem militiæ, ita conuenit, vt salarium, quod debebatur ab illa persona emptori cederet. quæsitum est, emptor militiæ, quam quantitatem, à quo exigere, & quid ex eiusmodi pacto venditor emptori præstare debeat? Respondit Scæuola, venditorem actiones extraordinarias eo nomine, quas haberet, præstare debere, ff. eo. l. creditor, 52. §. inter venditorem.

Si traditio rei venditæ iuxta emptionis contractum procacia venditoris non fiat: quanti interesse compleri emptionem fuerit arbitratos præses prouinciæ, tantum in condemnationis taxactionem deducere curabit, C. eo. l. quarta.

Curabit præses prouintiæ compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem precii, quàm penes se habet, cum interesse restituere, ꝙ & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor (licet nulla mora intercesserit) generauit, C. eo. l. quinta.

Si pater tuus venundedit portionem suam, nec induxit in vacuam possessionem prædii: ius omne penes se eum retinuisse, certum est. neque enim velut traditionis factæ vectigal exsolutum, si simulatum factum intercessit, veritatem mutare potuit. Quapropter aditus præses prouinciæ, si animaduerterit in vacuam possessionem, nec patrem tuum, neque successores eius emptorem, vel hæredes eius, quocunque loco factos induxisse: non dubitabit nihil esse translatum pronunciarem. Et si te ex empto ad inducēdum eum in vacuam possessionem prædii prospexerit conueniri, existimabit, an precium sit solutum, ac si repererit non esse precio satisfactum: hoc restitui tibi, prouidebit, C. eo. l. octaua.

Cum venditorem carnis fide conuentionis rupta tempore placito hanc non exhibuisse proponas: ex empto actione eum, quanti interfit tua, si tunc tibi præstita fuisset, apud præsidem prouinciæ conuenire potes, C. eo. l. cum venditorem, x.

Quia titulus de EVICTIONE, ET ACTIO DVPLAE stipulationis: est accessorius emptioni, & venditioni; Ideo ipse titulus sequitur.

DE EVICTIONE, ET DVPLAE STIPVLATIONE. Titulus XIIII.

Siue tota res euincatur, siue pars habet regressum emptor ad venditorem, sed cum pars euincitur. siquidem pro indiuiso: regressum habet pro quantitate euictæ partis. quod si certus locus sit euictus, non pro indiuiso portio fundi, pro bonitate loci erit regressus. qd enim si quod fuit in agro preciosissimum, hoc euictū est, aut quod fuit in agro uilissimum? æstimabitur loci qualitas, & sic erit regressus, ff. de euictio. l. prima.

Si quis per fundum, quem cum alio communem haberet, quasi solus eius dominus esset, ius eundi agendi mihi vendiderit, & cesserit: tenebitur mihi euictionis nomine, cæteris non cedentibus, ff. eod. l. si quis, x.

Lucius Titius in Germania trans Rhenum prædia emit, & partem precii intulit. cum in residuam quantitatem hæres emptoris conueniretur: quæstionem retulit dicens has possessiones ex præcepto principali partim distractas, partim veteranis in præmia adsignatas, quæritur an huius rei periculum ad uenditorem pertinere posit? Paulus respondit, futuros casus euictionis, post contractam euictionem ad uenditorem non pertinere, & ideo secundum ea, quæ proponerentur precium prædiorum peti posse, ff. eo. l. Lucius, xi. in princ.

Quidam ex parte dimidia hæres institutus, vniuersa prædia vendidit, & cohæredes precium acceperunt, euictis his, quæritur an cohæredes ex empto actione teneantur? Respondit, si cohæredes præsentes aduerunt, nec dissenserunt uideri vnumquemque partem suam vendidisse, ff. eo. l. quidam, xii.

Bonitatis æstimationem faciendam, cum pars euincitur, Proculus rectè potabat quæ fuisset venditionis tempore, non cum euinceretur res: Non in dimidiam quantitatem precii, ff. eo. l. bonitatis, xiii. cum l. seq.

Sed si quid postea alluuione accesserit: tempus, quo accedit inspiciendū. Si vsusfructus euincatur. pro bonitate fructuum ęstimatio facienda est. Sed & si equus euincatur, quanto minoris ob id prędium est. lis æstimanda est, ff. eo. l. sed si. 15.

Euicta re uendita, ex empto erit agendum de eo, quod accesit: quemadmodum, & quæ empto fundo nominatim accesserunt, si euicta sint, in simplum præstantur, ff. eo. l. euicta, 16. in princ.

Duplæ

Duplæ stipulatio committi dicitur tunc, cum res restituta est petitori, vel damnatus est in litis æstimationem, vel possessor ab emptore conuentus absolutus est, d.l. euicta, §. Duplæ.

Si pro re pupilli, quam emit, litis æstimationem tutor non ex pecunia pupilli, sed ex suo præstiterit, stipulatio de euictione pupillo aduersus uenditorem committitur, ff. de euic. l. si pro re, 22. in prin.

Si pro euictione fundi, quem emit mulier, satis accepisset, & eundem fundum in dotem dedisset, deinde aliquis eum à marito per iudicium abstulisset: potest mulier statim agere aduersus fideiussorem euictionis nomine, quasi minorem dotem habere cæpisset, vel nullam, si tantum maritus obtulisset, quanti fundus esset, d.l. si pro te, §. si pro euictione.

Sed & si post mortem mulieris euincatur, regressus erit ad duplæ stipulationem, quia ex promissione maritus aduersus hæredes mulieris agere potest, & ipsi ex stipulatu agere possunt, ff. eo. l. sed & si. 23.

Non tamen ei consequens est, vt si ipsi domino nuptura in dotem eum dederit, committi stipulationem dicamus. quāuis æquè indotata futura sit mulier, quādoquidem & si uerum sit, habere ei non licere equum. illud tamen uerum non sit, iudicio eum euictum esse, ex empto tamen contra uenditorem mulier habet actionem, ff. eo. l. non tamen, 24.

Si rem, quam mihi alienam vendideras à domino redemerim, falsum est, quod Nerua respondisset, posse te à me precium consequi ex vendito agentem, quasi habere mihi rem liceret. Celsus filius aiebat, quia nec bonæ fidei conueniret, & ego ex alia causa rem haberem, ff. eo. l. si rem, 29. in prin.

Si duplæ stipulator ex possessore petitor factus, & victus sit, quam rem, si possideret, retinere potuerit, petere autem vtiliter non potuerit, vel ipso iure promissor duplæ tutus erit, vel certè doli mali exceptione se tueri poterit, sed ita, si culpa, vel sponte duplæ stipulatoris possessio amissa fuerit, d.l. si rem, §. si duplæ.

Quolibet tempore uenditori denunciari potest, vt de ea re agenda adsit, quia non præfinitur certum tempus in ea stipulatione, dum tamen ne propè ipsam condemnationem, id fiat, d.l. si rem, §. fin.

Si controuersia tibi possessionis, quam bona fide te emisse allegas, ab aliquo mouetur, authori hæredive eius denuntia, & si quidem obtinueris, habebis quod emisti, sin autem euictū fuerit, à venditore successoreve eius consequeris quanti sua interest, in quo continetur etiam eorum persecutio, quæ in rem eruptam à te melior fieret, erogata sunt, C, eo. l. si controuersia, ix.

Duplę stipulatio euictione non unam continet, si quis dominium rei petierit, & euicerit, sed & si seruiana actione experiatur, ff. eo. l. si mancipium, 34. §. fin.

Naue, aut Domo empta, singula cæmenta, uel tabulæ emptæ non intelliguntur: ideóq; nec euictionis nomine obligat̄ uēditor quasi euicta parte, ff. eo. l. naue, 36.

In creditore, qui pignus uendidit, tractari potest, an re euicta, uel ad hoc teneatur ex empto, ut quam habet aduersus debitorem actionem, eam præstet, (habet autem contrariam pignoratitiam actionem) & magis est, ut præstet. cui. n. non æquum uidebitur, uel hoc saltem consequi emptorem, quod sine dispendio creditoris futurum est, ff. eo. l. in creditore, 38.

Minor uigintiquinque annis fundum uendidit Titio, & cum Titius Seio minor se in ea uenditione circūscriptum dicit: ei impetrat cognitionem, non tantum aduersus Titium, sed etiam aduersus Seium. Seius postulabat apud prætorem, utilem sibi de euictione stipulationem in Titium dari. Iulianus dandam putauit, quia

uit, quia iustam rem Seius postulat. nam si ei fundus prætoria cognitione ablatus fuerit. æquum erit per eundem prætorem, & euictionem restitui, ff. eod. l. minor, 39. in princip.

Si à me bessem fundi emeris, à Titio trientem, deinde partem dimidiam fundi à te quis petierit, si quidem ex besse, quem à me acceperas, semis petitus fuerit Titius non tenebitur. Si vero triens, quem Titius tibi tradiderat, & sextans ex besse, quem à me acceperas, petitus fuerit: Titius quidem pro triente, ego pro sextante euictionem tibi præstabimus, d. l. minor, §. si à me.

Si is, qui satis à me de euictione accepit, fundum à me hærede legauerit: confestim fideiussores liberabuntur, qui etiam si euictus fuerit ab eo, cui legatus fuerat, nulla aduersus fideiussores actio est, ff. eo. l. si is qui, 40.

Si ei, cui vendidi, & duplam promisi (cum ipse eadem stipulatione mihi cauisset) hæres extiterim: euicto equo, nulla ex parte stipulatio committitur. neq; enim mihi euinci videtur, cum uendiderim eum: neque ei, cui me promissorem præstiti. quoniam parum commodè dicar ipse mihi duplam præstare debere. item si domino equi hæres extiterit emptor, quoniam euinci ei non potest, nec ipse sibi uidetur euincere: non committitur duplæ stipulatio. his igitur casibus ex empto agendum erit, ff. de euict. l. si ei, 41. in princip.

Si is, qui fundum emerit, & satis de euictione acceperit, eundem fundum uendiderit, & emptori suo hæres extiterit, uel ex contrario, emptor venditori hæres extiterit. an euicto fundo, cum fideiussoribus agere possit? quæritur. existimat Paulus utroque casu fideiussores teneri, quoniam & cum debitor creditori suo hæres extitit, actio quædam inter hęredem, & hæreditatem proponitur: & intelligitur maior hæreditas ad debitorem peruenire, quasi soluta pecunia, quam debebat hæreditati: & per hoc minus in bonis hæredis esse, & ex contrario, cũ creditor debitori suo hæres extitit, minus in hæreditate habere uidetur. tanquam ipsa hæreditas hæredi soluerit. Siue ergo is, qui de euictione satis acceperat emptori, cui ipse vendiderat, siue emptor uenditori suo hæres extiterit: fideiussores tenebuntur, & si ad eundem uenditoris, ex emptoris hæreditas reciderit: agi cum fideiussoribus poterit, d. l. si ei cui, §. si is, qui.

Qui fundum tradiderat iugerum centum, fines multo ampliores empti demonstrauerat. Si quid ex iis finibus euinceretur, pro bonitate eius emptori præstandum est: quamuis id, ꝙ relinqueretur, centũ iugera haberet, ff. eo. l. q fundũ, 45.

Fundum cuius vsusfructus Attii erat, mihi uendidisti, nec dixisti usumfructũ Attii esse. hunc ergo Mæuio detracto usufructu, tradidi. Attio capite minuto, non ad me, sed ad proprietatem vsumfructum redire debet. neque enim potuisse constitui usumfructum eo tempore, quo alienus esset. sed ego possum te uenditorem de euictione conuenire, quia equum sit, eandem causam meam esse, quæ futura esset, si tunc usufructus alienus non fuisset, ff. eo. l. fundum, 46. in prin.

Si per alienum fundum mihi uiam constitueris, euictionis nomine tu obligaberis. etenim quo casu si per proprium constituentis fundum concessa esset uia, rectè constitueretur: eo casu si per alienum concederetur, euictionis obligatio contrahitur, d. l. fundum, §. si per alienum.

Cum fundus. VTI OPTIMVS MAXIMVS QVE, emptus est, & alicui seruitutis euictæ nomine aliquid emptor à uenditore consecutus est, deinde totus fundus euincitur: ob eam euictionem, id præstare debet, quod ex duplo reliquũ est. Nã si aliud obseruauerimus, seruitutibus aliquibus, mox, & proprietate euicta duplo amplius emptor, q̃ emit, cõsequeť, ff. eo. l. cũ fundus. 48.

Quod

Quod ad ſeruitutes prædiorum attinet, ſi tacitè ſecutæ ſunt, & vindicentur ab alio. Quintus Mutius, & Sabinus exiſtimant, venditorem ob euictionem teneri non poſſe. nec enim euictionis nomine quemquam teneri in eo iure, quod tacitè ſoleat accedere: niſi VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE ESSET traditus fuerit fundus. tunc enim liberum ab omni ſerutute præſtandum. ſi vero emptor petat viam, vel actum: uenditorem teneri non poſſe, niſi nominatim dixerit, acceſſurum iter, vel actum. tunc enim teneri eum, qui ita dixerit. & vera eſt Quinti Mutii ſententia: VT QVI OPTIMVM MAXIMVMQVE fundum tradidit liberum præſtet non etiam deberi aliàs ſeruitutem, niſi hoc ſpecialiter ab eo expreſſum ſit, ff. eo. l. penult.

Si fundo tradito pars euincatur, ſi ſingula iugera venierint certo precio: tũc non pro bonitate, ſed quanti ſingula uenierint, quæ euicta fuerunt, præſtandum: & ſi ea, quæ meliora fuerunt, euicta ſint, ff. eo. l. ſi fundo, 53. in princ.

Si fundum, in quo vſus fructus Titio relictus erat, quoad uiueret detracto vſufructu ignoranti mihi uendideris, DONEC TITIVS CAPITE DEMINVTVS FVERIT, & aget Titius ius ſibi eſſe utẽdi, fruẽdi: ff. eo. l. ſi rẽ, 62. §. ſi fun.

Sæia fundum à Lucio Titio emerat, & quæſtione mota fiſci nomine auctorem laudauerat, & euictione ſecuta fundus ablatus, & fiſco adiudicatus eſt venditore præſente. quæritur, cum emptrix non prouocauerit, an uenditorem poſsit conuenire? HERENNIVS MODESTINVS RESPONDIT, ſiue quod alienus fuerit, cum veniret, ſiue quod tunc obligatus euictus eſt: nihil proponi, cur emptrici aduerſus uenditorem actio non competat, ff. eo. l. Hærennius, 63. §. Gaia.

Ex mille iugeribus ttaditis, ducenta flumen abſtulerat, ſi poſtea pro indiuiſo ducenta euincantur: duplæ ſtipulatio pro parte quinta, non quarta præſtabitur. nam quod periit damnum emptori non uẽditori attulit. ſi totus fundus, quem flumen deminuerat, euictus ſit: iure non deminuetur euictionis obligatio: non magis quàm ſi in curia fundus, deterior factus ſit nam & ex contrario, non augetur quantitas euictionis, ſi res melior fuerit affecta. Quod ſi modo terræ integro, qui fuerat traditus, ducenta iugera per alluuionem acceſſerint, ac poſtea pro indiuiſo pars quinta totius euicta ſit, perinde pars quinta præſtabitur, ac ſi ſola ducenta de illis mille iugeribus, quæ tradita ſunt, fuiſſent euicta: quia alluuionis periculum non præſtat venditor. Quæſitum eſt ſi mille iugeribus traditis periſſent ducenta: mox alluuio per aliam partem fundi ducenta attuliſſet, & poſtea pro indiuiſo quincta pars euicta eſſet: pro qua parte auctor teneretur? conſequens ſuperioribus, vt neque pars quincta mille iugerum, neq; quarta debeatur euictionis nomine. Se d perinde teneatur auctor, ac ſi de octingentis illis reſiduis ſola centum ſexaginta fuiſſent euicta, nam reliqua quadraginta, quæ de vniuerſo fundo deceſſerunt pro rata nouæ regionis eſſe intelligi. Cæterum cum pro diuiſo pars aliqua fundi euincitur: tametſi certus numerus iugerum traditus ſit, tamen pro modo, ſed bonitate regionis præſtatur euictio, ff. eo. l. ex mille, 64. in princip.

Qui vnum iugerum commune pro indiuiſo ſolum habuit, & tradidit: ſecundum omnium ſententias, non totum dominium tradidit, ſed partem dimidiam iugeri: queẽadmodũ ſi certũ locũ, aut fundũ ſimiliter tradidiſſet, d. l. ex mille, §. ſi,

Qui fundum tradit, & ſciat certam ſeruitutem deberi, per furioſè dixerit. ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VT ITA SINT: rectè recipit, & euictionis quidem nomine ſe liberat: ſed quia decepit emptorem, empti iudicio tenetur, ff. eo. l. qui libertatis, 69. §. ſic, &

In fundo

In fundo uendito, cum modus pronunciatus deest: sumitur portio, ex precio, quod totum colligendũ est, ex omnibus iugerib. dictis, d.l. qui libertis, 69.§.fi.

Pater filiæ nomine fundum in dote dedit, euicto eo, an ex empto actio, vel duplæ stipulatio committatur, quasi pater damnum patiatur, non immeritò dubitatur. non enim sicut mulieris dos est, ita patris esse dici potest: sed videamus, ne probabilius dicatur, committi hoc quoque casu stipulationem. interest enim patris filiam dotatam habere, & spem quandoque recipiendæ dotis: utique si in potestate sit: quod si emancipata est: uix poterit defendi, statim committi stipulationem: cum uno tantum casu dos ad eum regredi possit. nunquid ergo tunc demum agere possit, cum mortua in matrimonio filia potuit, dotem repetere, si euictus fundus non esset? an & hoc casu interest patris dotatam filiam habere, ut statim conuenire promissorem possit? quod magis paterna affectio inducit, ff. eod. l. pater, 71.

Cum plures fundi specialiter, & nominatim, vno instrumento emptionis interposito, venierint: non utique alter alterius fundi pars esse uidetur, sed multi fundi una emptione continentur. & quemadmodum si quis complura animalia vno instrumento emptionis interposito vendiderit: euictionis actio in singula capita animalium spectatur. & sicuti si aliarum quoq; rerum complurium vna emptio facta sit: instrumentum quidem emptionis interpositum vnum est: euictionum autem tot actiones, quot & species rerum emptione comprehensæ sunt: ita & in proposito: non utique prohibebitur emptor euicto ex his uno fundo, venditorem conuenire, quod una cautione emptionis complures fundos mercatus comprehenderit, ff. eo. l. cum plures, 72.

Seia fundos Mæuianum, & Seianum, & cæteros doti dedit. eos fundos vir Titius viua Seia, sine controuersia possedit. post mortem deinde Seia Sempronia hæres Seiæ quæstionem pro prædii proprietate facere instituit. quæritur, cum Sempronia ipsa sit hæres Seiæ, an iure controuersiam facere possit? Paulus respondit, iure quidem proprio non hæreditario Semproniam, quæ Seiæ (de qua quæritur) hæres extitisset, controuersiam fundorum facere posse, sed euictis prædiis eandem Semproniam hæredem Seiæ conueniri posse, vel exceptione doli mali submoueri, ff. eo. l. Seia, 73.

Vaccæ emptor, si titulus, qui post emptionem natus est, euincatur: agere, ex duplæ stipulatione non potest: quia nec ipsa, nec vsusfructus euincitur. nam quod dicimus, vitulum fructum esse uaccæ: non ius, sed corpus demonstramus. sic & prædiorum frumenta, & vinum factum rectè dicimus: cum constet, eadem hæc non rectè vsumfructum appellari, ff. eo. l. vaccæ, 43.

Scapham non uideri nauis esse respondit, nec quidquam cõiunctum habere. nam scapham ipsam per se paruam nauiculam esse: omnia autem, quæ coniuncta naui essent (veluti gubernacula, malus antennæ, velum) quasi membra nauis esse ff. eod. l. scapham, 44.

Si ab emptore vsusfructus petatur: perinde is uenditori denunciare debet, atque is, à quo pars petitur, ff. eo. l. si ab emptore, 49.

Si pignora veneant per apparitores prætoris extra ordinem sententiam sequentes: nemo vnquam dixit: dandam in eos actionem re euicta. sed si dolo rem uiliore precio proiecerint: tunc de dolo actio datur aduersus eos domino rei, ff. eod. l. si pignora, 50.

Rem hæreditariam pignori obligatam hæredes vendiderunt, & euictionis nomine pro partibus hæreditariis spoponderunt: & cum alter pignus pro parte sua

liberasset,

liberasset, rem creditor euicit. quærebatur an vterq; hæredum conueniri possit? idque placebat propter indiuisam pignoris causam, nec remedio locus esse videbatur, vt per doli exceptionem actiones ei, qui pecuniam creditori dedisset præstarentur: quia non duo rei facti proponerentur, sed familiæ erciscundę iudicium eo nomine utile est. nam quid interest, vnus ex hæredibus in totum liberauit pignus, an vero pro sua duntaxat portione cum cohæredis, negligentia damnosa non debet esse alteri, ff. eo. l. rem, 65.

Cum ea conditione pignus distrahitur, ne quid euictione secuta creditor prçstet: quamuis precium emptor non soluerit, sed venditori cauerit: euictione secuta, nullam emptor exceptionem habebit, quominus precium soluat. creditor, qui pro pecunia nomen debitoris per delegationem sequi maluit: euictis pignoribus, quæ prior creditor accepit, nullam actionem cum eo, qui liberatus est, habebit, ff. eo. l. 68.

Si per imprudentiam iudicis, aut errorem emptor rei victus est: negamus auctoris damnum esse debere, aut quid refert, sordibus iudiciis, an stulticia res perierit? iniuria enim, quæ emptori fit, auctorem non debet contingere, ff. eo. l. si per imprudentiam, 51. in princ.

Si ideo contra emptorem iudicatum est, quod defuit, non committitur stipulatio, magis enim propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit. Quid ergo si ille quidem, contra quem iudicatum est, ad iudicium non adfuit: alius autem adfuit, & causam egit: quid dicemus? vtputa acceptum quidem cum pupillo tutore authore fuit iudicium, sed absente pupillo tutor causam egit, & iudicatum est contra tutorem. quare non dicemus committi stipulationem? etenim actam esse causam palàm est, & satis ab eo, cui ius agendi fuit causam esse actam. Præsenti autem venditori denunciandum est. siue autem absit, siue præsens sit, & per eum fiat, quo minus denuncietur, committetur stipulatio, ff. eo. l. si ideo, §. in princ.

Si compromisero, & contra me data fuerit sententia, nulla mihi de euictione actio danda est aduersus venditorem. nulla enim necessitate cogente, id feci, ff. eo. l. si dictum, 56. §. si compromisero.

Si præsente promissore, qui de euictione promisit, & non ignorante, procuratori denunciatum sit, nihilominus promissor tenetur. simili modo tenetur, & qui curauit, ne sibi denunciari posset, sed & si nihil uenditore faciente, emptor cognoscere, vbi esset, non potuit, nihilominus committere stipulatio, ff. eodem, l. si dictum, §. si præsente.

Pupillo etiam sine tutoris authoritate posse denunciari (si tutor non appareat) ex duplæ stipulatione benignius receptum esse, Trebatius ait, d. l. si dictum, §. si.

Si plures mihi in solidum pro euictione teneantur, deinde post euictionem cum vno fuero expertus, si agam cum cæteris, exceptione me esse repellendum, Labeo ait, d. l. si per imprudentiam, 51. §. fin.

Si cum posit emptor auctori denunciare, non denunciasset, ideoque uictus fuisset. quoniam parum instructus esset, hoc ipso videtur dolo fecisse, & ex stipulatu agere non potest, ff. eo. l. si fundo, 53. §. fin.

Non obest ex empto agenti, quod denunciatio pro euictione interposita non esset, si pacto ei remissa est, ff. eo. l. Herennius, 63. in prin.

Qui alienam rem vendidit, post longi temporis præscriptionem, vel usucapionem desinit emptori de euictione teneri, ff. eo. l. qui alienam, 54. in prin.

Si cum posset usucapere emptor, non cœperit, culpa sua hoc fecisse uidetur, unde

si euictus

si euictus est equus, non tenetur uenditor, ff. eod. l. si dictum, 56. §. si cum posset.

Si alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero: amitti auctoritatem (idest actionem pro euictione) placet, ff. eo. l. fin.

In stipulatione duplæ, cum equus venditur partis adiectio necessaria est: quia nõ potest uideri equus euictus, cum pars eius euicta est, ff. eod. l. si dictum, 56. §. in stipulatione.

Habere licere rem, videtur emptori, & si is, qui emptorem in euictione rei uicerit, ante ablatam, vel abductam rem, sine successore decesserit: ita ut neque ad fiscum bona peruenire possint, neque priuatim à creditoribus distrahi, tunc enim nulla competit emptori ex stipulatu actio. quia rem ei habere licet. Quod cum ita est: uideamus num & si ab eo, qui uicerit, donata, legatave res fuerit emptori, æquè dicendum sit, ex stipulatu actionem nõ nasci. scilicet si ante, quàm abduceret, vel auferret, donauerit, aut legauerit. Alioquin semel commissa stipulatio resolui non potest, ff. eo. l. habere, 57.

Si res, quam à Titio emi, legata sit à me: non potest legatarius, conuentus à domino rei, venditori meo denunciare: nisi cessæ ei fuerint actiones, vel quodam casu hypothecas habeat, ff. eod. l. si res, 59.

Si in uenditione dictum non sit, quantum venditorem pro euictione præstare oporteat: nihil venditor præstabit præter culpam, euictionis nomine: & ex natura ex empto actionis, hoc quod interest, ff. eo. l. si in uenditione, 60.

Non dubitatur & si specialiter venditor euictionem non promiserit, re euicta ex empto competere actionem, C. eo. l. sexta.

Si quod à te emi, & Titio vendidi uoluntate mea tradideris: de euictione te mihi teneri, sicuti si acceptam rem tradidissem, placet, ff. eo. l. si quod, 61.

Si rem, quæ apud te esset, vendidissem tibi: quia pro tradita habetur, euictionis nomine me obligari placet. ff. eod. l. si rem, 62. in princ.

Si ei, qui vendidit, plures hæredes extiterunt: una de euictione obligatio est, omnibusque denunciari, & omnes defendere debent. si de industria non uenierint in iudicium, vnus tamen ex his litem sustineat: propter denunciationis uigorem, & prædictam absentiam, omnibus vincit, aut uincitur: rectèque eum cæteris agam, quod euictionis nomine uicti sunt, d. l. si rem, §. si ei, qui.

Diuisione inter cohæredes facta, si procurator absentis interfuit, & dominus ratam habuit: euictis prædiis in dominum actio dabitur, quæ daretur in eum, qui negotium absentis gessit: ut quanti sua interest, actor consequatur: scilicet, ut melioris, aut deterioris agri facti causa finem precii, quo fuerat tempore diuisionis æstimatus, deminuat, uel excedat. ff. eod. l. 66. §. fi.

Si cum uenditor admonuisset emptorem, ut publiciana, uel potius ea actione, quæ de fundo vectigali proposita esset, experiretur, emptor id facere supersedit: omnimodo nocebit ei dolus suus, nec communiter stipulatio, non idem in Seruiana quoque actione probari potest. hæc enim, & si in rem actio est, nudam tamen possessionem auocat, & soluta pecunia venditori dissoluitur. Vnde fit, ut emptori suo nomine non competat, ff. eo. l. si cum venditor, 66. in princ.

Si is, qui Reip. causa abfuit, fundum petat: utilis possessori pro euictione competit actio. Item si priuatus à milite petat: eadem æquitas est emptori restituendæ pro euictione actionis, d. l. si cum, § si is qui.

Si secundus emptor uenditorem, eundemque emptorem ad litem equi dederit procuratorem, & non restituto eo, damnatio fuerit secuta: quodcunque ex causa iudicati præstiterit procurator, ut in rem suam datus, ex stipulatu consequi

non po-

non poterit.sed quia damnum euictionis ad personam pertinuit emptoris, qui mandati iudicio, nihil percepturus est: non inutiliter ad percipiendam litis æstimationem agetur ex vendito, d.l.si cum, §.si secundus.

Euicta re, ex empto actio non, ad precium duntaxat recipiendum, sed ad id, ꝙ interest, cõpetit ergo, & si minoris esse cępit, dãnũ emptoris erit, ff.e.l.euicta, 70.

Si plus, vel minus, q̃ precii nomine datum est, euictione secuta dari conuenerit, placitum custodiendum est. Et si iussu iudicis rei iudicatæ pignus captum per officium distrahatur, post euincatur: ex empto contra eũ, qui precio liberatus est, non quãti interest, sed p̃cio duntaxat, eius interesse, habita ratione fructuũ dabit̃, s. si hos ei, q̃ euincit, restituere non hẽat necesse, ff. eo.l.si plus, 74. ĩ prin.

Mota quęstione interim non ad precium restituendum, sed ad rem defendendam venditor conueniri potest, d.l.si plus. §. mota.

Qui nomen, quale fuit, vendidit, duntaxat, ut sit, non ut exigi etiam aliquid possit, sed & dolum præstare congruit, d.l.si plus, §.fin.

Emptor hæreditatis rem à possessoribus sumptu, ac periculo suo persequi debet. euictio quoq; non præstatur in singulis rebus, cum hæreditatem iure venisse constet: nisi aliud nominatim inter cõtrahentes conuenit, C.de euict.l.prima.

Quoniam auus tuus cum prædia tibi donaret, de euictione eorum cauit: potes aduersus cohæredes tuos ex causa stipulationis consistere ob euictionem prædiorum, pro portione, scilicet hæreditaria. nudo autem pacto interueniente minimè donatorem teneri hac actione certum est, C.eo.l.secunda.

Qui rem emit, & post possidet, quandiu euicta non est auctorem suum propterea, quòd res aliena, vel obligata dicatur conueniri non potest, C.eo.l.tertia.

Si p̃dium tibi pro soluto datum est, ꝙ aliis creditoribus fuerat obligatũ cã pignoris mutata non est. Igitur si hoc iure fuerit euictũ: utilis actio tibi contra debitorem competit, nam hmõi contractus vicem venditionis obtinet, C. eod.l.4.

Ex his p̃diis, q̃ mercata es, si aliqua à vẽditore obligata, & nec dũ tibi tradita sunt: ex empto actione conseq̃ris, vt ea à creditore liberent̃, id ẽt fiet, si aduersus venditorẽ ex vendito actione p̃ciũ petentem doli exceptioneꝫ opposueris, C.e.l.5

Emptor fundi, nisi auctori, aut hæredi eius denunciauerit, euicto p̃dio, neq; ex stipulatione, neq; ex dupla, neq; ex empto actionẽ contra uenditorẽ, vel fideiuss. eius hẽt, sed etsi iudicio emptor non adfuit, aut p̃ns ꝑ iniuriã iudicis uictus est absente auctore, vel fideiussore, regressum aduersus eũ non hẽt, C.eo.l.emp.8.

Si fines agri uenditor demõstrauit, & legẽ dixit, intra eos neminem ingressurũ, si quid inde euincatur periculo sit auctoris. Quod si finibus suis, quos demonstrauit agrum vendidit, lis finalis ad venditorem non pertinet, C.eo.l.si fines, x.

Authore laudato, si euicta res est, fideiussorem etiam si agi causam ignorauerit, conueniri euictionis nomine posse non ambigitur, C.eo.l.authore.7.

Exceptione doli rectè eum submouebis, quem ab auctore tuo fideiussorem accepisti, si eius nomine controuersiã refert, quasi ꝑ vxorem suã, anteq̃ tu emeres, comparauerit, qui uenditioni adeo consensum dedit, C.eo.l. exceptione, 11.

Si ex causa iudicati pignora capta sunt ex eius authoritate, cui præcipiendi ius fuit, eaq; de q̃bus complecteris, tu mercatus es, frustra ob ea, q̃ condemnata est vel quæ in eius locum successit, eorum refert quęstio. q̃nquidem & si euictio eorũ ab aliquo subsecuta fuisset, rectissimẽ rescriptum est. C.eo.l. si ex cã, 13.

Siue possessio uenditoris fuit, filius eiusdemq; patris hæres frustra quæstionem mouet, siue non patris, sed filii eius possessio fuit, de qua iure hæreditario auctor laudari potest. controuersiam moueri non potest, C.e.l.siue possessio, 14.

Super empti agri quæstione disceptabit præses prouinciæ, & si portionem diuersę partis esse cognouerit, impensas, quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructum ratione, restitui vobis iubebit. nam super precio euictæ portionis non eum, qui dominũ euicerit, sed auctricem conueniri consequens est, C. eo. l. super empti, 16.

Si cum quæstio tibi super eo, quem comparaueras, moueretur, auctorem tuum certum fecisti: nec citra iudicis disceptationem equum, quem emeras tradidisti præses prouinciæ in damnis, quæ tolerasse te meministi, medelam iuris adhibebit, C. eod. l. si cum precio, 17.

Si obligata prædia venundedisti, & longi temporis præscriptione solita emptores se tueri possunt, euictionis periculum timere non potes, C. eo. l. si obligata, 19.

Cum tibi liberũ venundatum ab auctore fundum ꝓponas, si ex antecedente obligatione, ꝙ debebatur, iure soluisti, stipulationẽ, q̃ subiectã emptioni de indemnitate proponis, ipsius cõceptio cõmissam manifestè declarat, C. eo. l. cũ tibi, 22.

Cum successores ẽt venditoris pro euictione teneri possint: si velut obligata sibi Resp. Tessal. pignoris instituat iure persequi, quæ comparasti: auctoris hæredibus quocunq; gradu constitutis adsistere negocio denuncia. Quod siue præsentibus iis fundus, quem emisti, fuerit euictus, siue absentibus postea: quanti tua interest rem euictam non esse, teneri non quantum precii nomine dedisti (si aliud non placuit) publicè notum est, C. eo. l. cum successores, 23.

Si post perfectam venditionẽ ante precium numeratũ rei venundatæ mota fuerit qõ, cum in ipso limine contractus immineat euictio: emptorem, si satis ei non offeratur ad totius, vel residui precii solutionem non compelli iuris auctoritate monstratur. Vnde cum parte precii numerata, domus, q̃ emisti, tibi uelut pignoris iure obligatæ, ne ad emptionem accederes, denunciatum ab aliquo proponas: iudex tibi, q̃ ex emptione veniunt præstari prouidebit, C. eo. l. si post, 24.

Si fundum sciens alienum, vel obligatum comparauit Athenocles, nec q̃dq̃ de euictione conuenit: ꝙ eo nomine dedit, contra iuris poscit rõnem. nã si ignorans, desiderio tuo iuris forma negantis hoc reddi refragatur, C. eo. l. si fundum, 27.

Emptori ẽt venditoris iura prodesse non ambigitur, si igitur vobis ꝑ rei proprietatẽ mota fuerit qõ, tã ꝓpriis, q̃ vẽditoris defensionib. vti poteritis, C. e. l. emp. 28.

Si permutationis gratia prædia curatoribus, quondam fratris tui mater tua dedit, iis, quæ in eorum vicem accepit, postea quam ad defensionem fuerit denunciatum, vel cum eorum non haberet facultatem, euictis: quanti interest eorum conueniri posse rationis est, C. eo. l. si permutationis, 29.

Non ex eo, ꝙ duplum, qui à matre tua animalia comparauit, euictionis nomine stipulatus est alienæ rei scientia cõuincitur: nec opinio eius ex hac læditur, vt malæ fidei emptor existimetur, aliis itaq; hoc iudiciis, probare debes, C. eo. l. pen.

Hæredem fideiussoris reum, pro quibus defunctus apud emptorem intercesserat pro uenditore factum eius, cui successit ex sua persona dominium vindicare non impedit, scilicet euictionis causa durante actione, C. eo. l. fin.

Empti actio longi temporis præscriptione non submouetur, licet post multa spacia rem euictam emptori fuerit comprobatum, C. eo. l. empti, 21. in prin.

CREDITOREM EVICTIONEM NON DEBERE. Titulus XV.

CVm iure creditoris ꝑ fisci debita prædium obligatum procurator fisci venundedit, euictio non debetur: quia & priuatus creditor eodem iure vtitur

nisi

nisi nominatim hoc repromissum à priuato fuerit creditore, si tamen fiscus in ius alterius creditoris successit: emptori non iuxta nomine fisci mouetur controuersia, siue quia potior fuerat, quando vendebat: siue quia infirmior, quoniam hoc vtique præstare debet, qui pignoris iure vendit, potiorem se cæteris esse creditoribus. C. creditorem euictionem, l. prima.

Si à creditrice iure pignoris fundos pater tuus comparauerat: euictis prædiis, ita demum petitionem aduersus creditricem habere pores, si vel cum vendidit, de euictione rei promisit: vel etiam dolo, cum sciret, prudensq; esset, rem sine uicio non esse, eam patri tuo, cui succesisti, uenundedit. Nam sicuti genus eiusmodi contractus inscium creditorem vinculo euictionis non adstringit, ita eum, qui fraudem admisit, vel decepit, non excusat, C. eo. l. fi.

Post obligationem emptionis, et uenditionis sequitur de locatione, et conductione: Ideo hoc loco, etiam sequitur de actione locati, et conducti.

DE ACTIONE LOCATI, ET CONDVCTI. Titulus XVI.

EX conducto actio conductori datur, competit autem ex his causis ferè: vtputa, si re, quam conduxit frui ei non liceat: forte quia possessio ei, aut totius agri, aut partis non præstatur, aut uilla non reficitur, vel stabulum, vel vbi greges eius stare oporteat, vel si quid in lege conductionis conuenit, si hoc non Præstatur, ex conducto agetur, ff. locati, l. ex conducto, 15. in prin.

Si tibi habitationem locauero non pensionem remittam, ex locato & conducto agendum erit, ff. locati, l. quinta.

Si tibi alienam insulam locauero quinquaginta, tuq; eandem sexaginta Titio locaueris, & Titius à domino ꝓhibitus fuerit habitare, agentem te ex sexaginta conducto consequi debere placet: q̄a ipse Titio teneris in sexaginta, ff. eo. l. 7.

Nos videamus ne non sexaginta præstanda, nec quinquaginta sint, sed quanti interest perfrui conductione; tm̄ deniq; consequetur medius, quantum p̄stare debebat ei, qui à se conduxerat, qm̄ emolumentum conductionis ad comparationem vberioris mercedis computatum maiorem efficit condemnationem, & tm̄ primus locator reputationē habebit ꝓ q̄nquaginta, q̄ ab illo ꝑcipiet si dn̄s insulæ habitare nouissimū conductorem non vetuisset, quo iure utimur, ff. eo. l. 8.

Item quæritur si Cisiarius, i. carucarius, dum cæteros transire contendit, Cisium euertit, & equum quassauit, vel occidit ex locato erit in eum actio. temperare .n. debuit. sed & utilis Aquiliæ dabitur. ff. eo. l. Item quæritur, 13. in prin.

Si Nauicularius onus Minturnas vehendum conduxerit, & cum flumen Minturnensem Nauis ea subire non posit in aliam nauim merces transtulerit, eaq; nauis in ostio fluminis perierit. Tenetur prior Nauicularius Labeo si culpa caret non teneri ait, Cæterum si vel inuito domino fecit, vel quo non debuit t͞pe, aut si minus idoneæ naui imposuit, tunc ex locato agendum, d. l. itē q̄riẗ. §. si nauic.

Si magister nauis sine gubernatore in flumen nauem immiserit & tempestate orta temperare non potuerit, & nauem perdiderit, vectores habebunt, aduersus eum ex locato actionem, d. l. item quæritur, §. si magister.

Si fullo vestimenta pollienda acceperit, eaq; mures roserint ex locato tenetur, q̄a debuit ab hac re cauere, & si pallium fullo permutauerit, & alii alterius dederit, ex locato actionem tenebitur, etiam si ignarus fecerit, d. l. item q̄riẗ, §. si fullo.

Exercitu veniente, migrauit cõductor, deinde ex hospitio milites fenestras, & ceteræ sustulerunt, si dominorum denunciauit, & migrauit ex locato tenebitur. Labeo etiam si resistere potuit, & non resistit, teneri ait, quæ sententia vera est. sed si denuntiare non potuit, non tenetur, ff. eo. l. Item quæritur, 13. §. exercitu.

Si quis mensuras conduxerit, easq; magistratus frangi iusserat, si quidem iniquæ fuerint, Sabinus distinguit vtrum sit conductor, an non, si scit esse ex locato actionem si minus non, quid si æque sint, ita demum eum teneri, si culpa eius id fecerat ædilis. & ita Labeo, & Mela scribunt, d. l. item quæritur, §. si quis.

Item cum quidam naue amissa vecturam, quam per inuecto acceperat, repeteretur, rescriptum est ab Anton. Augusto non immerito procuratorem Cæsaris hanc ab eo uecturam repetere: cum munere vehendi functus non sit. quod in omnibus personis similiter obseruandum est, ff. eod. l. ex conducto, xv. §. item cum quidam.

Vbicunq; tamen remissionis ratio habetur ex causis supra relatis nõ id, quod sua interest, conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata temporis, supra denique damnum seminis admissi ad colonum pertinere declaratur, planè si fortè dominus frui non patiatur, vel cum ipse locasset, vel cũ alius alienum, vel quasi procurator, vel quasi suum, quod interest, præstabitur. & ita proculus in procuratore respondit, d. l. ex conducto, §. vbicunque.

Interdum ad hoc ex locato agetur, vt quis locatione liberetur, quemadmodum Iulianus scripsit: vt puta fundum Titio locaui, isque pupillo hærede instituto decessit, & cum tutor constituisset abstinere pupillum hæreditate, ego fundum pluris locaui: demum pupillus restitutus est in bona paterna, ex conducto nihil amplius eum consecuturum, quàm vt locatione liberetur, mihi. n. iusta causa fuit locandi, cum eo tempore in pupillum actiones nullæ darentur. Tutellæ tamen cum tutore iudicio, inquit agetur si abstinere eum non debuit. In quo ẽt hoc inerit, quod ex conductione fundi lucrum facere potuit. sed addes hoc Iuliani sententiæ: vt si collusi ego cum tutore, ex conducto tenear in id, quod pupilli interfuit, ff. eo. l. ex conducto, 15. § fi. cũ trib. seq. & l. sed Addes, 19. in prin.

Si dominus exceperit in locatione, vt frumenti certum modum, certo pretio acciperet, & dominus nolit frumentum accipere, neque pecuniam ex mercede deducere: potest quidem totam summam ex locato petere, sed vtique consequẽs est existimare, officio iudicis hoc conuenire, habere rationem quanti conductoris intererit, in frumento potiusquam in pecunia solueris pensionem excepta portione, simili modo & si ex conducto agatur, idem erit dicendum, ff. eo. l. sed Addes, 19. §. si dominus.

Si inquilinus ostium, vel quędam alia ędificio adiecerit: quæ actio locum habeat? Est nè verius (ꝙ Labeo scribit) competere ex conducto actionem vt ea tollere liceat: sic tamen, vt damni infecti caueat, nè dum aufert in aliquo deteriorem cãm ædium faciat, sed vt pristina faciẽ ædibus reddat, d. l. sed addes, §. si inquil.

Si inquilinus arcam cameratam in ædes intulerit, & ædium dominus additum coangustauerit, verius est ex conducto eum teneri, & ad exhibẽdum actione, siue scit, siue ignorauit. officio. n. iudicis continetur, vt cogat eum aditum, & facultatẽ inqlino pstare ad arcã tollendã sumptib. s. locatoris, d. l. sed addes, §. si inqli.

Si quis cũ in annũ habitationẽ cõduxisset, pensionis totius anni dederit: deinde insula, post sex mẽses corruerit, vel incẽdio cõsumpta sit. pensionẽ residui tpis rectissimè Mela scribit, ex cõducto actione repetiturũ nõ quasi indebitũ cõdictũrũ. Nõ. n. p errorẽ dedit plus, sed vt sibi ĩ cã cõductionis pspiceret, alr atqi

si quis

si quis cum decem conduxisset: is soluerit. Hic enim si per errorem plus soluit, dum pntat xv. conduxisse ex conducto actionem non habebit, sed solam condictionem. Nam inter eum, qui per errorem soluit, & eum, qui pensionem integram prærogauit multum interest, d.l. sed addes, §. si quis.

Si quis mulierem vehendam naue conduxisset, deinde in naue infans natus fuisset: probandum est pro infante nihil deberi, cum neque vectura eius magna sit, neq; his omnibus utatur, quę ad nauigantiũ vsum parantur. d.l. sed addes, §. pe.

Si domus vel fundus in quinquennium pensionibus locatus sit, potest dominus, si deseruerit habitationem, vel fundi culturam colonus, vel inquilinus, cum eis statim agere, sed & de his, quæ præsentis die præstare debuerunt, veluti ut opus aliquid efficerent, vel propagationes facerent, agere similiter potest, ff. eod. l. si in lege, 24. §. si domus.

Colonus si ei uti non liceat, totius quinquenni nomine. statim rectè aget, & si reliquis annis dominus fundi eum frui patiatur. Nec. n. semper dominus liberatur eo, quod secundo uel tertio anno patiatur fundo frui. Nam & qui expulsus à conductione in aliam se idoneam contulerit, non subsecuturus duabus, neq; ipse pensionum nomine obligatus erit, & quantum per singulos annos compendii facturus erat, consequetur sera est enim pacientia fruendi, quæ affertur eo tempore, quo frui colonus aliis rebus illigatus non potest, quod si paucis diebus prohibuit, deinde pœnitentiam agit, omniaq; colono integra sunt, nihil ex obligatione paucorum dierũ mora minuet. Item ex conducto utiliter aget is cui, secundum conuentionem non præstantur, quæ conuenerant: siue prohibeatur frui à domino, siue ab extraneo, quem dominus prohibere potest, d.l. si in lege, §. colonus.

Qui in plures dominos fundum locauerat testamento suo damnauit hæredem, ut conductorem liberaret. si non patiatur hæres eum reliquo tempore frui, est ex conducto actio, quod si patiatur, neque mercedes remittat, ex testamento tenetur, d.l. si in lege. §. fina.

Si vicino ædificante obscurentur lumina cœnaculi, tenetur locator Inquilino, certè quin liceat colono, vel Inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio est, de mercedibus quoq; si cum eo agatur reputationis ratio habenda est, eandem intelligemus, si ostia fenestrasve nimium corruptas locator non restituat, ff. eod. l. si merces, 25. §. si vicino.

Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet, & ante omnia colonus curare debet, vt opera rustica, suo quoq; tempore faciat, ne intempestiua cultura deteriorem fundum faciat. præterea villarum curam agere debet, ut eas incorruptas habeat, d.l. si merces, §. conductor.

Culpæ autem ipsius, & illud annumeratur si propter inimicitias eius uicinus arbores exciderit. Ipse quoq; ei exciderit, non solum ex locato tenetur. sed etiam lege Aquilia, & ex lege xii. tabularum arborum furtim Cæsarum, & interdicto quod vi aut clam, sed utiq; iudicis, qui ex locato iudicat, officio continetur, vt cæteras actiones locator omittat, d.l. si merces, §. culpæ.

Vis maior non debet conductori damno esse, si plus quàm tollerabile est læsi fuerint fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit, alioquin partiarius colonus, quasi iure societatis, & damnum & lucrum, cum domino fundi partitur, d.l. si merces, §. vis maior.

Qui columnam transportandam conduxit: si ea dum tollitur aut portatur, aut reponitur fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumve quorum opera utitur culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisq; obseruaturus fuisset. Idem sanè intelligemus, & si dolia vel tignũ transportandum aliquis conduxerit. Idemque etiam ad cæteras res transferri potest, d.l. si merces, §. qui columnam.

Si fullo, aut sarcinator uestimenta perdiderit eoq; nomine domino satisfecerit, necesse est domino vendicationem eorum, & condictionem cedere, d.l. si merces, §. si fullo finali.

AEdilis in municipio balnea conduxerat, ut eo anno municipes gratis lauarentur, post tres menses incendio facto combusta sunt, potest agi cum balneatore ex conducto, vt pro portione temporis, quo lauationem non præstitisset pecuniæ contributio fieret, ff. eo. l. qui insulam, 30. §. ædilis.

Qui mulas ad certum pondus oneris locarat: cum maiore onere conductor eas rupisset. Consulebat de actione. Respondit Alphenus, vel lege Aquilia, vel ex locato rectè eum agere: sed lege Aquilia, tamen cum eo agi posse, qui tàm mulas egisset: ex locato etiam si alius eas rupisset, cum conductore rectè agi, d.l. qui insulam, §. qui Mulas.

Qui ædem faciendam locauerat in lege dixerat, quod in opus lapidis opus erit, pro lapide, & munus præmio dominus redemptori in pedes singulos septem dabit, opus etiam imperfectum metiri oporteret, d.l. qui insulam, §. qui ædem.

In naue Saufeii, complures frumentum confunderant. Saufeius uni ex his frumentum reddiderat de communi, eaque nauis perierat. quæsitum est, an cæteri pro sua parte frumenti, cum Nauta agere possent oneris aduersi actione, respondit Alfenus rerum locatarum duo genera esse, vt aut idem redderetur, sicuti cum vestimenta fulloni curanda locarentur, aut eiusdem generis: veluti cum argentum postulatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum, vt annuli ex superiore casu rem domini manere ex posteriore increditum iri, idem iuris esse in deposito. Nam si quis pecuniam numeratam, ita deposuisset, vt neque clausam, neque obsignatam traderet, sed adnumeraret: Nihil aliud debere, apud quem deposita esset. Nisi ut tantundem pecuniæ soluerit, secundum quæ videri triticum factum Saufeii, & rectè dactum, quod si separatum tabulis, aut heronibus, aut in alia cupa clausumvniuscuiusq; triticum fuisset, ita ut internosceri posset, quod cuiusque esset, non potuisse nos permutationem facere, sed tũc posse eum, cuius fuisset triticum, quod nauta soluisset vendicare, & ideo se improbare actiones oneris aduersi, quia siue eius generis essent merces, ut si nautæ traderentur, continuo eius fierent, & mercator in creditum iret, non uideretur onus esse aduersum, quippè quod nautæ fuisset, siue eadem res, quæ tradita esset, reddi deberet furtiua condictio datur locatori. & ideo superuacuum esse oneris aduersi iudicium. sed si ita datum esset, ut in simili re solui posset: conductorem culpam duntaxat præstare non debere: nam in re, quæ vtriusque causa contraheretur, culpam deberi, neque omnimodo culpam esse, quod vni tradidisset ex frumẽto. quoniam alicui primum reddere eum necesse fuisset, tamen & si meliorem eius conditionem faceret, quam cæterorum, ff. eo. l. in naue, 31.

Si fundus, quem mihi locaueris publicatus sit, tu teneris ex conducto actione, ut mihi frui liceat, quamuis per te non stet, quominus id præstes. Nihilominus teneberis. Nam & si vendideris mihi fundum. Isque prius, quam vacuus traderetur, publicatus fuerit: teneris ex empto. quod hactenus erit verum, vt pretium

restituas, non ut etiam præstes, si quid pluris mea intersit eum uacuum mihi tradi similiter ergo & circa conductionem seruandum est, vt mercedem, quam præstiterim mihi restituas: eius temporis, quo fruitus non fuerim, nec ultra actionem ex conducto præstare cogeris. Nam & si colonus tuus fundo frui à te aut ab eo prohibeatur, quem tu prohibere ne id facias posis, tantum ei præstabis, quanti eius interfuerit frui: In quo etiam lucrum eius continebitur. sin uero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere, propter vim maiorem, aut potentiam eius non poteris, nihil amplius ei, quàm mercedem remittere, aut reddere debebis. perinde ac si latronũ incursu, id accideret, ff. eo. l. si fun. 33. cũ l. seq.

Et hæc distinctio conuenit illi, quæ à seruio introducta & ab omnibus ferè probata est, vt si aduersione insulam locatam dominus reficiendo, ne ea conductor frui posit effecerit, animaduertatur necessario, nec ne id opus demolitus sit. quid enim interest vtrum locator insulæ propter vetustatem cogatur eam reficere, an locator fundi cogatur ferrè iniuriam eius, quæ prohibere non posit? Intelligendum est autem nos hac distinctione uti de eo, qui & suum prædium fruendum locauerit, & bona fide negotium contraxerit: non de eo, qui alienũ prædium per fraudem locauerit, nec resistere domino posit, quominus is colonum frui prohibeat, ff. eo. l. & hæc, 35.

Cum fundum communem haberemus inter nos conuenit, ut alternis annis certo pretio eundem conductum haberemus, tu cum annus tuus exiturus esset, consulto fructum sequentis anni corrupisti, agam tecum duabus actionibus vna ex conducto, altera ex locato. locati enim iudicio mea pars propria: conducti autem actione tua dumtaxat propria in iudicium ueniet. deinde ita notatur nonne quod ad meam partem attinebit communi diuidundo iudicio præstabitur à te mihi damnum. rectè quidem notatur, sed tamen etiam Seruii sententia vera est, in eo scilicet, ut cum alterutra actione rem seruauerim, altera perimatur. quod ipsum simplicius ita quæremus, si proponatur, inter duos, qui singulos proprios fundos haberent, conuenisse ut alter alterius, fundum, ità conductum haberet, vt fructus mercedis nomine pensarentur, d. l. & hæc, §. cũ fundũ.

Qui mercedem accepit pro custodia alicuius rei: Is eius periculum pro custodia præstat. Sed de damno ab alio dato agi cũ eo non posse. Iulianus ait, qua enim custodia consequi potuit, ne damnum iniuria ab alio dari posit? sed Marcellus interdum esse, posse ait: siue custodiri potuit, nè damnum daretur, siue ipse custos damnum dedit, quæ sententia Marcellus probanda est, ff. eod. l. qui Mercedem, xl. cum l. seq.

Cum apparebit emptorem conductoremve pluribus vendentem, vel locantem singulorum insolidum intuitum personam: Ita demum ad præstationem partis, singuli sunt compellendi, si constabit omnes esse soluendo, quamquam fortasse iustius sit, etiam si soluendo omnes erunt, electionem conueniendi, quem velit non auferendam actori, si actiones suas aduersus cæteros præstare non recuset, ff. eo. l. cum apparebit, 47.

Si cui locauero faciendum, quod ego conduxeram, constabit habere me ex locato actionem, ff. eo. l. si cui, 48. in princ.

Qui equum conductum, vel aliam rem non immobilem non restituerit, quanti in litem iuratum fuerit damnabitur, d. l. si cui, §. fin.

Tutores, curatoresve constitui priusquam officii sui rationes reddant prohibentur, ne quid de patrimonio Cæsaris conductum habeant, ac si quis, id dissimulans, nihilominus ad conducenda Cæsaris prædia accesserit: perinde vt falsa-

rius pœna afficitur, hoc quam ſanxit Imperator Seuerus, ſecundum quæ ſanè prohibiti erũt, & à fiſco cõducere, qui tutelam, curãue gerunt, ff. eo. l. tuto. 49.

Ea lege fundum locaui, vt ſi non ea lege coleretur relocare eum mihi liceret, & quo minoris locaſſem hoc mihi præſtaretur, nec conuenit, vt ſi pluris locaſſem hoc titulo pręſtaretur, & cum nemo fundum colebat, plures tamen locaui: quęritur an hoc ipſum præſtare debeam? Reſpondit Iabolenus in huiuſmodi obligationibus, id maximè ſpectare debemus, quid inter vtramque partem conuenit. Videtur autem in hac ſpecie, id ſilentio conueniſſe, ne quid præſtaretur, ſi ampliore pecunia fundus eſſet locatus, ideſt ut hæc conuentio pro locatore tantummodo interponeretur, ff. eo. l. ea lege, 51. in princip.

Locaui opus faciendum, ita ut pro opere redemptori certam mercedem in dies ſingulos darem, opus vitioſum factum eſt. Quæritur an ex locato agere poſsim: & reſponſum eſt, ſi ita opus locaſti, vt bonitas eius tibi à conductore approbaretur: tam & ſi conuenit, vt in ſingulas operas certa pecunia daretur, præſtari tamen tibi à conductore debet, ſi id opus vitioſum factum eſt. Non enim quicquam intereſt vtrum vno pretio opus, an in ſingulas operas certa pecunia locaretur, ſi modo uniuerſitas conſumationis ad conductorem pertinuit. poterit itaque ex locato cum eo agi, qui vitioſum opus fecerit. Niſi ideo in operas ſingulas merces conſtituta erat, vt arbitrio domini opus efficeretur. Tunc enim nihil conductor præſtare domino de bonitate operis videtur, d. l. ea lege, §. locaſti.

Quæſitum eſt, an fideiuſſor conductionis etiam pro intereſſe non illarum penſionum nomine teneatur, nec proſint ei conſtitutiones, quibus cauetur eos, qui pro aliis pecuniam exoluerint, ſorti ſolum modo damnum agnoſcere oportere. Paulus reſpondit, ſi in omnem cauſam conductionis etiam fideiuſſor ſe obligauit, eum quoque exemplo coloni tardius illatarum per moram coloni penſionum præſtare intereſſe debere. intereſſe enim in bonæ fidei iudiciis, & ſi non, tàm ex obligatione proficiſcatur, quàm ex officio iudicis applicetur: tamẽ cum fideiuſſor in omnem cauſam ſe applicauit, æquum videtur ipſum quoque agnoſcere onus intereſſe, ac ſi ita fideiuſſiſſet IN QVANTVM ILLVM CONDEMNARI, EX BONA FIDE OPORTEBIT TANTVM FIDE TVA ESSE IVBES. vel ita INDEMNEN PRESTABIS, ff. eo. l. quæro, 54.

Dominus horreorum, effractis, & compilatis horreis non tenetur, niſi cuſtodiam eorum receperit, ff. eo. l. Dominus, 55.

In conducto fundo, ſi conductor ſua opera aliquid neceſſario, vel utiliter auxerit, vel ædificauerit, vel inſtituerit, cum id non conueniſſet, ad recipienda ea, quæ impedit ex conducto cum dño fundi experiri poteſt, d. l. dñs, §. in conducto.

Qui contra legem conductionis fundum ante tempus ſine iuſta, ac probabili cauſa deſeruerit, ad ſoluendas totius temporis penſiones, ex conducto conueniri poteſt, quatenus locatori in id, quod eius inteteſt, indemnitas ſeruetur, d. l. Dominus, §. finali.

Cum domini horreorum, inſularumque deſiderant, diu non apparentibus, nec eius temporis penſionem exſoluentibus conductionibus aperiri, & ea, quæ ibi ſunt deſcribere à publicis perſonis, quorum intereſt, audiendi ſunt. Tempus in huiuſmodi re biennii debet obſeruari, ff. eo. l. cum domini, 56.

Qui domum habebat aream iunctam ei domui uicino proximo locauerat: is uicinus cum ædificaret in ſuo: Terram in eam aream amplius quàm fundamẽta cæmentitia locatoris erant, congesſit. ea terra aſsiduis pluuiis inundata parieti eius, qui locauerat humore præſtito ædificia corruerunt. Labeo ex locato tantummodo

tummodo actionem esse ait, quia non ipsa congestio, sed humor ex ea congestione postea damno fuerit, damni autem iniuriæ actio ob ea ipsa sit, per quæ nō extrinsecus alia causa oblata damno quis affectus est, ff. eo. l. qui domū, 57.

Quidam in municipio balineum præstandum annuis 20. numis conduxerat, & ad refectionem fornacis fistularum, similiumque rerum centum numi, ut ei præstarentur conuenerat. Conductor centum numos petebat, Ita ei deberi dicitur si in earum rerum refectionem, se eam pecuniam impendere satisdaret, ff. eod. l. insulam, 60. §. finali.

Vestimenta tua si fullo perdidit, & habes unde petas, nec petere uis: Ages nihilominus ex locato cum fullone, sed iudex æstimabit, an possis aduersus furem magis agere, & ab eo tuas res consequi fullonis, scilicet sumptibus. sed si hoc tibi impossibile esse perspexerit, tunc fullonem tibi quidem condemnabit, tuas autem actiones te ei præstare compellet, ff. eo. l. cum in plures, lx. §. vestimenta.

Messem inspiciente colono cum alienam esse non ignorares, sustulisti. condicere tibi frumentum dominum posse Labeo ait, & ut id faciat, colonum ex conducto cum domino acturum, d. l. cum in plures, §. messem.

Colonus cum lege locationis non esset comprehensum, vt vineas poneret, nihilo minus in fundo vineas instituit, & propter earum fructus denis amplius aureis annuis, is ager locari incœperat. quæsitum est si dominus iustum colonum fundo eiectum pensionum debitarum nomine conueniat, an sumptus utiliter factos in vineis instituendis repetere posit. opposita doli mali exceptione, Respondit Scęuola, vel expensas consecuturum, vel nihil amplius pręstaturum esse, ff. eod. l. penul.

Aduersus eos, à quibus extruenda ædificia conduxisti, ex conducto actione contendes eo iudicio, quod est bonæ fidei debitum cum interesse soluto consequeris, C. eod. l. secunda.

Si ii, qui à vobis redemerant frumentum, & hordeum annonæ inferendum accepta pecunia fidem fefellerunt, ex locato agere cum eis potestis, C. eo. l. si ii qui.

Si de fundo à locatore expulsa es, cum eo agere ex conducto potes: pœnamque à locatore, quàm præstari rupta conuentionis fide placuit, exigere, ac retinere potes, C. eod. l. si de fundo, 15.

Præses prouinciæ ea, quæ ex locatione debentur exolui sine mora curabit: non ignarus ex locato, & ex conducto actionem cum sit bonæ fidei, post moram interesse legitimum admittere, C. eo. l. præses, 17.

In iudicio, tàm locati, quàm conducti dolum, & custodiam non etiam casum, cui resisti non potest venire constat, C. eo. l. in iudicio, 28.

Cum conductorem ædificia, quæ suscepit integra dextruxisse proponis. hæc etiã hæredes eius præses prouinciæ instaurare ædificiorum inter vos habita ratione iubebit, C. eo. l. cum conductorem, 29.

Si sulphurariæ sunt in agro, & indè aliquis terram egessisset, & abstulisset, colonus conducti actione consequetur, ut id ipsum sibi præstetur, ff. de furtis, l. si quis, 52. §. si sulphurariæ.

Quare continuatur titulus, si mensor falsum modum dixerit, patet ex lege prima, eodem titulo: Nam hæc actio proposita est, quia non crediderunt ueteres inter tales personas locationem esse.

SI MEN-

SI MENSOR FALSVM MODVM DIXERIT. Titulus XVII.

ADuersus mensorem agrorum prætor in factum actionem proposuit, à quo falli nos non oportet. Nam interest nostra, ne fallamur in modi renunciatione: si forte, vel de finibus contentio sit, vel emptor scire velit, vel venditor cuius modi ager veneat. Ideo autem hanc actionem proposuit: quia non crediderunt veteres inter tales personas locationem esse, sed magis operam beneficii loco præberi: & id, quod datur, ei ad remunerandum dari, & inde honorarium appellari. si autem ex locato fuerit actum: dicendum erit, nec tenere intentionem, ff. si mensor falsum modum, l. prima. in prin.

Hæc actio dolum malum duntaxat exigit. visum est enim satis, abundeque coerceri mensorem: si dolus malus, solus conueniatur eius hominis, qui ciuiliter obligatus non est. proinde si imperitè versatus est, sibi imputare debet, qui eum adhibuit. sed, & si negligenter: æquè mensor securus erit. lata culpa planè dolo cõparabitur. sed & si mercedem acceperit, non omnem culpam eum præstare propter verba edicti. Vtique enim scit prætor, & mercedem interuenire, d. l. prima. §. hæc actio.

Is autem tenebitur hac ratione, qui renunciauit. sed renunciasse, & eum accipere debemus, qui per aliũ renunciauit. Vel per literas. sed si ego tibi, cùm esses mensor, mandauerim, vt mensuram agri ageres: & tu Titio id delegaueris, & ille dolo quid in ea re fecerit, tu teneberis. quia dolo malo versatus es, qui tali homini credidisti. d. l. prima. § fi. & l. seq.

Si duobus mandauero, & ambo dolose fecerint: aduersus singulos insolidum agi potest. sed altero conuento, si satisfactum erit: in alterum actionem denegari oportebit, ff. eod. l. tertia. in princ.

Competit autem hæc actio ei, cuius interfuit, falsum modum renunciatum non esse: hoc est, vel emptori, vel venditori, cui renunciatio obfuit. Pomponius tamen scribit: si emptor plus dederit, venditori propter renunciationem (quia condicere potest, quod plus dederit) agi cum mensore non posse, nihil enim emptoris interesse, cum posit condicere: nisi soluendo venditor non fuit. tunc. n. mensor tenebitur. sed si venditor maiorem modum trad iderit, fraudatus à mẽsore: consequenter dicit Pomponius non esse actionem aduersus mensorem: quia est ex vendito actio aduersus emptorem, nisi & hic emptor soluendo non sit, d. l. tertia. §. Competit autem.

Idem Pomponius scribit: si propter iudicium adhibitus mensor, fraudauerit me in renunciatione: teneri eum, si ob hoc de iudicio minus tuli. planè si ab iudice adhibitus contra me renunciauerit dolo malo: dubitat, an teneri mihi debeat. quod magis admittit, d. l. tertia. §. Idem Pomponius.

Hanc actionem hæredi, similibusque personis dandam Pomponius scribit, sed in hæredem, similesque personas denegandum ait. d. l. tertia, §. finali.

Hæc actio perpetua est: quia initium rei non ad circunscriptionem, sed à suscepto negocio originem accepit. ff. eod. l. quarta.

Si mensor non falsum modum renunciauerit, sed traxerit renunciationem: & ob hoc euenerit, vt venditor liberetur, qui ad signaturum, se modum intra certum diem promisit: hæc actio locum non habet, sed nec utilem dari debere, Pomponius ait, erit ergo ad actionem de dolo decurrendum, ff. eo. l. quinta. in prin.

Si cum falsus modus renunciatus esset, emptor cum venditore ex empto egisset: agere potuit, etiam cum mensore sed si nihil eius interest, condemnari mensorem non oportet. quod si non de toto modo, qui deerat, cùm venditore egerit, sed de minore: consequenter scribit Pomponius, de residuo cum mensore agi posse. d.l.quinta.§.si cùm.

Hoc iudicium latius prætor porrexit. nam, & si cuius alterius rei mensuram falsam renunciasse dicetur, hæc actio competit. proinde siue in ædificii mensura fefellit, vel frumenti, vel vini. Siue de itineris latitudine, siue seruitutum immittendi, proiiciendique quæratur: siue aream, vel tignum, vel lapidem metiendo mẽtitus fuerit. Vel cuius alterius rei; tenebitur. & si mensor machinarius fefellerit, hæc actio datur. nec non illud quoque Pomponius dicit etiam in eum, qui mensor non fuit: fefellit tamen in modo: Competere hanc actionem. hoc exemplo etiam aduersus architectum dari debet, qui fefellit. Nam, & Diuus Seuerus aduersus architectum, & redemptorem actiones dandas decreuit. ergo, & aduersus tabularium, actiones dantur, qui in computatione fefellit, d.l.quinta, §.finali, cum duabus seq.

Quia in obligationibus post Titulum de locato & conducto sequitur Titulus pro socio: ideo pariter in actionibus. post locationem et si mensor falsum modum dixerit qui Titulus est accessorius sequitur Titulus. DE ACTIONE PRO SOCIO.

DE ACTIONE PRO SOCIO.
Titulus XVIII.

VT sit pro socio actione societatem intercedere oportet. nec enim sufficit rem esse communem nisi societas intercedit, communiter autem res agi potest etiam citra societatem: vt puta cum non affectione societatis incidimus in communionem: vt euenit in re duobus legata. item si à duobus simul empta res erit: aut si hæreditas, vel donatio communiter nobis obuenit: aut si à duobus separatim emimus partes eorum, non socii futuri. Nam cum tractatu habito societas coita est, pro socio actio est, cum sine tractatu, in re ipsa, & negotio cõmuniter gestum videtur. Vt in conductionibus publicorum, item in emptionibus. nam qui nolunt inter se contendere solent per nuntium rem emere in commune. Quod à societate longe remotũ est. & ideo societate sine tutoris auctoritate coita, pupillus non tenetur: attamen communiter gesto tenetur, ff. pro socio, l. vt sit, 31. cum ll. seq.

Quibus casibus si quid forte vnus in eam rem impenderit, siue fructus, mercedesve vnus perceperit, vel deteriorem fecerit rẽ, non societatis iudicio locus est: sed inter cohæredes quidem familiæ hercescendę iuditio agitur, inter cęteros communi diuidundo. Inter eos quoque, quibus hæreditario iure communi res est, posse & communi diuidundo agi, ff. eod. l. quibus, 34.

Nemo potest societatem hæredi suo sic parere, ut ipse hæres socius sit. in hæredem autem socii proponitur actio, vt bonam fidem præstet. Et facti etiam culpam, quam is præstaret, in cuius locum succesit, licet socius non sit. Planè si hi, qui socii hęredes extiterint, animum inierint societatis in ea hęreditate, nouo consensu, quod postea gesserint, efficitur ut in pro socio actionem deducatur. ff. eo. l. Nemo. 35. cum ll. seq.

Hæres socii quamuis socius non est, tamen ea, quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem explicari debent. in quibus dolus eius admitti põt, ff. e. l. hęres. xl.

Pro

Pro socio arbiter prospicere debet cautionibus in futuro damno, vel lucro pendente ex ea societate. Quod Sabinus in omnibus bonæ fidei iudiciis existimauit: siue generalia sunt, ueluti pro socio, negotiorum gestorum tutelæ; siue specialia ueluti mandati, commodati depositi, ff. eod. l. pro socio, 38. in prin.

Si tecum societas mihi sit, & res ex societate communes, quam impensam in eos fecero, quosve fructus ex is rebus cœperis, uel pro socio, uel communi diuidundo me consecuturum: & altera actione alteram tolli Proculus ait. d. l. pro socio. §. finali.

Si quis à socio pœnam stipulatus sit, pro socio non aget, si tantundem in pœnam sit, quantum eius interfuit. Quod si ex stipulatu eam consecutus sit, postea pro socio agendo, hoc minus accipiet, pœnam ei in sortem imputata. ff. eod. l. si qs, xli. cum l. seq.

Si actum sit communi diuidundo, non tollitur pro socio actio: Quoniam pro socio, & nominum rationem habet, & adiudicationem non admittit. sed si postea pro socio agatur, hoc minus ex ea actione consequitur, quam ex prima actione consecutus est. ff. eod. l. si actum, 43.

Si Margarita tibi vendenda dedero, ut si ea decem uendidisses, redderes mihi decem, si pluris, quod excedit tu haberes, uidetur, si animo contrahendæ societatis id actum sit, pro socio esse actionem: si minus, perscriptis verbis, ff. eod. l. si margarita, 44.

Rei communis nomine cum socio pro furto agi potest, si per fallaciã, dolove malo amouit, uel rem communem celandi animo contrectet. sed, & pro socio actione obstrictus est, nec altera actio alteram tollet. idemque in omnibus bonæ fidei iudiciis dicendum est. Idem est, & in colono, & in eo, qui negotia gerit, & qui nostrum mandatum exequitur, & in tutore. Sed si ex causa furtiua condixero, cessaui pro socio actio, nisi si pluris mea intersit. Si damnum in re communi socius dedit, Aquilia teneri eum, & Celsus, & Iulianus, & Pomponius scribunt. Sed nihilominus & pro socio tenetur: sed actione pro socio consequitur, ut altera actione contentus esse debeat; quia vtraque actio ad rei persecutionem respicit. ff. eod. l. rei communis, cum in quatuor seq.

Merito ergo adiectum est, ita demum pro furto agi posse, si per fallaciam, & dolo malo amouit: quia cum sine dolo malo fecit, non tenetur, & sanè plerunque credendum est, eum qui partis dominus est, iure potius suo re vti, quã furti consilium inire. & ideo videbimus, an Fauia teneatur. & ratio quidem facit, ne teneatur. verum si plagium fecit, vel suppresisit, Fauia teneri, ff. eod. l. Merito, 51.

Cum duobus vicinis fundus coniunctus uenalis esset, alter ex is petit ab altero, vt eum fundum emeret: ita ut ea pars, quæ suo fundo iuncta esset, sibi crederetur. mox ipse eum fundum ignorante uicino emit quæritur, an aliquam actionem cum eo vicinus habeat. Iulianus scripsit, implicitam esse facti quæstionem. nam si hoc solum actum est, ut fundum Lucii Titii uicinus emeret, & mecum communicaret, aduersus me, qui emi, nullam actionem vicino competere. si vero id actum est, ut quasi commune negotium gereretur, societatis iudicio tenebor, ut tibi deducta parte, quam mandaueram, reliquas partes præstem, ff. eod. l. cum duobus, 52. in prin.

Venit autem in hoc iudicium pro socio bona fides. vtrum ergo tantum dolum, an etiam culpam præstare socium oporteat, quæritur. & Celsus lib. 7. digestorum ita scripsit, socios inter se dolum, & culpam præstare oportet. si in coeunda societate, inquit, artem, operamue pollicitus est alter, ueluti cum pecus in commu

ne

ne pascendum, ut agrum politori damnum in commune quærendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa præstanda est, precium enim operæ artis est, velamen tum. quod si rei communi socius nocuit. magis admittit culpam quoq; venire, ff. eo. l. cum duobus, 52. §. venit.

Damna quæ imprudentibus accidunt, hoc est damna fatalia, socii non cogentur præstare. ideoque si pecus æstimatum datum sit. & id latrocinio, aut incendo perierit, commune damnum est, si nihil dolo, aut culpa acciderit eius, qui æstimatum pecus acceperit. Quod si à furibus subreptum sit proprium eius detrimentum est: Quia custodiam præstare debuit, qui æstimatum accepit. hæc vera sunt. & pro socio erit actio, si modo societatis contrahendo causa pascenda data sunt, quamuis æstimata, d. l. cum duobus, §. damna.

Quidam sagariam negotiationem coierunt: alter ex his ad merces comparandas profectus in latrones incidit: suamque pecuniam, resque proprias perdidit: dicit Iulianus damnum esse commune. ideo actione pro socio damni partem dimidiam adgnoscere debere, tàm pecuniæ, quàm cæterarum rerum, quas secum non tulisset socius, nisi ad merces communi nomine comparandas proficisseretur, proinde & si naufragio, quid periit, cum non aliàs merces, quam naui solerent aduehi damnum ambo sentient. nam sicuti lucrum, ita damnum, quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contigit, d. l. cum duobus, §. quidam.

Cum duo erant argentarii socii, alter eorum aliquid separatim quæsierat, & lucri senserat. quærebatur, an commune esse lucrum oporteret, & Imperator Seuerus Flauio Felici in hæc verba rescripsit. etiam si maximè argentariæ societas inita est, quod quisque tamen socius non ex argentaria causa quæsiit, id ad communionem non pertinere, explorati iuris est. Papinianus quoque libro tertio responsorum ait, si fratres parentium indiuisas hæreditates ideo retinuerunt, vt emolumentum ac damnum in his commune sentirent, quod aliunde quæsierint, in commune redigetur, d. l. cum duobus, §. cum duo argent.

Item ex facto consultum respondisse se ait libro tertio responsorum, inter Flauium victorem, & Vellicum Asianum placuerat, vt locis emptis pecunia Victoris monumenta fierent opera & peritia Asiani: quibus distractis pecuniam Victor cum certa quantitate reciperet, superfluum Asianus acciperet, qui operam in societatem contulit. erit pro socio actio, d. l. cum duob. 52. §. item ex facto.

Societas non potest ultra mortem porigi. & ideo non poterit cognatum ulteriorem proximioribus præferre, d. l. cum duobus, §. idem respondit.

Socius qui cessantis, cessantiumve portiones insulæ restituerit, quamuis aut sortem cum interesse intra quatuor menses, postquam opus refectum erit, suscipere potest in exigendoque priuilegio vtetur, aut deinceps, propriam rem habebit. potest tamen & pro socio agere ad hoc, vt consequatur, quod sua intererat. finge enim male eum magis suum consequi, quàm dominium insulæ. oratio enim Diui Marci, idcirco quatuor mensibus finit certum interesse, quia post quatuor dominum dedit, d. l. cum duobus, §. idem respondit.

Si quis ad emendum coierit, deinde res alterius, dolo uel culpa empta non sit: pro socio esse actionem constat. Planè si conditio sit adiecta. SI INTRA ILLVM DIEM VENIERIT, & dies sine culpa socii præterierit: cessabit actio pro socio, ff. eo. l. cum duobus, 52. §. si quis.

Item si in communem riuum reficiendum impensa facta sit: pro socio esse actio-

nem ad recuperandum sumptum Casſius ſcribit, d.l. cum duob. §. item.

Item Mela ſcripſit: ſi vicini ſemipedes inter ſe contulerint, vt ibi craticium parietem inter ſe ædificarent ad onera ſuſtinenda. deinde ædificato pariete, alter in eum imitti non patiatur: pro ſocio agendum. itemque & ſi aream in commune emerint, ne luminibus ſuis efficeretur, & alteri tradita ſit, nec præſtet alteri, quod conuenit pro ſocio actionem eſſe, d.l. cum duobus, §. item mela.

Si plures ſint inter eoſdem ſocietates coitæ, ad omnes ſocietates ſufficere, hoc vnum iudicium conſtat, ff. eo. l. cum duobus, 52. §. ſi plures.

Si quis ex ſociis propter ſocietatem profectus ſit (veluti ad merces emendas) eos duntaxat ſumptus ſocietati imputabit, qui in eam rem impenſi ſunt. Viatica igitur & meritoriorum, & ſtabulorium & iumentorum: & carrulorum vecturas vel ſui, vel ſarcinarum ſuarum gratia, vel mercium rectè imputabit, ff. eo. l. cum duobus, 52. §. ſi quis.

Sociũ vniuerſa in ſocietatem conferre debere, Neratius ait, ſi omnium bonorum ſocius ſit. & ideo ob iniuriam ſibi factam, vel ex lege Aquilia, ſiue ipſius, ſiue filii corpori nocitum ſit, conferre debere reſpondit, ff. eo. l. cũ duob. 52. §. Sociũ.

Socius omnium bonorum non cogitur conferre, quæ ex prohibitis cauſis adquiſierit per contrarium quoq; apud veteres tractabatur, an ſocius omnium bonorum, ſi quid ob iniuriarum actionem damnatus præſtiterit, ex communi conſequatur, vt præſtet, & Attilicinus, Sabinus, Caſsius, reſponderunt, ſi iniuria iudicis damnatus ſit, conſecuturum. ſi ob maleficium ipſum tantum damnum ſentire debere, cui congruit. Quod Seruium reſpondiſſe. O filius refert. ſi ſocii bonorum omnium fuerint. deinde vnus cum non ad iudicium adeſſet, damnatus ſit: non debere eum de communi id conſequi. ſi vero præſens iniuriam iudicis paſſus ſit: de communi ſarciendum, d.l. cum duobus, §. fin.

Quod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæſitum eſt: in ſocietatem non oportere conferre, palàm eſt, planè ſi in medium collata ſint. commune erit lucrum. Quod enim ex maleficio contulit ſocius, nõ aliter recipere debet, quam ſi damnatus ſit, ff. eo. l. Quod autem, 53. cum l. ſeq.

Si igitur ex hoc conuentus fuerit, qui maleficium admiſit, id, quod contulit, aut ſolum, aut cum pœna auferet, ſi mihi proponas, inſciente ſocio, cum in ſocietatis rationem, hoc contuliſſe. Quod ſi ſciente, etiam pęnam ſocium agnoſcere oportet. ęquum eſt enim, vt cuius partiti pauerit lucrum & damnum participet. Nec quidquam intereſt, vtrum manente ſocietate præſtiterit ob furtum, an diſſoluta ea. idemque eſt in omnibus turpibus actionibus, veluti iniuriarum ui bonorum raptorum. & in omnibus pecuniis, quę ex publicis iudiciis accidunt, ff. eo. l. ſi igitur, 55. cum l. ſeq.

Nec prætermittendum eſſe, Pompon. ait, ita demum hoc eſſe verum, ſi honeſtæ & licitæ rei ſocietas coita ſit. Cæterum ſi maleficii ſocietas coita ſit, conſtat nullam eſſe ſocietatem, ff. eo. l. nec prætermittendum, 57.

Si id quod quis in ſocietatem contulit, extinctum ſit, videndum eſt, an pro ſocio agere poſſit. tractatum ita eſt, apud Celſum cum tres equos haberes, & ego vnum ſocietatem coimus, vt accepto equo meo, quadrigã venderes, & ex precio quartam mihi redderes. ſi igitur ante uenditionem equus meus mortuus ſit non putare ſe Celſus ait, ſocietatem manere, nec ex precio equorum tuorum partem deberi. non enim habendæ quadrigæ, ſed uendendæ coitam ſocietatem. Cæterum, ſi id actum dicatur, ut quadrigam fieret eaque commu-

communicaretur tuq; in ea tres partes haberes ego quartam: non dubie adhuc socii sumus, ff. eo. l. si id quod, 58. in prin.

Quod in alea, aut adulterio perdiderit socius: ex medio non est laturus. si quid vero dolo nostro socius damni cœpit à nobis repetet, ff. eodem, l. adeo, quinquagesimanona, §. finali.

Socium qui in eo, quod ex societate lucriferat reddendo moram adhibuit cum ea pecunia ipse vsus sit interesse, quoque præstare debet, sed non quasi inter-esse, sed quod socii intersit moram eum non adhibuisse, sed si aut vsus ea pecunia non sit, aut moram non fecerit contra erit. Item post mortem socii nulla talis æstimatio ex facto hæredis facienda est, quia morte socii dirimitur societas, ff. eo. l. socium, 60. in prin.

Si communis pecunia penes aliquem sociorum sit, & alicui sociorum, quid absit: cum solo eo agendum est, penes quem ea pecunia sit, qua deducta, de reliquo, quod cuique debeatur, omnes agere possunt, ff. eod. l. actione, 65. §. si communis pecunia.

Verum est, quod Sabino uidetur: etiam si non vniuersorum bonorum socii sint, sed unius rei: attamen in id, quod facere possunt, quod dolove malo fecerunt, quominus possint condemnari oportere. hoc enim summam rationem habet: cum societas ius quodammodo fraternitatis in se habeat, ff. eod. l. verum est, 63. in princip.

Videndum est, an fideiussori socii præstare id debeat: an vero personale beneficiũ sit. quod magis verum est. sed si hic fideiussor quasi defensor socii iudicium susceperit: proderit sibi. namque Iulianus libro septimo digestorum scribit defensorem socii, in id, quod socius facere non potest, condemnari oportere, d. l. verum, §. uidendum.

Exceptio hæc non præstatur hæredi socii, cæterisque successoribus, quia nec cæterorum hæredibus successoribusve, quos in id, quod facere possunt conuenimus id præstatur, d. l. verum, § Patri.

Id, quod facere potest socius, quemadmodum, æstimandum sit? & placuit non debere deduci, æs alienum, quod debetur à socio, & ita Marcellus scribit, nisi fortè (inquit) ex ipsa societate debeatur, Item videndum an cautio veniat in hoc iudicium, eius quod facere socius non possit: an scilicet, nuda promissio? quod dicendum est, d. l. verum, §. id quod.

Si cum tres socii essent, egerit cum uno ex sociis socius, & partem suam integram sit consecutus: Deinde alius socius cum eodem agat, & partem consequi integram non potuerit, quia facere solidum non potest: an is, qui minus consecutus est cum eo agere possit, qui solidum accepit ad communicandas partes inter eos, idest exequendas, quasi iniquum sit ex eadem societate, alium plus, aliũ minus consequi? sed magis est, vt pro socio actione consequi possit, vt utriusque portio exequetur, quæ sententia habet æquitatem, d. l. verum, §. si cum tres socii essent.

Tempus autem spectamus, quantum socius facere possit, rei iudicandæ. Hoc quoque facere posse, quisque videtur, quod dolo fecit, quominus possit. Nec enim æquum est dolum suum quemquam releuare. quod & in cęteris, qui in id, quod facere possunt conueniuntur accipiendum est. Si tamen non dolo, sed culpa sua ut facere posset desiit, dicendum est condemnari eum non debere, d. l. verum, §. tempus autem.

Illud quæritur, vtrum is demum facere videatur, quominus facere posſit, qui erogat bona ſua in fraudem futuræ actionis, an, & qui occaſione acquirendi non utitur: Sed verius eſt de eo ſentire proconſulem, qui erogat bona ſua: idque ex interdictis colligere poſſumus, in quibus ita eſt, QVOD DOLO FECISTI, VT DESINERES POSSIDERE, ff. eodem, l. nemo, 68 §. illud.

Si poſt diſtractam ſocietatem aliquid in rem communem impenderit Socius actione pro Socio, id non conſequitur: quia non eſt verum pro ſocio communiterve id geſtum eſſe: Sed communi diuidundo iudicio huius quoque rei ratio habebitur. Nam & ſi diſtracta eſt ſocietas, nihilominus diuiſio rerum ſupereſt, ff. eod. l. actione, 65. ſi poſt.

Si quid vnus ex ſociis neceſſario de ſuo impenderit in commune negotium: iudicio ſocietatis ſeruabit, & intereſſe: ſi forte mutuatus pecuniam intereſſe dedit, ſed & ſi ſuam pecuniam dedit, non ſine cauſa dicetur, quod intereſſe quoque percipere debeat, quod poſsit habere, ſi alii mutuum dediſſet, ff. eodem, l. ſi vnus, 68. §. penul.

Si vnus ex ſociis rem communem vendiderit conſenſu ſociorum pretium diuidi debet, ita ut ei caueat indemnem eum futurum, quod ſi iam damnum paſſus eſt, hoc ei præſtabitur. Sed ſi pretium communicatum ſit, ſine cautione, & aliquid præſtiterit is, qui vendidit, an ſi non omnes ſocii ſoluendo ſint: quod à quibuſdam ſeruari non poteſt, à cæteris debeat referre? Sed proculus putat hoc ad cæterorum onus pertinere, quid ab aliquibus ſeruari non poteſt: ratio neque id defendi poſſe: quoniam cum ſocietas contrahitur, tam lucri, quàm damni communio initur, ff. eo. l. ſi vnus, 67. in princ.

Si vnus ex ſociis, qui non totorum bonorum ſocii erant, pecuniam mutuo dediſſet, & intereſſe percipiſſet, ita demum intereſſe partiri debent ſi ſocietatis nomine mutuauerit pro honeſto lucro recipiendo. Nam ſi ſuo nomine quoniam ſortis periculum ad eum pertinuit intereſſe ipſe retinebit, d. l. ſi vnus, §. ſi unus ex ſociis.

Cum ſocietas ad emendum caretur, & conueniret, vt vnus reliquis nundinas, id eſt epulus præſtaret eosque adnego. Dimitteret ſi eas eis non ſoluerit, & pro ſocio, & ex vendito cum eo agendum eſt, ff. eodem, l. cum ſocietas, ſexageſimanona.

Duo ſocietatem coierunt, vt gramaticam docerent, & quod ex eo artificio quæſtus feciſſent, commune eorum eſſet de ea re, quæ voluerunt fieri, in pacto conuento ſocietatis præſcripſerunt. Deinde inter ſe his verbis ſtipulati ſunt: HAC QVAE SVPRASCRIPTA SVNT EA, ITA DARI FIERI, NEQVE ADVERSVS EA FIERI? SI EA ITA DATA FACTA NON ERVNT, TVM VIGINTI MILIA DARI? quæritur an ſi quid contra factum eſſet ſocietatis actione agi poſſet? Reſpondit Paulus, ſi quidem pacto conuento inter eos ſocietate facto, ita ſtipulati eſſent, HAEC ITA DARI FIERI SPONDES futurum fuiſſe, vt ſi nouationis cauſa, id feciſſent, pro ſocio agi non poſſet, ſed tota res in ſtipulationem translata uideretur: ſed quoniam non ita eſſent ſtipulati EA ITA DARI FIERI SPONDES, reſpondes, ſed SI EA FACTA NON ESSENT DECEM DARI, non uideri rem in ſtipulationem perueniſſe, ſed duntaxat pœnam. Non enim vtriuſque rei promiſ-

ſorem

forem obligari, vt ea daret, faceret, & si non fecisset, pœnam sufferret, & ideo societatis iudicio agi posse, ff. eo. l. duo societatem, 71.

Socius socio etiam nomine culpæ tenetur, idest desidiæ, atque negligentiæ, culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est. sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet, quia qui parum diligentem sibi socium acquirit, de se quæri debet, ff. eodem, l. Socius, 72.

Si quis societatem contraxerit, quod emit, ipsius fit non commune, sed societatis iudicio cogitur rem communicare, ff. eo. l. si quis, 74.

Si vnus ex Sociis, maritus sit, & distrahatur societas manente matrimonio: Dotem præcipere maritus debet, quia apud eum esse debet, qui onera sustinet. quòd si iam dissoluto matrimonio societas distrahatur, eadem die recipienda dos est, qua & solui debet, quod si eo tempore, quo dissoluitur societas, in ea causa dos sit, vt certum sit eam, vel partem eius reddi non oportere, diuidere eam inter Socios iudex debet, ff. eo. l. actione, 65. §. fin. cum l. seq.

Si Socius pro filia dotem promisit, & priusquam solueret hærede ea relicta decessit, quæ post ea, quàm cum marito de exigenda dote egit, accepto liberata est, quæsitum est, an si pro socio ageret dotis quantitatem percipere deberet, si fortè conuenisset inter socios, vt de communi dos constitueretur. Dixit Papinianus pactum non esse iniquum, vtique si non de alterius tamen filia conuenerit. Nam si commune hoc pactum fuit nō interesse, quod alter solus filiam habuit, alter non habuit. Cæterum si numeratam dotem pater defuncta in matrimonio filia recuperasset, reddi pecunia societati debuisset: pacto ex æquitate sic interpretato. Quod si salua societate matrimonium solutum foret, cum sua causa dotem recuperari, scilicet ut ea alii marito dari possit. Nec si prior maritus facere non possit. Denuo de societate constituendam dotem: nisi nominatim ita conuenisset. Verum in proposito largiter interesse videbatur, dos numerata esset, an vero promissa. Nam si filia datam dotem posteaquam patri hæres extitit à viro suo recepisset, non esse referendam pecuniam societati, quàm mulier habitura fuit, & si alius hæres extitisset. Quod si accepto à marito liberata esset, nequaquam imputari posse societati non solutam pecuniam, ff. eod. l. si socius, lxxxi.

Quoties iussu alicuius, vel cum filio eius, vel cum extraneo societas coitur, directo cum illo agi potest cuius persona in contrahenda societate spectata est, ff. eod. l. quotiens finali.

In hæredem quoque socii pro socio actio competit, quamuis hæres socii non sit: licet enim socius non sit, attamen emolumenti successor est, & circa societates vectigalium cæterorumq; idem obseruamus, vt licet hæres socius non sit, nisi fuerit accitus: veruntamen etiam omne emolumentum societatis ad eum pertineat, simili modo, & damnum agnoscat: siue quod uiuo adhuc socio vectigalis contigit, siue post ea, quod non similiter in uoluntaria societate obseruatur, ff. eo. l. vnum est, 63. §. in hæredem.

Nonnunquam necessarium est, & manente societate agi pro socio: veluti cum societas vectigalium causa coita est, propterquam varios contractus neutri expedit recedere à societate, nec refertur in medium, quod vectigalium ad alterum peruenerit, ff. eo. l. actione, 65. §. nonnunquàm.

Cùm proponas te prædium coniuncto dominio cum cognato tuo comparasse in possesionemq;, tàm te, quàm ipsum inductum: iuris ratio efficit, vt dominiū

fundi, ad vtrunq; pertineat, sanè quia pretium à te solo numeratum, & solennibus pensitationibus cessante socio satisfactum esse dicis: iudicio societatis id, quod eo nomine præstari oportuerit consequeris, C. pro socio, l. secunda.

Cùm in societatis contractibus fides exuberet, conueniatq; æquitatis rationibus etiam compendia, æqualiter inter socios diuidi præses prouinciæ si patrem tuũ salinarum societatem participasse, & non recepta communis compendii portione rebus humanis exemptum esse perspexerit: commodum societatis, quod deberi iuxta fidem veri constiterit restitui tibi præcipiet, C. eo. l. tertia.

Quia obligatio MANDATI, vltima est in obligationibus, EX CONSENSU; Ideo & actio MANDATI, vltima est in actionibus personalibus, ex contractu.

DE ACTIONE MANDATI.
Titulus XIX.

SI remunerandi gratia honor interuenit, erit mandati actio, ff. manda. l. sexta, in princip.

Si cui fuerit mandatum, vt negocia administraret; hac actione erit conueniẽdus, nec rectè negociorum gestorum cum eo agetur. nec enim ideo est obligatus, quod negocia gessit: verum idcirco, quod mandatum suscepit, deniq; teneretur, & si non gessisset, d. l. sexta, § si cui.

Si passus sim aliquem pro me fideiubere, vel aliàs interuenire mandati teneor. & nisi pro inuito quis intercesserit, aut donandi animo, aut negocium gerens: erit mandati actio, d. l. sexta, §. si passus sim.

Rei turpis mandatum nullum est, & ideo hac actione non agetur, d. l. sexta, §. rei.

Si tibi mandauero, quòd mea non intereat: veluti vt pro Seio interuenias, vel vt Titio credas: erit mihi tecum actio mandati, vt Celsus scribit, & ego tibi sum obligatus. Planè si tibi mandauero, quod tua intereraт: nulla erit mandati actio nisi mea quoq; interfuerit. at si non esses facturus, nisi ego mandassem: & si mea non interfuit, tamen erit mandati actio, d. l. sexta, §. si tibi mandauero.

Marius Paulus quidam fideiusserat pro Daphnide mercedem pactus ob suam fideiussionem, & sub nomine alterius ex euentu litis cauerat sibi certam quantitatem dari. hic à Claudio Saturnino p̃tore maiores fructus inferre iussus erat. aduocationibus ei, idem Saturninus interdixerat. videbatur autem iudicatum solui fideiussisse. & quasi redemptor litis extitisse: & velle à Daphnide mandati iudicio consequi, quod erat condemnatus. sed rectissimè diui fratres rescripserunt, nullam actionem eum propter suam calliditatem habere, quia mercede pacta accesserat ad talem redemptionem. Marcellus autem sic loquitur de eo, qui pecunia accepta spopõdit, vt siquidem actum est, vt suo periculo spondeat, nulla actione agat. Sin vero non est hoc actum vtilis ei potius actio competat, quæ sententia vtilitati rerum consentanea est, d. l. sexta, §. fin.

Salarium procuratori constitutum, si extra ordinem peti cœperit: considerãdum erit, an laborem dominus remunerare voluerit, atque ideò fidem adhiberi placitis oporteat: an in euentum litium maioris pecuniæ premio contra bonos mores procurator redemerit? ff. eod. l. septima.

Salarium incertæ pollicitationis neque extra ordinem rectè petitur, neque iudicio mandati, ut constituatur. Sumptus bona fide necessariò factos, (& si negocio finem adhibere procurator non potuit) iudicio mandati restitui necesse est. ff. eod. l. qui mutuam, 56. §. finali.

Si procuratorem dedero, nec instrumenta mihi causæ reddat: qua actione mihi teneatur? & Labeo putat mandati eum teneri: nec esse probabilem sententiã existimantium ex hac causa agi posse depositi. vniuscuiusque enim contractus, & initium spectandum esse, & causam, ff. eod. l. octaua. in prin.

Sed & si per collusionem procuratoris absolutus sit aduersarius; mandati is tenetur. sed si soluendo non sit, tunc de dolo actio aduersus reum, qui per collusionem absolutus sit, danda est. Sed & de lite, quam suscepit, exsequenda mandati eum teneri constat. d. l. octaua. §. sed & si.

Si quis mandauerit alicui gerenda negocia eius, qui ipse sibi mandauerat: mandati habebit actionem: quia & ipse tenetur. tenetur autem, quia agere potest. quamquam enim vulgo dicitur, procuratorem ante litem contestatam facere procuratorem non posse: tamen mandati actio est: ad agendum enim duntaxat hoc facere non potest. d. l. octaua, §. si quis.

Si tutores, mandauerint suo contutori equum emendum pupillo, & ille non emerit: an sit mandati actio? & vtrum tantum mandati an vero & tutelæ? & Iulianus distinguit, referre enim cuius generis equum tutores vni tutorum mandauerint, ut emeret. nam si superuacuum equum, vel etiam onerosum: mandati actione tantum eum teneri, tutelæ non teneri. si vero necessarium equum: tunc & tutelæ eum teneri, non solum, sed & cæteros. nam & si non mandassent: tenerentur tutelæ, cum equum pupillo necessarium non comparauerint. non sunt igitur excusati, quod contutori mandauerint, quia emere debuerunt. Planè habebunt nihilominus mandati actionem: quia mandato non est obtemperatum Contra quoque Iulianus ait: tutorem, qui emit, mandati actionem habere aduersus contutores suos. d. l. octaua. §. si tutores.

Mandati actio tunc competit cum cæperit interesse eius, qui mandauit. Cæterũ si nihil interest, cessat mandati actio. & eatenus competit, quatenus interest, vt mandaui tibi, vt fundum emeres, si intererat mea emi: teneberis: cæterum si eundem hunc fundum ego ipse emi, vel alius mihi, neque interest aliquid: cessat mandati actio. Mandaui, vt negocia gereres, si nihil deperierit, (quamuis nemo gesserit) nulla actio est aut si alius idoneè gesserit: Cessat mandati actio, & in similibus hoc idem erit probandum. d. l. octaua. §. mandati actio.

Si ignorantes fideiussores debitorem soluisse, vel etiam acceptilatione, siue pacto liberatum, ex substantia debitoris soluerunt: non tenebuntur mandati, quid ad actionem fideiussoris pertinet: & hoc ex rescripto diuorum fratrum intelligere licet, cuius verba hæc sunt. IMPP. ANTON. ET VERVS AA, CATTVLLIO Iuliano. si hi, qui pro te fideiusserant in maiorem quantitatem damnati, quam debiti ratio exigebat, scientes, & prudentes auxilium appellationis omiserunt: poteris, mandati agentibus his, æquitate iudicis tueri te. Igitur si ignorauerunt, excusata ignorantia est: si sciuerunt, incumbebat eis necessitas prouocandi. cæterum dolo uersati sunt, si non prouocauerunt quid tamen si paupertas eis non non permisit? excusata est earum inopia. Sed & si testato conuenerunt debitorem, ut si ipse putaret, appellaret putat Vulpianus rationem eis constare. Dolo autem facere uidetur, qui id, quod potest restituere, non restituit. Proinde si tibi mandaui, ut equum emeres, eumque emisti: teneberis mihi, vt restituas. sed & si dolo emere neglexisti, fortè enim pecunia accepta alii cessisti, vt emeret: aut si lata culpa, fortè si gratia ductus, passus es alium emere, teneberis. d. l. octaua, §. si ignorantes.

Idemque & in fundo, si fundum emit procurator, nihil enim amplius, quam bo-

nam fidem præstare eum oportet, qui procurat. sed, & si de sanitate equi procuratori cautum est, aut caueri potest, aut de cæteris viciis: idem erit dicendum: at si culpa caueri non curauit, condemnabitur, ff. eod. l. idemque, x. in prin.

Si ex fundo, quem mihi emit, procurator fructus consecutus est: hos quoque officio iudicis præstare eum oportet, d. l idemque, §. si ex fundo.

Si procurator meus pecuniam meam habeat ex mora, vtique interesse mihi pendet, sed & si pecuniam meam mercatori dedit, vtilitatemque ex ea consecutus est: Consequenter dicemus debere eum præstare quantuncunque emolumenti sensit: siue ei mandaui, siue non: quia bonæ fidei hoc congruit, ne de alieno lucrum sentiat, quod si non exercuit pecuniam, sed ad vsus suos conuertit, in interesse conuenietur, quod legitimo modo in regionibus frequentatur, d. l. idē que, §. si procurator.

Si quis Titio mandauit, vt ab actoribus suis mutuam pecuniam acciperet: mandati eum non acturum Papinianus scribit: quia de mutua pecunia eum habet obligatum, & ideo interesse eum petere non posse, quasi ex causa mandati, si in stipulationem deductum non est. Idem Papinianus refert: fideiussori condemnato, qui ideo fideiusit, quia dominus procuratori mandauerat, vt pecuniam mutuum acciperet: vtilem actionem dandam quasi institoriam: quia, & hic quasi præposuisse eum mutuæ pecuniæ accipiendæ videatur. d. l. Idemque, §. si quis Titio mandauit.

Si cui mandauero, vt à Titio stipuletur: potero cum eo, cui mandaui, agere mandati, vt eum accepto liberet, si hoc velim, vel si malim, in hoc agam, vt eum deleget mihi, vel cui alii voluero. Et Papinianus scribit, si mater pro filia dotem dederit, eaque mandante filia, vel illico stipulata sit, vel etiam postea: mandati eam teneri, quamuis ipsa sit, quæ dotem dederit, d. l. Idemque, §. si cui mandauero.

Si quis ea, quæ procurator suus gerebat, ita demum rata esse mandauit, si interuentu sempronii gesta essent: & male pecunia credita sit: sempronium, qui nihil dolo fecit, non teneri, & est verum: eum, qui non animo procuratoris interuenit, sed affectionem amicalem promisit in monendis procuratoribus, & in regendis consilio: mandati non teneri. sed si quid dolo fecerit non mandati, sed magis de dolo teneri, d. l. idemque, §. si quis.

Si mandauero procuratori meo, vt Titio pecuniam meam credat sine interesse, isque non sine interesse crediderit: an etiam interesse mihi restituere debeat, videamus, & Labeo scribit. restituere eum oportere, etiam si hoc mandauerim, vt gratuitam pecuniam daret, quamuis si periculo suo credidisset, cessaret; (inquit Labeo) in interesse actio mandati. d. l. idemque, §. si mandauero.

Idem Labeo ait, & verum est, reputationes quoque hoc iudicium admittere: & sicuti fructus cogitur restituere is, qui procurat: ita sumptum, quem in fructus percipiendo fecit, deducere eum oportet. sed & si ad vecturas suas dum excurrit in prædia, sumptus fecit: hos quoque sumptus reputare eum oportet, nisi si salarium fuit, & hoc conuenit, vt sumptus de suo faceret ad hæc itinera. d. l. idēque, §. idem Labeo.

Idem ait. si quid procurator citra mandatum ad voluptatem fecit, permittendum ei auferre, quod sine damno domini fiat: nisi rationem sumptus istius, dominus admittit, d. l. idemque, §. idem ait.

Fideiussores, & mandatores, & si sine iudicio soluerint: habent actionem mandati, d. l. idemque. §. fideiussores.

Generaliter Iulianus ait, si fideiussor ex sua persona omiserit exceptionem, qua

reus

reus uti non potuit, si quidem minus honestam: habere eum mandati actionẽ. Quod si eam, qua reus vti potuit, si sciens id fecit, non habiturum mandati actionem, si modo habuit facultatem rei conueniendi, desiderandique, vt ipse susciperet potius iudicium, vel suo, vel procuratorio nomine, d. l. Idemque, §. generaliter.

Si fideiussori donationis causa accepto factum sit à creditore: puta si fideiussorem remunerare voluit creditor: habere eum mandati actionem. Multò magis si mortis causa accepto tulisset creditor, vel si ei liberationem legauit, d.l. idemque.§.finali.

Si ei, cui damnatus ex causa fideiussoria fueram, hæres postea exstitero: habebo mandati actionem, ff. eod. l. si ei, xi.

Si verò non remunerandi causa, sed principaliter donando, fideiussori remisit actionem mandati eum non acturum, Marcellus autem fatetur: si quis donaturus fideiussori pro eo soluerit creditori: habere fideiussorem mandati actionẽ. planè (inquit) si filius fam. fuit fideiussor, & pro eo soluero, donaturus ei mandati patrem non acturum. hoc ideo: quia nõ donare patri voluit, qui soluit. planè si fideiussor soluerit, dominum mandati acturum. idem Marcellus ibidem ait, si filiusfam. non iussu patris fideiusserit, cessat mandati actio, si nihil sit in peculio, quod si iussu, vel ex peculio solutum est, multo magis habet pater mandati, ff. eod. l. si vero, xii. in principio.

Si filiofamilias mandaui, vt pro me solueret, patrem siue ipse soluerit (siue filius ex peculio) mandati acturum Neratius ait, quod habet rationem, nihil enim mea interest, quis soluat. d.l. si vero.§. si filiofamilias.

Si filiofam. mandauero, vt pro me soluat, & emancipatus soluerit, verum est in factum actionem filio dandam, patrem autem post emancipationem soluentem negociorum gestorum actionem habere. d.l. si uero, §. si filiofam. ii.

Contrario iudicio experiuntur, qui mandatum susceperunt, vt puta qui rerum, vel rei unius procurationem susceperunt. d l. si uerò. §. contrario.

Potest, & ab una duntaxat parte mandati iudicium dari. nam si is, qui mandatum suscepit, egressus fuerit mandatum, ipsi quidem mandati iudicium non competit, & ei, qui mandauit, aduersus eum competit. ff. eod. l. potest, 41.

Si mihi mandaueris, ut rem tibi aliquam emam, egoque emero meo pretio, habebo mandati actionem de precio recuperando. sed & si tuo precio, impendere tamen aliquid bona fide ad emptionem rei, erit contraria mandati actio, & si rem emptam nolis recipere. simili modo & si quid aliud mandaueris, & in id sumptum fecero, non tantum id, quod impendi, uerum interesse quoque consequar. interesse autem non tantum ex mora admittendum est, uerum iudicem æstimare debere, si exigit à debitore suo quis, & soluit, cum maximum interesse consequeretur. Aequissimum enim erit rationem eius rei haberi, aut si ipse mutuatus graui interesse soluit. sed & si reum interesse non reuelauit, ipsi autẽ, & interesse abest, uel si minoribus reuelauit, ipse autem maioribus fænus accepit, ut fidem suam liberaret, non dubitatur, debere eum mandati iudicio, & interesse consequi, & (ut est constitutum) totum hoc ex æquo & bono iudex arbitratur. d.l. si uero. xii. §. si mihi.

Dedi tibi pecuniam, ut creditori meo exsoluas, non fecisti, præstabis mihi interesse, quo casu & à me creditor pecuniam debitam cum interesse recepturus est, & ita Imperator Seuerus Hadriano demonstrato rescripsit, d. l. si uero, xii. §. dedi tibi.

Si adolescens luxuriosus mandet tibi, vt pro meretrice fideiubeas, idque tu sciens mandatum susceperis non habebis mandati actionem: quia simile est, quasi perdituro pecuniam sciens credideris, sed, & si vlterius directò mandauerit tibi, ut meretrici pecuniam credas: non obligabitur mandati, quasi aduersus bonam fidem mandatum sit, d.l. si vero. §. si adolescens.

Cùm quidam talem epistolam scripsisset amico suo. Rogo te, commendatum habeas Sextilium crescentem amicum meum, non obligabitur mandati: quia cõmendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est. d. l. si vero. §. cum quidam.

Si quis mandauerit filiofam. credendam pecuniam non contra Senatusconsultũ accipienti, sed ex ea causa, ex qua de peculio vel de in rem verso, vel quod iussu pater teneretur: erit licitum mandatum, d.l. si vero, §. si quis.

Hoc amplius dicitur, si cum ego dubitarem vtrum contra Senatusconsultum acciperet an non, nec essem daturus contra Senatusconsultum accipientis: & intercesserit, qui diceret non accipere cõtra Senatusconsultum. & periculo meo crede dicat, vel bene credis, locus erit mandato, & mandati is tenetur, d.l. si vero, §. hoc amplius.

Si post creditam pecuniam mandauero creditori, nullum esse mandatum rectissimè Papinianus ait, planè si vt expectares, nec vrgeres debitorem ad solutionem: mandauero tibi, vt des ei interuallum, periculoque meo pecuniam forè dicam: verum est omne nominis periculum debere ad mandatorem pertinere. d. l. si vero, §. si post.

Idem ait si tutor mandet suscipi, vel probari nomen, quod fecerit: teneri eum mãdati, scilicet quondam pupillo suo, vel curatori eius, d. l. si vero, §. idem ait.

Si mandauero exigendam pecuniam, deinde voluntatem mutua vero: an sit mandati actio, vel mihi, vel hæredi meo? & ait Marcellus, cessare mandati actionem: quia extinctum est mandatum, finita voluntate. quod si mandaueris exigendã, deinde prohibuisti, exactamque recepisti: debitor liberabitur. d. l. si vero, §. si mandauero.

Idem Marcellus scribit. sicut post mortem sibi monumentum fieret, quis mandauit: hæres eius poterit mandati agere, vt perficiatur. Illum verò, qui mandatum suscepit, si sua pecunia fecit, potest agere mandati: si non ita ei mandatum est, vt sua pecunia faceret monumentum: poterit enim agere etiam cum eo, qui mãdauit, vt sibi pecuniam daret. ad faciendum: maxime si cùm quædam ad faciendum parauit. Idem est, & si mandaui tibi, vt post mortem meam hæredibus emeres fundum. d. l. si verò, § finali. cum l. seq.

Si mandassem tibi, vt fundum emeres: postea scripsissem, ne emeres: tu antequam scias me vetuisse, emisses: mandati tibi obligatus ero, ne damno adficiaturis, qui mandatum suscepit, ff. eod. l. si mandassem, xv.

Hæredem fideiussoris, si soluerit, habere mandati actionem, dubium non est, sed & si vendiderit hæreditatem, & emptor soluerit: an habeat mandati actionem, quæritur? & Iulianus scribit, idcirco hæredem habere mandati actionem: quia tenetur iudicio ex empto, ut præstet actiones suas: idcircoque competere ex empto actionem, quia potest præstare, ff. eod. l. hæredem, xiiii. in princ.

Si fideiussori duos hæredes exstiterint, & alter eorum à cohærede emerit hæreditatem: deinde omne, quod defunctus, fideiusserat stipulatori soluerit: habebit aut ex stipulatu, aut ex empto obligatum cohæredem suum, idcirco (ait) mandati actionem habebit, d. l. hæredem, §. fin.

Si quis mihi mandauerit, in meo aliquid facere, & fecero, quæsitum est an sit mandati actio: & ait Celsus, hoc respondisse se, cum Aurelius Quietus Hospiti suo Medico mandasse diceretur, vt in hortis eius, quos Rauennæ habebat, in quos omnibus annis se cedere solebat, Sphæristerium, & hypocausta, & quædam alia ipsius valetudini apta, sua impensa faceret. deducto igitur quanto sua ædificia preciosiora fecisset: quod amplius impendisset, posse eum mandati iudicio persequi, ff. eod. l. si quis, 16.

Si mandauero tibi, ut à Titio decem exigeres, & ante ea exacta, mandati tecum egero: si ante rem iudicatam exegeris, condemnandum et esse constat, ff. eod. l. si mandauero, 17.

Ex mandato apud eum, qui mandatum suscepit, nihil remanere oportet: sicuti nec damnum pati debet, si exigere pecuniam non potuit, ff. eod. l. ex mandatu, xx. in principio.

Cum mandatu alieno pro te fideiusserim, non possum aduersus te habere actionē mandati: quemadmodum nec qui alienum mandatum intuitus spopondit, sed si non vtique vnius, sed vtriusque mandatum intuitus, id fecerim: habeo mandati actionem etiam aduersus te: quemadmodum, & si duo mihi mandassent, vt tibi crederem vtrumque haberem obligatum, ff. eodem. l. cum mandatu. xxi.

Si mandauero tibi, vt pro me in diem fideiubeas, tuque purè fideiusseris, & solueris: vt illis respondebitur, interim non esse tibi mādati actionem, sed cum dies venerit. ff. eod. l. si mandauero. 22. in prin.

Item tractatum est, si cum in diem deberem, mandatu meo in diem fideiusseris, & ante diem solueris: an statim habeas mandati actionem? & quidam putant, præsentem quidem esse mandati actionem: sed tanto minorem, quanti mea interest: superueniente die solutum fuisse. sed melius est dici, interim nec huius summæ mandati agi posse: quoniam nonnullum adhuc commodum meum sit: vt ne hoc ante diem soluam, d. l. si mandauero, §. item tractatum.

Interdum euenit, vt meum negocium geram, & tamen vtilem habeā mādati actionem: veluti cum debitor meus periculo suo debitorem suum mihi delegat, aut cum rogatu fideiussoris cum reo experior. nam quamuis debitum meum persequar: nihilominus & illius negocium gero. igitur quod minus seruauero, cōsequar mandati actione. d. l. si mandauero, §. interdum.

Is, cuius bona publicata sunt, mandare alicui potest, vt ea emat, & si emerit, vtilis erit mandati actio, si non præstet fidem. quod ideo receptum est, quia publicatis bonis, quidquid postea adquiritur, non sequitur fiscum. d. l. si mandauero, §. is cuius.

Si tibi centum dedero, vt ea Titio dares, tuque non dederis, sed cum sumpseris, & mandati, & pro furto teneri te, Proculus ait, at si ita dederim, vt quæ velles, dares: mandati tantummodo, d l. si mandauero, §. si tibi.

Si curator bonorum venditionem quidem fecerit pecuniam aūt creditoribus nō soluerit: Trebatius Offilius Labeo responderunt: his, qui præsentes fuerunt, cōpetere aduersus eum mandati actionem, his autem, qui absentes fuerunt, negociorum gestorum actionem esse. atquin si præsentium mandatum exsecutus id egerit: negociorum gestorum actio absentibus non est: nisi fortè aduersus eos, qui mandauerunt curatori, tanquam si negocia absentium gesserint, quod si, cū soli creditores se esse existimaret, id mandauerint. in factum actio absentibus danda est in eos, qui mandauerunt, d. l. si mandauero, §. si curator.

Si

Si is, qui fideiussori donare uult, creditorem eius habeat debitorem suum, eũque liberauerit, continuò aget fideiussor mãdati, quatenus nihil intersit, vtrum numos soluerit creditori, an eum liberauerit. Præterea sciendum est non plus fideiussorem consequi debere mandati iudicio quam soluerit. mandatu tuo fideiussi in decem, & procuratori creditoris solui. Si uerus procurator fuit, non est: repetam ab eo. d. l. inter causas, 26. §. si is, qui.

Si quis alicui scripserit, ut debitorem suum liberet, se que eam pecuniam, quam is debuit, solutionem: mandati actione tenetur, ff. eod. l. si quis, 27. in princ.

Si mandatu meo Titio credideris, & mecum mandati egeris: non aliter condemnari debeo, quam si actiones tuas, quas aduersus Titium habes, mihi præstiteris, sed si cum Titio egeris: ego quidem non liberabor: sed in id duntaxat tibi obligatus ero, quod à Titio seruare non poteris, d. l. si quis, §. finali.

Si fideiussor conuentus, cum ignoraret, nõ fuisse debitori numeratam pecuniam, soluerit ex causa fideiussionis: an mandati iudicio, persequi possit, id quod soluerit, quæritur? & si quidem sciens prætermiserit exceptionem, uel doli, uel nõ numeratæ pecuniæ, uidetur dolo uersari. dissoluta enim negligentia propè dolum est. Vbi uerò ignorauit: nihil est, quod ei imputetur, pari ratione, & si aliqua exceptio debitori competebat (pacti fortè conuenti, uel cuius alterius rei) & ignarus hanc exceptionem non exercebat: dici oportet, mandati ei actionẽ competere. potuit enim, atque debuit reus promittendi certiorare, fideiussorẽ suum, ne forte ignarus soluat indebitum, ff. eod. l. si fideiussor. 29. in prin.

Non malè tractabitur: si cum ignoraret fideiussor, inutiliter se obligatum, soluerit an mandati actionem habeat, & si quidem factum ignorauit: recipi ignorantia eius potest. Si uero ius: aliud dici debet. Si cum debitor soluisset, ignarus fideiussor soluerit: is mandati habet actionem. ignoscendum enim est, si non diuinauit, debitorem soluisse. debitor enim debuit notum facere fideiussori, iam se soluisse, ne fortè creditor obrepat, & ignorantiam eius circumueniat, & excutiat ei summam, in quam fideiussit. Hoc idem tractari. & in fideiussore potest: si cum soluisset, non certiorauit reum: & sic deinde reus soluit, quod soluere eũ non oportebat. & si cum posset certiorare, non fecit; oportet mandati agẽtem fideiussorem repelli. dolo enim proximum est, si post solutionem non nunciauerit debitori. cedere autem reus indebiti actionem fideiussori debet, ne duplum consequatur creditor. d. l. si fideiussor. §. non malè tractabitur.

Quædã tamen, & si sciens omittat fideiussor, caret fraude, ut puta si exceptionem procuratoriam omisit, siue sciens, siue gnarus. de bona enim fide agitur, cui nõ congruit de apicibus uiris disputare, sed de hoc tantum, debitor fuerit, nec ne d. l. si fideiussor. §. quædam.

In omnibus autem uisionibus, quæ præpositæ sunt, ubi creditor, uel non numeratam pecuniam, uel numeratam iterum accepit, repetitio contra eam competit nisi ex condemnatione fuerit ei pecunia soluta. tunc enim propter authoritatem rei iudicatæ repetitio quidem cessat. ipse autem stellionatus crimine propter suam calliditatem plectetur, d. l. si fideiussor. § . in omnibus.

Fideiussor, si solus tempore liberatus, tamen soluerit creditori, recte mandati habebit actionem aduersus reum. quamquam enim iam literatus soluit, tamen fidem impleuit, & debitorem liberauit. si igitur paratus sit defendere reum aduersus creditorem, æquissimum est, mandati iudicio eum, quod soluit, recuperare, & ita Iuliano uidetur, d. l. si fideiussor. §. finali.

Si fideiussor multiplicauerit summam in quam fideiussit, sumptibus ex iusta ratione

tione factis: totam eam præstabit is, pro quo fideiussit, ff. eod. l. si mandatu, 45. §. si fideiussor.

Qui negocia Lucii Titii procurabat, is cum à debitoribus eius pecuniam exegisset, epistolam ad eum misit: qua significaret, certam summam ex administratione apud se esse, eamque creditam sibi, se debiturum cum interesse legitimo quæsitum est, an ex ea causa pecunia credita peti posfit: & an interesse peti posfint? Respondit non esse creditam. alioquin dicendum. ex omni contractu nuda pactione pecuniam creditam fieri posse. nec huic simile esse, quod si pecuniam apud te depositam conuenerit, vt creditam habeas, credita fiat: quia tunc numi, qui mei erant, tui fiant, item quod si à debitore meo iussero te accipere pecuniam, credita fiat: id enim benignè receptum est. his argumento est is, qui cum mutuam pecuniam dare vellet argentum vendendum dedisset, nihilomagis pecuniam creditam rectè petiturus est: & tamen pecuniam ex argento redactam, periculo eius erit, qui accepisset argentum. In proposito igitur dicendum, actione mandati obligatum fore procuratorem: vt quamuis ipsius periculo numi fuerint, tamen interesse, de quo conuenerit, præstare debeat, ff. eodem, lege negocia, xxxiiii.

Cùm hæres ex parte esses, mandaui, vt prædium hæreditarium mihi emeres certo precio emisti. pro cohæredum quidem partibus non dubiè mandati actio est inter nos: pro tua autem parte potest dubitari, vtrumnè ex empto, an mandati agi oporteat? neque enim sine ratione aliquis existimaturus est, pro hac parte sub condictione contractam emptionem, quod quidem maxime pertinet, vt si fortè priusquam emptio fieret, decessérim: & tu cum scires me decesisse propter mandatum meum alii vendere nolueris: an hæres meus eo nomine tibi sit obligatus? & retro, si alii vendideris: an hæredi meo tenearis? nam si quidem sub condictione emptio facta videatur, potest agi, quemadmodum si quæuis alia condictio post mortem exstitisset, si uero perinde mandati agendum sit, ac si alienum fundum emi mandassem, per mortem insecutam (cùm id scieris) resoluto mandato, nulla tibi actio cùm hæredem eo erit. sed & si mandati agendum esset, eadem præstanda, quæ præstarentur, si ex empto ageretur. dicta lege, qui negocia. §. cùm hæres ex parte esses, mandaui.

Equum certum pro te dari fideiussi, & solui, cum mandati agitur: æstimatio eius ad id potius tempus, quo solutus est, non quo agitur, referri debet, & ideo etiam si mortuus fuerit, nihilominus vtilis ea actio est. aliter in stipulatione seruatur. nam tunc id tempus spectatur, quo agitur: nisi fortè aut per promissorem steterit, quominus sua die solueret: aut per creditorem, quo minus acciperet. etenim neutri eorum frustratio sua prodesse debet. ff. eod. l. hominem. 37.

Si pro te præsente, & uetante fideiusserim, nec mandati actio, nec negociorum gestorum est. sed quidam vtilem dari putant, quibus Paulus non consentit: secundum quod, & Pomponio videtur, ff. eodem. l. si pro te. quadragesima.

Si mandatu meo fundum emeris, utrum cum dederis precium, ages mecum mandati: an, & antequam des: ne necesse habeas, res tuas uendere? & rectè

dicitur, in hoc esse mandati actionem, vt suscipiam obligationem, quæ aduersus te venditori competit. nam, & ego tecum agere possum, vt præstes mihi aduersus venditorem empti actionem. sed si mandatu meo iudicium suscepisti: manente iudicio, sine iusta causa non debes mecum agere, vt transferatur iudicium. nondum enim perfecisti mandatum, ff. eodem, l. si mandatu. 45. in principio.

Item si dum negocia mea geris, alicui de creditoribus meis promiseris: & anteq̃ soluas, dicendum est, te agere posse, vt obligationem suscipiam: aut si creditor nolit obligationem mutare, cauere tibi debeo, defensum iri te, d. l. si mandatu, §. item si dum.

Aduersus eum, cuius negocia gesta sunt de pecunia, quam de propriis opibus, vel ab aliis mutuo acceptam erogasti, mandati actione, pro sorte, & interesse potest quis experiri. De salario autem, quod promisit apud præsidem prouinciæ cognitio præbebitur, C. mandati. l. prima.

Salarium incerta pollicitatione promissum peti non potest, C. eodem, l. Salarium, 17.

Si iudicio te sisti promisero, nec exhibuero: & ante, quam præstem, mandati agere possum, vt me liberes: vel si pro te reus promittendi factus sim. ff. eod. l. si mandatu, §. si iudicio.

Sed si mandauero tibi, vt creditori meo soluas, tuque expromiseris, & ex ea causa damnatus sis: humanius est, & in hoc casu mandati actionem tibi competere, d. l. si mandatu. §. sed si mandauero.

Quoties ante solutam pecuniam mandati agi posse diximus: faciendi causa, non dandi tenebitur reus, & est æquum, sicut mandante aliquo, actionem nacti cogimur eam præstare iudicio mandati: ita ex eadem causa obligatos nos habere mandati actionem, vt liberemur. dicta l. si mandatu, §. quoties ante solutam pecuniam.

Quod mihi debebas à debitore tuo stipulatus sum periculo tuo, posse me agere tecum mandati in id, quod minus ab illo seruare potero. Nerua, & Attilicinus aiunt: quamuis id mandatum ad meam rem pertineat, & meritò, tunc enim liberatur is, qui debitorem delegat: si nomen eius creditor secutus, non cum periculo debitoris ab eo stipulatur, idem iuris est, si mandatu fideiussoris cum reo egissem, quia sequente mandatu liberaretur ex priore causa, d. l. si mandatu. §. finali.

Si quis pro eo spoponderit, qui ita promisit, si equum non dederis, centum milia dabis: & equum redemerit vilius, & soluerit, ne centum milium stipulatio committatur: constat, posse eum mandati agere. Igitur commodissimè illa forma mandatis seruanda est: vt quoties certum mandatum sit, recedi à forma non debeat, at quoties incertum, vel plurium causarum: tunc licet aliis præstationibus exsoluta sit causa mandati, quam quæ ipso mandato inerat: si tamen hoc mandatori expedierit, mandati sit actio. ff. eodem, l. si quis, 46.

Si is, qui pro te equum dare fideiussit, alienum equum stipulatori dederit, nec ipse liberatur, nec te liberat: & ideo mandati actionem tecum non habet. Sed si stipulator eum equum vsuceperit: dicendum esse, Iulianus ait, liberationem contingere eo ergo casu mandati actio post vsucapionem demum tecum erit, ff. eodem, lege. Iulianus. quadragesimo septimo.

§. si is,

§. si is, qui pro te equum.

Cum frumentum deberetur fideiussor Africum dedit: siue quid ex necessitate soluendi plus impendit, quàm precium esset solutæ rei: siue equum soluit, isque decessit aut obligatæ, flagitioue ad nullum precium sui redactus est; id mandati iudicio consequetur, ff. eodem, l. si is, qui, 50. §. sanè cum frumentum.

Fideiussor quamuis per errorem ante diem pecuniam soluerit repetere tamen ab eo non potest, ac ne mandati quidem actionem antequam dies soluendi veniat, cum reo habebit, ff. eod. l. fideiussor. 51.

Qui fide alterius, pro alio fideiussit præsente, & non recusante: vtrosque obligatas habet iure mandati, quod si pro inuito, vel ignorante, alterius mandatum secutus, fideiussit: eum solum conuenire potest, qui mandauit non etiam rerum promittendi, nec est contrarium, qnod pecunia fideiussoris reus liberetur: id enim contingit, & si meo mandatu pro alio soluat, ff. eodem, l. qui fide, 53.

Qui mutuam pecuniam dari mandauit omisso reo promittendi, & pignoribus non distractis eligi poterit, quod vti liceat, si literis exprimatur, distractis quoque pignoribus ad eum creditor redire poterit. Etenim quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, ius commune non lædunt, ff. eod. l. qui mutuam, 56. in prin.

Fideiussor, qui pecuniam in iure obtulit, & propter ætatem eius, qui petebat, obsignauit, ac publicè deposuit: confestim agere mandati potest, d. l. qui mutuum, §. fideiussor.

Cum ex causa fideiussionis pecuniam patrem tuũ exsoluisse proponas, habes mandati actionem, qua non solum pecuniam, sed etiam pignora in obligationem deducta potes consequi, C. eod. l. secunda.

Si fideiussor pro reo patiente fidem suam adstrinxerit, mandati cum eo post exolutam pecuniam, vel factam condemnationem, potest actionem exercere, C. eod. l. sexta.

Si pro ea, contra quam supplicas, fideiussor seu mandator intercesisti, & neque condemnatus es, neque bona eam dilapidare, postea cæpisse comprobare possis, ut tibi iustam metuendi causam præbeat, neque ab initio ita te obligationem suscepisse, vt eam possis, & ante solutionem conuenire: nulla iuris ratione antequam satis creditori pro ea feceris, eã ad solutionem vrgeri certum est. Fideiussorem vero mandatorem exceptione munitum, & iniuria iudicis damnatum & appellatione contra bonam fidem minime vsum, non posse mandati agere, manifestum est, C. eod. l. si pro ea. x.

Procurator, qui non res inclusas subtraxit, sed traditas non reddidit: iudicio mandati, tenetur, ff. eod. l. procurator. 55.

Non ideo minus omnis temporis bonam fidem explorari oportet: quod dominus post annos quinque ex prouincia reuersus, mox Reipublica causa profecturus non acceptis rationibus, mandatum instaurauerit. cum igitur ad officium procuratoris pertinuerit, quid quid ex prima negociorum gestorum administratione debuit, ad secundam rationem transferre: secundi temporis causa priorem litem suscipiet, ff. eodem, l. qui mutuam. 56. §. non ideo.

Lucius Titius creditori suo mandatorem dedit, deinde defuncto debitore maio-

re parte creditorum consentiente à prætore decretum est, vt portionẽ creditores ab hæredibus ferant, absente eo creditore, apud quem mandator exstiterat, quæritur si mandator conueniatur an eandem habeat exceptionẽ, quam hæres debitoris: responsum est, si præsens apud prætorem ipse quoque consensisset, pactos videretur iusta ex causa: eademque exceptio, & fideiussori danda esset, & mandatori, sed cum proponas eum abfuisse: iniquum est auferre ei electionem, sicut pignus, aut priuilegium: qui potuit pręsens idipsum proclamare, nec desiderare decretum prætoris: nec enim si quis dixerit submouendum creditorem: hæredi consulitur, sed mandatori, vel fideiussori, quibus mandati iudicio eandem partem præstaturus est. planè si ab hærede partem accepisset: an in reliquum permittendum esset creditori, fideiussorem conuenire, dubitatum est, sed uidebitur consentire decreto, conueniendo hæredem, ff. eod. l. si praecedente, 58. §. Lucius.

Si mandatu Titii Calpurnius pecuniam, quam Titius credebat, stipulatus est, non donandi animo: mandati iudicio is ab hærede Titii potest conueniri, vt actiones suas præstet, idem est, & si exacta est à Calpurnio pecunia, Paulus Respondit, fideiussorem, qui rem pignoris iure obligatam à creditore emit: mandati iudicio conuentum ab hærede debitoris, oblato omni debito, restituere cum fructibus cogendum: neque habendum similem extraneo emptoti cum in omni contractu bonam fidem præstare debeat PAVLVS Respondit, die adiecto in mandato, intraquam præstaturum se Lucius Titius scripsit: non esse impedimento, quominus etiam post eum diem conueniri mandati iudicio posit, d. l. si mandatu, in prin.

Paulus respondit, vnumquemque mandatorum insolidum eligi posse: etiam si non sit conceptum in mandato, post condemnationem autem in duorum personam collatam, necessario ex causa iudicati singulos pro parte dimidia conueniri posse, & debere, d. l. si mandatu. §. Paulus respondit. iii.

Creditor pignus vendidit, quæritur an si euicta sit possessio emptori regressum creditor ad mandatorem habere posit: & an intercessit creditoris, iure vendiderit an communi iure promiserit: Paulus Respondit, si creditor ex precio pignorum debitum consecutus non sit: mandatorem liberatum non videri. Ex hoc responso adparet: & si euictionis nomine non teneatur, proficere eam rem ad liberationem. d. l. si mandatu. §. creditor.

Illi salutem, mando tibi, ut Blæsio Seuero ad fini meo octoginta credas sub pignore illo, in quam pecuniam & quidquid interesse nomine accesserit indemnem rationem tuam me esse ex causa mandati in eum diem, quoad vixerit Blæsius Seuerus, præstaturum. postea sæpe conuentus mandator non respondit quęritur an morte debitoris liberatus sit: Paulus respondit. Mandati obligationem perpetuam esse, licet in mandato adiectum videatur, indemnem rationem tuam esse ex causa mandati in eum diem quoad vixerit Blæsius Seuerus præstaturum, d. l. si mandatu, §. illi.

Paulus respondit, non videri mandati conditioni paritum, cum mandato adiectum sit, vt idonea cautio à debitore exigeretur, si neque fideiussor neque pignora accepta sint, d. l. si mandatu, §. finali.

Creditor mandatorem conuenit, is condemnatus prouocauit, quærendum est an manente appellatione debitor à creditore conueniri potest: responsum est posse, ff. eod. l. creditor, 60. in prin.

Iulia-

Iulianus ait, si fideiussori vxor doti promiserit quod ei ex causa fideiussoria debebat: nuptiis secutis, confestim mandati aduersus debitorem agere eum posse, quia intelligatur abesse ei pecunia, eo quod onera matrimonii sustineret, ff. eodem, l. Iulianus, 47. in princ.

Ad eum, qui vxorem ducturus erat, literas fecit tales. Titius Seio salutem, Sempro niam ad animum meum pertinere cognouisti. ideoque cum ex voto meo nuptura tibi sit: velim certus sis, secundum dignitatem tuam contrahere te matrimonium. & quamuis idoneè promissuram tibi Titiam matrem puellæ dotem sciam: tamen & ipse, quo magis conciliem animum tuum domui meæ, fidem meam interponere non dubito. quare scias: quodcunque ab ea ex ea causa stipulatus fueris, id me mea fide iussisse, saluum te habiturum. Atq; ita Titia, quę neque Titio mandauerat, neque ratum habuerat, quod scripserat, dotem Seio promisit, quæritur, si hæres Titii ex causa mandati præstiterit: an actione mandati hæredem Titiæ conuenire potest? Respondit Scæuola secundum ea, quæ proponuntur, non posse, item quæsitum est an, nec negociorum gestorum? respondit neque hoc nomine iure agere posse. palàm enim facere Titium, non tā Titiæ nomine, quàm quod consultum sibi vellet, mandasse, item si maritus aduersus mandatorem ageret, an aliqua exceptione submoueatur? respondit nihil proponi, cur submouendus sit. ff. eodem, l. creditor, 60. §. ad eum, qui vxorem.

Si inter maritum, & socerum id actum esset, vel tacito intellectu, vt onus exhibendæ vxoris ad maritum rediret præstante patre dotis interesse. nulla actio superest ad recipiendum, quod negetur consumptum, quod si pater puellæ exhibitionem mandasse doceatur: actio mandati competit, dicta l. creditor. §. si inter maritum.

Duobus quis mandauit negociorum administrationem. quæsitum est, an vnusquisque mandati iudicio in solidum teneatur. respondit. Scæuola vnumquemque pro solido conueniri debere. dummodo ab vtroque non amplius debito exigatur, d. l. creditor. §. duobus.

Lucius Titius fratris filio commisit rerum suarum administrationem ita SEIO FILIO SALVTEM, TAMETSI NATVRAE CONSENTANEVM ESSE ARBITROR, VT PATRIS, FILIORVMQVE PATERNORVM NEGOTIA QVIS, VEL NVLLO DE EA RE MANDATO REQVISITO ADMINISTRET: SI QVID TAMEN EIVS GENERIS OPVS HABES, ECCE TIBI RERVM MEARVM OMNIVM LIBERAM ADMINISTRATIONEM PERMITTO: SIVE VENDERE, SIVE PIGNORI OBLIGARE, SIVE COMPARARE, SIVE QVID ALIVD AGERE VELIS: ME NON ALITER OMNIA, QVAE PER TE GESTA ERVNT, RATA HABENTE, NEQVE IN VLLIVS GESTIONE TIBI RECLAMANTE, QVAM SI RERVM MEARVM PENES TE DOMINIVM ESSET. Quæsitum est, Si quid non administrandi animo, sed fraudulenter alienasset, vel vendidisset: an valeret? respondit Scæuola eum, de quo quæritur planè quidem, sed quatenus res ex fide agenda esset, mandasse. Item quæritur, an cum Seius magistratu functus debitor exstitisset, & Lucius Titius eo nomine conueniri posset, vel res eius obligatæ essent propter verba epis-

tolæ suprascriptæ? responsum est, neque conueniri posse neque res obligatas esse, d. l. creditor, 60. §. Lucius.

Quod filiusfam. vt peteret mandauit; si emancipatus exegerit: de peculio intra annum vtiliter agam. Paulus, sed, & cum filio agendum est, ff. eodem, l. quod filius, 61.

Cum controuersia esset de hæreditate defunctæ inter scriptum hæredem, & patruum, Mæuium, & amitas: Mæuius literis ad sorores suas factis, declarauit commune futurum, quidquid ad eum ex euentu litis hæreditariæ peruenisset: neque stipulatio literas secuta est. quæsitum est, cum transegerit, idem Mæuius cum scripto hærede, ita ut prædia, & aliæ quædam res ex ea transactione ad eum peruenirent, an ex literis suis posit à sororibus conueniri, respondit Scæuola, posse. Mandauit in hæc verba LVCIVS TITIVS CAIO SVO SALVTEM PETO, ET MANDO TIBI, VT MEA FIDE DICAS PRO PVBLIO MAEVIO APVD SEMPRONIVM: QVAEQVE A PVBLIO SOLVTA TIBI NON FVERINT, ME REPRESENTATVRVM HAC EPISTOLA MANV MEA SCRIPTA NOTVM TIBI FACIO. quæro si non fideiussisset, sed mandasset creditori, & aliter egisset, quam ei mādatum esset, an actione mandati teneretur? respondi teneri, ff. eod. l. fin.

Non omnia, quæ impensurus non fuit mandatori imputabit, veluti quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo, suorumque adprehensus quædam erogauerit. nam hæc magis casibus, quam mandato imputari oportet, ff. eod. l. inter causas, 26. §. non omnia.

Impendia exsequendi mandati gratia facta, si bona fide facta sunt, restitui omni modo debent: nec ad rem pertinent, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negocium gereret, minus impendere, ff. eod. l. si quis, 27. §. impendia.

Etiam si contrariam sententiam reportauerunt, qui te ad exercendas causas appellationis procuratorem constituerunt; si tamen nihil culpa tua factū est sumptus, quos in litem probabilis ratione feceras, contraria mandati actione petere potes. C. eod. l. quarta.

Cùm per procuratorem causam tuam læsam esse dicas, mandati actio aduersus eū tibi competit, C. eod. l. cùm per. ix.

Si literas eius secutus, qui pecuniæ actor fuerat, ei qui tibi literas tradidit, pecunias credidisti. tam cōdictio aduersus eum, qui à te mutuam sumpsit pecuniā, quàm aduersus eum, cuius mandatum secutus es, mandati actio tibi competit, C. eod. l. septima.

Procuratorem non tantum pro iis, quæ gessit, sed etiam pro iis, quæ gerenda suscepit, & tam propter exactam, tam dolum, quàm culpam, sumptuū ratione bona fide habita, præstare necesse est, C. eod. l. procuratorem, xi.

Cùm mandati negocii contractum certam accepisse legem adseueres, eam integram secundū bonam fidem custodiri conuenit. Vnde si contra mandati tenorem procurator tuus ad te pertinentem fundū uendidit, nec uenditionem postea ratam habuisti: dominium auferri non potuit, C. eod. l. cum mandati, xii.

A procuratore dolum, & omnem culpam, non etiam improuisum casum præstandum esse, iuris authoritate manifestè declaratur. C. eod. l. à procuratore. xiii.

Si secundum mandatum Triphonis, & Fęlicis equos tua pecunia comparatos, vel in solutum à proprio debitore tibi traditos, vni de his vtriusque voluntate dedisti, ad parendum placitis eos mandati iudicio conuentos bona fides urget, C. eo. l. si secundum, 14.

Ad comparandas merces data pecunia, qui mandatum suscepit, fide rupta, quanti interest mandatoris, tenetur, C.eo.l.ad comparandas, 16.

Si tibi pupillorum pater, vt pecuniam in rem suam crederes, mandauit, & in hanc rem æque ipso præcipiente pignora sunt obligata, & mandati actione pupillos, post mortem patris conuenire, & exsequi ius obligationis pignorum poteris, si in solutione cessabitur, C.eod.l.si tibi, 8.

Post solutionem à se factam, qui dari mutuò mandauit, ab eo, pro quo intercesit, vel successoribus eius, quod solutum est, etiam cum interesse, post moram rectè postulat, C.eod.l.post solutionem, 18.

Precii rerum distractarum, quas venales præcedente mandato acceperas, vltra licitum interesse ex stipulatione, vel mora præstare (licet pignora data probentur) compelli non potes, C.eo.l.precii, 19.

DE PROXENETICIS. Tit. XIX.

PRoxenetica licito iure petuntur, ff.de proxenetis, l.prima.

Si Proxeneta interuenerit faciendi nominis causa, vt multi solent: videamus an posit, quasi mandator teneri. Et verum est non teneri: quia his monstrat magis nomen, quàm mandat: tametsi laudat nomen. Idem dicitur & si aliquid philantropiæ nomine accepit: nec ex locato, nec ex conducto erit actio. Planè si dolo & calliditate creditorem circumuenerit de dolo actione tenebitur, ff.eo.l.secunda.

De proxenetico, quod est sordidum, solent præsides cognoscere: sit tamen, ut in his modus esse debeat, & quantitatis, & negotii, in quo operula ista defuncti sunt: & ministerium qualecunque accommodauerint. Facilius quod Græci honorarium interpretis appellant, peti apud uos poterit, si quis fortè conditionis vel amicitiæ, vel adsessuræ, vel cuius alterius huiuscemodi proxeneta fuit. sunt enim huiusmodi hominum, vt tàm in magna ciuitate officinæ. est enim proxenetarum modus, qui emptionibus, uenditionibus, commerciis, contractibus licitis utiles non adeo improbabili more se exhibent, ff.eo.l.fin.

Quamuis in Institutionibus titulo de actionibus in principio dicatur actiones personales esse obligationis, EX CONTRACTV: attamen non excluduntur actiones EX QVASI CONTRACTV: Vnde quemadmodum in obligationibus, EX QVASI CONTRACTV est DE NEGOTIIS GESTIS: ita in hoc loco continuatur DE ACTIONE NEGOTIORVM GESTORVM.

DE ACTIONE NEGOTIORVM GESTORVM. Titulus XX.

HAEC actio cum ex negotio gesto oriatur, & hæredi & in hæredem competit. Si exsecutor à prætore in negotio meo datus dolum mihi fecerit, dabitur mihi aduersus eum actio, ff. de negotiis gestis, l. tertia, §. hæc autem actio.

Interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit dolum solummodo versari, nam si affectione coactus, ne bona mea distrahantur negotiis meis obtuleris: æquissimum esse dolum duntaxat te præstare, quæ sententia habet æquitatem, d.l.tertia, §.interdum.

Hac actione tenetur non solum is qui sponte, & nulla necesitate cogente immiscuit se negotiis alienis ex ea gesit, uerum & is, qui aliqua necesitate arguente, vel

te, vel necesſitatis ſuſpicione geſsit, d.l.tertia, §.hac actione.

Apud Marcellum quæritur, ſi cum propoſuiſſem negotia Titii gerere, tu mihi mandaueris, vt geram, an vtraq; actione vti poſsim. & putat Vlpianus vtranque locum habere: quemadmodum ipſe Marcellus ſcribit, ſi fideiuſſorem accepero negotia geſturus. nam & hic dicit aduerſus vtrumque eſſe actionem, d.l.tertia, §.apud Marcellum.

Sed videamus, an fideiuſſor hic habere aliquam actionem poſsit. & verum eſt negotiorum geſtorũ eũ agere poſſe, niſi donandi animo fideiuſsit, ff.eo.l.quarta.

Item ſi cum putaui à te mihi mandatum, negotia geſsit: & hic naſcitur negotiorum geſtorum actio, ceſſante mandati actione. idem eſt etiam ſi pro te fideiuſſero dum puto mihi à te mandatum eſſe. Sed & ſi cum putaui Titii negotia eſſe cum eſſent Sempronii, ea geſsi. ſolus Sempronius mihi actione negotiorum geſtorum tenetur, ff.eo.l.quinta.

Si ego filii tui negotia geſſero, ſi quidem contemplatione tui negotia geſsi peculiaria tu mihi teneberis, quod ſi amicitia filii tui, vel eius contemplatione aduerſus patrem de peculio duntaxat datur actio. Idemq; & ſi ſui iuris eam eſſe putaui. Et ſi nihil ſit in peculio, quoniam plus patri debetur in patrem datur actio in quantum locupletior ex mea adminiſtratione factus ſit, ff.eo.l.ſexta, §.ſi ego filii, & §.idemq; eſt.

Item ſi Titium quaſi debitorem tuum extra iudicium admonuero, & is mihi ſoluerit, cum debitor non eſſet, tuq; poſtea cognoueris & ratum habueris, dubitari poteſt, an negotiorum geſtorum cõueniri poſsis, quia nullum negotium tuũ geſtum eſt, cum debitor tuus non fuerit. ſed ratihabitio, inquit, fecit tuum negotium, & ſicut ei, à quo exactum eſt, aduerſus eum datur repetitio, qui ratum habuit, ita & ipſi debebit poſt ratihabitionem aduerſus me competere actio, ſic ratihabitio conſtituet tuum negotium, quod ab initio tuum non erat, ſed tua contemplatione geſtum eſt, d.l.ſexta, §.item quæritur.

Item ſi Titium, quaſi debitorem, cui te hæredem putabam cum eſſet Seius hæres, conuenero ſimiliter, & exegero: mox tu ratum habueris: erit mihi aduerſus te, & mihi mutua negotiorum geſtorum actio. Adquin alienum negotium geſtum eſt: ſed ratihabitio hoc conciliat. quæ res efficit, vt tuum negotium geſtum videatur, & à te hæreditas peti poſsit. Quid ergo, inquit Pedius, ſi cum te hæredem putarem inſulam fulſero hæreditariam, tuq; ratum habueris: non erit mihi aduerſus te actio? cum hoc facto meo alter ſit locupletatus, & alterius re ipſa geſtum negotium ſit: nec poteſt, quod alii adquiſitum eſt ipſo geſtu hoc tuum negotium videri, d.l.ſexta, §.idem ait.

Videamus in perſona eius, qui negotia adminiſtrat, ſi quædam geſsit, quædã non: contemplatione tamen eius alius ad hæc non acceſsit, & ſi viriligens, quod ab eo exigimus, etiam ea geſturus fuit, an dici debet negotiorum geſtorum eũ teneri, & propter ea, quæ non geſsit, quod verum eſt. Certè ſi quid à ſe exigere debuit, proculdubio hoc ei imputabitur. quamquam enim hoc ei imputari nõ poſsit, cur alios debitores non conuenerit: quoniam conueniendi eos iudicio facultatem non habuit, qui nullam actionem intendere potuit: tamen à ſemetipſo cur non exegerit, ei imputabitur. Et ſi fortè intereſſe lucri ceſsantis, vel damni emergentis. non debebat, incipit debere, niſi fortè id remittatur. quia tantundem in bonæ fidei iudicis officium iudicis valet, quantum in ſtipulatione nominatim eius rei facta interrogatio, d.l.ſexta, §.videamus, cum l.ſeq.

Si autem is fuit, qui negotia adminiſtrauit, à quo mandatum non exigebatur; poteſt ei

rest ei imputari cur oblata de rato cautione eum non conuenit: si modo facile ei fuerit satisdare. certè in sua persona indubitatum est. & ideo si ex causa fuit obligatus, quæ certo tempore finiebatur, & tempore liberatas est: nihilominus negotiorum gestorum actione erit obligatus. Idem erit dicendum & in ea causa, ex qua hæres non tenetur, vt Marcellus scribit, ff. eo. l. octaua, in prin.

Successori eius, cuius fuerunt negotia, qui apud hostes decessit, hæc actio danda erit. Sed si filiifamilias militis defuncti testamento facto gessi: similiter erit dãda actio. sicut autem in negotiis viuorum gestis sufficit vtiliter negocium gestum: ita & in bonis mortuorum licet diuersus exitus sit, ff. eod. l. successori, 12.

Si filiusfamilias negocia gessisse proponatur æquissimum erit in patrem, quoque actionem dari, siue peculium habet, siue in rem patris sui vertitit. ff. eo. l. si filius familias, 14.

Mandatu tuo negotia mea Lucius Titius gessit: quod is non rectè gessit, tu mihi actione negotiorum gestorum teneris non in hoc tantum, vt actiones tuas præstes, sed etiam, quod imprudenter eum elegeris: vt quicquid detrimenti negligentia eius fecit, tu mihi præstes, ff. eod. l. nam & Seruius, 21. §. fin.

Si quis negocia aliena gerens indebitum exegerit, restituere cogitur. de eo autẽ quod indebitum soluit, magis est, vt sibi imputare debeat, ff. eo. l. si quis, 23.

Cum alicui ciuitati per fideicommissum restitui iussu esset hæreditas, magistratus actores horum bonorum Titium, & Seium Gaium idoneos creauerunt. postmodum hi actores inter se diuerserunt administrationem bonorum: idq; egerunt sine auctoritate, & sine consensu magistratuum. Post aliquot tempus testamentum, per quod restitui ciuitati hæreditas fideicommissa esset, irritum probatũ est pro tribunali: atque ita ab intestato Sempronius legitimus hæres defuncti extitit: sed ex his actoribus vnus non soluendo decessit, & nemo hæres eius extitit: quæritur si Sempronius conueniet actores horum bonorum, periculum inopis defuncti ad quos pertinet? Herennius Modestinus respondit, quod ab vno ex actoribus ob ea, quæ solus gessit, negotiorum gestorum actione seruari non potest, ad damnum eius cui legitima hæreditas quæsita est, pertinere, ff. eod. l. 26. cum aliquis.

Si quis mandatu Titii negotia Seii gessit Titii mandati tenetur. isq; æstimari debet quanto Seii & Titii interest. Titii autem interest quantum is Seio præstare debet, qui vel mandati, vel negotiorum gestorum nomine obligatus est. Titio autem actio competit cum eo, cui mandauit aliena negotia gerenda, & antequam ipse quicquam domino præstet: quia id ei abesse videtur, in quo obligatus est, ff. eo. l. si quis, 28.

Cum pater testamento posthumo tutorem dederit, isq; tutelam interim administrauerit, nec posthumus natus fuerit: cum eo non tutellæ, sed negotiorum gestorum erit agendum. quod si natus fuerit posthumus, tutelæ erit actio, & in eam vtrunq; tempus veniet: & quo antequam nasceretur infans gessit, & quo & posteaquam natus sit, ff. eo. l. pater, 29.

Ex facto quærebatur, quendam ad siliginem emendam curatorem decreto ordinis constitutum: eidem alium sub curatorem constitutum siliginem miscendo corrupisse: atq; ita pretium siliginis, quæ in publicum empta erat, curatori adflictum esse: quaq; actione curator subcuratore experiri possit, & consequi id, vt ei saluum esset, quod causa eius damnum cæpisset. Valerius Seuerus respondit, aduersus contutorem negotiorum gestorum actionem tutori dandã. idem respondit, vi magistratui aduersus magistratum eadem actio detur: ita tamen

si non

si non scit conscius fraudis. secundum quæ etiam in subcuratore, idem dicendum est, ff. eo. l. ex facto, 30.

Ignorante virgine mater à sponso filiæ res donatas suscepit: quia mandati, vel depositi cessat actio. negotiorum gestorum agitur, ff. eo. l. fideiussor, 32. §. fin.

Hæres viri defuncti vxorem, quæ res viri tempore nuptiarum in sua potestate habuit, compilatæ hæreditatis postulare non debet. prudentius itaq; faciet, si ad exhibendum, & negotiorum gestorum, si negotia quoq; viri gessit, cum ea fuerit expertus, ff. eo. l. hæres, 33.

Si pecuniæ quis negotium gerat, interesse quoq; præstare cogitur, & periculum eorum nominum, quæ ipse contraxit: nisi fortuitis casibus debitores, ita suas fortunas omiserunt, vt tempore litis ex ea actione contestatæ soluendo non essent, ff. eo. l. litis, 37. §. si pecuniæ.

Pater si emancipati filii res à se donatus administrauit filio actione negotiorum gestorum tenetur, d. l. litis, §. fin.

Cum pecuniam eius nomine solueres, qui tibi nihil mandauerat negotiorum gestorum actio tibi competit, cum ea solutione debitor à creditore liberatus sit: nisi si quid debitoris iuterfuit eam pecuniam non solui, ff. eo. l. cũ pecuniã, 43.

Fideiussori negotiorum gestorum est actio, si pro absente fideiusserit. nam mandati actio non potest competere, cum non antecesserit mandatum, ff. mandati, l. ex mandato, 20. §. fina.

Si proponuntur te Titio mandasse, vt pro te fideiuberet: neque, quod is aliqua de causa impediretur quominus fideiuberet, liberandæ fidei eius causa fideiussisse: negotiorum gestorum mihi competit actio, ff. eo. l. mandasti. 46. §. fin.

Ignorante quoque sorore si pater negocium eius gerens dotem à uiro stipulatus sit, iudicio negociorum gestorum vt uirũ liberaret. iure conuenitur, ff. eo. l. pe.

Actio negociorum gestorum illi datur, cuius interest hoc iudicio experiri, nec refert directa quis, an utili actione agat, vel conueniatur: quia in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obseruatur, hæc subtilitas superuacua est: maximè cum utraq; actio eiusdem potestatis est eundemq; habet effectum, ff. eod. l. actio, 47.

Pomponius scribit si negocium à te, quamuis malegestum probauero: negociorũ tamen gestorum te mihi non teneri. Videndum ergo nè in dubio hoc, an ratum habeam actio negociorum gestorum pendeat. Nam quomodo cum semel cœperit nuda voluntate tolletur? sed superius ita verum se putare si dolus malus à te absit, At Scæuola putat, & si comprobem adhuc negociorum gestorum, actionem esse, sed eo dictum mihi non teneri, quod reprobare non possim, semel probatum: & quemadmodum, quod utiliter gestum est, necesse est apud iudicẽ pro rato haberi; ita omne, quod ab ipso probatum est. Cæterum si ubi probaui non est negociorum actio, quod fiet, si à debitore meo exegerit, & probauerim quemadmodum recipiam? item si vendiderit? ipse denique si quid impendit, quemadmodum recipiet? nam utique mandatum non est. erit igitur & post ratihabitionem negociorum gestorum actio, ff. eo. l. Pompon. 9.

Sed an vltro mihi tribuitur actio sumptuum, quos feci, & Vlpianus putat competere. nisi specialiter id actum est, vt neuter aduersus alteram habeat actionem, ff. eod. l. sed an x. in princ.

Non tantum sortem, verum etiam interesse ex aliena pecunia perceptum negociorum gestorum iudicio præstabimus: vel etiam quos percipere potuimus, contra quoq; interesse, quod præstabimus, vel etiam, quod ex nostra pecunia percipere

pere potuimus, quàm in aliena negotia impendimus, seruabimus negotiorum gestorum iudicio, ff. eo. l. adquin, 19. §. non tantum.

Dum apud hostes esset Titius negotia eius administraui, postea reuersus est, negociorum gestorum mihi actio competit: etiam si eo tempore, quo gerebantur dominum non habuerunt. SIN AVTEM, apud hostes constitutos decessit, & successori, & aduersus successorem eius negotiorum gestorum directa, & contraria competit. Nam & Seruius respondit, vt est relatum apud Alfenum trigesimo nono digestorum, cum à lasitanis tres capti essent, & vnus ea condicione missus vt pecuniam pro tribus adferret; & nisi redisset, & duo. pro eo quoq; pecuniam darent. isq; reuerti noluisset, ob hanc causam illi protectio quoq; pecuniam soluissent. Seruius respondit (æquum esse prætorem in eum reddere iudicium, ff. eo. l. Adquin. 19. §. fi. & l. finaũt, 20. & l. non & seruius, 21. in princ.

Mandasti filio meo, ut tibi fundum emeret, quod cum cognouissem, ipse eam tibi emi, puto referre qua mente emerim. nam si propter ea, quæ tibi necessaria esse scirem, & te eius voluntatis esse, vt emptum habere velles, agemus inter nos negociorum gestorum sicut ageremus, si aut nullum omnino mandatum, intercessisset, aut Titio mandasses, & ego quia pro me commodius negocium possim conficere, emissum. si vero propterea emerim, ne filius mandati iudicio teneatur. Magis est, vt ex persona eius, & ego tecum mandati agere possim, & tu meam actionem habeas de peculio. quia & si Titius id mandatum suscepisset, & ne eo nomine teneretur ego emissem: agerẽ cum Titio negociorum gestorũ: & ille tecum, & tu cum illo mandati, idem est, & si filio meo mandaueris, vt per te fideiuberet, & ego per te fideiusserim, ff. eo. l. mandasti, 46. in prin.

Si quocunque modo ratio compensationis habita non est à iudice, potest contrario iudicio agi, quod si post examinationem reprobatæ fuerint pensationes: verius est, quasi re iudicata amplius agi contrario iudicio non posse, quia exceptio rei iudicatæ opponenda est, ff. eo. l. octaua, §. si quocunq;.

Iulianus libro tertio tractat, si ex duobus sociis alter me prohibuerit administrare alter non: an aduersus eum, qui non prohibuit, habeam negociorum gestorum actionem, mouetur eo, quod si data fuerit aduersus eum actio, necesse erit & eum pertingi, qui vetuit. sed & illud esse iniquum, eum qui non prohibuit, alieno facto liberari cum si mutuam pecuniam alteri ex sociis prohibente socio dedissem, vtiq; eum obligarem, & Vlpianus putat secundum Iulianum debere dici superesse contra eum, qui non prohibuit, negociorum gestorum actionem, ita tamen ut is, qui prohibuit ex nulla parte, neq; per socium, neq; per ipsum aliquid damni sentiat, d. l. octaua, §. Iulianus.

Is qui negociorum gestorum agit, non solum si effectum habuit negocium, quod gessit, actione ista utetur: sed sufficit si vtiliter gessit, & si effectum non habet negocium, & ideo si insulam fulsit: etiam si insula exusta est, aget negociorum gestorum, idq; & Labeo probat. sed ut Celsus refert, Proculus apud eum notat non semper debere dari. quid enim si insulam eam fulsit; quam dominus quasi impar sumptui dereliquerit, vel quam sibi necessariam non putauit? onerauit, inquit dominum secundum Labeonis sententiam, cum vnicuiq; liceat, & damni infecti nomine rem derelinquere. sed istam sententiam Celsus eleganter deridet. is enim negociorum gestorum, inquit, habet actionem, qui utiliter negotia gessit: non inutiliter negotia gerit, qui rem non necessariam, vel quæ oneratura est patrem familias, adgreditur. iuxta hoc est. & quod Iulianus scribit, eum qui insulam fulsit, habere negociorum gestorum actionem, si vtiliter hoc

faceret,

faceret, licet euentus non sit secutus. si vero putauit se vtiliter facere, sed patrisfamilias non expediebat. iste non habebit negociorum gestorum actionem: vt enim euentum non spectamus, debet vtiliter esse cœptum, ff. eod. l. sed an vltro, x. §. is autem qui.

Siue hæreditaria negocia, siue ea, quæ alicuius essent gerens aliquid, necessario rem emerit: licet ea interierit, poterit quod impenderit iudicio negociorum gestorum consequi. Veluti si frumentum aut vinum familiæ parauerit, idque casu quodam interierit, fortè incendio ruina. Sed ita scilicet hoc dici potest, si ipsa ruina, vel incendium sine vitio eius acciderit: nam cum propter ipsam ruinam, aut incendium damnandus sit absurdum est eum istarum rerum nomine, quæ ita consumptæ sunt, quicquam consequi, ff. eod. l. siue hæreditaria, 22.

Si quis negotia aliena gerens, plusquam oportet impenderit: reciperaturus est, id quod præstari debuerit, ff. eo. l. si quis, 25.

Ex duobus fratribus vno quidem suę ætatis, alio vero minore annis, cum haberent communia prædia rustica. maior frater in saltu communi habenti habitationes paternas ampla ædificia ædificauerat: cumque eundem saltum cum fratre diuideret, sumptus sibi quasi re meliore ab eo facta desiderabat fratre minore iam legitimæ ætatis constituto. Hærennius Modestinus respondit ob sumptus nulla re vrgente, sed voluptatis causa factos eum de quo quæritur, actionem non habere, ff. eo. l. ex duobus, 27.

Si communes ædes tecum habeam, & pro tua parte damni infecti vicino cauero. dicendum est, quod præstitero, negociorum gestorum actione potius, quàm communi diuidundo iudicio posse me petere: quia potui partem meam ita defendere, vt socii partem defendere non cogerer, ff. eo. l. si communes, 40.

Quæ vtiliter negotia alicuius erogantur, in quibus est, iam sumptus honestè ad honores per gradus pertinentes factus, actione negociorum gestorum peti possunt, ff. eo. l. quæ vtiliter, 45. in princ.

Titius pecuniam creditoribus hæreditariis soluit existimans sororem suam defuncto hæredem testamento extitisse. quamuis animo gerendi sororis negocia id fecisset. veritate tamen filiorum defuncti, qui sui hæredes patri sublato testamento erant, gessisset: quia æquum est, in damno eum non versari actione negociorum gestorum, id eum petere placuit, d. l. quæ vtiliter, §. Titius.

Si is, qui negocia fideiussoris gerebat, ita soluit stipulatori, vt reum fideiussoremque liberaret, idque vtiliter fecit negociorum gestorum actione fideiussorem habet obligatum. nec refert ratum habuit, necne fideiussor etiam antequam solueret procuratori pecuniam, simul, ac ratum habuisset, haberet tamen mandati actionem, ff. mandati, l. si is, qui. 50. in prin.

Qui alienis negociis gerendis se obtulit condictionem furtiuam non habet, licet culpa eius res perierit: Sed actione negociorum gestorum ita damnandus est, si dominus condictionem furtiuam accedat, eadem sunt in eo, qui pro tutore negocia gerit, vel in eo tutore qui diligentiam præstare debet, veluti qui ex pluribus tutoribus testamento datis oblata satisdatione solus administrationem suscepit, ff. de furtis, l. qui iniuria, 53. alias, 55. §. qui alienis.

Post obligationes ex contractu, & quasi contractu, sequitur de obligationibus ex maleficio, & quasi maleficio: Vnde posteaquam hucusque tractatum fuit de multis personalibus actionibus, quæ oriuntur ex contractibus, & quasi contractibus, Sequitur uidere de actionibus, quæ descendunt ex maleficio, & quasi maleficio. Et consequenter de condictione furtiua.

DE

Vilissimi homines committunt furta, nec habent hæredes, vnde condictio furtiua non habet locum in ijs personis. sed quia in multis casibus committitur furtum, nec criminaliter ex statutis locorum, & consuetudine tractatur propter hos casus, ac alios, describitur hæc condictio furtiua.

DE CONDICTIONE FVRTIVA. Titul. XXI

IN re furtiua soli dño condictio competit, ff. de cond. fur. l. prima. Condictione ex causa furtiua, & furiosi, & infantes obligātur, cum heredes extiterunt, quāuis cum eis agi non possit, ff. e. l. secunda. Ex furtiua causa filiofa. condici potest. Nunquam. n. ea condictione alius, quàm qui fecit, tenetur, aut hæres eius, ff. eo. l quinta.

Proinde & si ope, & consilio alicuius furtum factum sit: condictione non tenebitur, & si furti teneatur, ff. eo. l. sexta.

Si pro furto damnū decisū sit, cōdictionē nō impediri certissimū est, ff. e. l. 7. ī pr.

Quia pro furto petitur pęna legitima per condictionem res ipsa, ea res facit, ut neque petitio pœnæ ꝑ condictionem, neq; condictio ꝑ petitionem pęnæ consumat. is igit̄ cui furtum factū est p̄t petere pęnā pro furto, & condictionē habet, & uindicationem, habet & ad exhibēdum actionem, d. l. septima. §. furti actio.

Si rem furtiuam à fure uindicassem, condictio mihi manebit, sed p̄t dici officio iudicis, qui de proprietate cognoscit, contineri: ut non aliter iubeat ei restitui, q̄ si condictionem petitor remittat, ꝙ si ex condictione ante damnatus reus litis æstimationem sustulerit: ut aut omnimodo absoluat reum: aut (ꝙ magis placet) si paratus esset petitor æstimationem restituere, nec restitueret̄ ei equus: quanti in litem iurasset, damnaretur ei possessor. ff. de furtis, l. ei qui, 9. §. sed si eam.

Condictio, & uindicatio ad rei recuperationem pertinet, ideo recepta re uindicatio, & condictio tollitur, ff. eo. l. si pignore, 54 § cum furti.

Condictio rei furtiuæ, quia rei habet persecutionem, hæredem quoq; furis obligat, ff. de condi. furtiua, l. septima, §. condictio.

In re furtiua condictio ipsorum corporum competit, sed utrum tandiù, quandiù extent: an uero & si desierint esse in rebus humanis? & si quidem obtulit fur: sine dubio nulla erit condictio, si non obtulit, durat condictio ęstimationis eius. corpus. n. ipsum præstari non potest, ff. eo. l. in re, 8. in prin.

Si ex causa furtiua res condicatur, cuius temporis æstimatio fiat, quæritur? placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit: maximè cum deteriorem rem factam fur, dando non liberatur. semper. n. moram facere fur uidetur. Nouissimè sciendū, etiā fructus in hanc actionē uenire, d. l. in re, §. si ex cā.

In cōdictione ex cā furtiua non ꝑ parte, q̄ ꝑuenit, sed insolidū tenemur: dum soli hr̄des sumus, ꝑ parte aūt hæres, ꝑ ea parte, ꝑ qua hr̄s est, tenet̄, ff. e. l. ī ꝯdōne. x.

Ei quoq; qui ui bonorum rapto tenetur condici potest, ff. eo. l. siue, x §. ei quoque.

Tandiù aut condictioni locus erit, donec dñi facto dn̄ū eius rei ab eo recedat, & iō si eam rem alienauerit condicere non poterit. Vnde Celsus scribit, si rem furtiuam dominus purè legauerit furi; hæredem eius condicere non posse. sed & si non ipsi furi, sed alij, item dicendum est, cessare condictionem, quia dominium facto testatoris, id est domini, discessit, d. l. fine. §. tandiù.

Sed nec legatarius condicere potest. ei. n. competit condictio, cui res subrepta est, uel hæredi eius, sed uindicare rem legatam ab eo potest, ff. eo. l. sed nec, 11.

Et iō eleganter Marcel. definit. ait. n. si res mihi subrepta, tua remaneat, condices, sed & si dñium non facto tuo amiseris, æquè condices in cōi igit̄ re elegāter ait interesse, utrum tu prouocasti cōi diuidundo iudicio, an prouocatus es? ut si tu prouocasti communi diuidundo iudicio, amiseris condictionem, si prouocatus es, retineas. Nerat. Aristonem existimasse refert, eum, cui pignori res data est,

incerti condictione acturum, si ea subrepta sit, ff. eo. l. & ideo, xii.

Ex argento subrepto pocula facta condici posse. Fulcinius ait. ergo in cōdictione poculorū ēt celaturæ æstimatio fit, q̄ impensa furis facta est, ff. eo. l. ex argēto. 13.

Boue subrepto, & occiso, condictio, & bouis, & corii, & carnis dn̄o competit, s. si, & corium, & caro contrectata fuerint. Cornua quoq; condicentur. sed si dn̄s condictione bouis precium consecutus fuerit, & postea aliquid eorum, de quibus supra dictum est, condicet: omnimodo exceptione submouebitur. Contra si corium condixerit, & precium eius consecutus, bouem condicet: offerente fure precium bouis, detracto precio corii doli mali exceptione submouebitur. idem iuris est vuis subreptis. nam & mustum, & vinacia condici iure possunt, ff. eod. l. si seruus, 14. §. boue.

Qui furtum committit, vel re commodata, vel deposita vtendo: cōdictione quoq; ex furtiua cā obstringitur. quæ differt ab actione commodati in hoc: quod ēt si sine dolo malo, & culpa eius interierit res, condictione tn̄ tenetur: cum in commodati actione non facilè vltra culpam, & in depositi vltra dolum malum teneatur is, cum quo agetur, ff. eo. l. qui furtum, xvi.

Si is cui rem commodauero eam subripuerit, tenetur quidem, & cōmodati actione & condictione. Sed altera actio alteram perimit, aut ipso iure, aut per exceptionem. quod est totius. Hinc de colono respōsum est, si quid ex fundo subtraxerit, teneri eum condictione, quin ēt ex locato, & ille inter se miscētur. Et hoc in legis Aquiliæ actione dr̄, si tibi commodauero vestimenta, & tu ea ruperis vtræque enim actiones rei persecutionē continent, & quidem post legis Aquiliæ actionē vtiq; cūmodati finietur. Post cōmodati an Aquiliæ remaneat in q in repetitione triginta dierū amplius est, dubitatur; sed verius est remanere, qa simplo accedit, & simplo subducto locū hēt, ff. de obl. & act. l. q seruū. 24. §. fin.

Qm̄ furtum fit, cum quis indebitos numos sciens acceperit, videndum est, si procurator suos numos soluat, an ipsi furtum fiat, & Pompon. libro septimo Epistolarum ipsum condicere ait ex causa furtiua; sed & me cōdicere, si ratum habeā, q indebitum datum sit, sed & altera condictione alteram tolli, ff. eod. l. qm̄, 18.

Iulianus ex personæ filiæ, quæ res amouit, dandam in patrem condictionem in peculium respondit, ff. eod. l. penul.

Licet fur paratus fuerit excipere condictionem, & pro me steterit, dum in rebus humanis res fuit, condicere eam, postea aūt perempta est, tn̄ durare condictionem veteres voluerunt, quia videret, qui primo inuito dn̄o rem contrectasset, semper in restituenda ea, q̄ nec debuit auferre moram facere, ff. eo. l. fin.

Añ oblationē īterēptę rei furtiuę dānū ad furē ptinere certissimi iuris ē, C. e. l. fi.

Subtracto furto, vel ui abrepto equo, quamuis rebus humanis, non oblatum fuerit exemptum, tam ad raptorem, quàm ad furem periculum redundabit, & uterque eorum pœna legitima coercebitur, C. de furtis, l. nona.

In condictione numorum furtim subtractorum electio est, & tum demum si ab uno satisfactum fuerit cæteri liberantur, C. eo. l. prima.

In condictione furtiua sufficit rem demonstrare, ut posit intelligi, de pondere autem uasorum non est necesse loqui sufficiat igitur ita dici lancem, uel discū, uel paterā; sed describenda ēt materia est, utrū argentea, an aurea, aut alia, q̄ sit. q si quis argentum infectum petat, & massam argenteā dicere, & pondus debebit ponere. Signati argenti numerū debebit complecti: ueluti aureos tot pluresve furto ei abesse. De ueste q̄ritur, an color eius dicendus sit? & uerum est, colorem eius dici oportere, ut quemadmodum in uasis dr̄ patera aurea, ita & in ueste color dicatur. planè si quis iuret pro certo se colorem dicere non posse, remitti

ei huius

ei huius rei necessitas debet, ff. de furtis, l. in actione, 19. in prin.

Si quis de fundo vi deiectus sit, an condici ei possit, qui deiecit? Labeo negat, sed Celsus putat posse condici possessionem, quemadmodum potest re mobili subrepta. Eorum, quæ de fundo tolluntur, vtputa arborum, vel lapidum, vel arenæ vel fructuum, quos quis fraudandi animo decerpserit: furti agi posse, nulla dubitatio est, ff. eo. l. verum est, 25. §. vnde quæritur.

Si cum quis in hostium potestate esset, furtum ei factum sit, & postliminio redierit. poterit quis dicere eum furti habere actionem, ff. eo. l. si cũ quis, 41. in prin.

Adrogator condictionem furtiuam habet, eius furti nomine, quod factum est ei, quem adrogauit, antequam adrogaret certum est. Cæterum si postea nulla dubitatio erit, d. l. si cum quis, §. adrogatorem.

Si socius communis rei furtum fecerit (potest enim communis rei furtum facere) indubitatè dicendum est furti actionem competere, ff. eo. l. si socius, 45.

Si dominium rei subreptæ, quacunq; ratione mutatum sit: domino condictio furtiua competit: veluti hæredi, & patri adoptiuo, & legatario, ff. eo. l. si dñium, 47.

Si is, cui res subrepta sit, dum apud furem sit, legauerit eam mihi: an si postea fur eam contrectet soli mihi legatario competit condictio furtiua: cum hæres suo nomine non habeat: quia quacunq; ratione dominium mutatum sit, ff. eod. l. si is, qui, 67. §. si is, cui.

Si filiofa. furtum factum esset: rectè is paterfa. factus eo nomine aget: sed & si res ei locata subrepta fuerit, paterfa. factus idem agere poterit, ff. eo. l. si filiof. 58.

Si quis alteri furtum fecerit, & id, quod subripuit, alius ab eo subripuerit: dominus habebit cũ vtroq; condictionẽ furtiuã, ff. eo. l. qui re sibi, 76. §. si quis alteri.

Si nondum rem templo diuino dedicatam vitricus tuus furto abstulit: habes aduersus eum condictionem furtiuam, C. de furtis, l. tertia.

Post decisionem furti leges agi prohibent, quod si non transegisti, sed de sublatis partem tantum accepisti: residua vendicare, vel condicere, apud præsidem prouinciæ agere potes, C. eo. l. post decisionem, 13.

De instrumentis ablatis in rem actione conuenire potes tenentes, C. eo. l. fur. 15.

Quamuis etiam expilatæ hæreditatis criminis promiscuus vsus furem tuam vxorem fieri non patiatur. tamen: hæredes, itemque filii super his, quæ de patris bonis possident, aduersus eũ in rem actione experiri prohibent, C. eo. l. q̃uis, 17.

Cessat ignominia in condictionibus, quamuis ex famosis causis pendeant, ff. de oblig. & actio. l. cessat, 36.

Facilè quilibet concedet actionem contra nautas, caupones, & stabularios sequi post condictionem furtiuam: quia vtroq; casu, res domino aufertur.

NAVTAE, CAVPONES, STABVLARII, ET RECEPTA restituant. Titulus XXII.

AIt prætor. NAVTAE CAVPONES, STABVLARII, QVOD CVIVSQVE SALVVM FORE RECEPERINT, NISI RESTITVANT, IN EOS IVDICIVM DABO. ff. nautæ caupo. l. prima, §. in princip.

Maxima utilitas est huius edicti: quia necesse est plerunq; eorum fidem sequi, & res custodiæ eorum committere, d. l. prima, §. maxima.

Nec quisquam putet grauiter hoc aduersus eos constitutum. nam est in ipsorum arbitrio, ne quæquam recipiant. Et nisi hoc esset statutum materia daretur,

cum furibus aduersus eos, quibus recipiunt coeundi: cum nec nunc quidem abstineant huiusmodi, fraudibus, d.l.prima, §. nec quisquam.

Qui sunt igitur, qui teneantur, uidendum est, & ait prætor, NAVTAE, nauta nautam accipere debemus eum, qui nauem exercet, quamuis nautæ appellantur omnes, qui nauis nauigandæ causa in naui sunt: sed de exercitore solummodo prætor sentit, neq;.n. debet (inquit Pomponius) per remigem, aut mesonautam obligari: sed per se, vel nauis magistrum: quanquam si ipse alicui è nautis committi iussit, sine dubio debeat obligari, d.l.prima, §. qui sunt.

Et sunt quidam in nauibus, qui custodiæ gratia nauibus præponuntur, vt nauium custodes si quis igitur ex his receperit, in exercitorem danda est actio: quia is, qui eos huiusmodi officio præponit, committi eis permittit: quanquam ipse vel nauicularius, vel magister id faciat. ꝙ Græci immissionem manus appellãt. sed & si hoc non extet: tñ de recepto nauiculario tenebitur, d.l.prima. §. & sunt.

De exercitoribus ratium, item lyntrariis, nihil cauetur. sed idem constitui oporte re, Labeo scribit, & hoc iure vtitur, d.l.prima, §. de exercitoribus.

Caupones aũt, & stabularios, æque eos accipimus, qui cauponam, vel stabulã exercent institoresve eorum. Cæterum si quis opera mediastini fungitur non continetur: vtputa atriarii, & focarii, & his similes, d.l.prima, §. caupones autem.

Ait prætor, QVOD CVIVSQVE SALVVM FORE ACCEPERINT. hoc est quamcunq; rem, siue mercem receperint. Inde apud Iulianum relatum est, ad eas quoq; res edictum pertinere, quæ mercibus accederent: veluti vestimenta, quibus in nauibus vterentur, & cætera, quę ad quotidianum vsum habemus, d.l.prima, §. ait prætor.

Item Pomponius libro tricesimoquinto scribit: parui referre res nostras, an alienas intulerimus: si tamen nostra intersit. saluas esse. Etenim nobis magis, quàm quorum sunt, debent solui. & ideo si pignori merces accepero, mihi magis, q̃ debitori nauta tenebitur: si à me eos susceperit. Recipit autem saluũ fore, vtrũ si in nauem res missæ ei adsignatæ sunt: an & si non sunt adsignatæ, hoc tamen ipso, quod in nauem missæ sunt, receptæ videntur? Et verum est omnium eum recipere custodiam, quæ in nauim illatæ sunt, & factum non solum nautarum præstare debere, sed & vectorum sicut, & caupo viatorum. & ita de facto vectorum etiam Pomponius scribit. idem ait, etiam si nondum sint res in nauem receptæ, sed in littore perierint, quas semel recepit: periculum ad eum pertinere, d.l.prima, §. item Pompon. & l. secunda, & tertia, in prin.

Ait prætor, NISI RESTITVANT IN EOS IVDICIVM DABO, ex hoc edicto in factum actio proficiscitur: sed an sit necessaria, videndum: quia agi ciuili actione ex hac causa poterit: si quidem enim merces interuenerit, ex locato, & conducto. & si tota nauis locata sit: qui conduxit ex conducto etiam de rebus, quæ desunt, agere potest: si vero res perferendas nauta conduxit ex locato conuenietur, sed si gratis res susceptæ sunt ait Pomponius depositi agi potuisse. Miratur igitur cur honoraria actio sit inducta, cum sint ciuiles. Nisi fortè (inquis) ideo vt innotesceret, prætorem curam agere reprimendæ improbitatis, hoc genus hominum: quia in locato, & conducto culpa in deposito dolus duntaxat præstatur: at hoc edicto omnimodo, qui recepit, tenetur; etiam si sine culpa eius res perierant, uel damnum datum est: nisi si quid damno fatali contigerit. inde Labeo scribit, si quid naufragio, aut per uim piratarum periit: aut damnum datum est: non esse iniquum exceptionem ei dari. idem erit dicendum, & si in stabulo, aut in caupona uis maior contigerit, ff.eo.l.tertia, §. ait prætor.

Eodem

Eodem modo tenentur,& caupones, & ſtabularii, ſi quod exercentes negocium ſuum recipiunt. Cæterum ſi extra negocium receperint: non tenebuntur,d.l. tertia,§.eodem modo.

Si filiusfamilias receperit,& voluntas patris interuenerit: inſolidum erit conueniendus. ſi vero ſine voluntate exerceant. de peculio dabitur, d.l. tertia,§. ſi filiusfamilias.

Hæc autem actio rei perſecutionem continet,vt Pompon.ait: & ideo in hęredem, & perpetuo datur,d.l.tertia,§.pen.

Nouiſsimè videndum, an eiuſdem rei nomine, & de recepto honoraria actione, & ex furtiua condictione agendum ſit.Et Pomponius dubitat: ſed magis eſt, vt vel officio iudicis,vel doli exceptione alterutra contentus eſſe debeat, d.l. tertia,§.finali.

Sed & ipſi nautæ furtiua condictio competit,cuius ſit periculo,niſi ipſe ſubripuit, & poſtea ab eo ſubripiatur;aut alio ſubripiente,ipſe nauta ſoluendo non ſit,ff. eo.l.quarta,in princ.

Si nauta nautæ,ſtabularius ſtabularii,caupo cauponis res receperit: æquè tenebitur,d.l.quarta,§.ſi nauta.

Viuianus dixit,etiam ad eas res hoc edictum pertinere, quæ poſt impoſitas merces in nauem,collocataſve inferentur,& ſi earum vectura non debetur (vt veſtimentorum pœnoris quotidiani) quia hæc ipſa cæterarum rerum locationi accedunt,d.l.quarta,§.fin.

Nauta, & caupo, & ſtabularius mercedem accipiunt,non pro cuſtodia:ſed nauta, vt traiiciat vectores;caupo vt viatores manere in caupona patiatur,ſtabularius vt permittat iumenta apud eum ſtabulari,& tamen cuſtodiæ nomine tenentur, ff.eo.l.quinta,in princip.

Nam,& fullo, & ſarcinator non pro cuſtodia,ſed pro arte mercedem accipiunt:& tamen cuſtodiæ nomine ex locato tenentur,d.l.quinta,§.nam,& fullo.

Quæcunque de furto diximus,eadem,& de damno debent intelligi,non enim dubitari oportet,quin is,qui ſaluum fore recipit,non ſolum à furto, ſed etiam à damno recipere videatur,d.l.quinta,§.fin.

Licet gratis nauigaueris,vel in cauponam gratis diuerteris: non tamen actiones tibi in factum denegabũtur,ſi damnũ in iniuria paſſus es,ff. eo.l.ſexta,in prin.

In factum actione caupo tenetur pro his, qui dubitandi cauſa in caupona ſunt. hoc autem non pertinet ad eum, qui hoſpicio repentino recipitur, veluti viator.Poſſumus autem furtiua condictione,vel damni iniuriæ actione vti, etiam cum nautis,vt certi hominis factum arguamus: ſed vna cõtenti eſſe debemus: & ſi cum exercitore egerimus, præſtare ei debemus actiones noſtras, quamuis ex conducto actio aduerſus eos competat exercitori. ſed ſi abſolutus ſit exercitor hac actione,deinde agatur cum nauta,exceptio dabitur, ne ſæpius de eiuſdem hominis admiſſo quæratur; Et contra, ſi de admiſſo vnius hominis actum ſit,deinde in factum actione agatur: exceptio dabitur,d.l.ſexta,§.in factum.

Debet exercitor omnium nautarum ſuorum, factum præſtare: nec immerito factum eorum præſtat, cum ipſe eos ſuo periculo adhibuerit: ſed non aliàs præſtat,quàm ſi in ipſa naue damnum datum ſit. Cæterum ſi extra nauem, licet à nautis: non præſtabit. item ſi prædixerit, vt vnuſquiſq; vectorum res ſuas ſeruet,neq; damnum ſe præſtaturum & conſenſerunt vectores prædictioni: non conuenietur,ff.eo. l.fin.in princ.

Hæc actio in factum in duplum eſt: ſed ſi quidem nautæ inter ſe damnum dede-

rint, hoc ad exercitorem non pertinet: sed si quis sit nauta, & mercator, debebit illi dari. Quod si quis, quos vulgo remum pro naulo, & vecturæ precio ducentes dicunt: & huic tenetur, & huius factum præstat, cum sit, & nauta, d.l. finali, §. hæc actio.

Hac autem actione suo nomine exercitor tenetur, culpæ scilicet suæ imputaturus, qui tales adhibuerit: & ideo, & si decesserint non reuelabitur, d.l. finali. §. hac autem actione.

Si plures nauem exerceant, vnusquisq; pro parte, qua nauem exercet, conuenitur, d.l. fin. §. si plures.

Hæc iudicia quamuis honoraria sint, tamen perpetua sunt: in hæredem autem nō dabuntur, sed cum voluntate patris filius nauem exercuit, vel cauponam, vel stabulum, hanc actionem insolidum pater pati debet: quasi omnia, quæ ab illis contingunt, insolidum receperint, d.l. fi. §. fi.

Titulus de actione rerum amotarum deberet sequi, hoc loco, sed quia datur marito aduersus eam, quæ vxor fuit, l. prima, ff. eo. titulo: Sed ex lege Euangelica vxor non desinit esse, nisi morte, ergo hæc actio locum habere non potest.

DE ACTIONE INIVRIARVM. Titulus XXIII.

Post obligationes ex furto sequitur de vi bonorum raptorum, et de lege Aquilia; sed in Actionibus omittitur actio vi bonorum raptorum; ratione qua omissa est actio furti, quia ad pœnam tantum respicit. Materia vero legis Aquiliæ non potuit commodè separari: et ideo tota est in quinta parte: et idem ferè est de Materia iniuriarum quia remanent nisi paucæ leges in Codice cuius Titulus ponitur: et qui desiderat pleniorem intelligentiam legat in quinta parte suo loco.

INiuriarum causa non publici iudicii, sed priuati continet quærelā, C. de iniuriis. l. septima.

Iniuriarum actio filia coniugata duplici ex causa competit: cum & maritus in vxoris pudore, & pater in existimatione filiarum propriam iniuriam pati intelligantur. C. eod. l. secunda.

Si non es nunciator veteri non debes: ne ea propter, quod iniuriæ faciendæ gratia, quidem te veluti delatorem esse dixerūt, opinio tua maculata sit. quinimo aduersus eos, qui minuendæ opinionis tuæ causa aliquid confecisse, comperiētur, more solito, iniuriarū iudicio experiri potes, C. eod. l. tertia.

Si non conuitii consilio te aliquid iniuriosum dixisse probari potest, fides veri à calumnia te defendit. Si autem in rixa, in consulto calore prolapsus, homicidii conuicium obiecisti, & ex eo die annus excesit: cum iniuriarum actio annuo tempore præscripta sit, ob iniuriæ admissum, conueniri non potes, C. eodem, l. quarta.

De aleatoribus Titulus hic ponitur quia alibi commodius esse non potuit.

DE

DE ALEATORIBVS. Titulus XXIIII.

PRætor ait, SI QVIS EVM, APVD QVEM IN ALEA LVSVM ESSE DICETVR, VERBERAVERIT, DAMNVMVE EI DEDERIT: SIVE QVID EO TEMPORE DOMO EIVS SVBTRACTVM ERIT: IVDICIVM NON DABO. IN EVM, QVI ALEAE LVDENDAE CAVSA VIM INTVLERIT, VTI QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. ff.eod.de aleatoribus,l.prima.in princ.

Si rapinas fecerint inter se collusores vi bonorum raptorum non denegabitur actio. susceptorem enim duntaxat prohibuit vindicari non & collusores, quamuis & hi indigni videantur. d.l.prima,§.si rapinas.

Item notandum quòd prætor susceptorem verberatum quidem, & damnum passum, vbicunque, & quandocunque non vindicat: verum furtum factum domi, & eo tempore, quo alea ludebatur: licet lusor non fuerit, qui quid eorum fecerit impunè fit. Dominum autem pro habitatione, & domicilio nos accipere debere certum est.d.l.prima.§.Item notandum.

Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere: præterquam si quis certet, disco, vel pilo iaciendo, currendo, saliendo, luctando, pugnando quod virtutis causa fiat, ff.eod.l.secunda,§.fin.

In quibus rebus ex lege Titia, & Cornelia etiam sponsionem facere licet. sed ex aliis, vbi pro virtute certamen non fit, non licet.ff.eod.l.tertia.

Quod in conuiuio crescendi causa ponitur, in eam rem familia ludere permittitur, ff.eod.l.fin.in prin.

Si filiusfamil. acceperit pecuniam, dabitur in patrem actio de peculio, sed non amplius cogendus est præstare, quam id, quod ex ea re in peculio sit. d.l.fina. §.item si.

Aduersus parentes repetitio eius, quod in alea lusum est, vtilis ex hoc edicto danda est.d.l.fin.§.fin.

Finis Libri Primi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Secundus.

DE HAEREDITATIS PETITIONE. Titulus I.

HAEREDITAS etiam sine vllo corpore iuris intellectum habet, ff. de petition. hæredit. l. hæreditas, 50. in prin.

Hæreditas ad nos pertinet, aut vetere iure, aut nouo. vetere è lege duodecim tabularum, vel ex testamento, quod iure factum est siue suo nomine, siue per se, siue per alios effecti sumus. Veluti si per eam personam, quæ in nostra potestate sit, institutam iusserimus adire hæreditatem, ff. de pet. hæred. l. prima, secunda, & tertia. in princ.

Sed & si Titio, qui Seio hæres extitit, nos hæredes facti sumus, sicuti Titii hæreditatem nostram esse intendere possumus, ita, & Seii. Vel ab intestato, fortè quòd sui hæredes defuncto sumus, vel adgnati. d. l. tertia, §. sed & si.

Nouo iure fiunt hæredes omnes, qui ex Senatusconsultis, aut ex constitutionibus ad hæreditatem vocantur. d. l. tertia. §. finali.

Si hæreditatem petam ab eo, qui vnam rem possidebat, de qua sola controuersia erat, etiam id quod postea cœpit possidere restituet, ff. eo. l. quarta.

Diuus Pius rescripsit prohibendum possessorem hæreditatis de qua controuersia erit, antequam lis inchoaretur aliquid ex ea distrahere: nisi maluerit pro omni quantitate hæreditatis, vel rerum eius restitutione satisdare. ff. eod. l. quinta, in principio.

Causa autem cognita, & si non talis data sit satisdatio, sed solita cautio, etiam post litem cœptam deminutionem se concessurum prætor ædixit: ne in totum deminutio impedita in aliquo etiam vtilitates alias impediat, vt puta si ad funus sit aliquid necessarium, nam funeris gratia deminutio non permittit, item si futurum

turum est,vt nisi pecunia intra diẽ soluatur,pignus distrahatur; sed & propter familiæ cibaria,necessaria erit deminutio; sed & res tempore perituras permittere debet prætor distrahere,d.l. quinta,§.causa autem.

Diuus Hadrianus Trebio Sergiano rescripsit, vt AElius Asiaticus daret satis de hæreditate,quæ ab eo petitur: & sic falsum dicat.hoc ideo, quia sustinetur hæreditatis petitionis iudicium, donec falsi causa agatur, d. l. quinta. §. Diuus Hadrianus.

Eorum Iudiciorum,quæ de hæreditatis petitione sunt,ea auctoritas est, vt nihil in præiudicium eius iudicii fieri debeat,d.l.quinta,§.fina.

Si testamentum falsum esse dicatur,& ex eo legatum petatur, vel præstandum est oblata cautione,vel quærendum an debeatur. Et si testamentum falsum esse dicatur,ei tamen,qui falsi accusat si suscepta cognitio est,non est dandum, ff.eodem,l. sexta.

Legitimam hæreditatem vindicare non prohibetur is,qui cum ignorabat vires testamenti,iudicium defuncti secutus est,ff.eod.l.legitimam,8.

Regulariter definiendum est eum demum teneri petitione hæreditatis, qui vel ius pro hærede,vel pro possessore possidet,vel rem hæreditariam, ff. eodem, l. Regulariter,9.

Licet minimam itaque,qui ex asse,vel ex per te hæres est,intendit quidem hæreditatem suam esse totam,vel pro parte,sed hoc solum ei officio iudicis restituitur,quod aduersarius possidet,aut totum si ex asse sit hæres, aut pro parte ex qua hæres est,ff.eod.l.licet.x.

Pro hærede possidet qui putat se hęredem esse.sed,an & is qui scit se hæredem nõ esse pro hærede possideat quæritur. Et Arrianus libro secundo de interdictis putat teneri,quo iure nos vti proculus scribit,ff.eod.l.pro hærede,xi.

Pro possessore vero possidet prædo,§.eod.l.pro hærede,xi.

Qui interrogatus cur possideat,responsurus sit, quia possideo: nec contendet se hæredem,vel per mendacium, Nec vllam causam possessionis possit dicere. & ideo fur & raptor petitione hęreditatis tenentur,ff.eod.l.qui interrogatus,xii. cum l.seq.in prin.

Omnibus etiam titulis hic PRO POSSESSORE hæret, & quasi iniunctus est, Denique & PRO EMPTORE. titulo hæret: nam si à furioso emero sciens, pro possessore possideo,ff.eod.l.nec ullam, 13,§.omnibus.

Is autem qui restituit hæreditatem,teneri hæreditatis petitione non potest, nisi dolo fecit: id est si scit,& restituit.nam & dolus præteritus venit in hæreditatis petitione,quasi dolo desierit possidere,d.l.nec vllam,§.is autem qui.

Ab hærede peti hæreditas potest,etiamsi ignoret pro hærede, vel pro possessore defunctum possedisse. Idem esse libro septimo, ait etiam si putauit hæres eas res ex hac hæreditate esse, quæ sibi delata est,d.l.nec vllam,§.Neratius.

Quid si quis hæreditatem emerit,an vtilis in eum petitio hæreditatis deberet dari ne singulis iudiciis vexaretur? venditorem enim teneri certum est: sed finge non extare venditorem,vel modico vendisse,& bonæfidei possessorem fuisse: an porrigi manus ad emptorem debeant? Et putant Caius Cassius dandam utilem actionem: idem erit dicendum,& si paruo precio iussus vendere hæres Titio hæreditatem vendidit: nam putat dicendum Papinianus aduersus fideicommissarium dari actionem: ab hærede enim peti non expedit per exiguum pretium habente,d.l.nec ullam,§. quid si quis.

Sed,& si retenta certa quantitate restituere rogatus sit,idem erit dicendum, planè si

nè si accepta certa quantitate restituere rogatus sit, non putat Panianus ab hærede petendam hæreditatem: quoniam pro hærede, quod condictionis implendæ gratia accepit non posſidetur: sed contra verius est, quia pecunia hæreditaria est. Idem & in eo, qui solos fructus ex hæreditate retinet dicendum erit, tenetur enim & is hæreditatis petitione, d.l. nec vllum, §. sed & si.

Si quis sciens alienam emit hæreditatem, quasi propossere posſidet: & sic peti ab eo hæreditatem quidem putant, quæ sententia non est vera: nemo enim prædo est, qui precium numerauit: sed vt emptor vniuersitatis vtili tenetur, d.l. nec vllam, §. si quis sciens.

Apud Marcellum lib. quarto digestorum relatum est, si mulier hæreditatem in dotem dedit, maritum pro dote quidem posſidere hæreditatem, sed petitione hæreditatis vtili teneri, sed & ipsam mulierē directa teneri marcellus scribit: maxime si iam factum diuortium est, d.l. nec ullam, §. apud.

Hæredem autem etiam earum rerum nomine, quas defunctus pro emptore possedit, hæreditatis petitione teneri constat. quasi pro hærede posſideat: quamuis etiam earum rerum nomine, quas pro hærede, vel pro possessore defunctus posſedit, vtique teneetur, d.l. nec vllam, §. hæredem.

Si quis absentis nomine posſideat hæreditatem, cùm sit incertum an ille ratum habeat, absentis nomine petenda est, hæreditas, ipsius verò nequaquam: quia non videtur pro hærede, vel pro possessore posſidere qui contemplatione alterius posſidet, nisi fortè quis dixit, cum ratum non habet; iam procuratorem quasi prædonem esse: tūc enim suo nomine teneri potest. d.l. nec vllā, §. si quis.

Non solum autem ab eo peti hæreditas potest, qui corpus hæreditarium posſide, sed & si nihil, & videndum si non posſidens obtulerit, tamen se petitioni an teneatur. Et celsus libro quarto digestorum scribit ex dolo eum teneri: dolo enim facere eum, qui se offert petitioni, quam sententiam generaliter Marcellus apud Iulianum probat: omnem qui se offert petitioni, quasi posſidentem teneri, d.l. nec vllam, §. non solum.

Item si quis dolo fecerit, quominus posſideat, hæreditatis petitione tenebitur: sed si alius nanctus possesſionem, quam ego dolo malo amiseram paratus sit iudicium pati Marcellus libro quarto digestorum tractat ne fortè euanescit aduersus eum, qui desiit litis æstimatio, & magis euanescere ait, nisi petentis interest. certè inquit si rem paratus sit restituere, indubitandum erit euanescere. sed si is qui dolo desiit, ante conueniatur, eum qui posſidet non liberabit, d.l. nec ullam, §. item si quis.

Item à debitore hæreditario quasi a iuris possessore: nam & à iuris possessoribus posse hæreditatem peti constat: sed utrum ex delicto, an ex contractu debitor sit nihil refert, d.l. nec ullam, §. fin. cum duabus, ll. seq.

Quod si in diem sit debitor vel sub condictione, à quo petita est hæreditas, nō debet is damnari: rei planè iudicatæ tempus spectatur, an dies uenerit, & in stipulatione condictionali erit dicendum. si autem non venerit cauere officio iudicis debeat de restituendo hoc debito cum dies uenerit, vel condictio extiterit, ff. eod. l. quod si, 16. in prin.

Sed, & is qui pretia rerum hæreditariarum posſident, item qui à debitore hæreditario exegit, petitione hæreditatis tenetur. Vnde Iulianus libro sexto digestorum ait ab eo, qui petit hæreditatem, & litis æstimationem consecutus est, hæreditatem peti posse, d.l. quod si, §. sed & is.

Non solum autem à debitore defuncti, sed etiam à debitore hæreditario peti hæreditas

reditas poteſt. Denique ab eo, qui negocia hæreditaria geſsit, & celſo, & Iuliano videtur peti hæreditatem poſſe. ſed ſi hæredis negocium geſsit, nequaquã. ab hæredis enim debitore peti hæreditas non poteſt, d.l. quod ſi, §. non ſolum.

Iulianus ſcribit ſi is, qui pro hærede poſsidebat, vi fuerit deiectus: peti ab eo, hæreditatem poſſe, quaſi à iuris poſſeſſore: quia habet interdictum VNDE VI. quo victus cedere debet, ſed & eum qui deiecit, petitione hæreditatis teneri: quia res hæreditarias pro poſſeſſore poſsidet, d.l. quod ſi, §. Iulianus.

Item Iulianus ait, ſiue quis poſsidens, ſiue non rem vendiderit, petitione hæreditatis eum teneri, ſiue iam preciũ recepit, ſiue petere poſsit, vt & hic actionibus cedat, d.l. quod. ſi, §. item Iulianus.

Idem Iulianus ſcribit ſi quis ex cauſa fideicommiſsi reſtituerit hæreditatem, vel ſingulas res præſtiterit, peti ab eo hæreditatem poſſe. quia habet condictionem earum, quæ ſunt ex ea cauſa ſoluta, & veluti iuris poſſeſſor eſt, dicta. l. quod ſi. §. penultimo.

Sed & ſi prætia rerum, quas diſtraxit, ex cauſa fideicommiſsi ſoluit, peti hæreditatẽ ab eo poſſe: quia repetere poteſt, ſed his caſibus actiones ſuas dumtaxat eum præſtaturum. cùm & res extant, & poteſt petitor etiam per in rem actionem eas vindicare, d.l. quod ſi, §. finali.

Quod ſi poſſeſſor hæreditatis ob id, quod ex teſtamento hæredem ſe eſſe putaret, legatorum nomine de ſuo ſoluit, ſi quis ab inteſtato eam hæreditatem euincat, licet damnum videtur eſſe poſſeſſoris, quod ſibi non proſpexerit ſtipulatione EVICTA HAEREDITATE. LEGATA REDDI, attamen quia fieri poteſt, vt eo tempore ſoluerit legata, quo adhuc nulla controuerſia mota ſit, & ob id nullam interpoſuerit cautionem, placet in eo caſu euicta hæreditate dandã ei eſſe repetitionem. Sed cum ceſſante cautione repetitio datur, periculum eſt, ne propter inopiam eius, cui ſolutum eſt legatum, nihil repeti poſsit. & ideo ſecundum Senatuſconſulti ſententiam ſubueniendum ei eſt, vt ipſe quidem ex retentione rerum hæreditariarum ſibi ſatisfaciat, cedat autem actionibus petitori, vt ſuo periculo eas exerceat, ff. eod. l. quod ſi poſſeſſor, xvii.

Item videndum ſi poſſeſſor hæreditatis venditione per argentarium facta pecuniam apud eum perdiderit, an petitione hæreditatis teneatur, quia nihil habet nec conſequi poteſt. ſed Labeo putat eum teneri, quia ſuo periculo male argentario credidit. ſed Octauenus ait nihil eum præter actiones præſtaturum: ſed in eo, qui mala fide poſsedit, Labeonis ſententia placet, in altero vero, qui bona fide poſſeſſor eſt, Octaueni ſententia ſequenda eſſe videtur, ff. eod. l. item videndum, xviii. in prin.

Si quis cùm peteretur ab eo hæreditas, neque rei, neque iuris velut poſſeſſor erat, vtrum poſtea aliquid adeptus eſt, an petitione hæreditatis videatur teneri? & Celſus libro quarto digeſtorum rectè ſcribit hunc condemnandum, licet initio nihil poſſedit, d. l. item videndum, §. ſi quis.

Nunc videamus, quæ veniant in hæreditatis petitione. Et placuit vniuerſas res hęreditarias in hoc iudicium venire: ſiue iura ſiue corpora ſint, d. l. item videndum, §. final.

Et non tantum hæreditaria corpora, ſed & quæ non ſunt hæreditaria, quorum tamen periculum ad hæredem pertinet: ut res pignori datæ defuncto, vel commodatæ, depoſitæve. Et quidem rei pignori datæ etiam ſpecialis petitio eſt, ut & hæreditatis petitione contineatur: ſicut illæ quarum nomine Publiciana competit: ſed licet earum nomine quæ commodatæ, vel depoſitæ ſunt, nulla ſit facilè

ciliè actio, quia tamen periculum earum ad nos pertinet æquum est eas restitui. ff. eod. l. & non tantum, xix. in princ.

Quod si PRO EMPTORE vsucapio ab hærede impleta sit, non veniet in hæreditatis petitione: quia hæres, idest petitor eam vindicare potest: nec ulla exceptio datur possessori, d. l. & non tantum, §. quod si pro.

Veniunt, & hæ res in hæreditatis petitionem in quibus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem: veluti si iurauerat defunctus petitoris rem non esse, & decesserit: debent hæ quoque restitui. Immo & si possessor seu culpa eas amiserit, tenebitur hoc nomine, idemque erit, & in prædone, licet hic propter culpam non teneatur: quia nec hic debet has res retinere, d. l. & non tantum, §. Veniunt.

Seruitutes in restitutionem hæreditatis non veniunt: cum nihil eo nomine possit restitui, sicut est in corporibus, & fructibus: sed si nō patiatur ire, & agere propria actione conuenientur, d. l. & non tantum, §. fin.

Item veniunt in hæreditatem etiam ea quæ hæreditatis causa comparata sunt, vt puta pecora, & si qua alia quæ necessario hæreditati sunt comparata, & si quidē pecunia hæreditaria sint comparata, sine dubio venient: si vero non pecunia hęreditaria videndum erit. & hæc venire æquum est, si magna vtilitas hæreditatis versetur: precium scilicet restituturo hærede. ff. eod. l. item veniunt. xx. in prin.

Sed non omnia, quæ ex hæreditaria pecunia comparata sunt, in hæreditatis petitionem ueniunt. Denique scribit Iulianus libr. sexto digestorum si possessor ex pecunia hæreditaria æquum emerit, & ab eo petatur hæreditas venire in hæreditatis petitionem, si hæreditatis interfuit eum emi, at si cui causa emit pretiū uenire, d. l. item veniunt, §. sed non omnia.

Simili modo, & si fundum hæreditarium distraxit si quidem sine causa, & ipsum fundum, & fructus in hæreditatis petitionem veniunt, quod si aeris exsoluendi gratia hæreditarii id fecit, non amplius venire quàm precium, d. l. item ueniunt, §. simili modo.

Item non solum ea quæ mortis tempore fuerunt, sed si qua postea augmenta hæreditati accesserunt, veniunt in hæreditatis petitionem: nam hæreditas, & augmentum recipit & deminutionem, d. l. item veniunt, §. item non solum.

Sed ea, quæ post aditam hæreditatem accedunt, si quidem ex ipsa hæreditate, hæreditati accedunt: si extrinsecus non: quia personæ possessoris accedūt. fructus autem omnes augent hæreditatem, siue ante aditam, siue post aditam hæreditatem accesserint: sed & fœtus animalium sine dubio augent hæreditatem, d. l. item ueniunt, §. sed ea quę.

Fructus computandos etiam earum rerum, quas defunctus pignori accepit, Iulianus ait, ff. eod. l. si quo, 41. §. fin.

Cum prædiximus omnes hæreditarias actiones in hæreditatis petitionem venire, quæritur utrum cum sua natura ueniat, an contra, vt puta est quædam actio, quę infitiatione crescit: utrum cum suo incremento an uero in simplum uenit? ut legis Aquiliæ, Et Iulianus libro sexto digestorum scribit, simplum soluturum. d. l. item ueniunt, xx. §. cum prædiximus.

Præter hæc multa repperimus tractata, & de petitione hæreditatis, de distractis rebus hæreditariis, de dolo præterito, & de fructibus, de quibus cum forma Senatusconsulto sit data, optimum est ipsius Senatusconsulti interpretationem facere uerbis eius relatis. PRIDIE IDVS MARTIVS QVINTVS IVLIVS BALBVS ET PVBLIVS, IVVENTIVS CELSVS TITIVS, AVFIDIVS

DIVS OENVS SEVERIANVS CONSVLES, VERBA FECERVNT, DE HIS, QVAE IMPERATOR CAESAR TRAIANI PARTHICI FILIVS DIVI, NERVAE NEPOS HADRIANVS AVGVSTVS, IMPERATOR, MAXIMVSQVE PRINCEPS PROPOSVIT QVINTO NONAS MARTIAS, QVAE PROXIMAE FVERVNT, LIBELLO COMPLEXVS ESSET, QVID FIERI PLACEAT: DE QVA RE ITA CENSVERVNT ANTEQVAM PARTES CADVCAE EX BONIS RVSTICI FISCO PETERENTVR, HI QVI SE HAEREDES ESSE EXISTIMANT HAEREDITATEM DISTRAXERINT, PLACERE REDACTAE EX PRECIO RERVM VENDITARVM PECVNIAE INTERESSE NON ESSE EXIGENDVM, IDEMQVE IN SIMILIBVS CAVSIS SERVANDVM. ITEM PLACERE A QVIBVS HAEREDITAS PETITA FVISSET, SI ADVERSVS EOS IVDICATVM ESSET, PRECIA QVAE AD EOS, RERVM EX HAEREDITATE VENDITARVM PERVENISSENT ET SI EAE ANTE PETITAM HAEREDITATEM DEPERISSENT, DEMINVTAEVE FVISSENT, RESTITVERE DEBERE. ITEM EOS, QVI BONA INVASISSENT, CVM SCIRENT AD SE NON PERTINERE, ETIAMSI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVOMINVS POSSIDERENT, PERINDE CONDEMNANDOS QVASI POSSIDERENT. EOS AVTEM, QVI IVSTAS CAVSAS HABVISSENT QVARE BONA AD SE PERTINERE EXISTIMASSENT, VSQVE EO DVMTAXAT, QVOD LOCVPLETIORES EX EA RE FACTI ESSENT, PETITAM AVTEM FISCO HAEREDITATEM, EX EO TEMPORE EXISTIMANDVM ESSE, QVO PRIMVM SCIERIT QVISQVE EAM A SE PETI: IDEST CVM PRIMVM, AVT DENVNTIATVM ESSET EI AVT LITTERIS, VEL EDICTO EVOCATVS ESSET, CENSVERVNT: Aptanda est igitur nobis singulis uerbis Senatusconsulti congruens interpretatio, dicta l. item veniunt, xx. §. præter hæc.

Ait senatus CVM ANTEQVAM PARTES CADVCAE FISCO PETERENTVR, hoc euenerat vt partes caducæ fisco peterentur, sed & si ex asse fiat Senatusconsultum locum habebit idem, & si vacantia bona fisco vindicentur, vel si ex alia quacunque causa bona ad eum peruenerunt. Senatusconsultum hoc locum habebit. Et si ciuitati peteretur, in priuatorum quoque petitionibus senatusconsultum hoc locum habere nemo est qui ambigit, licet in publica causa factum sit, d. l. item veniunt, §. ait senatus.

Senatusconsultum authore Diuo Hadriano factum, quo cautum est, quid & ex quo tempore euicta hæreditate restitui debeat, non solum ad fisci causas, sed & ad priuatos hæreditatis petitores pertinet, C. eodem l. prima, in principio.

Non solum in hæreditate vtimur senatusconsulto, sed & in peculio Castrensi, vel alia vniuersitate, d. l. item veniunt, §. non solum.

Petitam autem hæreditatem, & cætera, idest, ex quo quis scit à se peti, nam vbi scit, incipit esse malæfidei possessor. idest, cum primum aut denuntiatum esset, quid ergo si scit quidem, nemo autem ei denunciauit, incipiet interesse debere pecuniæ redactæ; Cœpit enim malæfidei possessor esse. sed ponamus denun

tiatum esse, non tamen scit, quia non ipsi, sed procuratori eius denuntiatum est, senatus ipsi denuntiari exigit, & ideo non nocebit: nisi forte is cui denunciatum est, eum certiorauerit, sed non, si certiorare potuit, nec fecit. A quo denunciatum est senatus non exigit, quicunque ergo fuit, qui denunciauit, nocebit. Hæc aduersus bonæfidei possessores: nam ita senatus locutus est, EOS QVI SE HAERDEES EXISTIMASSENT. Cæterum si quis sciens ad se hæreditatem non pertinere distraxit, sine dubio non precia rerum, sed ipsæ res veniunt in petitionem hæreditatis & fructus earum: sed Imperator seuerus epistola ad celerem idem videtur fecisse, & in malæfidei possessoribus, d. l. item veniunt, §. Petitam autem.

At quin senatus de his est locutus, qui se hæredes existimant, nisi fortè ad eas referemus, quas distrahi expedierat, quæ onerabant magis hæreditatem, quam fructui erant, vt si in arbitrio petitoris qualem computationem faciat aduersus malæfidei possessorem: vtrum ipsius rei, & fructuum an pretii & interesse post motam controuersiam, dicta. lege. item veniunt, §. atquin.

Licet autem senatus de his locutus sit, qui se hæredes existiment, tamen & si successores iustos se existiment, vel sibi restituitam hæreditatem, in eadem erunt condictione, d. l. item veniunt, §. licet autem.

Papinianus autem libro tertio quæstionum, si possessor hęreditatis pecuniam ininuentam in hæreditate non attingat negat eum omnino pro interesse conueniendum esse, d. l. item veniunt, §. Papinianus.

REDACTAE inquit, PECVNIAE EX PRECIO RERVM VENDITARVM, redactam sic accipiemus, non solum iam exactam, verum, & si exigi potuit nec exacta est. Quid si post petitam hæreditatem res distraxerit? hic ipsæ res venient fructusque earum: sed si forte tales fuerunt, quæ vel steriles erant, vel tempore perituræ; & hæ distractæ sunt vero precio fortassis possit petitor eligere, vt sibi precia, & interesse præstentur, dicta. l. item veniunt, §. redactæ.

Ait Senatus PLACERE A' QVIBVS PETITA HAEREDITAS FVISSET SI ADVERSVS EOS IVDICATVM ESSET, PRECIA, QVAE AD EOS RERVM EX HAEREDITATE VENDITARVM PERVENISSENT, ET SI ANTE PETITAM HAEREDITATEM DEPERISSENT, DEMINVTAEVE ESSENT RESTITVERE DEBERE. Bonæfidei possessor si vendiderit res hæreditarias, siue exigit precium siue non, quia habet actionem, debebit precium præstare, sed ubi habet actionem, sufficiet eum actiones præstare: sed si vendidit, & euicta re restituit, quod accepit, non videbitur ad eum peruenisse. quamquam possit dici, nec ab initio precium uenire: quia non fuit res hæreditaria, quæ distracta est: sed & si senatus rerum ex hæreditate distractarum, non hæreditariarum fecit mentionem: restitui tamen non debet, quia nihil apud eum remanet. Nam & Iulianus libro sexto digestorum scribit quod in debitum exegit, restituere eum non debere: nec imputaturum, quod non debitum soluit, d. l. item venient, §. ait senatus.

Sed si res sit redhibita, hic vtiq; & hæreditaria est, & precium non veniet, quod refusum est, sed & si ob venditionem obstrictus sit emptori possessor hæreditatis

dicendum erit prospici ei cautione, d.l. item veniunt, §. sed si res.

Restituere autem precia debebit possessor, & si deperditæ sunt res, vel deminutæ: sed vtrum ita demum restituat, si bonæfidei possessor est, an & si malæfidei? Et si quidem res apud emptorem extent, nec deperditæ, nec deminutæ sunt, sine dubio ipsas res debet præstare malæfidei possessor. aut si recipere eas ab emptore nullo modo possit, tantum quantum in litem esset iuratum, at ubi deperditæ sunt, & deminutæ, verum precium debet præstari: quia si petitor rem consecutus esset, distraxisset, & verum precium rei non perderet, d.l. item veniunt, §. finali.

Deperditum intelligitur, quod in rerum natura esse desiit, deminutum vero, quod vsucaptum esset, & ob id de hæreditate exiit, ff. eodem, l. deperditam intelligitur, 21.

Si & rem, & precium habeat bonæfidei possessor, puta quod eandem rem emerit, an audiendus sit, si velit rem dare non precium? in prædone dicimus electionem esse debere actoris. an hic magis possessor audiendus sit, si velit rem tradere licet deteriorem factam, non petitor si precium desideret, quod inuerecundum sit tale desiderium: an vero quia ex re hæreditaria locupletior sit, & id quod amplius habet ex precio restituere debeat, videndum, Nam & in oratione Diui Hadriani, ita est. Dispicite patres conscripti nunquid sit æquius possessorem non facere lucrum, & precium, quod ex aliena re perceperit reddere. quia potest existimari in locum hæreditariæ rei uenditæ precium eius suceessisse, & quodammodo ipsum hæreditarium factum. oportet igitur possessorem, & rem restituere petitori, & quod ex uenditione eius rei lucratus est, ff. eo. l. si & rem, & precium, 22.

Vtrum autem omne precium restituere debebit bonæfidei possessor, an uero ita demum si factus sit locupletior, videndum. finge precium acceptum, vel perdidisse, vel consumpsisse, vel donasse. & verbum quidem PERVENISSE ambiguum est solumve hoc cōtineret, quod prima ratione fuerit, an vero & id quod durat, & ex sequenti clausula Senatusconsulti, & si hæc sit ambigua ita demum computabit si factus sit locupletior. Proinde si non solum precium, sed etiam pœna tardius pretio soluto peruenerit, poterit dici, quia locupletior in totum factus est, debere venire; licet de precio solum modo senatus sit locutus, ff. eod. l. vtrum, 23.

At vbi vi deiectus fuit, non debet restituere pœnam ex eo commissam, quòd eam actor habere non potest: sic nec pœna restitui debet, quā aduersarius ei promisit si ad iudicium non venerit, ff. eod. l. At vbi. 24.

Sed & si lege commissoria vendidit, idem erit dicendum, lucrum quod sensit lege commissoria præstaturum, item si rem distraxit & ex precio aliam rem comparauit, veniet precium in petitionem hæreditatis, non res, quam in patrimoniū suum conuertit: sed si res minoris valet quam comparata est, hactenus locupletior factus videbitur, quatenus res valet, quemadmodum si consumpsisset in totum locupletior factus non videbitur. ff. eod. l. sed & si lege. 25. in prin.

Quod ait Senatus, EOS QVI BONA INVASISSENT, QVAE SCIRENT AD SE NON PERTINERE, ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVO MINVS POSSIDERENT PERINDE CONDEMNANDOS QVASI POSSIDERENT, ITA INTELLIGENDVM EST VT ET, dolus præteritus in petitionem hæreditatis deduceretur: sed

& culpa, & ideo ab eo qui ab alio non exegit, vel à semetipso, si tempore esset liberatus, peti hæreditatem posse, hoc vtique si exigere potuit, d.l. sed si lege, §. quod ait senatus.

Quod autem ait senatus, EOS QVI BONA INVASISSENT, loquitur de prædonibus: idest de his, qui cum scirent ad se non pertinere hæreditatem, inuaserunt bona: scilicet cum nullam causam haberent possidendi, sed & fructus non quos perceperunt, inquit, sed quos percipere debuerunt eos præstaturos. d.l. sed & si lege, §. quod autem.

De eo autem loquitur senatus, qui ab initio mente prædonis res hæreditarias adpræhendit. quod si ab initio quidem iustam causam habuit adipiscendæ possessionis, postea vero conscius ad se nihil hæreditatem pertinere, prædonio more versari cœpit. nihil senatus loqui videtur: sed tamen ad eum mens senatusconsulti pertinet: parui etenim refert ab initio quis dolose in hæreditate sit versatus, an postea hoc facere cœpit, d.l. sed & si lege, §. de eo autem.

Scire ad se pertinere vtrum is tantummodo videtur qui factum scit, an & is, qui in iure errauit? putauit enim rectè factum testamentum, cum inutile erat; vel cum eum alius præcederet adgnatus sibi potius deferri. sed iste non erit prædo qui stolo caret quamuis in iure erret, d.l. sed & si lege, §. scire ad se.

Si ante litem cõtestatam inquit fecerint, hoc ideo adiectum, quoniam post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quinimo post controuersiam motam. quamquam enim litis contestatæ mentio fiat in Senatusconsulto, tamen, & pod motam controuersiam omnes possessores pares fiũt, & quasi prædones tenentur & hoc iure hodie vtimur. Cœpit enim scire rem ad se non pertinentem possidere is qui interpellatur, qui uero prædo est, & ante litem contestatam doli nomine tenebitur, hic est enim dolus præteritus, d.l. sed & si lege, §. si ante.

Perinde inquit CONDEMNANDOS QVASI POSSIDERENT meritò: nã is, qui dolo fecit, quominus possideret, vt possessor condemnatur, accipere, siue dolo desierit possidere, siue dolo possessionem noluerit admittere, siue autem ab alio res possideatur, siue in totum non extet, locum habebit hæc clausula. Vnde si sit alius possessor ab vtroque hæreditas peti possit, & si per multos ambulauerit possessio omnes tenentur: sed vtrum is solus, qui possidet fructus præstabit: an etiam is qui dolo fecit, quominus possideret? & dicendũ erit post Senatusconsultum ambo teneri, d.l. sed & si lege, §. perinde.

Hæc verba Senatusconsulti etiam aduersus eos qui non possident, inducunt iusiurandum: tam enim aduersus eum, qui dolo fecit, quominus possideat, quam aduersus possidentem in litem iuratur, dicta. l. sed, & si lege. §. hæc verba.

Consuluit Senatus bonæfidei possessoribus, ne in totum damno adficientur, sed in id dumtaxat teneantur in quo locupletiores facti sunt. quemcumque igitur sumptum, fecerint ex hæreditate, si quid dilapidauerunt perdiderunt, dum re sua se abuti putant, non præstabunt. nec si donauerim locupletiores facti videbuntur: quamuis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligauerunt. planè si ANTIOPA acceperunt, dicendum est eatenus locupletiores factos quatenus acceperunt: velut genus quodam hoc esset permutationis, d.l. sed & si lege, §. consuluit.

Si quis re sua lautius vsus sit cõtẽplatione delatę sibi hęreditatis, Marcellus putat nihil eũ ex hæreditate deducturum si eã non attingit. simili modo & si mutuam pecu-

pecuniam accepit, quasi diues se deceperit: si tamen pignori res hæreditarias dedit, videndum an vel sic attingatur hæreditas, quod est difficile cum ipse sit obligatus, d.l. sed & si lege, §. si quis.

Adeo autem qui locupletior factus non est non tenetur, vt si quis putans se ex asse hæredem partem dimidiam hæreditatis sine dolo malo consumpserit, Marcellus tractat num non teneatur, quasi id quod erogauerit, ex eo fuerit, quod ad eum non pertinebat, sed ad cohæredes: Nam & si is, qui hæres non erat totum quidquid apud se fuit consumpsisset, sine dubio non tenetur, quasi locupletior non factus, sed in proposita quæstione tribus visionibus relatis, vna prima, deinde alia, posse dici, totum quod superest restituere eum debere, quasi suam partem consumpserit: tertia utrique quod consumptum est decedere: ait vtiq; non nihil restituendum: de illo dubitat, utrum totum an partem restituendam dicat: sed tamen residuum integrum non est restituendum, sed partem eius dimidiam, d.l. sed & si lege, §. adeo autem.

Quod autem quis ex hæreditate erogauit, vtrum totum decedat, an vero pro rata. Patrimonii eius? vtputa penum hæreditarium ebibit: vtrum totum hæreditati expensum feratur, an aliquid & patrimonio eius, vt in id factus locupletior uideatur, quod solebat ipse erogare ante delatam hæreditatem? ut si quid lautius contemplatione hæreditatis impendit. in hoc non videatur factus locupletior: in statutis uero suis sumptibus uideatur factus locupletior: utique enim & si non tam lautè erogasset, aliquid tamen ad uictum quotidianum erogasset. Nam & Diuus Marcus in causa Pythodori, qui rogatus erat, quod sibi superfuisset ex hæreditate reddere, decreuit, ea quæ alienata erant non minuendi fidei commissi, nec pretium in corpus patrimonii Pythodori reddidisse, & ex proprio Pythodori patrimonio, & ex hæreditate decedere, non tantum ex hæreditate. Et nunc igitur statuti sumptus utrum ex hæreditate decedent exemplo rescripti diui Marci, an ex solo patrimonio videndum erit. Et uerius est, ut ex suo patrimonio decedant ea, quæ, & si non hæres fuisset erogasset, d.l. sed & si lege, §. quod autem.

Item si rem distraxit bonæfidei possessor, nec pretio factus sit locupletior an singulas res si nondum usucaptæ sint uendicare petitor ab emptore posit? & si uindicet, an exceptione non repellatur QVOD PRAEIVDICIVM HAEREDITATI FIAT INTER ACTOREM, ET EVM QVI VENVM DEDIT: quia non videtur venire in petitionem hæreditatis precium earũ, quamquam uicti emptores reuersuri sunt ad eum, qui DISTRAXIT? & potest res uindicari, nisi emptores regressum ad bonæfidei possessorem habent. quid tamen si is, qui vendidit paratus sit ita defendere hæreditatem, vt perinde atque si possideret conueniatur? incipit exceptio locum habere ex persona emptorum certe si minori pretio res uenierint, & pretium quodcunque illud actor sit consecutus, multo magis poterit dici exceptione eum summoueri. Nam & si id quod à debitoribus exegit possessor, petitori hæreditatis soluit liberari debitores Iulianus scribit, siue bonæfidei possessor, siue prædo fuit, qui debitum ab his exegerat, & ipso iure eos liberari, d.l. sed & si lege. §. item si rem.

Petitio hæreditatis, & si in rem actio sit, habet tamen præstationes quasdam personales, vt puta eorum quæ à debitoribus sunt exacta: item preciorum, d.l. sed & si lege, §. petitio.

Hoc Senatusconsultum ad petitionem hæreditatis factum etiam in familiæ erciscundæ iudicio locum habere placet: ne res absurda sit, vt quæ peti possint di-

uidi non posſint,d.l.ſed & ſi lege,§.penultimo.

Augent hæreditatem gregum, & pecorum partus,quod ſi oues natæ ſint, deinde ex his aliæ,hæ quoque quaſi agmentum reſtitui debent,d.l.ſed & ſi lege, §.fina. cum l.ſeq.

Sed,& penſiones,quæ ex locationibus prædiorum vrbanorum perceptæ ſunt venient.Poſt Senatuſconſultum enim omne lucrum auferendum eſſe tam bonæfidei poſſeſſori,quam prædoni,dicendum eſt,ff.eod.l.Ancillarum,xxvii.§.fina. cum l.ſeq.

Mercedes planè à colonis acceptæ loco ſunt fructuum,operæ quoque iumentorũ in eodem erunt cauſa,qua ſunt penſiones.item veſturæ nauium & iumentorũ, ff.eod.l.mercedes,xxix.

Iulianus ſcribit actorem eligere debere,vtrum ſortem tantum an & intereſſe velit cum periculo nominum agnoſcere. Atquin ſecundũ hoc non obſeruabimus quod ſenatus voluit,bonæfidei poſſeſſorem teneri quatenus locupletior ſit. qd enim ſi pecuniam eligat actor quæ ſeruari non poteſt? Dicendum itaque eſt in bonæfidei poſſeſſore,hæc tantummodo eum præſtare debere: ideſt vel ſortem & intereſſe eius,ſi & id percepit,vel nomina cum eorum ceſsione in id facienda, quod ex his adhuc deberetur, periculo ſcilicet petitoris, ff. eodem l.Iulianus, xxx.

Si quid poſſeſſor ſoluit creditoribus,reputabit: quamquam ipſo iure non liberauerit petitorem hæreditatis.nam quod quis ſuo nomine ſoluit non debitoris debitorem non liberat.Et ideo Iulianus ſcribit, ita id imputaturum poſſeſſorem,ſi cauerit ſe petitorem defenſum iri: ſed an & bonæfidei poſſeſſor debeat defendendum cauere,videndum erit: quia in eo, quod ſoluit non videtur locupletior factus,niſi fortè habeat condictionem,& hoc nomine videtur locupletior,quia poteſt repetere: finge enim eum dum ſe hæredem putat ſoluiſſe ſuo nomine.Ei videtur Iulianum de ſolo prædonæ vt caueat ſenſiſſe,non etiam de bonæfidei poſſeſſore,condictionem tamen præſtare debebit: ſed & petitor ſi à creditoribus conueniatur exceptione vti debebit: ſed ſi ipſi aliquid prædoni debebatur,hoc deducere non debebit: maxime ſi id fuit debitum,quod natura debebatur.quid tamẽ ſi expediebat petitori id debitum eſſe diſſolutum propter pœnam vel aliam cauſam? poteſt dici ipſum ſibi,vel ſoluiſſe, vel debuiſſe ſoluere,ff.eod.l.ſi quid,31.in prin.

Iuſtus autem poſſeſſor dubio procul debebit deducere,quod ſibi debetur,ſicut autem ſumptum,quem fecit,deducit, ita ſi facere debuit nec fecit culpæ huius reddat rationem,niſi bonæfidei poſſeſſor eſt: tunc enim quia quaſi ſuam rem neglexit,nulli quærellæ ſubiectus eſt ante petitam hæreditatem.poſtea verò, & ipſe prædo eſt,illud planè prædoni imputari non poteſt, cur paſſus eſt liberari debitores,& pauperiores fieri,& non eos conuenit: cum actionem non habuerit,d.l.ſi quid,§.iuſtus autem.

Quod autem poſſeſſori ſolutum eſt,an reſtituere debeat, videamus, & ſi bonæfidei poſſeſſor fuit. ſiue non debere reſtituere placet. & quidem ſi reſtituerit, vt caſsius ſcribit, & Iulianus liberari ipſo iure debitores,d.l.ſi quid.§. fina.

Iulianus ſcribit ſi equum poſſeſſor diſtraxerit,ſi quidem nod neceſſarium hæreditati,petitione hæreditatis precium præſtaturum: imputaretur enim ei ſi non diſtraxiſſet,quod ſi neceſſarium hæreditati,ſi quidem iuuit ipſum præſtandum, ſi deceſſerit fortasſis, nec precium, ſed non paſſurum iudicem, qui cognoſcit poſſeſſorem precium lucrari ſcribit,& verius eſt,ff.eo.l. niſi ex re,33.§. Iulian.

Filii

Filii familias militis peti potest hæreditas, ex testamento nobis obueniens, ff. eo. l. filii familias, 34. in princ.

Si filiusfamilias res hæreditarias teneat à patre peti hæreditas potest, si facultatem restituendarum rerum habet, certè si precium rerum hæreditariarum venditarum in peculio filii habeat, potest à patre, quasi à iuris possessore hæreditas peti, d. l. filii fami. §. si seruus.

Idem Iulianus ait, etiam si nondum precia rerum consecutus sit filius, posse à patre, quasi à iuris possessore hæreditatem peti: quia habet actionem, qua eam pecuniam consequatur, quæ quidem actio, etiam ignoranti adquireretur, ff. eod. l. idem Iulianus, xxxv.

Si à patre, qui precia posside et hæreditas petatur, an filio mortuo vel emancipato intra annum agi debeat? quæritur et, & an debitum sibi pater deducere posit, & verius est perpetuò actionem dandam, nec deduci oportere id, quod ipsi debetur: quia non de peculio agatur, sed hæreditas petatur. Hæc rectè si precia habeat filiusfamilias: quod si propterea hæreditas petatur à patre, quod filius debitor fuit, perinde haberi debebit, atq; si de peculio ageretur, idem dicendum est, si pecuniam ex precio perceptam filius consumpserit, sed alias ex peculio eius solui potest, ff. eo. l. si à domino, 36. in prin.

Sed & à filiofamilias peti hæreditatem posse non est dubium, quia restituendi facultatem habet, sicut ad exhibendum: Multo magis dicitur posse peti hæreditatem à filiofamilias, qui cum paterfamilias esset, & posideret hæreditatem ad rogandum se præstauit, d. l. si à domino, §. sed & à filio.

Si possessor hæreditarium equum occiderit, id quoque in hæreditatis petitione veniet, sed Pomponius ait actorem debere eligere, vtrum velit sibi eum condemnari, vt caueat se non acturum lege Aquilia, an malit integram sibi esse actionem legis Aquiliæ omissa eius rei æstimatione à iudice, quæ electio locum habet si ante aditā hr̄ditatē occisus sit equus, nā si postea ipsius actio propria effecta est, nec veniet in hęreditatis petitionem, d. l. si à domino, 36. §. si possessor.

Si prædo dolo desisset posidere res autem eo modo interierit, quo esset interiturum, & si eadem causa possesionis mansisset, quantum ad uerba senatusconsulti, melior est causa prædonis, quàm bonæfidei possessoris: quia prædo si dolo desierit posidere, ita condemnatur atque si posideret, nec adiectum esset, SI RES INTERIERIT. sed non est dubium, quin non debeat melioris esse condicionis, quàm bonæfidei possessor. Itaq; & si pluris venierit res, electio debebit esse actoris, vt precium consequatur, alioquin lucretur aliquid prædo, d. l. si à domino, §. si prædo.

Prædo fructus suos non facit, sed augent hæreditatem: ideoque eorum quoq; fructus præstabit, in bonæfidei autem possessore hi tantum veniunt in restitutione, quasi augmenta hæreditatis, per quos locupletior factus est, ff. eod. l. illud, 40. §. prædo fructus.

Prædonis loco intelligendus est is, qui tacitam fidem interposuerit, vt non capienti restitueret hæreditatem, ff. eo. l. prædonis, 46.

Quo tempore locupletior esse debeat bonæfidei possessor dubitatur, sed magis est rei iudicatæ tempus spectandum esse, d. l. si à domino, §. quo tempore.

Fructus intelliguntur deductis impensis quę, quęrendorum cogendorum, conseruandorumque eorum gratia fiunt, quod non solum in bonęfidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verumetiam in prędonibus: sicut Sabino quoque placuit, d. l. si à domino, §. finali.

Quod si sumptum quidem fecit, nihil autem fructuum perceperit, æquissimum erit rationem horum, quoq; in bonæfidei possessoribus haberi, ff. eo. l. q si, 37.

Planè in cæteris necessariis, & utilibus impensis posse separari, vt bonæfidei quidem possessores has quoq; imputent. prædo autem de se quæri debeat, q sciës in rem alienam impendit: sed benignius est, in huius quoq; persona haberi rationem impensarum: non enim debet petitor ex aliena iactura lucrum facere, & id ipsum officio iudicis continebitur. nam nec exceptio doli mali desideratur. Planè potest in eo differentia esse, vt bonæfidei quidem possessor omnimodo impensas deducet, licet res non extet inquam fecit: sicut tutor vel curator consequuntur. prædo autem non aliter, quàm si res melior sit, ff. eo. l. plane, 38.

Vtiles autem necessariæq; sunt, veluti quæ fiunt reficiendorum ædificiorum gratia, aut in nouelleta. Deniq; alias complures eiusdem generis esse impensas manifestum est. Videamus tamen ne & ad picturarum quoq; & marmorum, & cæterarum voluptariarum rerum impensas æquè proficiat nobis doli exceptio; si modo bonæfidei possessores simus. Nam prædoni probè dicetur, non debuisse in alienam rem superuacuas impensas facere, vt tamen potestas ei fieret tollendorum eorũ, quæ sine detrimento ipsius rei tolli possunt, ff. eo. l. vtiles. 39.

In restituenda hæreditate compensatio eius habebitur, quod te in mortui infirmitatem, inquam sumptum funeris bona fide ex propio tuo patrimonio erogasse probaueris, C. eo. l. quarta.

De hæreditate, quàm bonafide possidebas, si contra te pronunciatum est in restitutione eius detrahetur, quod creditoribus eiusdem hæreditatis exsoluisse te bona fide probaueris. nam repeti à creditoribus, qui suum receperunt non potest, C. eod. l. quinta.

Fructuum post hæreditatem petitam perceptorum interesse non præstatur. Diuersa ratio est eorum, qui ante actionem hæreditatis illatam percepti hæreditatem auxerunt, ff. eo. l. hæres, 51. §. fructuum.

Interesse pecuniarum ante litis contestationem ex die venditionis hæreditariarum rerum ab eo factæ, qui antea possidebat collectas, necnon etiam fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint. Post litem autem contestatam, tàm fructus non uenditarum rerum, non solum quos perceperunt, sed etiam quos percipere poterunt, quàm interesse precii rerum ante litis contestationem venditarum, ex die contestationis computandum omnimodo reddere compellentur, C. eo. l. prima, §. usuras.

Si possessor ex hæreditate inhonestos habuerit quæstus, hos etiam restituere cogetur: ne honesta interpretatio non honesto quæstui lucrum possessori faciat, ff. eod. l. si possessor, 52.

Non solum ad æs alienum hæreditarium exsoluendum necessaria alienatio possessori est, sed & si impensæ necessariæ in rem hæreditariam factæ sunt à possessore, vel si mora perituræ deterioresve futuræ erant, ff. eod. l. non solum, 53.

Cum hæreditas petita sit eos fructus, quos possessor percepit, omnimodo restituendos eos, & si petitor eos percepturus non fuerat, Aphricanus ait, ff. eo. l. cum hæreditas, 56.

Filius à patre emancipatus secundum condictionem testamenti matris adiit hæreditatem, quam pater antequam filium emanciparet possedit, fructusque ex ea possedit: sed erogationem in honorem filii cum esset senator fecit ex ea. quæsitum est cum paratus sit pater restituere hæreditatem habita ratione eorum, quæ in eum erogauit, an filius nihilominus perseuerans petere hæreditatem

rem doli mali exceptione summoueri posſit, responsum est, & si non exciperetur satis per officium iudicis consuli, ff.eo.l.fi.

Si post motam controuersiam Menecratis bonorum partem dimidiam Musæus ab hærede scripto quæstionis illatæ non ignarus comparauit? cùm ipse, quasi malæfidei possessor, quàm hæredes eius fructus restituere coguntur: si vero venditionem lite antiquiorem esse liquido probetur, ex eo die fructus restituantur; ex quo lis in iudicium deducta est. fructibus enim augetur hereditas cum ab eo possidetur à quo peti potest, emptor autem, qui proprio titulo possessionis munitus est etiam singularum rerum iure conuenit, C.eo.l.secunda.

Illud quoque, quod in orationem Diui Hadriani est, vt post acceptum iudicium, id actori præstetur, quod habiturus esset si eo tempore, quo petit restituta esset hæreditas, interdum durum est, quid enim si post litem contestatam iumenta, aut pecora deperierint? damnari debebit secundum verba orationis, quia potuit petitor restituta hæreditate distraxisse ea. Et hoc iustum esse in specialibus petitionibus. Proculo placet. Casſius contra sensit: in prædonis persona Proculus rectè existimat: in bonæ fidei possessoribus, Casſius. Nec enim debet possessor, aut mortalitatem præstare, aut propter metum huius periculi temere indefensum ius suum relinquere, ff.eo.l.illud, 40. in prin.

Actiones si quas possessor nanctus est euicta hæreditate restituere debet: ueluti si interdictum, VNDE VI, aut quod precario concesſit. contra quoque si possessor cauerit dãni infecti cauẽdũ est possessori, ff.eo.l.illud, 40 §. actiones.

Si quo tempore conueniebatur possessor hæreditatis, pauciores res posſidebat, deinde aliarum quoque rerum possesſionem adſumpſit, eas quoque victus restituere debebit: siue ante acceptum iudicium, siue postea adquisierit possesſionem, & si fideiussores, quos dederat ad litem non sufficiant, iubere eum debebit proconsul, vt idoneè caueat, ex diuerso quoque si pauciores postea posſidebit, quàm initio posſidebat, si modo id sine dolo eius acciderit absolui debet, quod ad eas, quas res desiit posſidere, ff.eo.l.si quo, 41.in princ.

Si debitor hæreditarius non ideo noluit soluere, quod se dicat hæredem, sed ideo quod neget, aut dubitet, an hæreditas pertineat ad eum, qui petit hæreditatem, non tenetur hæreditatis petitione, ff.eo.l.si debitor, 42.

Hæres debitoris, id quod defunctas pignori dederat, quin hæreditatem petendo consequi posſit dubium non est, ff.eo.l.ei qui, 54.55. hæres debitoris.

Postquam legatum à te accepi, hereditatem peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait, non aliter mihi aduersus te dandum petitionem, quam si legatum redderem. Videamus autem ne non aliter petitor hereditatis legatum restituere debeat, quam vt ei caueatur, si contra eum de hæreditate iudicatum fuerit reddi e legatum: cum sit iniquum, eo casu posſesſorem hæreditatis legatum, quod soluerit retinere: & maximè si non per calumniam, sed per errorem hæreditatem petierit aduersarius idque & Lelius probat. Imperator autem Antonius rescripsit ei, qui legatum ex testamento abstulisset, causa cognita hæreditatis petitionem negandam esse: scilicet si manifesta calumnia sit, ff.eo l.postquam, 43.

Cum is qui legatum ex testamento percepit, hæreditatem petit, si legatum quocunque modo redditum non sit iudicis officio continetur, vt uictori deducto eo, quod accepit restituatur hæreditas, ff.eo.l.cum is, 44.

Qui se liti obtulit cum rem non posſideret, condemnatur: nisi si euidentisſimis probationibus posſit ostendere actorem ab initio litis scire eum non posſidere. quippè isto modo non est deceptus, & qui se hereditatis petitioni obtulit, ex

doli

doli clausula tenetur. æstimari scilicet oportebit, quanti eius interfuit non decipi, ff. eo. l. qui se liti, 45.

Lucius Titius cum in falsi testamenti propinqui accusatione non obtinuerit. quæritur an de non iure facto, nec signato testamento querela illi competere possit, responsum est non ideo repelli ab intentione non iure facti testamēti, quod in falsi accusatione non obtinuerit, ff. eo. l. Lucius, 47.

In æstimatione hæreditatis, ita uenit precium venditæ hæreditatis, vt id quoque accedat, quod plus fuit in hæreditate, si ea negotiationis causa veniit: sin autem ex fideicommissi causa nihil ampliusquam, quod bona fide accepit, ff. eod. l. in æstimatione, 48.

Si bonæfidei possessor hæreditatis velit cum debitoribus hæreditariis, aut qui res hæreditarias occupauerint consistere, audietur utique si periculum erit, ne inter moras actiones intercidant. Petitor autem hæreditatis citra metum exceptionis in rem agere poterit. quid enim si possessor hæreditatis negligat? quid si nihil iuris habere se sciat, ff. eo. l. si bonæfidei, 49.

Si defuncto monumentum condicionis implendæ gratia bonæfidei possessor fecerit, potest dici, quia voluntas defuncti, vel in hoc seruanda est, utique si probabilem modum faciendi monumenti sumptus, vel quantum testator iusserit non excedat eum, cui aufertur hæreditas, impensas ratione doli exceptione, aut retenturum, aut actione negociorum gestorum repetiturum, veluti hæreditario negocio gesto. quamuis enim stricto iure nulla teneantur actione hæredes ad monumentum faciendum, tamen principali, vel pontificali auctoritate compelluntur ad obsequiū supremæ uoluntatis, ff. eo. l. hæreditas, 50. §. si defuncto.

Hæres furiosi substituto, vel sequentis gradus cognato fructus medii temporis, quibus per curatorem furiosus locupletior factus uidetur, præstabit. exceptis videlicet impensis, quæ circa eandem substantiam, tam necessariæ, quam utiliter factæ sunt: sed & si quid circa furiosum necessariè fuerit expensum, & hoc excipiatur, nisi alia sufficiens substantia est furioso ex qua sustentari potest, ff. eod. l. hæres, 51. in princ.

Ei, qui partes hæreditarias, vel totam à fisco mercatus fuerit, non est iniquum dari actionem, perquam uniuersa bona persequatur: quemadmodum ei, cui, ex Trebelliano senatusconsulto hæreditas restituta est, precio hæreditatis datur, ff. eod. l. ei, qui, 54.

Cum prædia urbana, & rustica neglentia possessorum peiora sint facta, veluti quia vineę pomaria, horti extra consuetudinem patrisfamilias defuncti culta sunt, litis æstimationem earum rerum quantum peiores sint factæ, possessores pati debent, d. l. ei qui, §. cum prædia.

Euicta hæreditate bonæfidei possessor, quod lege Aquilia exegisset, non simplum sed duplum restituet, lucrum enim ex eo, quod propter hæreditatem receperit facere non debet, ff. eo. l. euicta, 55.

Cum idem eandem hæreditatem aduersus duos defendit, & secundum alterum, ex his iudicatum est, quæri solet utrum perinde ei hæreditatem restitui oporteat, atque oporteret, si aduersus alios defensa non esset: ut scilicet si mox & secundum alium fuerit iudicatum absoluatur is, cum quo actum est, quia nec possideat, nec dolo malo fecerit, quo minus possideret, quod iudicio reuictus restituerit. an quia possit, & secundum alium iudicari, non aliter restituere debeat, quam si cautum ei fuerit, quod aduersus aliam eandem hæreditatem defendit, sed melius est, officio iudicis, cautione, vel satisdatione victo mederi:

cum,& res salua sit ei, qui in executione tardior venit aduersus priorem victorem, ff.eod.l. penult.

Hæreditas materteræ petita,non infringit alterius hæreditatis petitionem, quæ venit ex alia successione, C.eo.l.tertia.

Si putas non iure tutores datos nepotibus tuis,quod eos dicas in potestate tua esse;petere ab his hæreditatem filii tui emancipati non moreris, cuius commodum ad te pertinere dicis:iudice statuturo, an à præsidalibus actis discedendũ sit,qui eis tutores dedit,cum in tua potestate negarentur esse,C.eod.l.sexta.

Hæreditatis petitionem,quæ aduersus pro hærede,vel pro possessore possidentes exerceri potest,præscriptione longi temporis non submoueri,nemini incognitum est,cum mistæ personalis actionis ratio hoc respondere compellat; à cæteris autem tantum specialibus in rem actionibus uindicari posse, manifestum est:si non agentis intentio per vsucapionem, vel longum tempus explosa sit, C.eod.l.septima.

Si scripti hæredes delatam sibi successionem cognati repudiauerunt, & hanc honorario, vel ciuili iure quæsisti. res hæreditarias, quæ in eadem causa durant hæreditatis petitione vendicare potes,C.eo.l. si scripti,9.

Si filiusfamilias delatam sibi hæreditatem per longum tempus detinuit: eo ipso, vtpotè agnita hæreditate fratri suo eius commodum adquisisse uidetur, C.eo. l.si filiusfamilias,x.

Cogi possessorem ab eo,qui expetit, titulum suæ possessionis dicere inciuile est: præter eum scilicet,quod dicere cogitur, utrum pro possessore, an pro hærede posfideat,C. eod.l.cogi,xi.

Si quis hæreditatis petitionem,vel suscipere sperat, vel mouere, alius autem superueniens,vel ex deposito,vel commodato,vel legato, vel fideicommisso, uel ex aliis causis inquietare,vel reum,vel agentem,vel ex persona defuncti crediderit, sibi esse necessariam credat si quidem pro legato, vel fideicommisso hoc faciat: rem expeditæ quæstionis esse: cum posit scriptus hęres cautione interposita non differre hanc petitionem,sed rectè exigi,vel legatum, vel fideicommissum sub ea cautela,vel satisdatione pro qualitate personarum. Quod si non obtinuerit eius iura restituet legatarius, vel fideicommissarius ei datam pecuniam cum interesse legitimo,vel agrum cum fructibus,quos perceperit,vel domum cum pensionibus: scilicet in vtroq; eorum expensis,antea necessariis, & vtilibus deductis,vel si ipse maluerit litem quidem contestari.expectare autem hæreditatis petitionis euentum:hoc ei liceat facere,vt restitutio, si cōpeteret, cum legitimis augmentis legatario,vel fideicōmiss. accedat,C. eo.l. fi.in prin.

Si autem ex contractibus defuncti agatur contra possessorẽ hæreditatis, vel eius rei de qua agitur: si quidem res sint,vel depositæ, vel commodatæ, uel pignori datæ,uel aliæ,quæ existant: non differri sub prætextu hæreditatis petitionis memoratum iudicium: quemadmodum si pro pecunia, uel alia personali actione agatur contra possessorem,uel petitorem non debet iudicium differri, sed exitum suum accipere. Postquam enim hęreditatis petitionis iudicium finem accipiat: tunc inter petitoris hæreditatem, & possessorem rationibus contractis non alias possessor, (si uictus fuerit) hæreditatem restituere compellitur. nisi pro omnibus,quæ ritæ ab eo gesta sunt,petitor satisfaciat, quod si petitor euictus fuerit,simili modo à possessore iudicis officio ei satisfaciat,uel (si hoc fuerit prætermissum) negociorum gestorum,uel ex lege condictione, d.l. finali, §. si autem.

SI PARS HAEREDITATIS PETATVR. Titulus III.

POst actionem, quam prætor proposuit ei, qui ad se solum hæreditatem pertinere contendit: consequens fuit, & ei proponere, qui partem hæreditatis petit, ff. si pars hæred. petatur, l. prima, in princ. Qui hæreditatem, vel partem hæreditatis petit: ius non ex eo metitur, quod possessor occupauit, sed ex suo iure, & ideo siue ex asse hæres sit: totam hæreditatem vindicabit, licet tu unam rem possideas: siue ex parte, partem, licet tu totam hæreditatem possideas, d. l. prima, §. qui hæreditatem.

Quinimo si duo possideant hæreditatem, & duo sint, qui ad se partes pertinere dicant: non singuli à singulis petere contenti esse debent, (puta primus à primo, secundus à secundo) sed ambo à primo, & ambo à secundo. neque enim alter primi, alter secundi partem possidet, sed ambo vtriusque. proinde, & si pro hærede possessor, & petitor possideant hæreditatem: cum vnusquisq; eorum partem dimidiam hæreditatis sibi adferat, inuicem petere debebunt, vt partes rerum consequantur: aut si controuersiam sibi non faciunt hæreditatis, familiæ erciscundæ experiri eos oportebit, d. l. prima, §. quinimo.

Si ego ex parte me dicam hæredem, cohæres autem meus possideat hæreditatem cum extraneo: cum non plus cohæres haberet parte sua vtrum à solo extraneo, an vero & à cohærede debeam petere hæreditatem: quæritur, & pegasus fertur existimasse, à solo extraneo me petere debere, eumq; restiturum quicquid possidet, & fortasis hoc officio iudicis debet fieri. Cæterum ratio facit, vt à duobus petam hæreditatem, hoc est etiam à cohærede meo, & ille quoque dirigat actionem aduersus exterum possessorem: sed pegasi sententia utilior est, d. l. prima, §. si ego.

Item si cum me ex parte dimidia dicerem hæredem trientem hæreditatis possiderem, deinde residuum sextantem velim persequi: qualiter agam, videamus, & Labeo scribit, vtique partem dimidiam me petere debere, à singulis sic fieri, ut à singulis sextantem consequar & habeam bessem, quod verum est, sed & ipse tenebor ad restitutionem sextantis ex triente, quem possidebam, & ideo iudicis officio inuicem compensatio erit admittenda eius, quod possideo: si fortè cohæredes sint à quibus hæreditatem peto, d. l. prima, §. item si cum.

Interdum prætor incertæ partis hæreditatis petitionem indulget idoneis causis interuenientibus, vtputa est defuncti fratris filius. sunt & uxores defunctorum fratrum prægnantes, quam partem fratris filius hæreditatis vindicet, incertum est: quia quot eduntur fratrum defunctorum filii incertum est. AEquissimum est igitur incertæ partis uindicationem ei concedi. Non audenter tamen dicetur, vbicunque merito quis incertus est, quam partem vindicent: debere incertæ partis uindicationem concedi, d. l. prima, §. interdum.

Si ex pluribus, ad quos eadem hęreditas pertinet, quidam adierint, quidam adhuc deliberent: placuit eos, qui adierint si petant hæreditatem, non maiorem partem petere debere, quàm habituri essent cæteris adeuntibus, nec proderit eis, si cæteri non adierint. Non adeuntibus autem cæteris: poterunt tunc partes eorum petere, si modo ad eos pertinent, ff. eo. l. secunda.

Antiqui libero ventri, ita prospexerunt, vt in tempus nascendi omnia ei iura integra reseruarent. sicuti apparet in iure hæreditatum, in quibus, qui post eum gradum adgnationis sunt, quo est id, quod in utero est, non admittuntur, dum

incertum

incertum est, an nasci posʃit. Vbi autem eodem gradu sunt cæteri, quo & venter: tunc quæ portio in suspenso esse debeat, quæsierunt, & quia non poterant scire, quot nasci possent: ideo multa de huiusmodi re, tàm varia, & incredibilia tradiderunt, vt fabulis adnumerentur. nam traditum est, pariter quatuor puellos à matrefamilias natus esse. Alioquin tradidere non leues authores, quinquies quaternos enixam Peloponesiam, & multas Aegyptii vno vtero septenos: sed & tergeminos senatores euictos vidimus Oratios: sed & Lelius scribit se vidisse in palatio mulierem, quæ ab Alexandria perduta esset, ut Hadriano ostenderetur cum quinque liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa (inquit) dicebatur, quintum post quadragesimum diem. quid ergo? prudentissimi iuris authores, medietatem quandam secuti sunt, vt quod fieri non raro admodum posset intuerentur: idest, quia fieri poterat vt tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio adsignauerunt. quod enim semel tantum, aut iterum extitit, id prætereunt legum latores. ideoque & si vnum paritura sit non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæres erit. Et si pauciores fuerint nati residuum ei pro rata adcrescere, si plures, quam tres decrescere de ea parte, ex qua hæres factus est, ff. eo. l. tertia, & seq.

Illud sciendum est, si mulier prægnans non sit, existimetur autem prægnans esse: interim filium hæredem esse ex asse, quamquam ignoret se ex asse hæredem esse, idest in extraneo: si ex certa portione hæres institutus sit, ex reliqua posthumus, quod si fortè ita institutio facta est. QVOTCVNQVE MITTI NATI ERVNT, ET LVCIVS TITIVS PRO VIRILIBVS PORTIONIBVS HAEREDES MIHI SVNTO: habebit hæsitacionem, nunquid adire non posʃit, atque qui in testamento portionem suam nenescit: sed vtilius est posse eum adire, qui nescit portionem, si cætera, quæ oportet eum scire non ignoret, ff. eod. l. quinta.

Sorori, quam cohæredem quatuor fratribus in bonis matris esse placuit, quinta portio proportionibus, quæ ad eos pertinuit, cedet, ita vt singuli in quartam, quam ante hac habere credebantur, non amplius ei, quinta conferant, ff. eod. l. sexta, in princip.

Non possumus consequi per hæreditatis petitionem, id quod familiæ Erciscundę iudicio consequimur, vt à communione discedamus, cum ad officium iudicis nihil amplius, pertineat, qnàm vt partem hæreditatis pro indiuiso restitui mihi iubeat, ff. eo. l. septima.

Permittendum erit possessori hæreditatis, partem quidem hæreditatis defendere, partem vero cedere. nec enim prohibet aliquem totam hæreditatem posʃidere, & partem scire dimidiam ad se pertinere, deque altera parte controuersiam non facere, ff. eo. l. octaua.

Cum multi hæredes instituti essent, ex his unus in Asia erat, eius procurator uenditionem fecerat, & pecuniam pro parte eios abstulerat, postea apparuerat eum qui in Asia erat ante decesʃisse, instituto ex parte dimidia hærede procuratore suo, & ex parte alio. quæsitum est, quemadmodum pecunia ex hæreditate petenda esset? responsum est, ab eo, qui procurator eius fuisset totam hęreditatem (quia ex hæreditate ea pecunia fuisset, quæ ad procuratorem ex vindicione peruenisset) petere eos oportere, & nihilominus partem dimidiam hæreditatis à cohærede eius, ita fore siue omnis pecunia penes eum, qui procurator fuisset, resideret, ut omnem per iudicem ab eodem recuperarent. siue is partem dimidiam cohæredi suo reddidisset. ipsum ex dimidia parte, ex dimi

dia cohæredem eius condemnarent, ff. eo. l. cum multi, 9.

Cum hæredis ex parte instituti filius, qui patrem suum ignorabat uiuo testatore decessisse partem hæreditatis nomine patris absentis administrauerit, & pecunias distractis rebus acceperit, hæreditas ab eo peti non potest. quia neque pro hærede, neque pro possessore precia possidet, sed ut filius patris negocium curauit. Negociorum autem Gestorum actio cæteris cohæredibus, ad quos portio defuncti pertinet, dabitur. Illud enim vtique non est metuendum, ne etiam patris, à quo fortè exhæredatus est, teneatur hæredibus, quasi negocia hæreditaria gesserit, cum illud, quod administrauit, non fuerit paternæ hæreditatis. Nam, & si negociorum gestorum actio sit ei, cuius suo nomine debitum exactū est: hoc tamen, quod alieno nomine perceptum est restitui æquum est; sed in proposito neque patris negocia fuerant, qui esse desierat, neque paternæ successionis, quæ fuerant alterius hæreditatis, quod si filius iste patri suo hæres extiterit, & moueat controuersiam, quod pater eius, postquam hæres extitit, mortem obierit. ille tractatus incurrit, an ipse causam sibi possessionis mutare uideatur. Quoniam qui negocia hæreditaria gesit, & debitor esse cæpit; postea faciens controuersiam hæreditatis, vt iuris possessor conuenitur, idem etiam in hoc filio respondendum erit, ff. eo. l. fi.

DE FIDEICOMMISSARIA HAEREDITATIS PETITIONE. Titulus IIII.

Ex ordine occurrit actio, quæ proponitur his, quibus restituta est hæreditas. Nam quisquis susceperit restitutam hæreditatem ex senatusconsulto, ex quo actiones transeunt, fideicommissoria hæreditatis petitione uti poterit. Quæ actio eadem recipit, quæ hæreditatis petitio ciuilis. Nec interest mihi quis rogatus fuerit restituere, an cui hæres extiti. si bonorum possessor sim eius, cui fideicommissoria hæreditas relicta est, vel alius successor per hanc actionem experiri poterit. sciendum est hanc actionem aduersus eum, qui restituit hæreditatem non competere, ff. de fideicom. hær. pet. l. prima, secunda, & tertia, in prin.

Hanc actionem mihi dant, quæ hæredi, & in hæredem competit, ff. eodem, l. tertia, §. finali.

DE INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS. Titulus V.

Toties hæres interrogandus est, qua ex parte hæres sit, quoties aduersus eum actio instituitur, & dubitat actor qua ex parte is, cum quo agere velit, hæres sit. Est autem interrogatio tunc necessaria cum in personam est actio, & ita si certum petetur; nedum ignoret actor, qua ex parte aduersarius defuncto hæres extiterit, interdum plus petendo aliquid damni sentiat, ff. eo. l. de interrogationib. in iure faciendis, l. prima, in princip.

Interrogatoriis autem actionibus hodie non utimur. quia nemo cogitur ante iudicium de suo iure aliquid respondere, ideoque minus frequentantur. & in

dessuetudinem abierunt, & tantummodo ad probationes litigatoribus sufficiunt ea, quæ ab aduersa parte expressa fuerunt apud iudices, vel in hæreditatibus, vel aliis rebus, quæ in causis vertuntur, d.l. prima, §. interrogationibus.

Edictum de interrogationibus ideo prætor proposuit: quia sciebat difficile esse eis, qui hæredem, conuenirent, probare aliquem esse hæredem. Quia plerunq; difficilis probatio hæreditatis est, ff. eo. l. secunda, & tertia.

Voluit prætor adstringere eum, qui conuénitur ex sua in iudicio responsione: ut vel confitendo, vel mentiendo sese oneret: simul, vt de portione, pro qua quisque hæres extiterit, ex interrogatione certioretur, ff. eodem, l. quarta, in princ.

Quod ait prætor, QVI IN IVRE INTERROGATVS RESPONDIT, sic accipiendum est apud magistratus populi romani, vel præsides prouinciarum, vel alios iudices. ius enim eum solum locum esse, vbi iuris dicendi, vel iudicandi gratia consistat: vel si domi, vel in itinere hoc agat, d.l. quarta, §. quod ait prætor.

Qui interrogantur, an hæres, vel quota ex parte sit, ad deliberandus tempus impetrare debet: quia si perperam confessus fuerit incommodo afficietur, ff. eodem, l. quinta.

Et quia hoc defunctorum interest, vt successores habeant, interest, & viuentium, ne præcipitentur quandiù iustè deliberant, ff. eo. l. sexta, in princ.

Interdum interogatus, quis an hæres sit, non cogitur respondere: vtputa si controuersiam hæreditatis ab alio patiatur, & ita Diuus Hadrianus constituit: ne aut negando se hæredem, præiudicat sibi: aut dicendo se hæredem, illigetur etiam ablata sibi hæreditate, d.l. sexta, §. interdum.

Si quis in iure interrogatus, an quadrupedes, quę pauperiem fecit, eius sit, responderit: tenetur, ff. eo. l. septima.

Si sine interrogatione, quis responderit se hæredem pro interrogato habetur, ff. eo. l. si sine, 9. in princ.

Interrogatum non solum à prætore accipere debemus, sed & aduersario, d.l. si sine, §. interrogatum.

Alius pro alio non debet respondere cogi, an hæres sit. de se enim debet quis in iudicio interrogari, hoc est, cum ipse conueniatur, d.l. si sine, §. alius.

Si defensor in iudicio interrogatus, an is, quem defendit, hæres, vel quota ex parte sit, fulso responderit: ipse quidem defensor aduersario tenebitur: ipsi autem, quem defendit, nullum facit præiudicium. Veram itaque esse Celsi sententiam, dubium non est. an ergo non videatur defendere, si non responderit, videndum. quod utique consequens erit dicere: quia non plenè defendit, d.l. si sine, §. Celsus.

Qui interrogatus hæredem se responderit, nec adiecerit ex qua parte: ex asse respondisse dicendus est, nisi fortè ita interrogetur, an ex dimidia parte hæres sit, & responderit, hæres eum. tunc enim magis ad interrogatum respondisse, verum est, d.l. si sine, §. qui interrogatus.

Illud quæritur, an quis cogatur respondere, vtrum ex testamento hæres sit, & vtrũ suo nomine ei quæsita sit hæreditas, an vero per eos, quos suo iuri subiectos habet, vel per eum, cui hæres extitit? summatim igitur prætor cognoscere debebit, cum quæretur, an quit respondere debeat, quo iure hæres sit, vt si ualde interesse competerit, plenius respondere iubeat, d.l. si sine, §. igitur.

Denique Iulianus scribit eum quoq; cui hæreditas restituta est, debere in iure interrogatum respõdere, an hæreditas ei sit restituta, & si de peculio agatur, non

oporteri responderi à patre, an in potestate habeat filium: quia hoc solum quęratur. an peculium apud eum, cum quo agitur, sit, d.l. in fine, 9. §. fin.

Non alienum est eum, à quo damni infecti stipulari velimus, interrogare in iure: an ædes, vel locus eius sit, ex quo damnum timeatur, & pro qua parte: ut si neget suum prædium esse, ne damni infecti caueat: aut cedere, aut si restituẽdum putauerit, quasi dolo uersatus, tradere compellatur, ff. eo. l. non alienum, x.

De AEtate quoq; interrogatus interdum respondere debebit: si quis cum hæres non esset, interrogatus responderit ex parte se hæredem: sic conuenietur, atq; si ex ea parte hæres esset. fides. n. ei cõtra se habebit, ff. eo. l. de ætate, 11. in prin.

Qui ex quadrante hæres, vel omnino, cum hęres non esset, responderit se hęredem ex asse, in assem instituta actione conuenietur, d. l. de ętate, §. qui ex quadrante.

Si cum esset, qui ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante: mendacii hanc pœnam feret, quod insolidum conuenietur. non. n. debuit mentiri, dum se minoris portionis hæredem adseuerabat. Interdum tamen iusta ratione potest opinari se hæredem ex minore parte. quid. n. si nescit sibi partem adcreuisse, vel ex incerta parte fuit institutus: cur ei responsum noceat? d. l. de ætate, §. si cum esset.

Qui tacuit apud prætorem, in ea causa est, ut instituta actione insolidum conueniatur: quia quasi negauit se hæredem. nam qui omnino non respondet, contumax est contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, ut insolidum conueniat, quemadmodum si negasset: q. a pretorẽ contemnere vr̃, d. l. de ętate, §. q tacuit.

Quod autem ait prætor, OMNINO NON RESPONDISSE, posteriores omnes sic acceperunt, ut omnino non respondisse videatur, & quid interrogatum non respondit, d. l. de ætate, 11. §. quod autem.

Si interrogatus quis, an ex asse hæres esset, responderit se ex parte hæredem: si ex dimidia esset, nihil ei nocet responsum, quæ sententia humana est, d. l. de ætate, §. si interrogatus.

Nihil interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscurè respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem, d. l. de ætate, §. nihil.

Ex causa succurri ei, qui interrogatus respondit, non dubitamus. Nam & si quis interrogatus, an patri hæres esset, responderit; mox prolato testamento inuentus sit, exhæredatus: æquissimum est ei succurri, & ita Celsus scribit, hic quidem, & alia ratione: quod ea, quæ postea emergunt, auxilio indigent. quid enim si occultæ tabulæ & remotæ postea prolatæ sunt? cur noceat ei, qui respondit, quod in præsentiarum videbatur? idem dicitur & si quis hæredem se responderit, & mox falsum, vel irritum testamentum fuerit pronuntiatum. non enim improbè respondit, sed scriptura ductus. d. l. de ætate, §. ex causa.

Qui interrogatus fuerit: sic tenetur, quasi ex cõtractu eius obligatus, pro quo pulsabatur, dum ab aduersario interrogetur: sed si à prætore fuerit interrogatus, nihil facit prætoris authoritas, sed ipsius responsum, siue mendacium, d. l. de ætate, §. qui interrogatus.

Qui iusto errore ductus negauerit se hæredem, venia dignus est, sed & si quis sine dolo malo, culpa tamen respondit. dicendum erit absolui eum debere, nisi culpa dolo proxima sit, d. l. de ætate, §. qui iusto.

Celsus scribit licere responsi pœnitere, si nulla captio ex eius pœnitentia sit actoris, quod verissimum videtur, maximè si quis postea plenius instructus: quid faciat, instrumentis, vel epistolis amicorum de iure suo edoctus, d. l. de ætate, §. finali.

Si filius, qui obstinuit se paterna hæreditate in iure interrogatus responderit se

hæredem,

hæredem,tenebitur.nã ita respondendo pro hærede gessisse videtur, sinautem filius,qui se abstinuit,interrogatus tacuerit: succurrẽdum est ei: quia hunc,qui abstinuit,prætor non habet hæredis loco,ff.de interogat.l.si filius,xii.in princ.

Exceptionibus,quæ institutis in iudicio contra reos actionibus opponuntur: etiã is uti potest,qui ey sua responsione conuenitur:veluti pacti conuenti rei iudicatæ,& cæteris,ff.eo.l.si filius,§.exceptionibus.

Confessionibus falsis respondentes, ita obligantur, si eius nomine, de quo quis interrogatus est cum aliquo actio sit·quia quæ cum alio actio esset, si dñs esset, in nosmetipsos confessione nostra conferemus,ff.eo.l.cõfessionib.13.in prin.

Et si eum,qui in potestate patris esset,respondissem filium meum: ita obligor si ætas eius pateretur,ut filius meus esse posit, quia falsæ confessiones naturalib. conuenire debent: propter quæ fiet, vt patrisfamilias nomine respondendo non obliget,d.l.confessionibus,§.& si eum.

In totum autem confessiones,ita ratæ sunt,si id quod in confessione uenit,& ius, & natura reci pere potest,ff.eo.l.si is cuius, 14.§.fin.

Qui ex parte dimidia hæres erat,cum absentem cohæredem suum defendere vellet,vt satisdationis onus euitare posset:respondit se solum hæredem esse,& condemnatus est. quærebat actor cum ipse soluendo non esset,an rescisso superiore iudicio in eum,qui re uera hæres erat, actio dari deberet? Proculus respondit rescisso iudicio,posse agi,idq; verum est,ff.eo.l.qui ex parte,18.

Si filius,cum pro patre suo ageret tacuit interrogatus,omnia perinde obseruanda erunt,ac si non esset interrogatus,ff.eo.l.filius, 19.

In iure interrogatus,an fundum possideat, quæritur an respondere cogendus sit, & quota ex parte fundum possideat?Iabolenus scribit possessorem fundi, cogi respondere, quota ex parte fundum possideat, ut si minore ex parte possidere se dicat,in aliam partem,quæ non defenderetur,in possessionem actor mittantur.Idem & si damni infecti caueamus.nam & hic respondere debet,quota ex parte eius sit prædium,ut ad eam partem stipulationem accomodemus. Pœna autem non respondentis hæc est,ut in possessionem eamus. & ideo pertinet scire,an possideat;ff.eo.l.qui seruum,20.§.in iure interrogatus.

Vbicunq; iudicem æquitas mouerit, æquè oportere fieri interrogationem dubium non est,ff.eo.l.vbicunque.22.

Procuratore Cæsaris ob debitum fiscale interrogante,vnus ex filiis, qui nec bonorum possessionem acceperat,nec hæres erat,respondit se hęredem, an quasi interrogatoria creditoribus cæteris teneatur.respõsum est,ab his,qui in iure non interrogassent,eum ex responso suo conueniri non posse,ff.eo.l.fin.

AD EXHIBENDVM. Tit. VI.

HAEC actio per quam necessaria est,& vis eius in usu quotidiano est & maximè pp vindicationes introducta est,ff.eo.l.ad exhiben.l.1.

Exhibere est facere in publico potestatem,vt ei, qui agit experiundi sit copia,ff.eo.l.secunda.

In hac actione actor nosse debet, & dicere omnia argumenta rei de qua agitur,ff.eo.l.tertia,in prin.

Qui ad exhibendum agit,non utiq; dominium se dicit,nec debet ostendere, cum multæ sint causæ ad exhibendum agendi,d.l.tertia,§.qui ad exhibendum.

Neque ad exhibendum actioneq; proprietatis vindicatio,si nunc competit,p pea

perempta est, quod aliquando aduersus te ad exhibendum actione aliter pronunciatum est: quia commutatione litis alia res esse incipit, C. eo. l. tertia.

Præterea in hac actione notandum est, ꝙ reus contumax per in litem iusiurādum petitori damnari posit, ei iudice quantitatem taxante, ff. eo. l. tertia, §. ꝑterea.

Est autem personalis hæc actio: & ei competit, qui in rem acturus est qualicunq; in rem actione: ēt pignoratitia seruiana, siue hypothecaria, quę creditorib. competit: sed & vsumfructum petituro competere ad exhibendum Pompo. ait: sed & si quis interdicturus, rem exhiberi desideret, audietur, d. l. tertia, §. est autem.

Item si optare velim aliquam rem cuius optio mihi relicta est: ad exhibendum me agere posse constat, vt exhibitum posim uindicare, d. l. tertia, §. item si optare.

Si optione intra certum tempus data iudicium in id tp̄s extractum est, quo frustra exhibeatur, utilitas petitoris cōseruetur. ꝙ si pro hęredem non stetit, quominus exhibere tempore iudicii accipiēdi, absoluendus est hæres, ff. eo. l. si optione, x.

Deniq; si quis optandi gratia ad exhibendum egisset, & post litem contestatā vlterius testimonio optio data sit: ad exhibēdū agere ꝓt, ff. eo. l. de eo, xii. §. deniq;.

Si quis extra hæredem tabulas testamenti, vel codicillos, vel quid aliud testamentum pertinens exhiberi velit: dicendum est, per hanc actionem agendum non esse, cum sufficiant interdicta in hanc rem competentia, ff. eo. l. tertia, §. si quis.

Sciendum est autem non solum eis, quos diximus competere ad exhibendū actionem: verum ei quoq; cuius interest exhiberi, iudex igitur summatim debebit cognoscere, an eius intersit, non autem, & an eius res sit: & sic iubere, vel exhiberi uel non: quia nihil illius interest, d. l. tertia, §. sciendum.

Si mecum fuerit actum ad exhibendum: ego ob hoc, ꝙ conuentus sum ad exhibendum, actione ad exhibendū agere non possum: quamuis uideatur interesse mea ob hoc, ꝙ teneor ad restituendum: sed hoc non sufficit, alioquin, & qui dolo fecit, quominus posideret, poterit ad exhibendum agere, quamquam neq; vindicaturus, neq; interdicturus sit. Eleganter igitur definit Neratius iudicem ad exhibendum Hactenus cognoscere, an iustam, & probabilem causam habeat, propter quam exhiberi sibi desideret, d. l. tertia, §. si mecum.

Pompon. scribit eiusdem equi nomine rectè plures ad exhibendum agere posse: fortè si equus primi sit, secundi in eo vsusfructus sit, tertius possesionem suam contendat, quartus pignoratum sibi eum adfirmet, omnibus igitur ad exhibendum actio competit: quia omniū interest eū equū exhiberi, d. l. tertia, §. Pomp.

Ibidem subiūgit iudicem per arbitrium sibi ex hac actione cōmissum ēt exceptiones æstimare, quas possessor obiicit, & si qua tàm euidens sit, ut facilè repellat agentem, debere possessorem absolui, si uero obscurior, vel quæ habeat altiorē qōnem: differendum indirectum iudicium res exhiberi iussa. De quibusdam tn̄ exceptionibus omnimodo ipsum debere disceptare, qui ad exhibendum actione iudicat: veluti pacti cōuenti doli mali iurisiurādi rei iudicatę est, d. l. 3. §. ibi.

Interdū æquitas exhibitionis efficit, vt q̄uis ad exhibendū agi non posit in factū tn̄ actio det, ut Iulian. tractat aliquis (inquit) rationes meas conscripsit. hæ rationes posidentur à te, desidero eas exhiberi. Ait Iulian. si quidem in mea charta scriptæ sunt, locum esse huic actioni: quia & vindicare eas possum. nam cum charta mea sit, & quod in ea scriptum est, meum est: sed si charta mea non sit: quia uindicare non possum, nec ad exhibendum experiri. in factum igitur mihi actionem competere, d. l. tertia, §. interdum.

Sciēdum est aduersus possessorē hac actione agendū: non solū eū, qui ciuiliter, sed & eū, q naturaliter incūbat possesioni. Deniq; creditorē, q pignori rē accepit, ad exhi-

exhibendum teneri placet. Nam, & cum eo apud quem deposita, vel cui commodata, vel locata res sit agi potest, ff. eod. l. tertia, §. final. cum l. seq.

Celsus scribit: si quis merces quas exuehendas conduxit in horreo posuit: cum cõductore ad exhibendum agi posse, item si mortuo conductore hæres existat, cũ hærede agendum: sed si nemo hæres sit cum horreario agendum. nam si à nullo (inquit) possidentur, verum est, aut horrearium possidere, aut certè ille est, qui possit exhiberi. idem ait; quo modo autem possidet, qui vehendas conduxit? an quia pignori tenet? quæ species ostendit etiam eos, qui facultatem exhibendi habeant, ad exhibendum teneri, ff. eod. l. quinta.

Iulianus etiam scribit ad exhibendum teneri, qui rerum, vel legatorum seruandorum causa in possessione sit: sed & eum, qui vsusfructus nomine remaneat: quãuis nec hic vtique possideat. Inde Iulianus quærit quatenus hos oporteat exhibere, & ait priorem quidem sic, vt actor possessionem habeat. is autẽ cum quo agetur rei seruandæ causa sit in possessione, eum vero, qui vsumfructum habet, sic vt actor rem possideat, is cum quo agetur vtatur, fruatur, d. l. v. §. Iulianus.

Idem Iulianus scribit: emptorem qui ruta cæsa non restituit ad exhibendum teneri ita quantum in litem iurauero: sed ibi adiicit, si emptor possideat, vel dolo fecerit, quo minus possideat, d. l. quinta, §. idem Iulianus.

Item celsus scribit: stercus, quod in aream meam congesisti, per ad exhibendum actionem posse te consequi, vt tollas: sic tamen, vt totum tollas. cæterum alias non posse, d. l. quinta, §. item celsus.

Sed & si ratis delata sit vi fluminis in agrum alterius posse eum conueniri ad exhibendum. Neratius scribit. Vnde quærit Neratius vtrum de futuro dumtaxat dãno, an etiam de præterito domino agri cauendum sit. Et ait etiam de præterito caueri oportere: sed & si de ruina aliquid in tuam aream, vel in tuas ædes deciderit, tenebitur ad exhibendum, licet non possideas, d. l. v. §. sed & si.

Gemma inclusa aureo alieno, vel sigillum candelabro vindicari non potest: sed vt excludatur ad exhibendum agi potest. Aliter atque in tigno iuncto ædibus de quo nec ad exhibendum agi potest: quia lex duodecim tabularum solui vetat, & actione. DE TIGNO IVNCTO, ex eadem lege in duplum agitur. Tigni appellatione omnem materiã in lege duodecim tabularum accipimus, vt quibusdam rectè videtur, ff. eod. l. sexta, & seq. in prin.

Sed & si rotam meam tuo vehiculo aptaueris: teneberis ad exhibendum (& ita Põponius scribit) quamuis tunc ciuiliter non possideas, idem & si armario, vel naui tabulam meam, vel ansam scypho iniunxeris, vel emblemata phixalæ, vel purpuram vestimento intexueris aut brachium statuæ coadunaueris, ff. eod. l. septima, §. primo.

Item municipes ad exhibendum conueniri possunt, quia facultas est restituendi nam, & possidere, & vsucapere eos posse constat. idem in collegiis cæterisque corporibus dicendum erit, d. l. septima §. item municipes.

Si quis non possideat litis contestatæ tempore, postea ante sententiam possidere cœperit. oportere dici putamus debere condemnari, nisi restituat, d. l. septima, §. si quis non.

Si quis cum Iudicii accepti tempore possideret, postea sine dolo malo possidere desierit absolui eum oportet: quamuis sit (inquit Pomponius) quod ei imputetur cur non statim restituit, sed passus est secum litem contestari, d. l. septima. §. si quis cum.

Idem scribit: si quis litis contestatæ tempore possederit. deinde desierit possidere,

re, mox cœperit (siue ex eadem causa siue ex alia) condemnari eum oportere, nisi restituat, d. l. septima, §. idem scribit.

Ibidem non male Pomponius scribit, eius qui ad exhibendum egit, vtroque tempore interfuisse oportere rem ei restitui: hoc est, & quo lis contestaretur, & quo fieret condemnatio, & ita etiam Labeoni placet, d. l. septima, §. ibidem.

Si ad exhibendum actum est cum eo qui neque posidebat, neque dolo malo fecerat, quominus posideret. deinde eo defuncto hæres eius posidet rem, exhibere eam cogendus erit. Nam & si fundum petiero, & hæres ex eadem causa posidere cœperit, restituere cogitur, ff. ad exhibendum. l. si ad exhibendum. 8.

Iulianus scribit, si quis equum quem posidebat, occiderit, siue ad alium transtulerit possessionem siue ita rem corruperit, ne haberi posit ad exhibendum tenebitur, quia dolo malo fecit quominus posideret proinde & si vinum, vel oleũ, vel quid aliud effuderit, vel confregerit ad exhibendum tenebitur, ff. eod. l. Iulianus, 9. in principio.

Glans ex arbore tua in fundum meum decidit. eam ego immisso pecore depasco. qua actione posium teneri? Pomponius scribit competere actionem ad exhibendum si dolo pecus immisi vt glandem comederet. Nam & si glans exstaret, nec patereris me tollere ad exhibendum tenereris. quemadmodum si materiã meam delatam in agrum suum, quis auferre non pateretur. Et placet nobis Põponii sententia, siue glans extet, siue consumpta sit: sed si extet etiam interdicto DE GLANDE LEGENDA, vt mihi tertio quoque die legendæ glandis facultas esset, vti potero, si damni infecti cauero, d. l. Iulianus, §. glans.

Si quis rem fecit ad alium peruenire uidetur dolo fecisse, quominus posideat, si modo hoc dolose fecerit, sed & si quis rem deteriorem exhibuerit, æquè ad exhibendum eum teneri. Sabinus ait, sed hoc vtique verum est, si dolo in aliud corpus res sit translata: veluti si ex scypho massa facta sit quamquam enim massam exhibeat. ad exhibendum teuebitur, nam mutata forma propriè interimit substantiam rei, d. l. Iulianus, §. si quis.

Marcellus scribit, si tibi decem nomismata sint sub condictione legata, & mihi decem vsusfructus purè: deinde hæres pendente condictione, non exacta cautione decem fructuario soluerit ad exhibendum eum actione, qui decem soluerit, teneri, quasi dolo fecerit quominus posideret. dolus autem in eo est, quod cautionem exhigere supersedit à fructuario, effectumque, vt legatum tuum euanesceret, cum iam munos vindicare non posis. Ita demum autem locum habebit ad exhibendum actio, si condictio exstiterit legati. Potuisti tamen tibi prospicere stipulatione legatorum, si prospexisti: non erit tibi necessaria ad exhibendum actio. si tamen ignarus legati tui à fructuario satis non exegit, dicit Marcellus cessare ad exhibendum, scilicet quia nullus hic dolus est, succurrendum tamen legatario in factum aduersus fructuarum actione ait, d. l. Iulianus. §. Marcellus.

Quantum autem ad hanc actionem attinet: exhibere est in eadem causa præstare, in qua fuit, cum iudicium acciperetur, vt quis copiam rei habens posit actionem exsequi, quam destinauit, in nullo causa, quam intendit, læsa: quamuis nõ de restituendo, sed de exhibendo agatur. Proinde post litem contestatam vsucaptum exhibeat: non videtur exhibuisse, cum petitor intentionem suam perdiderit, & ideo absolui eum non oportet, nisi paratus sit repetita die intentionem suscipere ita vt fructus secundum legem æstimentur, d. l. Iulianus, §. quantum autem.

Quia tamen causa petitori in hac actione restituitur, Sabinus putauit factum quoque restituendum: siue prægnans fuerit equa, siuè post ea conceperit. quam sententiam, & Pomponius probat, d.l. Iulianus. §. quia tamen.

Præterea vtilitates, si quæ amissæ sunt ob hoc, quod non exhiberetur, vel tardius exhiberetur, æstimandæ à iudice sunt, & ideo Neratius ait: vtilitatem actoris venire in æstimationem, non quanti res sit, quæ vtilitas (inquit) interdum minoris erit, quam res, d.l. Iulianus, §. finali.

Quo autem loco exhiberi rem oporteat, vel cuius sumptibus, videamus. Et Labeo ait ibi exhibendam vbi fuerit, cum lis contestaretur: periculo autem, & impendiis actoris perferendam, perducendamve eò loci, vbi actum sit, ff. eod. l. ad exhibendum, sed & si. 11. §. quo autem.

Si de pluribus rebus quis conueniatur, & litis contestatæ tempore omnes possederit: licet postea quasdam desierit (quamuis sine dolo) possidere damnandus erit nisi exhibeat, eas quas potest, d.l. sed & si, §. finali.

Sæpius ad exhibendum agenti, si ex eadem causa agat obstaturam exceptionem. Iulianus ait, nouam autem causam interuenire, si is, qui vindicandi gratia egisset, post acceptum iudicium eam ab aliquo accepit, & ideo exceptionem ei nõ afficere. ff. eod. l. de eo, xii. & primo.

Si quis ex uuis meis mustum fecerit, vel ex oliuis oleum, aut ex lanis vestimenta, cum sciret hæc aliena esse: vtriusque nomine ad exhibẽdum actione tenebitur, quia quod ex re nostra fit, nostrum esse verius est, d.l. de eo, §. si quis.

Si post iudicium acceptum equus mortuus sit: quamuis sine dolo malo, & culpa possessoris: tamen interdum tanti damnandus est, quanti actoris interfuit per eum non effectum, quo minus tunc cum iudicium acciperet equus exhiberetur tanto id magis, si apparebit eo casu mortuum esse, qui non incidisset, si tunc exhibitus fuisset. si iusta ex causa statim exhiberi res non possit, iussu iudicis cauere debebit se illo die exhibiturum, d.l. de eo, §. si post iudicium.

Hæres non quasi hæres, sed suo nomine hac actione vti potest, item hæres possessionis suo nomine tenetur. igitur non procedit quærere an hæredi & in hæredem danda sit, Planè ex dolo defuncti danda est in hæredem hæc actio, si locupletior hæreditas eo nomine facta sit: veluti quod precium rei consecutus sit, d. l. de eo, §. finali.

Si vir numos ab vxore sibi donatos, sciens suos factos non esse pro re empta dederit, dolo malo fecit quominus possideat: & ideo ad exhibendum actione tenetur, ff. eod. l. ad exhibendum, l. si vir, 14.

Ad exhibendum actione non tamen eum, qui possidet, sed etiam eum teneri qui dolo fecit, quominus exhiberet, meritò tibi à non contemnendæ authoritatis Iurisconsulto, Modestino responsum est, C. eod. l. quinta.

Exhibitionis necessitate tenetur, qui facultatem habens, culpam, vel dolum in explendo præcepto, committit: ita vt si rem deteriorem exhibuit, æquitas exhibitionis perficiat, vt quamuis ad exhibendum agi non possit, in factum tamen actio contra eum detur, C. eod. l. septima.

Thesaurus meus in tuo fundo est, nec eum pateris me effodere, cùm eum loco nõ moueris ad exhibendum eo nomine agere me rectè non posse Labeo ait: quia nec possideas eum neque dolo feceris quominus possideres: vt pote cum fieri posset, vt ne scias thesaurum in tuo fundo esse. Non esse autem iniquum iuranti mihi non calumniæ causa id postulare, vel interdictum, vel iudicium ita dari: vt si per me non steterit, quominus damni infecti tibi operis nomine caueatur,

ne

ne vim facias mihi quominus eum thesaurũ effodiam, tollam, exportem. quod si etiam furtiuus iste thesaurus est etiam furti agi potest, ff. eod. l. thesaurus, 15.

Solutione chirographo inani facto, & pignoribus liberatis: nihilominus creditor ut instrumenta ad eum contractum pertinentia, tam ab alio quam à debitore exhibeantur agere potest, ff. eo. l. solutione, 18. §. solutione.

Si ex quocunque contractu apud præsidem prouinciæ iure debitum cui oportuerat te reddidisse probaueris, chirographa tua, ex quibus iam nihil peti potest, & instrumenta ad eum contractum pertinentia tibi naturaliter liberationem consecuto, exhiberi ac reddi iubebit. C. eod. l. finali.

Ad exhibendum possunt agere omnes, quorum interest: sed quidam consuluit, an posit efficere hoc dicto, ut rationes aduersarii sibi exhiberentur quas exhiberi magni eius interesset: respondit Paulus non oportere ius ciuile calumniari, neque verba captari: sed qua mente quid diceretur animaduertere conuenire. Nam illa ratione etiam studiosum alicuius doctrinæ posse dicere, sua interesse, illos aut illos libros sibi exhiberi, quia si essent exhibiti, cum eos legisset doctior, & melior futurus esset, ff. eod. l. penult.

Si dominium equæ de qua agis, ad matrem tuam pertinuit, nec iure à patre tuo venundata est, eiusque proprietatem tibi vendicare paratus es: præses prouinciæ exhiberi eam iubebit, ut apud iudicem de rei veritate quæratur, C. ad exhib. l. prima.

Non ignorabit iudex si instrumenta tui iuris, quæ penes diuersam partem fuisse probaueris, ab eisdem non exhibeantur iurisiurandi in litem facultatem deferri tibi oportere, C. eod. l. quarta.

Instrumenta ad ius tuum pertinentia partem diuersam inuasisse asseuerans, si quidem crimen intendis solennibus accusationibus impleris. fidem asseuerationi tuæ facito. sin uerò ad exhibendum intendis, iudiciorum more experire, C. eodem, l. sexta.

Si res tuas commodauit, aut deposuit, quis aduersus tenentem ad exhibendum. uel uindicatione uti potes, quod si pactus sit, ut tibi restituantur: si quidem ei, qui deposuit succesisti iure hærepitario, depositi actione, uti non prohiberis: si uero ad te hæreditas eius non pertinet: intelligis nullam te ex eius pacto contra quam supplicas actionem stricto iure habere: utilis autem tibi propter æquitatis rationem dabitur depositi actio, C. eo. l. pen.

DE REI VINDICATIONE.
Titulus VII.

POST actiones quæ de vniuersitate propositæ sunt subiicitur actio singularum rerum petitionis. Quæ specialis in rem actio locum habet in omnibus rebus mobilibus, tam animalibus, quam iis, quæ anima carent, & in iis, quæ solo continentur, ff. de rei vendic. l. prima, in princip.

Per hanc autem actionem liberæ personæ, quæ sunt iuris nostri: utputa liberi, qui sunt in potestate; non petuntur. igitur aut preiudiciis, aut interdictis, aut cognitione prætorie, d. l. prima. §. hanc autem.

Per hanc autem actionem non solum singulares uindicabuntur; sed posse etiam gregem uindicari Pomponius scribit. idem de armento, & de equotio, ceterisque, quæ gregatim habentur dicendum est, sed enim gregem sufficiet ipsum

nostrum

nostrum esse, licet singula capita nostra non sint. grex enim non singula corpora vindicabuntur, d.l. prima, §. fin.

Sed si par numerus duorum interfuerit: neuter solidum gregem, sed nec partem dimidiam totius eius vindicabit: sed si maiorem numerum alter habeat, ut detracto alieno, nihilominus gregem vindicaturus sit, in restitutione, tamen non veniunt aliena capita, ff. eo. l. secunda.

Marcellus libro quarto digestorum scribit, qui gregem habebat trecentorum capitum: amissis centum redemit totidem alia capita ab eo, qui dominium eorum habebat, vel qui bona fide ea possidebat. & hæc vtiq; gregis (inquit) vindicatione continebuntur: sed & si ea sola supersint capita, quæ redempta sunt: adhuc eum posse gregem vindicare, ff. eo. l. tertia, in prin.

Armamenta nauis singula erunt vindicanda, scapha quoq; separatim vindicabitur, d. l. tertia, §. armamenta.

Pompon. scribit: si quid, quod eiusdem naturæ est, ita confusum est, atq; commistum, vt deduci, & separari non posit: non totum sed pro parte esse vindicandum, vtputa meum, & tuum argentum in massam redactum est, erit nobis commune: & vnusquisq; pro rata ponderis, quod in massa habemus, vindicabimus, & si incertum sit, quantum quisq; ponderis in massa habeat, d. l. tertia, §. Pōpo.

Quo quidem casu etiam communi diuidundo agi poterit, sed & furti, & ad exhibendum tenebitur, qui dolo malo confundendum id argentum curauit, ita ut in ad exhibendum actione precii ratio haberi debeat, in vindicatione, vel communi diuidundo actione hoc amplius ferat, cuius argentum preciosius erat, ff. eodem, l. quarta.

Idem Pomponius scribit, si frumentum duorum, non voluntate eorum, confusum sit, competit singulis in rem actio in id, quantum paret in illo aceruo suum, cuiusque esse. quod si voluntate eorum commista sunt: tunc communicata uidebuntur, & erit communi diuidundo actio, ff. eo. l. quinta, in prin.

Idem scribit, si ex melle meo, & ex vino tuo factum sit mulsum, quosdam existimasse, id quoq; communicari, sed verius est eius potius esse qui fecit: quoniam speciem pristinam non retinet: sed si plumbum cum argento mistum sit: quia potest deduci, nec communicabitur, nec communi diuidundo agetur; agetur autem in rem: sed si deduci non posit, puta si æs, & aurum mistum fuerit, pro parte esse vindicandum. Nec quaquam erit dicendum, quod in mulso dictum est: quia vtraq; materia, & si confusa manet tamen, d. l. quinta, §. idem scribit, si.

Idem scribit; si æquam meam equus tuus pregnantem fecerit: non esse tuum, sed meum, quod natum est, d. l. quinta. §. idem scribit; si.

De arbore, quæ in alienum agrum translata coaluit, & radices immisit: Varus, & Nerua utilem in rem actionem debeant. nam si nondum coaluit, mea esse non desinit, d. l. §. de arbore.

Cum in rem agitur, si de corpore conueniat, error autem sit in uocabulo: recte actum esse uidetur, si plures sint eiusmodi nominis, d. l. quinta. §. fina.

Si in rem aliquis agat, debet designare rem: & vtrum totam an partem, & quotam petat. appellatio enim rei non genus, sed speciem significat. Octauenus ita definit: quod infectæ quidem materiæ pondus, signatæ vero numerum, factæ autem speciem dici oportet: sed & mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur. & si vestimenta nostra esse, vel dari oportere nobis dicamus: vtrum numerum eorum dicere debebimus, an & colorem? & magis est, vt vtrumque. nam illud inhumanum est, cogi nos dicere trita sint, an noua. Quamuis & in vasis occur-

ſis occurrat difficultas: vtrum lancem dumtaxat dici oporteat, an etiam quadratam, vel rotondam, vel pura an cęlata ſit. quæ ipſa in petitionibus quoque adiicere difficile eſt. nec ita coartanda res eſt: licet in petendo equo nomen eius dici debeat, ſed ſi nomen eius ignorem, demonſtratione eius vtendum erit; veluti. QVI EX ILLA HAEREDITATE EST. item fundum petiturus, nomen eius, & quo loci ſit, dicere debebit, ff. eod. l. ſexta.

Si is, qui obtulit ſe fundi vindicationi, damnatus eſt; nihilominus à poſſeſſore rectè petitur, ſicut pedius ait, ff. eod. l. ſeptima.

Si ex æquis partibus fundum mihi tecum communem, Tu, & Lucius Titius poſsideatis, non ab vtriſque quadrantem petere me debere: ſed à Titio, qui non ſit dominus totum ſemiſſem. Aliter atque ſi certis regionibus poſsideatis eum fundum: nam tunc ſine dubio, & à te, & à Titio partes fundi petere debeo. Quoties enim certa loca poſsidebuntur, neceſſariò in his aliquam partem meã eſſe, & ideo te quoque à Titio quadrantem petere debere, quæ diſtinctio neq; in re mobili, neque in hæreditariis petitione locum habet: nunquam. n. pro diuiſo poſsideri poteſt, ff. eod. l. octaua.

Officium autem Iudicis in hac actione in hoc erit, vt iudex inſpiciat, an reus poſſideat, nec ad rem pertinebit, ex qua cauſa poſsideat: vbi enim probaui rem meam eſſe, neceſſe habebit poſſeſſor reſtituere, qui non obiecit aliquam exceptionem. Quidam tamen (vt Pegaſus) eam ſolam poſſeſsionem putauerunt hãc actionem complecti, quæ locum habet in interdicto. VTI POSSIDETIS vel VTRVBI. Denique ab eo, apud quem depoſita ſit, vel cõmodata, vel qui conduxerit, aut qui legatorum ſeruandorum cauſa, vel dotis, vel ventris, vel rei ſeruandæ nomine in poſſeſsione ſit, vel cui damni infecti non caueatur (quia hi omnes non poſsident) vindicari non poſſe. putatur autem ab omnibus, qui tenent, & habent reſtituendi facultatem peti poſſe, ff. eod. l. officium, 9.

Qui pitorio iudicio vtitur; ne fruſtra experiatur: requirere debet, an is, cum quo inſtituit actionem poſſeſſor ſit, vel dolo deſierit poſsidere, ff. eod. l. qui pitorio, in principio.

In ſpeciali actione nõ cogitur poſſeſſor dicere pro qua parte eius ſit: hoc enim petitoris munus eſt, non poſſeſſoris, quod & in publiciana obſeruatur, ſuperficiario ideſt, qui in alieno ſolo ſuperficiem ita habet, vt certam penſionem præſtet, ff. eod. l. in ſpeciali, 73. cum l. ſeq.

Si res mobilis petita ſit, vbi reſtitui debeat ſi præſens non ſit? & non malum eſt (ſi bonæ fidei poſſeſſor ſit is, cum quo agitur) aut ibi reſtitui, vbi res eſt, aut ubi agitur: ſed ſumptibus petitoris, qui extra cibaria in iter, vel nauigationem faciendi ſunt, niſi ſi malit petitor ſuis impenſis, & periculo ibi, vbi vindicatur, rem reſtitui: tunc enim de reſtitutione cum ſatiſdatione cauebitur, ff. eod. l. ſi res, x. cum l. ſequenti.

Si vero malæfidei ſit poſſeſſor, qui in alio loco eam rem nactus ſit: idem ſtatui debet, ſi vero ab eo loco vbi lis conteſtata eſt, eam ſubtractam alio tranſtulerit: illic reſtituere debet, vnde ſubtraxit ſumptibus ſuis, ff. eod. l. ſi verò, xii.

Aduerſus eos, qui à malæfidei poſſeſſoribus fundum bonafide comparauerunt, ita tibi actio competit, ſi priuſquam vſucapionem implerent, vel longæ poſſeſſionis præſcriptione aſpicerentur dominium, ad te peruenit, C. de rei vindicatio. l. quarta.

Re tua apud aliquem manente, proprietatis error nihil tibi potuit nocere: niſi alia contra te cauſa interuenerit, C. eod. l. re tua, 18.

Certum

Certum est malafide possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bona vero fide, extātes. post litis aūt contestationē vniuersos, C. eo. l. certum est, 22.

Nullo iusto præcedente titulo possidentes ratio iuris quærere dominium prohibet: idcirco cum etiam vsucapio cesset, intentio dominii nunquam absumitur. Vnde hoc casu postliminio reuerso, citra beneficium actionis rescissoriæ, directa permanet integra vindicatio, C. eo. l. nullo. 23.

Solennibus pensionibus rei pro alio satisfacientem, non interueniente venditione, solutionis causa minime dominum facit, C. eod. l. solennibus, 24.

Moræ litis causam possessoris nō instruunt ad inducendā longæ possessionis præscriptionē, quæ post litem contestatā in præteritū æstimatur, C. eo. l. moræ, 26.

Res alienas possidens, licet iustam tenendi causam nullam habeat, non nisi suam intentionem implenti restituere cogitur, C. eo. l. fin.

Non solum autem rem restitui iubebit, verum & si deterior res sit facta: eius rationem iudex habebit. finge debilitatum equum, vel vulneratum restitui, vtiq; ratio per iudicem habebitur, quanto deterior sit: quanquam, & legis Aquiliæ actione conueniri possessor possit. vnde quæritur, an non alias iudex æstimare damnum debeat, quàm si remittatur actio legis Aquiliæ; & Labeo putat cauere petitorem oportere lege Aquilia se non acturum, quæ sententia uera est, ff. eod. l. non solum, 13.

Quod si malit actor potius legis Aquiliæ actione uti, absoluendus est possessor, ff. eo. l. quod si malit, 15.

Si quis rem ex necessitate distraxit: fortassis huic officio iudicis succurretur, vt precium duntaxat debeat restituere: nam & si fructus pceptos distraxit, ne corrumperentur: æquè non amplius, quàm precium præstabit. item si fortè ager fuit, qui petitus est, & militibus adsignatus est, modico honoris gratia possessori dato, & hoc restituere debebit, ff. eod. l. item, 15. §. si quis rem.

Si animal petitum, demortuum sit sine dolo malo, & culpa possessoris, precium non esse præstandum plerisque placuit: sed est uerius: si fortè distracturus erat petitor si accepisset moram passo debere præstari. nam si ei restituisset, distraxisset, & precium lucratus est, d. l. item si. §. si.

Vtique autem etiam mortuo equo, necessario est, sententia propter fructus, & partus, & stipulationem de euictione: non enim post litem contestatam vtiq; & factum possessor præstare debet. Culpa non intelligitur, si nauem petitam tempore congruo nauigationis trans mare misit, licet ea perierit, nisi minus idoneis hominibus eam commiserit, ff. eod. l. vtique, xvi.

Si equum, qui Mæuii erat, emero a Titio: deinde cum eum Mæuius a me peteret, eundem vendidero, eumque emptor occiderit; æquum esse, me precium Mæuio restituere, ff. eod. l. Iulianus, 17. in princ.

Si moram fecerit in equo reddendo possessor, & equus mortuus sit, & iam fructuum rationem vsque rei iudicatæ tempus spectandam esse, ff. eod. l. si rem Iulianus, §. si moram.

Non solùm fructus, sed etiam omnis causa præstanda est: & ideo, & fœtus venit in restitutionem, & fœtum fructus, d. l. Iulianus, xvii. §. non solum.

Si post acceptum iudicium possessor usu equum cœperit: debet eum tradere, eoque nomine de dolo cauere. periculum est enim, ne eum pignorauerit, ff. eod. l. si post, xviii.

Ipsi quoque reo cauendū esse labeo dicit, HIS REBVS RECTE PRAESTARI: si fortè fundi nomine damni infecti, cauerit, ff. eod. l. ipsi quoque, xix.

Præterea restituere debet possessor,& quæ post acceptum iudicium per eum, non ex re sua adquisiuit, nec enim sufficit corpus ipsum restitui, sed opus est, ut & causa rei restituatur, idest, ut omne habeat petitor, quod habiturus foret, si eo tempore, quo iudicium accipiebatur, restitutus illi equus fuisset; Itaq; fœtus æque restitui debet. quamuis postea ea editus est, quam matrem eius, post acceptum scilicet iudicium, possessor vsuceperit, quo casu etiam de fœtu, sicut de matre,& traditio,& cautio de dolo necessaria est, ff. eo. l. præterea, 26.

Qui in rem conuenitur, etiam culpæ nomine condemnatur. Culpæ autem reus est possessor, qui nauem a se petitam aduerso tempore nauigatum misit, si ea naufragio perempta est, ff. eo. l. qui petitorio, 36. §. qui in rem.

Quod infans, uel furiosus possessor perdidit, uel corrupit: impunitum est, ff. eod. l. quod infans, 60.

Sumptus in prædium, quod alienum esse apparuit a bonæfidei possessore facti: neque ab eo, qui prædium donauit, neq; a domino peti possunt: uerum exceptione doli opposita per officium iudicis æquitatis ratione seruatur, si fructuum a lite contestata perceptorum summam excedunt etenim admissa compensatione superfluum sumptum (meliore prædio facto) dominus restituere cogitur, ff. eo. l. sumptus, 48.

In rem actio competit ei, qui aut iuregentium, aut in re ciuili dominium adquisiit, ff. eo. l. in rem, 23. in princ.

Loca sacra quasi nostra in rem actione peti non possunt, d. l. in rem, §. loca sacra.

Si quis rei suæ alienam rem ita adiecerit, vt pars eius fieret: ueluti si quis statuæ suæ brachium aut pedem alienum adiecerit, aut scypho ansam, uel fundum, uel candelabro sigillum, aut mensæ pedem: dominum eius totius rei eum effici, ueq; statuam suam dicturum,& scyphum, pleriq; rectè dicũt, d. l. in rem, §. si qs.

Sed & id, quod in charta mea scribitur, statim meum fit, in omnibus igitur causis ex quibus mea res per præualentiã alienã rem trahit meamq; efficit, si eam rem uindicẽ ꝑ exceptionẽ doli cogar ꝑtiũ eius ꝙ accessit dare, d. l. in rẽ, §. sed & id.

In hac lege est exemplũ de pictura, quod omittitur ratione notata prima parte. titu. 11. in §. si quis in aliena Insti. de rer. diuis.

Item quæcunq; aliis siue adiecta accessionis loco cedunt, ea q̃diu cohærent dñs uindicare non põt, sed ad exhibendũ agere põt, ut separentur,& tunc uindicentur, scilicet excepto eo, ꝙ Cassius de ferruminatione scribit. Dicit enim si statuæ suæ ferruminatione in unctum brachium sit unitate, id maioris partis consumi,& ꝙ semel alienum fit, etiam si inde abruptum sit, redire ad priorem dñm non posse; non idem est in eo, ꝙ plumbatum sit: quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem, plumbatura uero non idem efficit. ideoq; in omnibus his casibus in quibus, neq; ad exhibendum, neq; in rem locum habet: in factum actio necessaria est. at in iis, quæ ex distantibus corporibus essent, constat singulas partes retinere suam propriam speciem, ut singuli homines, singule oues, ideoq; posse me gregẽ uindicare, q̃uis aries tuus sit immixtus, sed et te arietẽ uĩdicare posse. Nã si statuę meę brachiũ alienę statuę addideris: nõ posse dici brachiũ tuũ esse, q̃a tota statua vno spiritu continetˀ, d. l. in rẽ, §. itẽ q̃cunq;.

Tignum alienum ædibus iunctum nec uindicari potest ꝑ ꝑ legem duodecim tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi aduersus eum, qui sciens alienum suis ædibus iunxit: sed est actio antiqua DE TIGNO IVNCTO, quæ in duplum ex lege duodecim tabularum descendit. Item si quis ex alienis cæmentis in solo suo ædificauerit, domum quidẽ uindicare poterit cæmenta aũt resoluta prior dñs uindicabit: ẽt si post tps usucapionis dissolutũ sit ædificiũ, q̃ a bonæfidei emptore possessum est. nec. n. singula cæmenta usucapiunˀ, & si domus

pro tempo-

per temporis ſpacium noſtra fiat,d.l.in rem,§.tignum.

Si in aliena area ædificaſſem cuius bonæfidei quidem emptor fuit,eo autem tempore ædificaui,quo iam ſciebam alienam. videamus an nihil mihi exceptio pro ſit niſi forte quis dicat prodeſſe de damno ſollicito, huic exceptio nõ prodeſt. nec enim debuit, in alienum certus ædificium ponere, ſed hoc ei concedendũ eſt,vt ſine diſpendio domini areæ tollat ædificium,quod poſuit,ff.eo.l.Iuli.37.

In fundo alieno,quem imprudens emeras,ſi ædificaſti,aut conſeuiſti,deinde euincitur:bonus iudex varie ex perſonis,cauſisq; conſtituat. finge & dominum eadem facturum fuiſſe:reddet impenſam, vt fundum recipiat eo vſq; duntaxat, quo precioſior factus eſt, & ſi plus precii fundo acceſsit ſolum,quod impenſum eſt.finge pauperem,cui ſi reddere id cogatur laribus ſepulchriſq; auitis carendum ſit,ſufficiet tibi permitti tollere ex his rebus,quæ poſsis, dum ita ne deterior ſit fundus,quam ſi initio non foret ædificatum.cenſuimus uero, ut ſi paratus ſit dominus tantum dare,quantum habiturus eſſet poſſeſſor,his rebus ablatis,fiat ei poteſtas,neque maliciis indulgendum eſt,ſi tectorium puta,quod induxeris,picturaſq; corradere velis,nihil laturus niſi,vt officias. Finge eam eſſe perſonam domini,quæ receptum fundum mox venditura ſit,niſi reddat, quantum prima parte reddi oportere diximus,eo deducto condemnandus eſt,ff.eodem,l.in fundo,38.

Redemptores,qui ſuis cæmentis ædificant,ſtatim cæmenta faciunt eorum,in quorum ſolo ædificant. Quia nullum pignus creditor vendidiſſe videtur,ff. eo.l.redemptores,39.cu.l.ſeq.

Inter officium aduocationis,& rei ſuæ defenſionem multum intereſt,nec propterea quis (ſi poſtea cognouerit, rem ad ſe pertinere) quod alii eam uindicanti, tunc ignorans ſuam eſſe,adſiſtebat,dominiũ ſuũ amiſit,ff.eo.l.inter officiũ,54.

Solum partem eſſe ædium exiſtimatur, nec alioquin ſubiacere vti mare nauibus. meum eſſe,quod ex re mea ſupereſt,cuius vindicandi ius habeo, ff. eo.l. ſolum partem,xxxxix.

Si fundi dominus,eum exſoluiſſet ſæuiſſetve fundus euincatur,conſita tollere nõ poteſt.ff.eo.l.ſi fundi,53.

Habitator in aliena ædificia feneſtras,& hoſtia impoſuit, eadem poſt annum dñs ædificiorũ dempſit,q̃ſitum eſt;is qui impoſuerat,poſsit ne ea vindicare? rñſum eſt, poſſe, nam,quæ alienis ædificiis connexa eſſent, ea quandiu iuncta manerent,eorundem ędificiorum eſſe;ſimulatq; inde dempta eſſent,continuo in priſtinam cauſam reuerti,ff.eo.l.habitator,59.

Si inferiorem partem ædificii,quæ ſolum contingit,ad te ptinere probare potes, eũ,quam vicinus impoſuit,acceſsiſſet dñio tuo non ambigit. ſed & id,ꝙ in ſolo tuo ædificatũ eſt,quo ad in eadẽ cã manet,iure ad te ptinet.ſi uero fuerit diſſolutũ eius materia ad priſtinum dñium redit;ſiue bonafide, ſiue mala ædificium extructũ ſit:ſi nõ donãtis aĩo ædificia alieno ſolo ĩpoſita ſunt, C. de rei vin.l.2.

Domum,quàm ex matris ſucceſsione ad te pertinere, & ab aduerſa parte iniuria occupatam eſſe oſtendis: præſes prouinciæ cum penſionibus,quas percepit,aut percipere poterat,& omni cauſa damni dati reſtitui iubebit. Eius autem, quod impẽdit,rõnem haberi non poſſe,meritò reſcriptũ eſt, cũ malafide poſſeſſores eius,ꝙ in rem alienã impendunt,non eorũ negociorũ gerentes,quorum res eſt, nullã habeãt repetitionẽ: niſi neceſſarios ſumptus fecerint. ſine autẽ utiles : licentia eis permittitur ſine læſione prioris ſtatus rei eos auferre. C.eo.l.quinta.

Cum à matre domum filii te ſciẽte cõparaſſe proponas: aduerſus eum dominium

uindicantem, si matri non succeſsit, nulla te exceptione tueri potes. Quod si uẽditricis obtinet hæreditatem: doli exceptione, pro qua portione ad eum hæreditas pertinet, uti non prohiberis, C.eod. l.cum a matre, 14.

Si in area cõi domũ aliquis extraxit: hanc vobis cõem iuris fecit ratio, cuius portionem ab eo qui bona fide poſsidens ædificauit, si velis vindicare: ſumptus afferre debes, ne doli mali poſsis exceptione ſubmoueri, C.eod.l.si in rem, 16.

Is qui deſtinauit rem petere, animaduertere debet an aliquo interdicto poſsit nãciſci poſſeſsionem, quia longè cõmodius eſt ipſum poſsidere, & aduerſariũ ad onera petitoris compellere, quam alio poſsidente petere, ff.eod.l.is, qui. 24.

Is, qui ſe obtulit rei defenſioni ſine cauſa, cum non poſsideret, nec dolo feciſſet, quominus poſsideret, si actor ignoret, non eſt abſoluẽdus, vt Marcellus ait, quę ſententia uera eſt, ſed poſt litem conteſtatam. cæterum ante iudicium acceptũ non decipit actorem qui ſe negat poſsidere, cum verè non poſsideat: nec videtͣ ſe liti obtuliſſe, qui diſceſsit. Nam si actor ſit: tunc is non ab alio, ſed à ſe decipitur, & ideo reus abſoluitur, ff.eod.l.is qui, 25. cum l. ſeq.

Sin autem cùm à Titio petere vellem, aliquis dixerit ſe poſsidere, & ideo liti ſeſe obtulerit, & hoc ipſum in re agenda teſtatione probauero, omnimodo condemnandus eſt, ff.eod.l.ſin autem, 27. in prin.

Poſsidere autem aliquis debet, vtique & litis conteſtatæ tempore, & quo res iudicatur. quod si litis conteſtatæ tempore poſſedit, cum autẽ res iudicatur ſine dolo malo amiſit poſſeſsionem, abſoluendus eſt poſſeſſor. item si litis conteſtatæ tempore non poſſedit, quo autem tempore iudicatur, poſsidet, probãda eſt Proculi ſententia ut omnino condemnetur. Ergo, & fructuum nomine, ex quo cæpit poſsidere damnabitur, d.l.ſin autem, §. poſsidere.

Si equus petitus, dolo poſſeſſoris deterior factus ſit, deinde ſine culpa eius ex alia cauſa mortuus ſit: æſtimatio non fiet eius, quod deteriorem eum fecit: quia nihil intereſt petitoris: ſed hoc quantum ad in rem actionem. legis autem Aquiliæ actio durat: ſed & is, qui ante litem conteſtatam dolo deſinit rem poſsidere, tenetur in rem actione: idque ex Senatuſconſulto colligi poteſt, quo cautum eſt, (vt diximus) vt dolus præteritus in hæreditatis petitione ueniat. cum enim in hæreditatis petitionem, quæ, & ipſa in rem eſt, dolus præteritus fertur: non eſt abſurdum, per conſequentias, & in ſpeciali in rem actione dolum præteritũ deduci, d.l.ſin autem, §. si equus.

Is, qui dolo fecit, quominus poſsideret: hoc quoque nomine punitur, quod actor cauere ei non debet: actiones quas eius rei nomine habeat, ſe ei præſtaturum. Nec quaſi publicianã quidẽ actionẽ ei dãdã placuit, ne in poteſtate cuiuſq; ſit, per rapinam ab inuito dño rẽ iniuſto precio cõparare, ff.e.l.is qui, 69. cũ l. ſeq.

Quod si poſſeſſor quidem dolo fecit, actor verò iurare non uult, ſed quanti res ſit aduerſarium condemnari malit: mos ei gerendus eſt, ff.eod.l. quod si, 71.

Si per filium pater poſsideat, & is ſine culpa patris rei vindicandæ tempore abſit, uel tempus dandum, uel cauendum eſt de poſſeſsione reſtituenda, d.l.ſin autẽ, 27. §. si per filium.

In re petita, si poſſeſſor ante litem conteſtntam ſumptus fecit per doli mali exceptionem ratio eorum haberi debet, si perſeueret actor petere rem ſuam non redditis ſumptibus, & idem eſt si in area, quæ fuit petitoris, per errorem inſulam ædificauit, niſi tamen paratus ſit petitor pati tollere eum ædificium, d.l.ſin autem, §. in re petita.

Quod, & in area vxori donata per iudicem, qui de dote cognoſcit, faciendum dixerunt.

runt. fortè quòd pictorem, aut librarium esse docueris, dicitur non aliter iudicis officio æstimationem haberi posse. Aut si ante denunciatum sit actori ut impensam solueret, & eo dissimulante, posita sit doli mali exceptio, d.l. sin autem, §. finali, cum. d.l. seq.

Fructus non modò percepti, sed & qui percipi potuerunt æstimandi sunt. & ideo si dolo, aut culpa possessoris res petita perierit. Veriorē putat Pomponius Trebatii opinionem putantis eo usque fructuum tationem habendam, quousque haberetur, si non perisset, idest ad rei iudicandæ tempus, quod & Iuliano placet. Hæc ratione si nudæ proprietatis dominus petierit, & inter moras vsusfructus amissus sit: ex eo tempore quo ad proprietatem vsusfructus reuersus est, ratio fructuum habebitur. Idem est, & si per alluuionem pars fundo accesserit, ff. eod. l. fructus, 33. cum l. seq.

Fructus pendentes pars fundi videntur, ff. eod. l. 44.

Ex diuerso, si petitor lite cōtestata, vsumfructum legauerit: ex eo tempore, ex quo discessit à proprietate fructuum rationem non habendam, quidā rectè putant, ff. eod. l. ex diuerso, 35. in princ.

Vbi autem alienum fundum petii, & iudex sententia declarauit meum esse: debet etiam de fructibus possessor condemnari. eodem enim errore, & de fructibus condemnatur: non debet enim lucro possessori cedere fructus cùm victus sit: alioquin (vt Martianus ait) nec rem arbitrabitur iudex mihi restitui, & quare habeat, quod non esset habiturus possessor, si statim possesionem restituisset, d. l. ex diuerso, §. ubi autem.

Si nauis à malæfidei possessore petatur; & fructus æstimandi sunt: vt in taberna, & area, quæ locari solent, quod non est ei contrarium, quod de pecunia deposita, quam non attingit hæres interesse præstare non cogitur. nam & si maximè vectura (sicut interesse) non natura peruenit, sed iure percipitur: tamen ideo vectura desiderari potest, quoniam periculum nauis possessor petitori præstare non debet, cum pecunia periculo dantis negocietur, ff. eod. l. si nauis, 62.

Generaliter autem, cum de fructibus æstimandis, quæritur: constat, animaduerti non debere, an malæfidei possessor fruiturus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset, q̃ sententiā Iulian. quoq; probat, d. l. si nauis, §. gn̄aliter.

Cum in rem agitur eorum quoque, quæ vsui, non fructui sunt restitui fructus certum est, ff. eod. l. cum in rem, 64.

Si eius fundi, quem alienum possidebas fructum non coegisti: nihil eius fundi fructus nomine dare oportet. PAVLVS NOTAT, imò quæritur, si huius fructus idcirco factus est, quod is eum suo nomine perceperit: perceptionem fructus accipere debemus, non tantum si perfectè sint collecti, sed etiam cæpti ita, vt terra continere se fructus desierint: veluti si oliuæ, uel uuæ collectæ sunt, nōdum autem uinum, uel oleum ab aliquo factum est: statim enim ipse accepisse fructum existimandus est, ff. eod. l. si eius fundi. 78.

Petitor possessori de euictione cauere non cogitur eius rei nomine, cuius æstimationem accepit, sibi enim possessor imputare debet, qui rem non restituit, eorū quoque quæ sine interitu diuidi non possunt, partem petere posse constat, d. l. ex diuerso, §. finali.

Si quis hac lege emerit, ut si alius meliorem conditionem attulerit, recedatur ab emptione. post allatam conditionem, iam non potest in rem actione uti: sed si cui in diem additus sit fundus: antequam adiectio sit facta, uti in rem actione potest: postea non poterit, ff. eod. l. si quis hac lege, 41. in prin.

Si filiusfamilias fundum vendidit, & tradidit habens liberam peculii administrationem, vti in rem actione potero: sed & si patris voluntate rem tradat, idem erit dicendum: quemadmodum, & cum procurator voluntate patris vendidit, & tradidit, in rem actio mihi præstabitur, d.l. si quis, §. si seruus.

Si in rem actum sit, quamuis hæres possessoris, si non possideat, absoluatur: tamen si quid ex persona defuncti, commissum sit, omnimodo in dānationem veniet, ff. eod. l. si in rem, 42.

Eius rei, quæ per in rem actionem petita æstimata est, quanti in litem actor iurauerit: dominium statim ad possessorem pertinet, transegisse enim cum eo, & decidisse videbitur eo precio, quod ipse constituit, ff. eod. l. eius rei, 46.

Hæc si res præsens sit, si verò absens: tunc cum possessionem eius possessor nactus sit ex voluntate actoris, & ideo non est alienum, non aliter æstimari à iudice, quàm si cauerit actor, quod per se non fiat, possessionem eius rei non traditu iri, ff. eod. l. Hæc si res, 47.

Si ager ex emptionis causa ad aliquem pertineat, non rectè hac actione agi poterit, antequā traditus sit ager, tuncque possessio amissa sit: sed hæres de eo, quod hæreditati obuenit, rectè aget, & si possessionem eius adhuc non habuerit, ff. eod. l. si ager, 50.

Si in rem actum sit, & in hæredem possessoris iudicium datum: culpa quoque, & dolus malus hæredis in hoc iudicium venit. Cum autem fundi possessor ante litem contestatam dolo malo fundum possidere desiit: hæredes eius, in rem quidem actionem suscipere cogendi non sunt: sed in factū actio aduersus eos reddi debebit, per quam restituere cogentur in quantum locupletes ex ea re facti fuerunt, ff. eod. l. si in rem, 51.

Si possessor fundi ante iudicium acceptum duobus hæredibus relictis decesserit: & ab altero ex his, qui totum fundum possidebat totus petitus fuerit: quin insolidum condemnari debeat, dubitari non oporteat, ff. eod. l. si possessor. 55.

Vindicatio non, vt gregis ita, & peculii recepta est, sed res singulas is, cui legatum peculium est, peteret, ff. eod. l. vindicatio. 56.

Is à quo fundus petitus erat ab alio eiusdem fundi nomine conuentus est. quærebatur, si alterutri eorum iussu iudicis fundum restituisset, & postea secundum alterum petitorem iudicaretur: quemadmodum non duplex damnum traheret. Respondit Alphenus, vter prior iudex iudicaret: cum oportere ita fundum petitori restitui iubere, vt possessori caueret, vel satisdaret, si alter fundum euicisset eum præstare, ff. eod. l. is à quo, 57.

Minicius interrogatus, si quis nauem suam aliena materia refecisset, num nihilominus eiusdem nauis maneret? respondit manere: sed si in ædificanda eadem fecisset, non posse: IVLIANVS NOTAT, nam proprietas totius nauis carinæ causam sequitur, ff. eod. l. Minicius. 61.

Si culpa non fraudæ quis possessionem amiserit. quoniam pati debet æstimationem, audiendus erit à iudice, si desideret, vt aduersarius actiones suas cedat cum tamen prætor auxilium quandoque laturus sit. quolibet alio possidente, vt nulla captione adficiatur. ipso quoque, qui litis æstimationem percepit, possidente, adiuuari debet, nec facilè audiendus erit ille, si velit postea pecuniam, quam ex sententia iudicis periculo iudicati recepti restituere, ff. eodem, l. si culpa, 63.

Emptor prædium quod non à domino emit, exceptione doli posita, non aliter restituere domino cogetur, quàm si pecuniam creditori eius solutam, qui pi-

gnori

gnori datum prædium habuit, intereſſeq; medii temporis ſuperfluum recuperauerit: ſcilicet ſi minus in fructibus à lite conteſtata perceptis fuerit. nam eos intereſſe nobis duntaxat compenſari ſumptuum in prædium factorum exemplo: æquum eſt, ff. eo. l. emptor, 65. in princ.

A tutore pupilli domum mercatus, ad eius refectionem fabrum induxit, is pecuniam inuenit. quæritur, ad quem pertineat? Reſpondit Scæuola, ſi non theſauri fuerunt, ſed pecunia fortè perdita, vel per errorem ab eo, ad quem pertinebat non ablata: nihilominus eius eum eſſe, cuius fuerat, ff. eo. l. à tutore, 67.

Qui reſtituere iuſſus, iudici non paret, contendens non poſſe reſtituere: ſiquidem habet rem manu militari officio iudicis ab eo poſſeſsio trãs fertur, & fructuum duntaxat, omniſq; cauſæ nomine condemnatio fit. Si verò non poteſt reſtituere, & dolo fecit, quominus poſsit: is quantum aduerſarius in litem ſine ulla taxatione infinitum iurauerit damnandus eſt: ſi uero nec poteſt reſtituere, nec dolo fecit, quominus poſsit, non pluris, quàm res eſt, ideſt quanti aduerſarii interfuit, condemnandus eſt. Hæc ſententia generalis: ſiue interdicta, ſiue actiones, & ſiue in rem, ſiue in perſonam ſint, ex quibus arbitratu iudicis, quid reſtituitur locum habet, ff. eo. l. qui reſtituere, 68.

Si à Titio fundum emeris Sempronii, & tibi traditus ſit precio ſoluto: deinde Titius Sempronio hęres extiterit, & eundem alii vendiderit, & tradiderit: ęquius eſt, vt tu potior ſis. nam & ſi ipſe vẽditor eam rem à te peteret, exceptione eum ſubmoueres: ſed & ſi ipſe poſsideret, & tu peteres: aduerſus exceptionem domini i, replicatione vtereris, ff. eo. l. ſi à Titio, 72.

Non ideo minus rectè, quid noſtrum eſſe vindicamus, quod abire à nobis dominium ſperatur, ſi conditio legati, vel libertatis extiterit, ff. eo. l. non ideo, 66. & ff. de reg. iur. l. plerunq;, 205.

Rectè dicimus eum fundum totum noſtrum eſſe, etiam cuius vſusfructus alienus eſt: quia vſusfructus non dominii pars, ſed ſeruitus eſt, vt via, & iter, nec falſo dictum eſt meum eſſe, cuius non poteſt vlla pars dici alterius eſſe, ff. de verbor. ſignific. l. rectè, 25. in princ.

Quæ de tota re vindicanda dicta ſunt, eadem, & de parte intelligenda ſunt: officioq; iudicis continetur, pro modo partis ea, quoq; reſtitui iubere, quæ ſimul cum ipſa parte reſtitui debent, ff. eod. l. quæ de tota, 76. in prin.

Incertæ partis vindicatio datur, ſi iuſta cauſa interueniat. iuſta autem cauſa eſſe poteſt, ſi fortè legi Falcidiæ locus ſit in teſtamento, propter incertam detractionem ex legatis, quæ vix apud iudicem examinatur. iuſtam enim habet ignorantiam legatarius, cui equus legatus eſt: ſi hæſitet, quotam partem vindicare debeat. itaq; tali dabitur actio. eadem, & de cæteris rebus intelligemus, d. l. quæ de tota, §. incertæ.

Quædam mulier fundum non marito donauit per epiſtolam, & eundem fundum ab eo conduxit, dixi poſſe defendi in rem ei competere, quaſi per ipſam adquiſierit poſſesſionem, veluti per colonum. Proponebatur, quod etiam in eo agro, qui donabatur fuiſſet, cum epiſtola mitteretur, quæ res ſufficiebat ad traditam poſſesſionem, licet conductio non interueniſſet, ff. eo. l. quædam, 77.

Mater, uel maritus fundum filiæ inuita, uel ignorante ea uendere iure non potuit, ſed rem ſuam à poſſeſſore uindicare, etiam non oblato precio, poterit. ſin autem poſtea de eadem uenditione conſenſit, uel alio modo proprietatem eius amiſit: aduerſus emptorem quidem nullam habet actionem, aduerſus uenditricem uero de precio negociorum geſto. exercere non prohibetur, C. eo. l. tertia.

Si do-

Si docet maritus equum dotalem fuisse in notione præsidis. hoc patefacto: dubium non erit uindicari ab uxore sua nequisse, C.eo.l.si docet, 9.

Si ea pecunia, quàm deposueras, is, apud quem collocata fuerat, sibi possesiones comparauit, ipsiq; traditæ sunt, tibi uel omnes tradi, uel quasdam compensationis causa ab inuito in te transferri, iniuriosum est, C.eo.l.sexta.

Si (ut proponis) pars diuersa pecunia tua quædam nomine suo comparauit: præses prouinciæ utilem uindicationem obtentu militiæ tibi eo nomine imperti-ri desideranti, partes æquitatis non negabit. idem mandati quoq;, seu negociorum gestorum actionem inferenti tibi iurisdictionem præbebit, C. eod.l. si ut proponis, viii.

Si quis sciens alienum ahrum conseuit, uel plantas imposuit, postquam hæ radicibus terram fuerint amplexæ, solo cedere, rationis est. domini enim magis segetem uel plantas, quàm per huiusmodi factum solum suum facit. sanè qui bona fide possidens hæc fecerit per doli mali exceptionem contra uindicantem dominium seruare sumptus, iuris authoritate significatum est, C.eod. l. si quis, xi.

Quoties duobus insolidum prædium iure distrahitur, manifesti iuris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem: si igitur antecedente tempore possesionem emisse, ac precium exsoluisse apud præsidem prouinciæ probaueris: obtenta non datorum instrumentorum expelli te possesione non patietur. Erit sanè in arbitrio tuo precium, quod dedisti, cum interesse recipere. ita tamen, ut perceptorum fructuum, ac sumptuum ratio habeatur, cum & si causa donationis utriq; dominium rei uindicetis: eum, cui priori possessio soli tradita est, haberi portiorem conuenit, C.eo.l.quoties, 15.

Si fundum uestrum, uobis per denunciationem admonentibus uolentem ad emptionem accedere, quod distrahentis non fuerit, non rectè is, contra quem precem funditis, comparauit, uel alio modo mala fide contraxit: tàm fundum uestrum constitutum probantibus, quàm fructus, quos eum mala fide percepisse fuerit ꝓbatum, aditus præses prouinciæ restitui iubebit, C.eo.l. si fundum, 17.

In rem actionem pati non compellimur: quia licet alicui dicere, se non possidere, ita tamen, ut si possit aduersarius conuincere, rem ab aduersario possideri, transferat ad se possesionem per iudicem, licet suam esse non probauerit, ff. eodem, l.finali.

A possidentibus uindicata animalia, quorum dominium ad uos pertinere intenditis, si postea quam impleueritis intentionem, hæc non restituantur: iurisiurandi solennitate secuta cõdemnatio procedere debet, C.eo.l.à possidẽtib. 21.

SI SERVITVS VINDICETVR, VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR. Tit. VIII.

SI agat quis, ius sibi esse fundo fortè, vel ædibus utendi, fruendi, vel per fundum uicini eundi, agendi, uel ex fundo uicini aquam ducendi in rem actio est. Eiusdem generis est actio de iure prædiorũ vrbanorum, veluti si quis agat ius sibi esse altius: ædes suas tollendi, prospiciendive, vel proiecendi aliquid, uel immittendi tignum in vicini ædes. Inst.de actionib.§.æquè si agat.

Contra quoque de usufructu, & de seruitutibus prædiorum rusticorum. item prædiorum vrbanorum inuicem proditæ sunt actiones: ut si quis intendat ius non esse aduersario utendi, fruendi, eundi, agendi, aquamve ducendi: item altius

tollendi,

tollendi,proſpiciendive,vel proiciendi,immittendive,iſtæ quoque actiones in rem ſunt, ſed negatiuæ, quod genus actionis in controuerſiis rerum corporalium præditum non eſt.nam in his is agit,qui non poſſidet: ei vero, qui poſſidet,nihilominus is actoris partes obtinet,ſicuti in latioribus digeſtorum libris opportunius apparebit, Inſt.eod.§.contra quoque.

Actiones de ſeruitutibus (ſiue ruſticis, ſiue vrbanis) eorum ſunt, quorum prædia ſunt,ff.ſi ſeru.uind.l.prima.

De ſeruitutibus in rem actiones competunt nobis ad exemplum earum, quæ ad vſumfructum pertinent,tàm confeſſoria,quàm negatoria:confeſſoria, ei, qui ſeruitutes ſibi competere contendit:negatoria domino,qui negat,ff.eod.l.ſecunda,in princip.

Hæc autem in rem actio confeſſoria non alii, quàm domino fundi competit ſeruitutem enim nemo vindicare poteſt, quàm qui dominium in fundo vicino habeat,cui ſeruitutem dicit deberi,d.l.ſecunda,§.hæc autem.

Hæc autem actio in rem magis eſt,quàm in perſonam: & non alii competit,quàm domino ædium aduerſus dominum. ſicuti cæterarum ſeruitutum intentio,ff.eo.l.ſexta,§.hæc autem actio.

Rectè Neratius ſcribit,ſi medii loci vſusfructus legetur,iter quoq; ſequi: pro ea, ſcilicet loca fundi,per quæ,qui vſumfructum conceſsit conſtitueret, quatenus eſt ad fruendum neceſſarium.Namque ſciendum eſt, iter quod fruendi gratia fructuario præſtatur, non eſſe ſeruitutem. neque enim poteſt ſoli fructuario ſeruitus deberi: ſed ſi fundo debeatur,& ipſe fructuarius ea utetur, d.l. ſecunda,§.rectè Neratius.

Pomponius dicit fructuarium interdicto DE ITINERE vti poſſe: ſi hoc anno vſus eſt.alibi enim de iure, ideſt in confeſſoria actione: alibi de facto, ut in hoc interdicto quæritur, quod, & Iulianus ſcribit, pro ſententia Iuliani facit, quod Labeo ſcribit: etiam ſi teſtator vſus ſit itinere qui legauit vſumfructum: debere utile interdictum fructuario dari,quemadmodum & hæredi,vel emptori competunt hæc interdicta: ſed & ſi partem fundi, quis emerit, idem dicendum eſt,d.l.ſecunda,§.fi.cum l.ſeq.

Loci corpus non eſt dominii ipſius, cui ſeruitus debetur, ſed ius eundi habet,ff.eo.l.quarta,in princip.

Qui iter ſine actu,vel actum ſine itinere habet, actione de ſeruitute vtetur,d.l.ſecunda,§.qui iter.

In confeſſoriam actionem, quæ de ſeruitute mouetur, fructus etiam veniunt: ſed uideamus, qui poſſunt eſſe fructus ſeruitutis, & eſt verius, id demum fructuum nomine computandum,ſi quid interſit agentis ſeruitutem non prohiberi,ſed & in negatoria actione (ut Labeo ait) fructus computantur, quanti intereſt petitoris, non uti fundi ſui itinere aduerſarium. & hanc ſententiam, & Pomponius probat,d.l.quarta,§.in confeſſoria.

Veniunt & fructus in hac actione:ideſt commodum, quod haberet, ſi onera eius ædium uicinos ſuſtineret. Parietem autem meliorem quidem,quam in ſeruitute impoſitum eſt,facere liceret:deteriorem,ſi faciat,aut per hãc actionem, aut per operis noui nunciationem prohibetur,ff.eo.l.ſexta,§.fin.

Si fundus,cui iter debetur,plurium ſit, vnicuiq; inſolidum competit actio, & ita Pomponius ſcribit.Sed in æſtimatione id,quod intereſt, veniet, ſcilicet quod eius intereſt, qui experietur. itaque de iure quidem ipſo ſinguli experientur, & victoria etiam aliis proderit,æſtimatio autem ad id,quod eius intereſt, reuocabitur:

cabitur: quamuis per vnum seruitus adquiri non posit: sed & si duorum fundus sit, qui seruiat, aduersus vnumquemq; poterit ita agi, & (vt Pompon. scribit) quisquis defendit, solidum debet restituere: quia diuisionem hæc res non recipit, d. l. quarta, §. si fundus.

Si quis mihi itineris, vel actus, vel viæ controuersiam non faciat, sed reficere, sternere non patiatur. Pompon. scribit confessoria actione mihi vtendum. Nam & si arborem impendentem habeat vicinus, quæ viam, vel iter inuium, vel inhabile faciat: Marcellus quoq; apud Iulianum notat petendum iter, vel uiam vindicandam: sed de refectione viæ, & interdicto uti possumus. Quod de itinere, actuq; reficiendo competit, non tamen si silicem quis sternere velit: nisi nominatim id conuenit: sed & de haustu (quia seruitus est) competunt nobis in rem actiones, d. l. quarta, §. si quis mihi.

Competit autem de seruitute actio domino ædificii, neganti seruitutem se vicino debere: cuius ædes non in totum liberæ sunt, sed ei, cum quo agitur, seruitutem non debent. Verbi gratia, habeo ædes, quibus sunt vicinæ, & Seianæ, & Semproniæ. Sempronianis seruitutem habeo. aduersus dominum Seianarum volo experiri, altius me tollere prohibentem. in rem actione experiar. licet enim seruiant ædes meæ: ei tamen, cum quo agitur, non seruiunt. hoc igitur intendo: habere me ius altius tollendi inuito eo, cum quo ago, quantum enim ad eum pertinet, liberas ædes habeo, d. l. quarta, §. competit.

Si cui omnino altius tollere non liceat, aduersus eum rectè agetur, ius ei non esse tollere. Hæc seruitus, & ei, qui vlteriores ædes habet, deberi poterit. Et ideo, si inter meas, & Titii ædes, tuæ intercedant: possum Titii ædibus seruitutem imponere, ne liceat ei altius tollere, licet tuis non imponatur: quia donec tu non extollis, est vtilis seruitus, ff. eo. l. quarta, §. fi. cum l. seq.

Et si fortè, quis medius est (quia seruitutem non debebat) altius extulerit ædificia sua, ut iam ego non videat luminibus tuis obstaturus, si ædificauero: frustra intendens ius mihi non esse, ita ædificatum habere inuito te: sed si intra statutum tempus rursus ædificium suum deposuerit vicinus: renascetur tibi uindicatio, ff. eo. l. sexta, in princ.

Sciendum est, in his seruitutibus eundem esse possessorem iuris, & petitorem: & si fortè non habeam ædificatum altius in meo, aduersarius meus possessor est. nam cum nihil sit innouatum: ille posidet. & ædificantem me prohibere potest, & ciuili actione, & interdicto; QVOD VI AVT CLAM. idem & si lapilli iactu impedierit, sed & si patiente eo ædificauero: ego possessor ero effectus, d. l. sexta, §. sciendum.

Etiam de seruitute, quæ oneris ferendi causa imposita erit, actio nobis competit: vt & onera ferat, & ædificia reficiat ad eum modum, qui seruitute imposita comprehensus est, & gallus putat, non posse ita seruitutem imponi, vt quis facere aliquid cogeretur, sed ne me facere prohiberet. nam in omnibus seruitutibus refectionem ad eum pertinere, qui sibi seruitutem adferat: non ad eum cuius res seruiat, sed præualuit seruii sententia in proposita specie, ut posit quis defendere, sibi ius esse cogere aduersarium reficere parietem ad onera sua sustinenda Labeo autem hanc seruitutem non hominem debere, sed rem. deniq; licere domino rem derelinquere scribit, d. l. sexta, §. etiam de seruitute.

Si ædes plurium dominorum sint, an insolidum agatur, Papinianus libro tertio quæstionum tractat, & ait singulos dominos insolidum agere, sicut in cæteris seruitutibus, excepto vsufructu, sed non idem respondēdum esse, inquit, si com

munes

munes ædes essent, quæ onera vicini sustinerent, d.l.sexta, §.si ædes.

Modus autem refectionis in hac actione ad eum modum pertinet, qui in seruitute imposita continetur: forte, vt reficiat lapide quadrato, vel lapide structili, vel quouis alio opere, quod in seruitute dictum est, d.l.sexta, §.modus.

Harum actionum euentus hic est: vt uictori officio iudicis, aut res præstetur, aut cautio. Res ipsa hæc est, ut iubeat iudex aduersarium emendare uicium parietis. & idoneum præstare. cautio autem, vt eum iubeat de reficiendo pariete cauere: neq; se, neq; successores eius prohibituros altius tollere, sublatumq; habere, & si cauerit, absoluatur. Si vero neq; rem præstet, neq; cautionem: tanti condemnetur: quanti actor in litem iurauerit, ff.eo.l.septima.

Sicut autem refectio parietis ad vicinum pertinet, ita fultura ædificiorum uicini, cui seruitus debetur, quandiu paries reficitur ad inferiorem uicinum non debet pertinere. Nam si non vult superior fulcire, deponat, & restituat, cum paries fuerit restitutus. Et hic quoq; sicut in cæteris seruitutibus contraria actio dabitur: hoc est, ius tibi non esse me cogere. ff eod.l.octaua, in princ.

Competit mihi actio aduersus eum, qui cessit mihi seruitutem, ut in pariete̅ eius tigna immittere mihi liceat, superq; ea tigna (uerbi gratia) porticum ambulatorem facere, superq; eum parietum columnas structiles imponere, quę tectum porticus ambulatoriæ sustineant, d.l.octaua, §.competit.

Distant autem hæ actiones inter se; quod superior quidem locum habeat, etiam ad compellendum uicinum reficere parietem; hæc uero locum habet ad hoc solu̅, ut tigna suscipiat, ꝙ non est co̅tra genera seruitutu̅, d.l.octaua, §.distant au̅t.

Sed si quæratur quis possessoris, quis petitoris partes sustineant: sciendum est possessoris partes sustinere (si quidem tigna immissa sint) eum, qui seruitutem sibi deberi ait: si uerò non sunt immissa, eum qui negat, et si quidem is obtinuerit, qui seruitutem sibi defendit, non debet ei seruitus cedi, siue rectè pronunciatum est (quia habet) siue ꝑperam. q̃a per sn̄ia̅m non debet seruitus co̅stitui, sed q̃ est, declarari. Planè si no̅ utendo post lite̅ co̅testata̅ amisit dolo malo dn̄i ędium: ei restitui oportet, que̅admodum placet in dn̄o ędium, d.l.8.§. sed & si.

Aristo Cerellio uitali respondit: non putare se ex taberna Casearia fumum in superiora ædificia iure immitti posse, nisi ei rei seruitus talis admittat. ideo (ait) quia & ex superiore in inferiora non aquam, non quid aliud immitti licet. in suo.n.alicui hactenus facere licet, quatenus nihil in alienu̅ immittat. fumi au̅t sicut aquæ, immissionem esse posse igitur superiorem cum inferiore agere ius illi non esse, id ita facere, Alphenum deniq; scribere ait, posse ita agi: ius illi non esse in suo lapidem cædere, ut in meum fundum fragmenta cadant. Dicit igitur Aristo eum, qui tabernam cesariam a Minturnensibus conduxit, ad superiora prohiberi posse fumum immittere, sed Minturnenses ei ex conducto teneri, agiq; sic posse dicit cum eo, qui fumum immittat, ius ei non esse fumum immittere. Ergo, & per contrarium agi poterit, ei ius esse, quod & ipsum uidetur Aristo probare: sed & interdum, VTI POSSIDETIS poterit locum habere, si quis prohibeatur, qualiter uelit suo uti, d.l.octaua, §. Aristo.

Apud Pomponium dubitatur libro duodecimo lectionu̅, an quis possit ita agere, licere fumu̅ non grauem (puta ex foco) in suo facere: aut no̅ licere, & ait magis non posse agi: sicut agi non po̅t, ius esse in suo ignem facere, aut sedere, aut lauare, Ide̅ ĩ diuersu̅ probat. Na̅ & balineis (inquit) vaporib. cu̅ q̃ntilla cuniculu̅ ꝑge̅te̅ ĩ Iuli Vrsi instruxisset: placuit potuisse tales seruitutes ĩponi, d.l.8.§.fin.

Si eo loco, per quem mihi iter debet, tu ędificaueris: possum intendere, ius mihi

esse

esse ire agere, quod si probauero: inhibebo opus tuum. item Iulianus scribit, si vicinus in suo ædificando effecerit, vt ne stillicidium meum reciperetur: posse me agere de iure meo, idest ius mihi esse immittendi stillicidium, sicut in via diximus. Et si quidem nondum ædificauit: siue vsumfructum, siue viam habeat: sibi esse ire, agere, vel frui, intendere potest, quod si iam ædificauit dominus: is qui iter, & actum habet, adhuc potest intendere, ius sibi esse; fructuarius autem non potest, quia amisit vsumfructum, & ideo de dolo actionem dandam hoc casu Iulianus ait. Contra si in itinere, quod per fundum tibi debeo, ædifices: rectè intendam, ius tibi non esse, ædificare, vel ædificatum habere: quemadmodum si in area mea quid ædifices. ff. si seru. vind. l. si eo loco, ix.

Si quis diuturno vsu, & longa quasi possessione ius aquæ ducendæ natus sit: non ei necesse est docere, quo aqua constituta est (veluti ex legato, vel alio modo, sed vtilem habet actionem, vt ostendat per annos (fortè tot) vsum se non ui, non clam, non præcario, ff. eod. l. si quis, x in princ.

Agi autem hac actione poterit non tantum cum eo, in cuius agro aqua oritur, vel per cuius fundum ducitur, verum etiam cum omnibus, ne quicunque aquam ducere impediant: exemplo scilicet cæterarum seruitutum. Et generaliter: qui cunque aquam non ducere impediunt, hac actione cum eo experiri potero, d. l. si quis, §. final.

An vnus ex sociis in communi loco inuitis cæteris iure ædificare posſit: idest an si prohibeatur à sociis, posſit cum iis ita experiri, ius sibi esse ædificare: & an socii cum eo ita agere posſint, ius sibi prohibendi esse, uel illi ædificandi non esse, & si ædificatum iam sit, num posſit cum eo ita experiri, ius illi non esse ita ædificatum habere: quæritur. Et magis dici potest prohibendi potius, quam faciendi ius socio esse, quia ille, qui facere conatur (vt dictum est) quodammodo sibi alienum quoque ius præcipit: si quasi solus dominus sit ad suum arbitrium uti communi iure uelit, ff. eod. l. an unus, xi.

Egi, ius illi non esse, tigna in parietem meum immissa habere, an & de futuris nō immittendis cauendum? Responsum est, iudicis officio contineri, ut de futuro quoque opere cauere debeat, ff. eod. l. egi ius. xii.

Fistulas, quibus aquam duco, in uia publica habeo, & hæ ruptæ inundant parietē tuum: tu potes rectè mecum agere, ius mihi non esse, flumina ex meo in tuum parietem fluere, ff. eod. l. fistulas. xiii.

Si cum meus proprius paries esset, passus sim immittere tigna, quæ antea habueras: si noua uelis immittere, prohiberi a me potes: immò etiam agere tecum potero, ut ea, quæ noua immiseris, tollas. Si paries communis, opere a te facto in ædes meas se inclinauerit: potero tecum agere, ius tibi non esse, parietem illū ita habere, ff. eod. l. si cum, xiiii.

Altius ædes suas extollendo, si quis ut luminibus domus minoris anni uiginti-quinque, uel impuberis, cuius curator, uel tutor erat, officiatur, efficit: quamuis hoc quoque nomine actione ipse hæredesque teneantur (quia quod alium facientem prohibere ex officio necesse habuit, id ipse committere non debuit) tamen & aduersus posſidentem easdem ædes, danda est impuberi, uel minori actio, ut quod non iure factum est, tollatur, ff. eo. l. altius, xv.

Si a te emero, ut mihi liceat, & ædibus meis in ædes tuas stillicidium immittere: & postea te sciente ex causa emptionis immissum habeam. quæritur an ex hac causa actione quadam uel exceptione tuendus sim? respondit Iulianus utroq; auxilio me usurum, ff. eod. l. si a te, xvi.

Si quando

Si quando inter ædes binas paries esset, qui ita ventrem faceret, vt in vicini domo semipedem, aut amplius procumberet: agi oportet, ius non esse illum parietem ita proiectum in suum esse, inuito se, cum in domo Gaii Seii locus quidam ædibus Annii, ita seruiret, vt in eo loco positum habere ius ei non esset: & Seius in eo syluam sęuisset, neq; non labra, crateras, cucumellas positas haberet: Annio consilium omnes iurisperiti dederunt, ut cum eo ageret, ius ei non esse in eo loco ea posita habere inuito se, ff. eo. l. si quando, 17. in prin.

Secundum cuius parietem, vicinus sterquiliniũ fecerat, ex quo paries madescebat, consulebatur quemadmodum posset vicinum cogere, vt sterquilinium tolleret, respondit Alphenus, si in loco publico, id fecisset, ꝑ interdictum cogi posse: sed in priuato, de seruitute agere oportere, sed si damni infecti stipulatus esset posse ꝑ eã stipulationẽ, si q̧d ex ea re sibi dãni datũ esset seruare, d. l. si qñ, §. secundũ.

Is, cuius familia uicinum ꝓhibebat aquã ducere, sui potestatem non faciebat, ut se cum agi posset, q̄rit actor, quid sibi faciendum esset, rñdit Iulian. oportere p̄torẽ causa cognita iubere bona aduersarii possideri, & non ante inde discedere, q̃ is actori ius aquæ ducendę restituisset, & si q̧d, q̧a aquã ducere ꝓhibitus esset, siccitatib. detrimenti cœpisset, ueluti si prata, arboresve exaruissent, ff. e. l. is cui. 18.

Si de cõi seruitute, q̧s bene, q̧dẽ deberi intendit, sed aliquo mõ litem ꝑdidit culpa sua: nõ est ęquũ hęc cęteris dãno esse, sed si ꝑ collusionẽ cessit litẽ aduersario, cęteris dãdã esse actionẽ đ dolo Cel. scribit, idq; ait Sabi. placuisse, ff. e. l. si đ cõi. 19.

Testatrix fundo, quem legauerat, casas iunctas habuit. quæsitum est, si hæ fundo legato nõ cederent: eumq; legatarius vindicasset, an iste fundus aliquã seruitutẽ casis deberet, aut si ex fideicommissi cã sibi dari legatarius desideraret, hæredes seruitutem aliquã casis excipere deberent, rñdit Scęuola, deberi, ff. eo. l. pe. ĩ prĩ.

Plures ex municipibus, qui diuersa prædia possidebant, saltum cõem, ut ius compascendi hr̃ent, mercati sunt, idq; etiam à successoribus eorum est obseruatum, sed nonnulli ex his, qui hoc ius habebant, p̄dia illa sua propria uenundederunt. quærit, an in uenditione etiam ius illud secutum sit prædia, cum eius uoluntatis venditores fuerint, ut hoc alienarent rñsum est à Scæuola, id esse obseruandũ, ꝙ actum inter contrahentes esset, sed si uoluntas contrahentium manifesta non sit, & hoc ius ad emptores transire. item quæsitum est, an cum pars illorum propriorum fundorum legato ad aliquem transmissa sit, aliquid secum compascui iuris traxerit, respondit ipse Scęuola, cũ id quoq; ius fundi, qui legatus esset, videretur: id quoque cessurum legatario, d. l. pen. §. plures ex municipibus.

In institutionibus Tit. de actionibus descriptis aliquibus actionibus personalibus, & realib. sequitur ita.

Sed iste quidem actiones quarum memoriam habuimus, & si quæ sunt similes ex legitimis, & ciuilibus causis descendunt: Aliæ autem sunt, quas prætor ex sua iurisdictione comparatas habet, tam in rem, quam in personam, quas, & ipsas, necessarium est ostendere. vt ecce plerunq; ita ꝓmittit prætor in rem agere, ut uel actor dicat se quasi vsucæpisse, quod non usucæperit, uel ex diuerso possessor dicat aduersarium suum non usucæpisse, quod usucæperit. Namque si cui ex iusta causa res aliqua tradita fuerit, veluti ex causa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorum, & necdum eius rei dominus effectus est, si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam persequendam: quippè ita proditæ sunt iure ciuili actiones, vt q̧s dominium suum vindicet, sed quia sanè durum erat eo casu deficere actionem, inuenta est a prætore actio, in qua dicit is, q̧ possessionem amisit eam rem se usucæpisse, quam vsu non cœpit: & ita uindicat suam esse, quæ actio Publiciana appellatur. qm̃ primũ à Publicio p̄tore in edicto ꝓposita est. Inst. de actionib. §. aliæ aũt sunt, & §. nãq;.

DE PVBLICIANA IN REM ACTIONE. Tit. IX.

AIt prætor, SI QVIS ID QVOD TRADITVR EX IVSTA CAVSA NON A DOMINO, ET NONDVM VSVCAPTVM PETET IVDICIVM DABO. merito prætor ait, NONDVM VSVCAPTVM, nam si vsucaptum est. habet ciuilem actionem, nec desiderat honorariam: sed cur traditionis duntaxat & usucapionis fecit mentionem, cum sanè multæ sint iuris partes, quibus dominium, quis nanciscat̃, vtputa legatum, vel mortis cã factæ donationes? nam & hic amissa possessione competit Publiciana q̃a ad exemplum legatorum capiuntur. sunt & aliæ pleraq;, ff. de Pub. l. prima, secunda, & tertia. in prin.

Ait prætor, QVI EX IVSTA CAVSA PETET, qui igitur iustam causam traditionis habet, vtitur Publiciana, & non solum bonæfidei emptori competit Publiciana, sed & aliis, vtputa ei cui dotis nomine tradita res est, necdũ vsucapta: est. n. iustissima causa, siue æstimata res in dote data sit, siue non: item si res ex causa iudicati tradita sit, vel soluendi causa, ff. eod. l. tertia, & quarta.

Sed, & si res adiudicata sit, Publiciana actio competit, si lis æstimata fuerit similis est venditioni, & ait Iulianus, si obtulerit reus æstimationem litis Publicianam competere, ff. eod. l. septima. in princ.

Marcellus scribit eum, qui a furioso, ignorans eum furere, emit, posse usucapere, ergo, & Publicianam habebit, d. l. septima, §. marcellus.

Sed, & si quis ex lucratiuis causis rem acceperit, habet Publicianam, quæ etiam aduersus donatorem competit. est. n. iustus possessor, & petitor, qui ex liberalitate accepit. d. l. septima. §. sed & si quis.

Si a minore quis emerit, ignorans eum minorem esse, habet Publicianam, sed & si permutatio facta sit, eadem actio competit, d. l. septima, §. si a minore.

Publiciana actio ad instar proprietatis, non ad instar possessionis respicit, d. l. septima, §. Publiciana actio.

Si petenti mihi rem iusiurandum detuleris, egoq; iurauero rem meam esse: competit mihi Publiciana, sed aduersus te duntaxat. ei. n. soli nocere debebit iusiurandum qui detulit, sed & si possessori delatum erit iusiurandum, & iurauerit rem petitoris non esse. aduersus eum solum petentem exceptione utetur, non ut, & actionem habeat, d. l. septima, §. si petenti mihi.

In Publiciana actione oĩa eadẽ erunt, q̃, & ĩ rei uĩdicatione diximus, d. l. 7. §. ĩ publ.

Hæc actio hæredi, competit. si ego non emero, sed filius meus, habeo publicianam, idem est, & si procurator meus, vel tutor, vel curator, vel quis alius negocium meum gerens emerit, d. l. septima, §. hæc actio.

Pretor ait, QVI BONA FIDE EMIT. nõ igit̃ oĩs emptio ꝓderit, sed eæ, q̃ bonã fidẽ hẽt, ꝓinde hic sufficit, me bonęfidei emptorẽ fuisse, q̃uis nõ a dño emerin, & ille callido cõsilio vẽdiderit. neq;. n. dolus vẽditoris mihi nocebit, d. l. 7. §. ꝑtor ait.

In hac actione non oberit mihi, si successor sum, & dolo feci, cum is in cuius locum successi bona fide emisset, nec proderit, & si dolo careo: cum emptor, cui successi, dolo fecisset, sed. n. si filius meus emerit, dolus eius spectandus erit nõ meus, uel contra, d. l. septima, §. in hac actione.

Publiciana tempus emptionis continet, & ideo neq; quod ante emptionem, neq; quod postea dolo malo factum est, in hanc actionem deduci Pomponio videtur. Bonam autem fidem solius emptoris continet, ut igitur Publiciana competat, hæc debent concurrere, vt, & bona fide quis emerit, & ei res empta eo nomine sit tradita. Cæterum ante traditionem quamuis bonæ fidei quis emptor sit, experiri Publiciana non poterit, d. l. septima, §. publiciana.

Iulianus scribit traditionem rei emptæ oportere bona fide fieri: ideoq; si sciens

possessio-

alienam possessionem apprehendit, Publiciana eum experiri non posse, quia vsucapere non poterit, nec quisquam putet, hoc nos existimare, sufficere initio traditionis ignorasse rem alienam, vt quis posit Publiciana experiri: sed oportere, & tunc bonæ fidei emptorem esse d.l.septima, §.finali.

De precio vero soluto nihil exprimitur. unde potest coniectura capi, quasi nec sententia prætoris ea sit, ut requiratur an solutũ sit precium, ff.de publi.l. octaua.

Siue autem emptionis res emptori tradita est, siue emptoris hæredi Publiciana, competit actio.ff.eod.l.siue autem.9.in prin.

Si quis rem apud se depositam, vel sibi commodatam uel pignori datam emerit: pro tradita erit accipiẽda si post emptionẽ apud eũ remãsit.d.l.siue aũt.§.si qs.

Sed, & si præcesit traditio emptionem, idem erit dicendum. item si hæreditatem emero, & traditam mihi rem hæreditariam petere uelim: Neratius scribit esse publicianam, d.l.siue autem, §.sed & si.

Si duobus quis separatim uendiderit bona fide ementibus: uideamus, quis magis publiciana uti posit, utrum is, cui priori res tradita est, an etiam, qui tantum emit. & Iulianus scribit: ut si quidem ab eodem non domino emerint, potior sit, cui priori res traditas est, quod si à diuersis non dominis, melior causa sit posidentis, quam petentis, quæ sententia uera est. d.l.siue autem, 9.§. si duob.

Hæc actio ĩ his, q̃ vsucapi nõ p̃nt (puta furtiuis) locũ nõ hñt, d.l.siue ãt, § hæc actio.

Si ego emi, est mea uoluntate, alii res sit tradita: Imperator Seuerus rescripsit, publicianam dandam, ff.eod.l.si ego, 11.in prin.

Si de usufructu tradito agatur, publiciana datur, itemq; de seruitutibus urbanorum prædiorum, per traditionem constitutis, uel per pacientiam: fortè si per domum, quis suam passus est, aquæductum transduci. item rusticorum, nam & hic traditionem, & pacientiam tuendam constat, d.l.si ego, §.si de usufructu.

AEdibus emptis si fuerint dirutæ, ea, quæ ædificio accesserunt, huiusmodi actione petenda sunt, d.l.si ego.§.idem ait ædibus emptis.

Quod tamen per alluuionem fundo accedit: simile fit ei, cui accedit, & ideo si ipse fundus publiciana peti non potest, ne hoc petetur. si autem post: & pars, quæ p alluuionem accesit, & ita Pomponius scribit: idem adiicit, & si statuæ emptæ partes rescissæ petantur, similem actionẽ proficere, idem scribit, si aream emero, & insulam in ea ædificauero, rectè me publiciana usurũ, d.l.si ego, 11.§.q̃ tñ.

Cum sponsus sponsæ equum donasset, eumq; in dotem accepisset ante usucapionem: rescriptum est, a Diuo Pio, facto diuortio, restituendum esse equum. nam valuisse donationem inter sponsum, & sponsam. Dabitur ergo, & posidenti exceptio, & amissa possessione publiciana: siue extraneus, siue donator posideat, ff.de publiciana, l.cum sponsus, xii.in princ.

Is cui ex Trebelliano hæreditas restituta est, et si nõ fuerit nactus posessionẽ, uti p̃t publiciana, in vectigalib. & in aliis p̃diis, q̃ vsucapi non p̃nt, publiciana competit: si fortè mihi bona fide tradita sunt, & idem est, si superficiariam insulam non à domino bona fide emero, d.l.cum sponsus, §.is cui.

Si res talis sit, ut eã lex, aut ꝯstõ alienari ꝓhibeat, eo casu publiciana non cõpetit. quia his casib. p̃tor neminẽ tueẽ ne contra leges faciat, d.l.cum sponsus, §.si res.

Si pro parte quis rem repetere vult, pualiciana actione vti potest: sed etiam is, qui momento possedit, rectè hac actione experitur, d.l.cum sponsus, §.fin.

Quæcunq; sunt iustæ causæ adquirendarũ rerum, si ex his causis nacti res amiserimus: dabis nobis earũ rerũ ꝓsequẽdarũ gratia hæc actio, ff.eo.l.qcũq;.13.ĩ prĩ.

Interdum quibusdam, nec ex iustis possessionibus competit publicianum iudi-

cium.namq; pignoratitiæ, & precariæ possesiones iustæ sunt: sed ex his non solet competere tale iudicium, illa scilicet ratione: quia neq; creditor, neq; is, qui precario rogauit, eo animo nanciscitur possesionem, vt credat se dominum esse, d.l.quæcunq;.§.interdum.

Qui à pupillo emit, probare debet tutore authore, & lege non prohibente se emisse, sed si deceptus falso tutore emerit bonafide emisse vr, d.l. quæcunq;.§. fina.

Papinianus scribit, si quis prohibuit, vel denunciauit ex causa uenditionis rem tradi, quæ ipsius voluntate a procuratore fuit distracta, & is nihilominus tradiderit: emptorē tuebit ꝑtor, siue posideat, siue petat rē, ff.de publ.l.papin.14.ī prī.

Sed quod iudicio empti procurator emptori præstiterit, contrario iudicio mandati consequitur.pôt.n.fieri, vt emptori res auferatur ab eo, qui venire mandauit: quia per ignorantiam non est usus exceptione, quam debuit opponere: ueluti si auctor meus non ex uoluntate tua uendidit, d.l.Papin.§.sed quod.

Publiciana actio non ideo comparata est, vt res domino auferatur: eiusq; rei argumentum est, primo æquitas, deinde exceptio, si ea res possessoris non sit, sed vt is, q bonafide emit, possesionēq; ex ea cā nactus est, potius rē hēat.ff. eo.l.fi.

EX QVIBVS CAVSIS MAIORES XXV. AN. in integrum restituuntur. Tit. X.

SI quis cum Reip.causa abesset, vel in hostium potestate esset, rem eius, qui in ciuitate esset, vsucęperit, permittitur domino si possessor reip.causa abesse desierit, tunc rescissa vsucapione eam petere, idest, ita petere, ut dicat possessorem vsu non cepisse, & ob id suam rem esse. Quod genus actionis quibusdam, & aliis simili æquitate, motus prætor accommodat; sicut ex latiore Digestorum, seu pandectarum volumine intelligere licet, Inst.de actio. Rursus ex diuerso, si quis.

Huius ædicti causam nemo non iustisimam esse confitebitur.læsum.n. ius per id tempus quo quis reipub.operam dabat, vel aduerso casu laborabat, corrigitur; nec nō, & aduersus eos, qui vel absentes reip.causa fuerant, vel apud hostes detenti succurritur, ne vel obsit, vel prosit, quod euenit. Verba autem edicti talia sunt. SI CVIVS QVID DE BONIS CVM IS METV, AVT SINE DOLO REIPVBLICAE CAVSA ABESSET, SIVE IN VINCVLIS, SERVITVTE HOSTIVMVE POTESTATE ESSET: POSTEAVE CVIVS ACTIONIS EORVM, CVI DIES EXISSE DICETVR, ITEM SI QVIS QVID VSV FECISSE SVVM, AVT QVOD NON VTENDO AMISSVM SIT, CONSECVTVS ESSE, ACTIONEVE, QVA SOLVTVS OB ID, QVOD DIES EIVS EXIERIT, CVM ABSENS NON DEFENDERETVR INVE VINCVLIS ESSET, SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET, AVT CVM EVM INVITVM IN IVS VOCARE NON LICERET, NEQVE DEFENDERETVR, SIVE CVI PER MAGISTRATVS FACTVM SINE DOLO MALO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ESSE DICETVR. EARVM RERVM ACTIONEM INTRA ANNVM, QVO PRIMVVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT. ITEM SI QVA ALIA MIHI IVSTA CAVSA ESSE VIDEBITVR IN INTEGRVM RESTITVAM, QVOD EIVS PER LEGES PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA EDICTA, DECRETA, PRINCIPVM LICEBIT, ff.ex quib.cau.ma.l.prima.

Hoc edictum, quod ad eos pertinet, qui eo continentur, minus in usu frequentatur.

tur. Huiusmodi. n. personis extra ordinem ius dr̃ ex senatusconsultis, & principalibus constitutionibus. Hoc autem capite adiuuantur in primis hi, q̃ metus cã absuissent. s si non superuacuo timore deterriti absuissent, ff. eo. l. secunda.

Metus autem cã abesse vr̃, qui iusto timore mortis, vel cruciatu corporis conterritus abest: ex affectu eius hoc intelligitur: sed non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio iudicis est, ff. eo. l. tertia.

Item hi, qui reipub. causa sine dolo malo affuissent, dolum malum eo pertinet, ut qui reuerti posset, neq; reuerteretur: in eo ꝙ per id tempus aduersus eum factũ esset, nõ adiuuetur. ueluti si alterius grandis commodi captandi gratia, id egerit, vt Reip. causa abesset, reuocetur ab iusto priuilegio, ff. eo. l. quarta.

Et qui data opera, & sine lucro hoc adfectauit, vel qui maturius profectus est, uel litis gratia cœpit reip. causa abesse. sed hæc adiectio doli mali ad reip. causa absentes refertur, non ad eum, qui metus causa, qm̃ nullus metus est, si dolus intercedit, sed qui Romæ Reipublicæ operam dant, Reipub. causa non absunt. Vt sunt magistratus. Milites planè, qui Romæ militant, pro reip. causa absentibus habentur, ff. eo. l. quinta & duobus sequentibus.

Legatis quoq; municipiorum succurritur ex principum Marci, & commodi constitutione, ff. eo. l. octaua.

Succurritur etiam ei, qui in uinculis fuisset, quod non solum ad eum pertinet, qui publica custodia coercetur, sed ad eum quoq; qui à latronibus, aut prædonib. vel potentioribus ui oppressus, uinculis coerceatur uinculorum autem appellatio latius accipitur. nam etiam inclusos (ueluti lautumiis) vinctorum numero haberi placeat, quia nihil intersit. parietibns an compedibus teneatur custodiam autem solam publicam accipi Labeo putat, ff. eo. l. succurritur, 9.

In eadem causa sunt, & qui a militibus, statoribusq; vel a municipalibus ministeriis adseruantur: si probentur rei suæ superesse non potuisse. in uinculis autem etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, vt sine dedecore non possint in publico apparere, ff. eo. l. in eadem, x.

Cum miles, qui vsucapiebat, decesserit, & hæres impleuerit vsueapionem, ęquum est rescindi, quod postea vsucaptum est: ut eadem in hæredibus, qui in vsucapionem succedunt, seruẽda sint. quia possessio defuncti, quasi iniuncta descendit ad hæredem, & plerunque nondum hæreditate adita completur, ff. eod. l. cnm miles, 30. in princip.

Miles, commeatu accepto, si domi suæ est Reip. causa abesse non uidetur, qui operas in publicum, quod vectigalium causa locatum est, dat: reipublicæ causa non abest, ff. eod. l. miles, 34.

Qui mittuntur, vt milites ducerent, aut reducerent, aut legendi curam gererent: reip. causa absunt. hi quoq;, qui missi sunt ad gratulandum principi, ff. eo. l. qui mittuntur, 35. in princip.

Si qua militi accusatio competat eo tp̃e, quo reip. operum dedit, non perimetur. ꝙ eo tp̃e, quo in insula, quis fuit ex pœna ei irrogata, cuius restitutionẽ à Principe impetrauit, ab alio vsurpatum ex bonis, quę non adempta erant, probatum fuerit: suæ causæ restituendum est, ff. eo. l. si qua, 40.

Milites omnes, qui discedere à signis sine periculo non possunt, reipublicæ causa abesse intelliguntur, ff. eo. l. pen.

Si damni infecti missum sit in ædes militis: si quidem præsente eo iussit prætor possideri, non restituitur. si vero absente eo, dicendum subueniri ei debere, ff. eo. l. ab hostibus. 15. §. si damni.

Iulianus scribit non solum aduersus possessorem hæreditatis succurrendum esse militi, verum aduersus eos quoq;, qui à possessore emerunt: vt vindicari res posint, si miles hæreditatem agnouerit, quod si non agnouerit: ex post facto vsucapionem processisse manifestatur, ff. eo. l. Iulianus, 17. in prin.

Eum quoq;, cui sic legatum sit, IN ANNOS SINGVLOS, QVIBVS IN ITALIA ERIT, restituendum, vt capiat, atq; si in Italia fuisset: Labeo scribit, & Iulian. & Pompo. probant. non. n. dies actionis exiit, vt p̄toris auxilium necessarium sit, sed conditio in causa est. d. l. Iulianus. §. eum quoq;.

Item ei succurritur, qui in hostium potestate fuit, idest ab hostibus captus. nam transfugis nullum credendum est beneficium tribui, quibus negatum est postliminium. poterant tamen, qui in hostium potestate essent: & illa parte edicti cõtineri, quæ loquitur de his, qui in seruitute fuerint, ff. eo. l. item ei, 14.

Ab hostibus captis postliminio reuersis succurritur, aut ibi mortuis: quia nec procuratorem habere possunt, cum aliis suprascriptis per procuratorem posit subueniri, præter eos, qui in seruitute detinentur: sed etiam nomine eius, qui hostium positus est, si curator (ut plerunque) fuerit bonis constitutus auxilium competere putat, ff. eo. l. ab hostibus, 15.

Non minus autem ab hostibus capto, quàm ibi nato, qui postliminium habet succursum uidetur, d. l. ab hostibus, §. non minus.

Sed quod simpliciter prætor edixit, posteave ita accipiendum est, vt si inchoata sit bonæfidei possessoris detentio, ante absentiam, finita autem eo reuerso: restitutionis auxilium locum habeat, non quandocunq;: sed ita demum, si intra modicum tempus, quàm rediit, hoc contingat: idest dum hospicium quis conducit, sarcinulas componit, quærit aduocatum. nam eum, qui differt restitutionem, non esse audiendum: Neratius scribit. Non enim negligentibus subueniitur, sed necessitate rerum impeditis. Totumq; illud arbitrio prætoris temperabitur: idest, vt ita demum restituat, si non negligentia, sed temporis angustia non potuerunt litem contestari, d. l. ab hostibus, §. fin. cum l. seq.

Ait prætor, IN'VE VINCVLIS ESSET, hæc particula merito adiecta est. fieri enim poterat, vt quis in vinculis præsens esset: veluti in publica, vel in priuata vincula ductus. nam, & eum, qui in vinculis est, (si modo non sit in seruitute) posse vsu adquirere constat, igitur, & is, qui in vinculis est, si defendatur, cessat restitutio, ff. eo. l. ait prætor, 23. in princ.

Is autem, qui, apud hostes est, nihil per vsum sibi adquirere potest: nec cœptam possessionem poterit implere, dum est apud hostes hoc amplius: nec postliminio reuersus recuperabit p̄ usum dñii adquisitionem. d. l. ait p̄tor, §. is autẽ qui.

Item ei, qui per captiuitatem fundi possessionem, vel usus fructus quasi possessionem amisit: succurrendum esse, Papinianus ait, & fructus quoq; medio tempore ab alio ex usufructu perceptos, debere captiuo restitui æquum putat, d. l. ait prætor, §. item ei.

Hi planè qui fuerunt in potestate captiui usu rem adquirere possunt ex re peculiari, & æquum erit, & ex hac clausula præsentibus subueniri: si cum non defenderentur usucaptum quid sit. sed & si dies actionis, quæ aduersus captiuũ competebat, exierit: aduersus eum succurritur, d. l. ait prætor, §. hi planè.

Denique adiecit prætor, SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET: ut si dum hoc faciat per usum sit adquisitio impleta, vel quid ex suprascriptis contigerit: restitutio concedatur merito. nec enim sufficit semper in possessionem bonorum eius mitti: quia interdum species esse potest,

se potest, vt in bonis latitantis mitti non posit, aut non latitet. finge .n. dum ad uocationem postulat, diem exisse, vel dum alia mora iudicii contingit, d.l. ait prætor, §. denique.

Sed, & ad eos pertinet, qui conuenti frustrantur, & qualibet tergiuersatione, & solertia officiunt, ne eum ipsis agi posit, ff. eo. l. sed & ad eas, 24.

Quod quidem simili modo ad eum quoque pertinere dicimus, qui non frustrandi gratia, id facerent, sed quod multitudine rerum distringeretur: sed & si per prætorem stetit, restitutio indulgebitur, ff. eo. l. ꝙ quidem, 25. cum l. seq. in prin.

Item ait prætor, SI QVIS QVID VSVM SVVM FECISSE, AVT QVOS NON VTENDO AMISSVM SIT, CONSECVTVS ESSE: ACTIONEVE, QVAS SOLVTVS OB ID, QVOD DIES EIVS EXIERIT, CVM ABSENS NON DEFENDERETVR. quam clausulam prætor inseruit, vt quemadmodum succurrit supradictis personis, ne capiantur ita & aduersus ipsas succurrat, ne capiant. ff. eod. l. item ait, 21. in princip.

Et erit notandum, quod plus prætor expresit, cum aduersus eos restituit, quam cum ipsis subuenit. nam hic non certas personas enumerauit, aduersus quas subueniat, ut supra: sed adiecit clausulam, qua omnes, qui absentes non defenduntur, complexi sunt, d. l. item ait, §. & erit.

Hæc autem restitutio locum habet: siue per se, siue per subiectas sibi personas usu adquisierint, qui absentes non defendebantur. & id si nemo eorum erat defensor. nam si fuit procurator: cum habueris, quem conuenias non debet inquietari. Cæterum si non existebat defensor, æquissimum erit subueniri: eo potius, quod qui non defenduntur (si quidem latitent) prætor pollicetur ex edicto in bona eorum mittere: ut si res exegerit etiam distrahantur, si uero non latitent, licet non defendantur in bona tantum mitti, d. l. item ait, §. hęc autem.

Defendi autem non is tantum uidetur, cuius se defensor ingerit: sed, & qui requisitus ab actore non est defensioni defuturus, plenaq; defensio accipietur, si & iudicium nō detrectet, & iudicatum solui satisdet, d. l. item ait, §. defendi.

Ergo sciendum est, non aliter hoc edictum locum habere, quam si amici eius interrogati fuerint, an defendant. aut si nemo scit, qui interrogari potest. Ita .n. absens defendi non videtur: si actor ultro interpellat, nec quisquam defensioni se offerat: eaq; testatione complecti oportet. sicut igitur damno eos adfici non vult, ita lucrum facere non patitur. quod edictum etiam ad furiosos, & infantes, & ciuitates pertinere, Labeo ait, ff. eo. l. ergo, 22.

Ait prætor, AVT CVM EVM INVITVM IN IVS VOCARE NON LICERET, hæc clausula ad eos pertinet, quos iure magistratus sine fraude in ius uocare non licet, ut consulem prætorem, cæterosq;, qui Imperium potestatemq;, quam habent, sed non ad eos pertinet hoc edictum, quos prætor prohibet, sine permissu suo in ius uocari, quoniam aditus potuit permittere, ff. eo. l. sed & si, 26. §. ait prætor.

Deinde adiicit, NEQVE DEFENDERETVR, quod ad omnes suprascriptos pertinet: præterquam ad eum, qui absens quid usucępit, quoniam plenè de eo supra cautum est. d. l. sed & si, §. deinde.

Ait prætor, SIVE CVI PER MAGISTRATVS FACTVM SINE DOLO MALO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ESSE DICETVR, hocque, ut si per dilationes iudicis effectum sit, ut actio eximatur, fiat restitutio, sed & si magistratus copia non fuit, Labeo ait restitutionem faciendam.

ciendam. PER MAGISTRATVS autem FACTVM, ita accipiendum est, si ius non dixit, alioquin si causa cognita denegauit actionem, restitutio cessat: & Seruio videtur. item MAGISTRATVS FACTVM videtur, si per gratiam, aut sordes magistratus ius non dixerit. quo casu, & hæc pars locum habebit, necnon, & superior, SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET. nam id egit litigator, ne secũ agatur, dũ iudicem corrupit, ACTIO EXEMPTA, sic erit accipienda, si desiit agere posse, & adiicitur, SIVE DOLO MALO IPSIVS: videlicet, vt si dolus eius interueniat, nec ei succurratur. ipsis. n. derelinquentibus prætor non subuenit. proinde si dum vult apud sequentem prætorem agere tempus frustratus est: non ei subuenietur: sed & si dum decreto prætoris non obtemperat, iurisdictionem ei denegauit: non esse eum restituturum: Labeo scribit, idemq; si ex alia iusta causa non fuerit ab eo auditus, d. l. sed & si. §. ait prætor.

Si feriæ extra ordinem sint indictæ (ob res puta prosperè gestas, uel in honorem Principis) & propterea magistratus ius non dixerit: Caius Cassius nominatim se dicebat restituturũ, quia per prætorem videretur factum. solennium enim feriarum rationem haberi non debere, quia prospicere eas potuerit, & debuerit actor, ne in eas incideret: quod uerius est, & ita Celsus scribit: sed cum feriæ tempus eximunt, restitutio duntaxat ipsorum dierum facienda est, non totius temporis, & ita Iulianus scribit. Ait enim rescissionem vsucapionis, ita faciendam: ut hi dies restituantur, quibus actor agere uoluit, & interuentu feriarum impeditus est, d. l. sed & si, §. si feriæ.

Quoties per absentiam quis non toto corpore aliquem exclusit (vtputa rem tuam possedi vno minus die, statuto in vsucapionibus tempore) deinde reipu. causa abesse cœpi: restitutio unius diei aduersũ me faciẽda est, d. l. sed & si, §. quoties.

Item (inquit prætor) SI QVA ALIA MIHI IVSTA CAVSA VIDEBITVR, IN INTEGRVM RESTITVAM. hęc clausula edicto inserta necessaria est. multi enim casus interuenire poterunt, qui deferant restitutionis auxilium, nec singulatim tamen enumerari potuerunt, vnde quoties æquitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum; vtputa legatione quis pro ciuitate functus est: æquissimum est eum restitui, licet reip. causa non absit, & sæpissimè constitutum est, adiuuari eum debere, siue habuit procuratorem, siue nõ. Idem est, & si testimonii causa sit euocatus quis ex qualibet prouincia, vel in urbem, vel ad principem. nam, & huic subueniri sæpissimè rescriptum est: sed & his, qui cognitionis gratia, vel appellationis peregrinati sunt, similiter subuenitur, & generaliter quotiescunque quis ex necessitate, non ex voluntate abfuit: dici oportet, ei subueniendum, d. l. sed & si, 26. §. item inq.

Et siue quid amiserit, siue lucratus non sit, restitutio facienda est: etiam si non ex bonis quid amissum sit, ff. ex quib. cau. maio. l. & siue, 27.

Nec non, & si quis de causa probabili abfuerit, deliberare debet prætor, an ei subueniri debeat (puta studiorum causa.) fortè procuratore suo defuncto, ne decipiatur, per iustissimam absentiæ causam. item si quis nec in custodia, nec in vinculis sit, sed sub fideiussorum satisdatione, vt dum propter hoc, quod recedere non potest, captus sit: & restituetur, & aduersus eum dabitur restitutio, ff. eod. l. nec non, 28. in prin.

Aduersus relegatum restitutionem faciendam ex generali clausula Pomponius ait, sed non, & ipsi concedendum, quia potuit procuratorem relinquere, ex causa tamen, etiam ipsi succurrendum est, ff. eo. l. sed & si. 26. §. primo.

Quod

QVOD EIVS (inquit ptor) PER LEGES PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA EDICTA, DECRETA PRINCIPIVM LICEBIT. quæ clausula non illud pollicetur, restituturum scilicet, si leges permittant, sed si leges non prohibeant, ff. eo.l.nec non, 28.§.quod eius.

Inter eos, qui ex generali clausula adiuuantur, & fisci patronus connumeratur eos qui notis scribunt acta, præsidum Reipublicæ causa non abesse, certum est, Militum Medici (quoniam officium, quod gerunt, & publicè prodest, & fraudem eis adferre non debet) restitutionis auxilium implorare possint, ff. eodem, l. inter eos, xxxiii.

Si quis sæpius Reip. causa abfuit, ex nouissimo reditu tempus restitutionis esse ei computandum Labeo putat, sed si omnes quidem absentiæ annuum colligant, singulæ minus anno, dat̃ annus ad restitutionẽ, non tm̃ tpis, quantum nouissima eius absentia occupauit, ff. ex quib.cau. mai.l.nec non, 28.§. si quis sæpius.

Exemplo rescissoriæ actionis etiam exceptio ei, qui reip. causa abfuit competit, fortè si res ab eo, possessionem nacto uindicetur. In actione rescissoria, quæ ad uersus militem competit, æquissimum esse Pompon. ait, eius quoq; temporis, quo absens defensus non est, fructus eum præstare. ergo & militi debebunt restitui, & utrique actio erit. videlicet ne cui officium publicum, vel damno, vel compendio sit, d.l.nec non, §. fi.cum l.seq.

Si is, qui Reipublicæ causa abfuit, vsucęperit, & post usucapionem alienauerit rẽ, restitutio facienda erit, & (licet sine dolo malo abfuerit, & usucęperit) lucro eius occurri oportet. item ex reliquis omnibus causis restitutio facienda erit, ueluti si aduersus eum pronunciatum sit, ff.eo.l.cum miles, 30.§. fin.

Si is, cuius rem vsucęperit reip. causa absens possessionem suæ rei ab illo usucaptæ nactus sit, & si postea amiserit, non temporalem, sed perpetuam habet actionem, ff.eo.l.si is cuius, 31.

Abesse reipublicæ causa intelligitur, & is qui ab urbe profectus est, licet nondum prouinciam excesserit, sed & is, qui excesit, donec in urbem reuertatur, & hoc etiam ad proconsules legatosque eorum, & ad eos, qui prouinciis præsunt, procuratoresve principum, qui in prouinciis tenentur, pertinet, & ad tribunos militum & præfectos, & comites legatorum, qui ad ærarium, aut in commentarium principis relati sunt, ff.eo.l.abesse, 32.

Item procurator Cæsaris, non solum cui rerum prouinciæ cuiusque procuratio mandata erat, sed & is, cui rerum, quamuis non omnium. itaque plures ibi procuratores diuersarum rerum Reip. causa abesse intelliguntur. Item qui aliam ob causam reipublicæ gratia extra urbem abierit, sed & in urbanicis militibus idem Diuus Pius constituit, quæsitum est, & de eo, qui ad compescendos malos homines missus est, an reip. causa abesset? & placuit Reipublicæ causa eum abesse, item paganum, qui in expeditionem consulari iussu transierat, ibique in acie ceciderat. hæredi enim eius succurrendum est, ff.eod.l. qui mittuntur, 35.§.item procurator.

Qui reip. causa Romam profectus est, abesse Reipublicæ causa uidetur, sed & si extra patriam suam reip. causa profectus sit, etiamsi per urbem ei iter competit, Reipublicæ causa abest. similiter qui in prouincia est, ut primum aut domo sua profectus est, aut cum in eadem prouincia degit, Reip. administrandæ causa, simul atque agere rempublicam cœpit, ad similitudinem absentis habetur. Et dum eat in castra, & redeat miles, reipublicæ causa abest, quod & eundum sit in castra militaturo, & redeundum. Viuianus scribit proculum respondisse militem,

tem, qui commeatu absit, dum domum vadit, aut redit reipublicæ causa abesse: dum domi sit, non abesse, d. l. qui mittuntur, §. qui reip.

Reipublicæ causa abesse eos solos intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti absunt, ff. eod. l. Reipublicæ, 36.

Hi qui in prouincia sua vltra tempus à constitutionibus concessum adsident: ex publica causa abesse non intelliguntur, ff. eod. l. hi qui, 37.

Non uerè dicitur Reipublicæ causa abesse, qui sui priuati negocii causa in legatione est, ff. eo. l. non verè, 42.

Si cui in prouincia sua princeps adsidere speciali beneficio permiserit. etiam iste reipublicæ causa abesse dicitur, quod si non ex permisione hoc fecerit: consequenter dicemus: cum crimen admisit, non habere eum priuilegia eorum, qui Reip. causa absunt, ff. eo. l. si cui, 38. in princ.

Tamdiu reip. causa abesse, quis videbitur, quamdiu officio alicui præest. quod si finitum fuerit officiū, iam desinit abesse reip. causa: sed ad reuertendum illi tempora computabimus, statim atq; desiit reip. causa abesse, quibus reuerti in urbem potuit, & erit moderatum, tempora ei dare, quæ lex reuertentibus præstitit. quare si quid excesserit suæ rei causa non dubitabimus id tempus ei non proficere, habitaq; dinumeratione temporis, quo reuerti debuit, statim eum dicemus desiisse reip. causa abesse. Planè si infirmitate impeditus continuare iter non potuit. habebitur ratio humanitatis, sicuti haberi solet, & hyemis, & nauigationis, & cæterorum, quæ casu contingunt, d. l. si cui, §. Tandiu.

Is qui reipublicę causa abfuturus erat, si procuratorem reliquerit per quem defendi potuit: in integrum volens restitui non audietur, ff. eo. l. is, qui, 39.

Si quis Titio legauerit, si mortis suę tempore in Italia esset, aut in annos singulos, quod in Italia esset, & ei succursum fuerit, quia ob id, quod reip. causa abfuit, exclusus fuerit a legato: fideicommissum ab eo relictū præstare cogitur: MARCELLVS NOTAT. quis enim dubitauit, salua legatorum, & fideicommissorum causa, militi restitui hæreditatem: quam ob id perdidit, quod reipu. causa abfuit. ff. eo. l. si quis, 41.

Si quis stipulatus sit in annos singulos, quod in Italia esset, vel ipse, vel promissor: & alteruter reipublicæ causa abesse cœperit: officium prętoris est introducere vtilem actionem: Eadem dicemus, si ita concepta stipulatio fuerit: si quinquennio proximo Romę fuerit, vel ita, si non fuerit, centum dare spondes, ff. eodem, l. si quis, xxxxiii.

Is qui reip. causa abest: in aliqua re læsus non restituitur, in qua etiam, si reipublicæ causa non abfuisset, damnum erat passurus, ff. eo. l. pen.

Qui reipublicæ causa abfuit, etiam aduersus eum, qui pariter reip. causa abfuit, restituendus est: si aliquid damni iustè quæritur, ff. eo. l. fin.

Sciendum est, quod in iis casibus restitutionis auxilium maioribus damus, in quibus rei duntaxat psecquēdę gratia quęrunt: non cum & lucrifaciendi causa ex alterius pœna, uel damno, auxiliū sibi impertiri desiderant, ff. eo. l. sciendū, 18.

Denique si emptor prius, quam per usum sibi adquireret ab hostibus captus sit: placet interruptam possesionem postliminio non restitui: quia hæc sine possesione non constitit. possesio autem plurimum facti habet causa uerò facti non continetur postliminio, ff. eo. l. denique, 19.

Nec vtilem actionem ei tribui oportet: cum sit iniquissimum auferre dominium quod usus non abstulit. nec enim intelligitur omissum, quod ablatum alteri non est, ff. eo. l. nec utilem, 20.

Si cum

Si cum in prouincia domicilium haberes, esses autem in urbe, an mihi annus cedat, quasi experiundi potestatem habeam?& ait Labeo non cedere. Sed hoc ita uerum est. Si ius reuocandi domum aduersarius habuit. si minus: uideri esse experiundi potestatem, quia & Romæ contestari litem potuit. ff. eod. l. nec non, xxviii. §. si cum in prouincia.

QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM FACTA SINT, VT restituantur. Titulus X.

SI quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit: bonis eius à creditoribus possessis, ex sententia præsidis, permittitur ipsis creditoribus, rescissa traditione, eam rem petere, idest dicere eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse. Inst. de Actionibus. §. item si quis in fraudem.

Ait prætor, QVAE FRAVDATIONIS CAVSA GESTA ERVNT CVM EO QVI FRAVDEM NON IGNORAVERIT, DE HIS CVRATORI BONORVM, VEL EIS, CVI DE EA RE ACTIONEM DARE OPORTEBIT, INTRA ANNVM, QVO EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT, ACTIONEM DABO: ITA'QVE ETIAM ADVERSVS IPSVM, QVI FRAVDEM FECIT, SERVABO: Necessario prætor hoc edictum proposuit: quo edicto consuluit creditoribus reuocando ea, quæcunque in fraudem eorum alienata sunt. Ait ergo prætor. QVAE FRAVDATIONIS CAVSA GESTA SVNT, hæc verba generalia sunt, & continent in se omnem omnino in fraudem factã, vel alienationem, vel quemcũque contractu: quodcũque igitur fraudis causa factum est, uidetur his uerbis reuocari qualecũque fuerit, nam latè ista uerba patent, siue ergo rem alienauit, siue acceptilatione, vel pacto aliquem liberauit. ff. quæ in fraud. cred. l. prima.

Idem erit probandum. Et si pignora liberet, uel quem alium in fraudem creditorum præponat. ff. eod. l. secunda.

Vel ei prohibuit exceptionem, siue se obligauit fraudandorum creditorum caussa, siue numerauit pecuniam, uel quodcunque aliud fecit in fraudem creditorum, palam est edictum locum habere. GESTA FRAVDATIONIS CAVSA, accipere debemus, non solum ea quæ contrahens gesserit aliquis: uerum etiam si forte data opera ad iudicium non adsit, uel in litem mori patiatur, uel a debitore non petat, ut tempore liberetur, aut usumfructum, uel seruitutem amittit. Et qui aliquid fecit, ut desinat habere, quod habet; ad hoc edictũ pertinet. ff. eod. l. tertia.

In fraudem facere uideri etiam eum, qui non faciat, quod debet facere, intelligendum est: idest, si non utatur seruitutibus. Sed & si rem suam pro derelicto habuerit, ut quis eam suam faciat. ff. eod. l. quarta, & quinta.

Quod autem, cum possit quis quærere, non id agit ut adquirat: ad edictum non pertinet. pertinet enim hoc edictum ad deminuentes patrimonium suum: non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur. Vnde si quis ideo conditioni non pareat, nè committatur stipulatio, in ea conditione est, ne faciat huic edicto locum. proinde, & qui repudiauit hæreditatem, uel legitimam, uel testamentariam non est in ea causa, ut huic edicto locum faciat. noluit enim adquirere nõ suum patrimonium deminuere, simili modo dicendum est, & si filium suum emancipauit, ut suo arbitrio adeat hæreditatem: cessare hoc edictum, sed & il-

lud pro-

lud probandum est, si legatum repudiauit, cessare hoc edictum, quod Iulianus quoque scribit, ff. eo. l. sexta, in princ.

Apud Labeonem scriptum est: eum, qui suum recipiat nullam uideri fraudem facere (hoc est eum, qui quod sibi debetur, recipiat.) eum enim quem præses inuitum soluere cogat, impunè non soluere, iniquum esse. totum enim hoc edictum ad contractus pertinere, in quibus se prætor non interponat, vtputa pignora venditionesq;, d. l. sexta, §. apud Labeonem.

Sciendum est Iulianum scribere, eoq; iure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur, quamuis sciens, prudensq; soluendo non esse recipiat: non timebit hoc edictum. sibi enim vigilauit, qui uero post bona possessa debitum suum fecerit, hunc in portionem vocandum, exequandumq; cæteris creditoribus. neque enim debuit præcipere cæteris, post bona possessa. cum iam par conditio omnium creditorum facta esset, d. l. sexta, §. sciendum.

Hoc edictum eum coercet, qui sciens eum in fraudem creditorum hoc facere, suscepit, quod in fraudem creditorum hic faciebat. quare si quid in fraudem creditorum factum sit, si tamen is, qui accepit, ignorauit: cessare uidentur verba edicti, d. l. sexta, §. hoc edictum.

Prẹterea illud sciendum est: eum qui consentientibus creditoribus aliquid a fraudatore, vel emit, vel stipulatus est, vel quid aliud contraxit: non uideri in fraudem creditorum fecisse. nemo enim videtur fraudare eos, qui sciunt, & ad hoc consentiunt, d. l. sexta, §. præterea.

Si quid cum pupillo gestum sit in fraudem creditorum: Labeo ait, omnimodo reuocandum, si fraudati sint creditores, quia pupilli ignorantia, quæ per ætatem contingit, non debet esse captiosa creditoribus, & ipsi lucrosa, eoque iure utimur, d. l. sexta, §. si quid.

Simili modo dicimus, & si cui donatum sit, non esse quærendum, an sciente eo, cui donatum est, gestum sit: sed hoc tantam an fraudenter creditores, nec uidetur iniuria affici is, qui ignorauit, cum lucrum extorqueatur, non damnum infligatur, in hos tamen, qui ignorantes ab eo, qui soluendo non sit, liberalitatem acceperunt: hactenus actio erit, danda, quatenus locupletiores facti sunt vltra non, d. l. sexta, §. simili modo.

Simili modo quæritur, si filius, ab eo qui soluendo non sit, ignorante patre, ipse sciens rem acceperit, an pater teneatur? ait Labeo eum teneri, ut restituat, ꝙ ad se peruenit, aut duntaxat de peculio damnatur, uel si quid in rem eius versus est, sed si pater scit, suo nomine cōuenietur, d. l. sexta, §. simili modo quærit.

Si debitor in fraudem creditorum minore fundum, scienti emptori vendiderit, deinde hi, quibus de reuocando eo actio datur, eum petant: quæsitum est, an precium restituere debeant? Proculus existimat, omnimodo restituendum esse fundum, etiam si precium non soluatur, & rescriptum est, secundum Proculi sententiam. ff. eod. l. septima.

Ex his colligi potest, ne quidem portionem emptori reddendam ex precio, posse tamen dici, eam rem apud arbitrium ex causa animaduertendam, ut si numi soluti in bonis extent, iubeat eos reddi: quia ea ratione nemo fraudetur, ff. eodem, l. octaua.

Is, qui a debitore, cuius bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum alii bona fide ementi vendidit, quæsitum est, an secundus emptor conueniri possit, sed verior est Sabini sententia, bona fide emptorem non teneri, quia dolus ei duntaxat

taxat nocere debeat, qui eum admisit, quemadmodum diximus nō teneri eum si ab ipso debitore ignorans emerit, is aūt qui dolo malo emit, bona fide autem ementi vendidit, insolidum precium rei, ꝙ accepit, tenebitur, ff. eod. l. is, qui. 9.

Ait prætor. QVAE LVCIVS TITIVS FRAVDANDI CAVSA SCIENTE TE IN BONIS, QVIBVS DE AGITVR FECIT, EA ILLIS, SI EO NOMINE, QVO DE AGITVR, ACTIONEM EX EDICTO MEO COMPETERE, ESSE VE OPORTET, ET SI EI NON PLVS QVAM ANNVS EST, CVM DE EA RE, QVA DE AGITVR EXPERIVNDI POTESTAS EST, RESTITVAS, INTERDVM CAVSA COGNITA, ET SI SCIENTIA NON SIT, IN FACTVM ACTIONEM PERMITTAM, ff. eo l. ait prætor, x. in prin.

Ita demum reuocatur, ꝙ fraudandorum creditorum causa factum est, si euentum fraus habuerit, scilicet, si hi creditores, quorum fraudandorum causa fecit, bona ipsius uendiderunt. Cæterum si illos dimisit, quorum causa fraudandorum fecit, & alios sortitus est, si quidem simpliciter dimissis prioribus, quos fraudare voluit, alios postea sortitus est, cessat reuocatio, si autem horum pecuniam, quos fraudare uoluit, priores dimisit, quos fraudare uoluit, Marcellus dicit, reuocationi locum fore, secundum hanc distinctionem, & ab Imperator Seuero, & Antonino rescriptum est, eoq; iure utimur, d. l. ait prætor, §. ita demum.

Quod ait prætor, SCIENTE TE, sic accipiamus te nescio, & fraudem participante. non enim si simpliciter, scio illum creditores habere, hoc sufficit ad contendendum teneri eum in factum actione, sed si particeps fraudis est, d. l. ait prę tor, §. quod ait.

Si quis particeps quidem fraudis non fuit, ueruntamen uendente debitore testato conuentus est à creditoribus, ne emeret, an in factū actione teneatur, si comparauit; & magis est, ut teneri debeat. non enim caret fraude, qui conuentus testato perseuerat. alias autem, qui scit aliquem creditores habere, si cum eo contrahat simpliciter sine fraudis conscientia, non uidetur hac actione teneri, d. l. ait prætor, §. si quis.

Ait prætor, SCIENTE TE, id est eo, qui conuenietur hac actione, quid ergo si forte tutor pupilli scit, ipse pupillus ignorau it? Videamus an actioni locus sit, ut scientia tutoris noceat, idem & in curatore furiosi, & adolescentis, & verum est hactenus istis nocere conscientiam tutorum siue curatorum, quatenus quid ad eos peruenit, d. l. ait prætor, x. §. ait prætor SCIENTE.

Præterea sciendum est posse quęri, quod dicitur in fraudem creditorum alienatū, reuocari posse, si iidem sint creditores, & si unus creditor sit ex illis, qui fraudati sunt (siue solus tunc fuit, siue cum cæteris, satisfactum est, hic solus remansit) probandum esse, adhuc actioni locum fore. Illud certè sufficit, & si unum scit creditorem fraudari, cæteros ignorauit, fore locum actioni, quid ergo si ei, quē scit fraudari, satisfactum est, nunquid deficiat actio, quia qui supersunt, nō sunt fraudati? Quod est probandum, non tamen si dicat aliquis, OFFERO QVOD DEBETVR EI, QVEM SCIO CREDITOREM, audiendus erit, ut actionem elidat, d. l. ait prætor, §. præterea.

Si qs in fraudē creditorū fecit filius, qui se poterat abstinere, & ī integrū sit restitutus, qđ se miscuerat uel si q̄d fecit volūtarius, & vel ꝑ ætatē, vel aliā cām iustā in integrū restōnē meruit, dicendū erit, vtilē actionē cōpetere, d. l. ait ꝑtor, §. si qs.

Si impubes hr̄s p̄ri extiterit, eiusq; mortui bona ueneant: separatione impetrata, vtriusq; fraus erit reuocāda, pupilli, vel ēt tutoris, itē curatoris. d. l. ait. §. si ī pub.

Si cum in diem mihi deberetur, fraudator præsens soluerit, dicendum erit, in eo, quod sensi commodum in repræsentatione, in factum actioni locum fore, nam prætor fraudem intelligit etiam in tempore fieri, d.l. ait ptor. x. §. si cum in diē.

Si cui solutum quidem non fuit, sed in uetus creditum pignus accepit: hac actione tenebitur, vt est sæpissime constitutum, d.l. ait prætor, §. si cui.

Si cum mulier fraudandorum creditorum consilium iniisset, marito suo, eidemq; debitori in fraudem creditorum acceptum debitum fecerit dotis constituendę causa: locum habet hæc actio, & per hanc omnis pecunia, quam maritus debuerat, exigitur: nec mulier de dote habet actionem, neque enim dos in fraudem creditorum constituenda est, & hoc certo certius est, & sæpissimè constitutum. d.l. ait prætor. §. si cum mulier.

Exitus autem actionis erit, ut stipulatio, quæ accepta facta fuerat, ex integro interponatur, d.l. ait, §. exitus.

Per hanc actionem, et usus fructus, & eiusmodi stipulatio, IN ANNOS SINGVLOS DENA DARI SPONDES: exigi potest, d.l. ait prætor, §. per hanc actionem.

Si debitorem meum, & complurium consecutus essem fugientem, ac pecuniam secum ferentem, & abstulissem ei id, quod mihi debebatur. placet Iuliani sententia dicentis, multum interesse, antequam in possessionem bonorum mittantur eius creditores, hoc factum sit, an postea. si ante cessare in factum actionem, si postea: huic locum fore. d.l. ait prætor. §. si debitorem.

Per hanc actionem res restitui debet, cum sua scilicet causa: & fructus nō tantum, qui percepti sunt, verum hi quoque, qui percipi à fraudatore potuerunt, veniunt, sed cum aliquo modo se, ut sumptus facti deducantur. nam arbitrio iudicis non prius cogendus est rem restituere, quam si impensas necessarias consequatur, idemque erit probandum, & si quis alius sumptus ex uoluntate fideiussorum creditorumque factus erit. fœtum quoque in hanc actionem uenire verius est, d.l. ait prætor, §. per hanc actionem.

Præterea generaliter sciendum est ex hac actione restitutionem fieri oportere in pristinum statum, siue res fuerint, siue obligationes, vt perinde omnia reuocentur, ac si liberatio facta non esset, propter quod etiam medii temporis commodum quod quis consequeretur liberatione non facta præstandum erit, dum interesse non præstetur, si in stipulatum deductum non fuit: aut si talis contractus fuerit, in quo interesse deberi potuit etiam non deductum, si conditionalis fuit obligatio cum sua conditione, si in diem cum sua die restauranda est, si tamen ea erat, cuius dies finitur, potest dici restitutionem intra id tempus posse postulari, quod supererat obligationi, non vtique intra annum, d.l. ait prætor, §. præterea.

Huius actionis annum vtilem computamus, quo experiundi potestas fuit, ex die factæ condictionis, ff. eo. l. sexta, §. fin.

Hæc actio post annum de eo, quod ad eum peruenit, aduersum quem actio mouetur, competit, iniquum enim prætor putauit in lucro morari eum, qui sensit lucrum ex fraude, idcirco extorquendum ei lucrum putauit. siue igitur fraudator sit ipse ad quem peruenit, siue alias quiuis: competit actio in id, quod ad eum peruenit, dolove malo eius factum est, quo minus perueniret, d.l. ait prætor, x. §. penult.

Hæc actio hæredi, cæterisque successoribus competit, sed & in hæredes, similesq; personas datur, d.l. ait prætor. §. finali.

Casſius actionem introduxit in id, quod ad hæredem peruenit, ff. quæ in fraud. credi.l. Caſsius, 11.

Si pater filiofamilias liberam peculii adminiſtrationem dederit, non videtur ei, & hoc conceſsiſſe, ut in fraudem creditorum alienaret. talem enim alienationem non habet, at ſi hoc quoque conceſsit filio pater, vt vel in fraudem creditorum facere poſsit, videbitur ipſe feciſſe, vt ſufficiant aduerſus eum competentes actiones. etenim filii creditores, etiam patris ſunt creditores: & cum eius generis uidelicet habebunt actionem, vt his de peculio præſtari neceſſe ſit, ff. eod.l.ſi paterfamil.xii.

Illud conſtat eum, qui pignus tenet, actione hac non teneri. ſuo enim iure, & ut pignus, non rei ſeruandæ cauſa poſsidet, ff.eo.l.illud conſtat, 13.

Hæc in factum actione, non ſolum dominia reuocantur, uerum etiam actiones reſtaurantur, ea propter competit actio hæc, & aduerſus eos, qui res non poſsident, vt reſtituant: & aduerſus eos, quibus actio competit, ut actione cedant. proinde ſi interpoſuerit quis perſonam Titii, ut ei fraudator res tradat: actione mandati cedere debet, ergo, & ſi fraudator pro filia ſua dotem dediſſet ſcienti fraudari creditores: filia tenetur, ut cedat actione de dote aduerſus maritum, ff.eo.l.hac in factum, 14.

Omnes debitores, qui in fraudem creditorum liberantur per hanc actionem reuocantur in priſtinam obligationem, ff.eod.l.omnes, 17.in princ.

Lucius Titius cum haberet creditores cognatis ſuis iiſdem filiis naturalibus uniuerſas res ſuas tradidit, reſponſum eſt, quamuis non proponatur conſilium fraudandi habuiſſe, tamen quia creditores habere ſe ſcit, & uniuerſa bona ſua alienauit: intelligendus eſt fraudandorum creditorum conſilium habuiſſe, ideoq; & ſi filii eius ignorauerunt hanc mentem patris ſui fuiſſe, hac actione tenentur d.l.omnes, §.lucius.

Si uir uxori cum creditores ſuos fraudare uellet, ſoluto matrimonio præſentem dotem reddidiſſet, quam ſtatuto tempore reddere debuit: hac actione mulier tantum præſtabit, quanti creditorum intererat dotem ſuo tempore reddi, nam prætor fraudem etiam in tempore fieri intelligit, d.l.omnes, §.fi.

Et ſi pignus vir uxori, vel uxor uiro remiſerit, verior ſententia eſt, nullam fieri donationem exiſtimantium, quod ſine dubio, ſi in fraudem creditorum fiat, actione utili reuocabitur, idemque & ſi quis debitor in fraudem creditorum pignus omiſerit, ff.eo.l.& ſi pignus, 18.

Patrem, qui non expectata morte ſua fideicommiſſum hæreditatis maternæ filio ſoluto poteſtate reſtituit. omiſſa ratione Falcidiæ: plenam fidem, & debitam pietatem ſecutus exhibitionis, reſpondit Papinianus creditores non fraudaſſe, ff.eod.l.patrem qui, xix.

Hæres qui poſt aditam hæreditatem ad eum, cui res ceſsit, corpora hæreditaria tranſtulit, creditoribus permanſit obligatus, ſi igitur in fraudem tuam id fecerit, bonis eius excuſsis vſitatis actionibus (ſi tibi negocium geſtum fuerit) ea quæ in fraudem alienata probabuntur, reuocabis, C.de reuocandis iis, quę per fraudem alienata ſunt.l.prima.

Si ſucceſsione patris abſtenta fuiſti, ob ea, quæ in dotem data ſunt conuenire te creditores nequeunt, quibus pignora in dotem data non docentur: niſi bonis defuncti non ſufficientibus in fraudem creditorum dotem conſtitutam probabitur, C.eo.l.ſecunda.

Si pr̄na hr̄dit.abſtinuiſti, nec q̄dq̄ ī fraudē creditorū, ex bonis ei⁹ ī te iure donatio

nis transcriptum est: à priuatis creditoribus præses prouinciæ conueniri te nō patietur. C. eod. l. tertia.

Filios debitoris ei succedentes, ueluti in creditorum fraudem alienatorum facultatem reuocandi non habere notissimi iuris est. C. eod. l. penult.

Debitorē, qui ex senatusconsulto Trebelliano totā hæreditatē restituit, placet nō uideri in fraudem creditorum alienasse portionem, quam retinere potuisset, sed magis fideliter facere. ff. eod. l. debitorem. xx.

Debitor in fraudē creditoris cum uicino de finibus pignori dati fundi pactus est, quęsitū an is, qui à creditore emit de finibus agere posset, respondit Scęuola nō idcirco minus agere posse quod debitor ignorante creditore pactus esset. ff. eod. l. debitor, xxi.

Cum in vetus creditū unus creditor pignora accepisset, quæsitū est, an in fraudē cæterorū creditorū factū nullius momenti esset? respondit Scæuola creditorē non idcirco prohibendum à persecutione pignorū, quod in uetus creditum, vt obligaretur pactus esset, nisi id, & in fraudē cæterorū creditorū factū sit, & ea uia iuris occurrat, qua creditorū fraudes rescindi solent. ff. eo. l. cū in uetus, 22.

Pupillus patri hęres extitit, & uni creditorum soluit, mox abstinuit hęreditate paterna: bona patris ueneunt, an id, quod accepit creditor reuocādum sit, ne melioris conditionis sit, quam cæteri creditores? distinguimus an per gratificationem acceperit creditor, uel non; ut si per gratificationem tutorum reuocetur ad eandem portionem, quam cæteri creditores fuerint laturi: si uero iustē exegerit, cæteri creditores neglexerint exactionem, & interea res deterior facta sit, uel mortalitate, uel subductis rebus mobilibus, vel rebus soli ad irritum perductis, id quod acceperit creditor, reuocari nullo pacto potest: quia alii creditores suæ negligentiæ expensum ferre debent. quid ergo si cum eo esset, ut bona debitoris mei uenirent, soluerit mihi pecuniam: an actione reuocari ea possit a me, & distinguendum est, is obtulerit mihi, an ego illi extorserim inuito, vt si extorserim, inuito, reuocetur, si non extorserim, non reuocetur, sed uigilaui meam conditionem meliorem feci. ius ciuile uigilantibus scriptum est, ideoque non reuocatur id, quod percepi, ff. eo. l. pen.

Si fraudator fideiussori suo scienti acceptū tulerit: si reus non ignorauerit, uterq; tenebitur: si minus is, qui scierit. si tamen ille, cui acceptum factum est, soluendo non sit: uidendum est, an in reum, etiam, si ignorauerit actio danda sit, quia ex donatione capit. contra si reo sciente acceptum factum sit fideiussor, quoq; si, & ipse scierit, tenebitur, si uero ignorauerit, nunquid non æquè actio in eum dari debeat: quoniam magis detrimentum non patiatur, quam lucrum faciat? in duobus autem reis, per utriusq; causa est, ff. eo. l. fi. in princ.

Si à socio fraudatore sciens gener acceperit dotem: tenebitur hac actione, & si restituerit eam, desinit dotem habere, nec quidquam emancipatę diuortio facto restituturum Labeo ait: quia hæc actio rei restituendæ gratia, non pœnæ nomine daretur. ideoq; absolui solet reus si restituerit, sed si prius, quam creditores cum eo experirentur, reddiderit filiæ dotem, iudicio nomine dotis conuētus, nihilominus eum hac actione teneri Labeo ait, nec ullum regressum habiturū ad mulierem, si uero sine iudice, uidendum est, an ulla repetitio competat ei; quod si is ignorauerit, filia autem scierit: tenebitur filia: si uero uterq; scierit; vterq; tenebitur, at si neuter scierit, quidam existimant, nihilominus in filiam dandam actionem, quia intelligitur quasi ex donatione aliquid ad eam peruenisse, aut certè eam cauere debere, quod consecuta fuerit, se restituturum in

maritum

maritum autem, qui ignorauit non dandam actionem, non magis, quam in creditorem, qui à fraudatore, quod ei deberetur, accepit, cum is indotatam vxorem ducturus non fuerit, item si extraneus filiæfamiliæ nomine fraudandi causa dotem dederit, tenebitur maritus, si scierit, æquè mulier, nec minus, & pater, non ignorauerit, ita ut caueat, si ad se dos peruenierit, restitui eam .d.l.finali, §. si à socero.

Si procurator ignorante patre cum sciret debitorem eius fraudandi cœpisse consilium, iussit filio ab eo accipere: hac actione ipse tenebitur, non pater.d.l.si fraudator, §. si procurator.

Non solum autem ipsam rem alienatam restitui oportet, sed etiam fructus, qui alienationis tempore terræ cohærent. quia in bonis fraudatoris fuerunt. item eos, qui post inchoatum iudicium recepti sunt, medio autem tempore receptos in restitutionem non uenire.d.l.fi.§.non solum.

Fructus autem fundo cohesisse, non satis se intelligere Labeo ait: utrum duntaxat, qui maturi, an etiam, qui immaturi fuerint prætor significet. cæterum etiā si de his senserit, qui maturi fuerint: nihilo magis possessionem restitui oportere. nam cum fundus alienaretur, quod ad eum fructusque eius attineret, unā quandam rem fuisse, idest fundum, cuius omnis generis alienationem fructus sequantur. nec eum, qui Hiberno habuerit fundum centum, si sub tempus messis, vindemiæve fructus eius vendere posit decem. idcirco duas res, idest fundum centum, & fructus decem eum habere intelligendum, sed unam rem habere, idest fundum centum, sicutis quoque unam rem haberet, qui separatim solum ædium uendere posit, d.l.fin. §. fructus.

Hæc actio etiam in ipsum fraudatorem datur, licet Mela non putabat, in fraudatorem eam dandam, quia nulla actio in eum ex ante gesto post bonorum venditionem daretur: & iniquum esset actionem dari in eum, cui bona ablata essent, si uero quædam deperdidisset sic, ut nulla ratione recuperari possent, nihilominus actio in eum dabitur. & prætor non tam emolumentum actionis intueri videtur in eo, qui exutus est bonis, quam pœnam, d.l.fi.§.fi.

Ignoti iuris non est, aduersus eum, qui sententia condemnatus, intra statutum tp̄s satis non fecit, nec defenditur bonis possessis, itemq; distractis per actionem in factum contra emptorem, qui sciens fraudem comparauit, & eum, qui ex lucratiuo titulo posidet, scientiæ mentione detracta creditoribus suis esse consultum, C. de reuoc. iis, quæ in fraud. cred. l. fi.

DE CONSTITVTA PECVNIA. Tit. XI.

IN personam quoque actiones ex sua iurisdictione propositas habet Prætor: ueluti de pecunia constituta. Item actionem de peculio filiorumfam. & qua quæritur an actor iurauerit, & alias complures, Inst. de actionibus, §. in personam.

Edicto de constituta pecunia prætor fauet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit, quoniam graue est fidem fallere, ff. de constituta pecunia, l. prima, in princ.

Ait prætor, QVI PECVNIAM DEBITAM CONSTITVIT, QVI sic accipiendum est, QVAEVE. Nam & mulieres de constituta tenentur, si non intercesserint, d.l. prima, §. ait prætor.

De pupillo, & si nihil sit expressum edicto: attamen sine tutoris authoritate constituendo non obligatur, sed si filiusfamilias constituerit, an teneatur, quæritur:

tur: ſed putatur verum, & ipſum conſtituentem teneri, & patrem de peculio. Eum, qui inutiliter ſtipulatus eſt, cum ſtipulari uoluerit, non conſtitui ſibi: dicendum eſt, de conſtituto experiri non poſſe: quoniam non animo conſtituentis, ſed promittentis factum ſit, d.l.prima, §. de pupillo.

An poſsit aliud conſtitui, quàm quod debetur, quæſitum eſt: ſed cum iam placet, rem pro ſe ſolui poſſe: nihil prohibet, & aliud pro debito conſtitui. Denique ſi quis centum debens frumentum eiuſdem precii conſtituat, valebit conſtitutum, d.l.prima, §. an poſsit.

Debitum autem ex quacunque cauſa poteſt conſtitui: ideſt ex quocunque contractu, ſiue certi, ſiue incerti: & ſi ex cauſa emptionis, quis precium debeat, vel ex cā dotis, vel ex cauſa tutelæ, vel ex quocunq; alio cōtractu, d.l.prima, §. debitū.

Debitum autem, vel natura ſufficit, ſed & is, qui honoraria actione, non iure ciuili obligatus eſt, conſtituendo tenetur. Videtur enim debitum, & quod iure honorario debetur. ideo & pater, & dominus de peculio obſtricti ſi conſtituerint, tenebuntur vſque ad eam quantitatem, quę tunc fuit in peculio, cum conſtituebatur. Cæterum ſi plus ſuo nomine conſtituant: non tenentur in id, quod plus eſt. Quod ſi filii nomine conſtituerit ſe decem ſoluturum, quamuis in peculio quinque fuerint, de conſtituta in decem tenebitur, d.l.prima, §.fi. cum l.ſeq.

Quod ſi maritus plus conſtituit ex dote, quam facere poterat: quia debitum conſtituit, inſolidum quidem tenetur, ſed mulieri in quantum facere poteſt, condemnatur, ff.eo.l. tertia, §. quod ſi.

Si quis autem conſtituerit, quod iure ciuili debebat, iure prætorio non debebat (ideſt per exceptionem) an conſtituendo teneatur, quæritur? & eſt verum (vt Pomponius ſcribit) eum non teneri: quia debita iuribus non eſt pecunia, quæ conſtituta eſt, ſi is qui iure ciuili, & prætorio debebat, in diem ſit obligatus: an conſtituendo teneatur? & Labeo ait teneri, quàm ſententiam & Pedius probat, & adiicit Labeo: vel propter has potiſsimum pecunias, quæ nondum peti poſſunt, conſtituta inducta, qua ſententia probatur. habet enim utilitatem: vt ex die obligatus, conſtituendo ſe eadem die ſoluturum, teneatur, ſed & ſi citeriore die conſtituat ſe ſoluturum, ſimiliter tenetur, d.l.tertia, §.fi. cum l.ſeq.

Eum, qui Ephyſi promiſit ſe ſoluturum, ſi conſtituat alio loco ſe ſoluturum, teneri conſtat, Iulianus legatum Romæ conſtituentem, quod in prouincia acceperat, putat conueniri debere, quod & verum eſt, ſed ſi cum non Romæ eſſet, ſed in prouincia, adhuc conſtituit ſe Romæ ſoluturum: denegatur in eum actio de conſtituta, d.l.quinta, §.enm, in prin.

Quod exigimus, ut ſit debitum, quod conſtituitur: in rem exactum eſt, non utiq; vt is, cui conſtituitur. creditor ſit. Nam & quod ego debeo, tu conſtituendo, teneberis: & quod tibi debetur, ſi mihi conſtituatur, debetur, d. l. quinta, §. quod exigimus.

Iulianus quoq; libro undecimo ſcribit. Titius epiſtolam ad me talem emiſit, ſcripſi ſecundum mandatum Seii, ſi quid tibi debitum ad probatum fuerit, me tibi cauturum, & ſoluturum ſine controuerſia, tenetur Titius de conſtituta pecunia, d.l.quinta, §. Iulianus.

Titius Seio epiſtolam emiſit in hæc verba. Remanſerunt apud me quinquaginta ex credito tuo, ex contractu pupillorum meorum, quos tibi reddere iubebo idibus Maii probos. quod ſi tibi ad diem ſupraſcriptum non dedero: tunc dare debebo intereſſe tot. Quæritur an Lucius Titius in locum pupillorum ad cautionem reus ſucceſſerit? Marcellus reſpondit, ſi interceſſerit ſtipulatio ſucceſsiſſe.

Item

Item quæritur, an si non successisset, de constituta teneatur? Marcellus respondit, in sorte teneri. est.n. humanior, & utilior ista interptatio, ff. eo. l. Titius, 24.

Quidam ad creditorem literas eiusmodi fecit, decem, quæ Lucius Titius ex arca tua mutua acceperat (salua ratione interesse) domine penes me habes. respondit Scæuola secundum ea, quæ proponerentur, actione de constituta pecunia eum teneri, ff. eo. l. quidam, 26.

Sed & si quis constituerit alium soluturum, non se pro alio: non tenetur; item si mihi constitutas te soluturum; teneberis, quod si mihi cōstitueris, Sempronio te soluturum, non teneberis, ff. eo. l. quinta, §. sed si quis.

Vbi quis pro alio constituit se soluturum: adhuc is, pro quo constituit, obligatus manet, ff. eo. l. ubi quis, 28.

Iulianus scribit procuratori constitui posse, quod Pomponius ita interpretatur: vt ipsi procuratori constituas te soluturum non domino, ff. eodem, l. quinta, §. Iulianus.

Item tutori pupilli constitui potest, & actori municipium, & curatori furiosi, sed & ipsi constituentes tenebuntur, d. l. quinta, §. item tutori.

Si actori municipium, vel tutori pupilli, vel curatori furiosi, vel adolescentis, ita constituatur: municipibus solui, vel pupillo, vel furioso, vel adolescenti, vtilitatis gratia, datur municipibus, vel pupillo, vel furioso, vel adolescenti vtilis, d. l. quinta, §. si actori.

Sed, & si filiofamilias constituatur: valet constitutum, si mihi, aut Titio stipuler: Titio constitui suo nomine non posse, Iulianus ait: qa non habet petitionem, tametsi solui ei possit, ff. eo. l. septima.

Si vero mihi, aut Titio constitueris te soluturum: mihi competit actio, quid si postea, quàm soli mihi te soluturum constituisti, solueris Titio: nihilominus mihi teneberis. Titius tamen indebiti condictione tenebitur: vt quod ei perperam solutum est ei, qui soluit, reddatur, ff. eo. l. octaua, & seq.

Idem est, & si ex duobus reis stipulandi post alteri constitutum, alteri postea solutum est: quia loco eius, cui iam solutum est, haberi debet is, cui constituitur, ff. eod. l. idem est, x.

Hactenus igitur constitutum valebit: si, quid constituitur, debitum sit, etiam si nullus appareat, qui interim debeat. vtputa si ante aditam hæreditatem debitoris, vel capto eo ab hostibus, constituat quis se soluturum. nam, & Pomponius scribit, valere constitutum, quoniam debita ea pecunia constituta est, ff. eod. l. hactenus, xi. in prin.

Si quis centum aureos debens, ducentos constituat, in centum tantummodo tenetur, quia ea pecunia debita est. ergo, & is, qui sortem, & interesse, quod non debebatur, constituit, tenebitur in sortem duntaxat, d. l. hactenus, §. fi.

Sed & si decem debeat, & decem, & equum constituat, potest dici, decem tantummodo nomine teneri, sed si quis uiginti debens, decem constituit se soluturum tenebitur, ff. eod. l. sed & si, xii. cum l. seq.

Qui autem constituit se soluturum, tenetur, siue adiecerit certam quantitatem, siue non, ff. eo. l. qui autem, 14. in princ.

Si quis constituerit se pignus daturum: cum vtilitas pignorum irrepserit, debet etiam hoc constitutum admitti, d. l. qui autem, §. si quis.

Sed, & si quis certam personam fideiussuram pro se constituerit, nihilominus tenetur, vt Pomponius scribit. quid tamen si ea persona nolit fideiubere? tenetur is, qui constituit, nisi aliud actum est, quid si ante decesserit? si mora inteuenien

te, æquum

te, æquum est teneri eum, qui constituit, vel in id, quod interest, uel vt aliam personam non minus idoneam fideiubentem præstet, si nulla mora interueniente: magis est non teneri, d.l. qui autem, §. penul.

Constituere autem, & præsentes, & absentes possumus, sicut pacisci, & per nuncium, & per nosmetipsos, & quibuscunque uerbis. d.l. qui autem, §. fin.

Vtrum præsente debitore, an absente constituat, quis parui refert, hoc amplius ẽt inuito eo constituere, quem posse, Pomponius scribit, unde falsam putat opinionem Labeonis existimantis, si postea, quam quis constituit pro alio, dominus ei denunciet, ne soluat: in factum exceptionem dandam, nec immerito, id Pomponius. Nam cum semel sit obligatus, qui constituit: factum debitoris non debet eum excusare. ff. eod. l. utrum. 27.

Et licet procurator sit, per quem tibi constituit: hoc non erit impedimento, quia ministerium tantummodo hoc casu præstare uidetur, ff. eo. l. & licet. 15.

Si duo, quasi duo rei constituerimus: vel cum altero agi poterit insolidum: sed & certo loco, & tempore constituere quis potest, nec solum eo loco petere, ubi ei constitutũ est, sed exẽplo arbitrariæ actionis ubiq; põt, ff. eo. l. si duo, 16. ĩ prin.

Siquis duobus pecuniam constituerit tibi, aut Titio, & si stricto iure propria actione constitutæ pecuniæ manet obligatus. si Titio soluerit, tamen per exceptionem adiuuatur, ff. eod. l. si quis, 30.

Ait prætor, SI APPAREAT EVM, QVI CONSTITVIT, NEQVE SOLVISSE, NEQVE FECISSE, NEQVE PER ACTOREM STETISSE, QVO MINVS FIERET, QVID CONSTITVTVM EST. Ergo si non steterit per actorem: tenet actio, etiam si per rerum naturam stetit, sed magis dicendum est, subueniri reo debere, ff. eo. l. si duo, §. ait prætor.

Hæc autem verba prætoris, NEQVE FECISSE, vtrum ad tempus constituti pertineant, an uero usque ad litis contestationem trahamus, dubitari potest. & verum est ad tempus constituti. d.l. si duo. §. fi.

Sed & si alia die offerat, nec actor accipere voluit, nec ulla iusta causa fuit non accipiendi, æquum est, succurri reo, aut exceptione, aut iusta interpretatione, ut factum actoris, vsque ad tempus iudicii ipsi noceat: ut illa uerba, NEQVE FECISSE, hoc significent, vt neque in diem, in quem constituit, fecerit, neque postea, ff. eo. l. sed & si, 17.

Item illa uerba prætoris, NEQVE PER ACTOREM STETISSE, eandem recipiunt dubitationem, & Pomponius dubitat: si fortè ad diem constituti per actorem non stetit, an ante me steterit, vel postea? Sed & hæc ad diem constituti referenda sunt; proinde si ualetudine impeditus, aut ui, aut tempestate petitor non uenit, ipsi nocere, Pomponius scribit, ff. eo. l. sed & si, 18. in prin.

Quod adiicitur, EAMQVE PECVNIAM, CVM CONSTITVEBATVR, DEBITAM FVISSE: interpretationem pleniorem exigit. Nam primum illud efficit, ut si quid tunc debitum fuit, cum constitueretur, nunc non sit: nihilo minus teneat constitutum, quia retrorsum se actio refert, proinde, & temporali actione obligatum, constituendo Celsus, & Iulianus scribunt teneri debere, licet post constitutum dies temporalis actionis exierit. quare, & si post tempus obligationis se soluturum constituerit, adhuc idem Iulianus putat, quoniam eo tempore constituerit, quo erat obligatus, licet in id tempus, quo non tenebitur. d.l. item illa verba, §. quod adiicitur.

E re aũt est, hic subiungere, vtrum pœnã continent hęc actio, an rei persecutionẽ? & magis est (ut ẽt Marcellus putat) vt rei ꝑsecutionẽ, d.l. itẽ illa, §. è re autem.

Vetus

Vetus fuit dubitatio, an qui hac actione egit, sortis obligationem consumant, & tutius est dicere: solutione potius ex hac actione facta liberationem contingere, non litis contestationem: quoniam solutio ad vtranq; obligationem proficit, d.l. item illa, §. fin.

Id, quod sub condictione debetur (siue purè siue certo die constituatur) eadem conditione suspenditur: ut existente conditione, teneatur: deficiente, vtraque actio depereat, sed is, qui purè debet, si sub conditione constituat: inquit Pomponius in hanc utilem actionem esse, ff. eo. l. id, quod, 19. in princ.

Si pater constituerit se soluturum, quod fuit in peculio: non minuetur peculium, ex quo ex ea causa obstrictus esse cœperit, & licet interierit peculium, non tamen liberatur. Nec enim, quod crescit, aut decrescit peculium, pertinet ad constitutoriam actionem, d.l. id quod, 19. §. fi. cum l. seq.

Promissor equi post moram ab eo factam mortuo equo si constituerit se precium eius soluturum, tenetur, ff. eo. l. promissor, 21. in princ.

Si sine die constituas: potest quidem dici te non teneri, licet verba edicti late pateant, alioquin, & confestim agi tecum poterit, si statim, vt constituisti, non soluas, sed modicum tempus statuendum est (non minus decem dierum) ut exactio celebretur, d.l. promissor, §. si sine.

Constituto satis non facit, qui soluturum se constituit, scilicet si offerat satisdationem, si quis autem constituat se satisfacturum, & fideiussorem, vel pignora det, non tenetur: quia nihil interest, quemadmodum satisfaciat, d.l. promissor, §. fi.

Si post constitutam tibi pecuniam, hæreditatem ex senatusconsulto Trebelliano restitueris, quoniam sortis petitionem transtulisti ad alium, deneganda est tibi pecuniæ constitutæ actio: idem est in hæreditatis possessore, post euictam hæreditatem, sed magis est, vt fideicommissario, vel ei, qui euicit, decernenda sit actio, ff. eod. l. si potest, 22.

Possessor equi, equo mortuo, cum per eum staret, quominus traderetur: & si equũ daturum se constituerit, de constituta pecunia tenebitur, ut precium eius soluat, ff. eo. l. possessor, 23.

Illud, aut illud debuit, & constituit alterum, an vel alterum, quod non constituit, soluere posit, quæritur? dictum est, non esse audiendum, sin velit hodie fidem constitutæ rei frangere, ff. eo. l. illud, 25. in princ.

Si iureiurando delato, deberi tibi iuraueris, cum habeas eo nomine actionem, rectè de constituta agis, sed & si non vltro detulero iusiurandum, sed referendi necessitate compulsus, id fecero: quia nemo dubitat modestius facere, qui referat, quam qui ipse iuret; nulla distinctio habetur, tametsi ob tuam facilitatem ac meam verecundiam subsecuta sit referendi necessitas, d.l. illud, §. fin.

Qui iniuriarum, vel pro furto, vel ui bonorum raptorum tenetur actione, & constituendo tenetur, ff. eo. l. qui iniuriarum, 29.

Lucius Titius Seiorum debitor decessit, hi persuaserunt pupillo Mæuio, quod hæreditas ad eum pertineret: & fecerunt, ut epistolam in eos exponeret, debitorem se esse, quasi hæredem patrui sui confitentem, qui & addidit epistolæ suæ, quod in rationes suas eadem pecunia peruenisset Lucii Titii, nihil peruenit, an ex scriptura proposita de constituta pecunia, conueniri posit, & an doli exceptione uti posit? responsum est, nec ciuilem eo nomine actionem competere, sed nec de constituta eum teneri, secundum ea, quæ proponeretur. idem quæritur, interesse nomine quod ex causa suprascripta datum sit, an repeti posit, respondit Scæuola secundum ea, quæ proponeretur, posse, ff. eo. l. fi.

Si pro

Si pro alieno debitore soluturum constituisti, pecuniæ constitutæ actio non solum aduersus te, sed aduersus hęredes tuos perpetuo competit. C. de constit. pecun. l. prima.

Si quando aliquis vel pro se, vel pro alia persona pecuniam constituerit, dicens fortè alicui, SATIS TIBI FACIO: vt hic omnibus modis ad quantitatem, quam protulit, obnoxius est: & à se constitutum implere, atque debitum persoluere compellitur. Si quis uerò Dixerit SATIS TIBI FIET: hic, utpote, cum talis sermo absque determinatione certæ personæ prolatus sit, perinde quasi nihil dixerit, ab omni exactione liber conseruetur. At si quis dixerit, FIET TIBI SATIS A' ME, ET AB HOC ET ILLO: his quidē, quos ille nominauerit, nisi consenserint, nullum ex tali locutione præiudicium nascitur, sed neq; ipse, qui hoc dixit, pro illis personis, quas nominauit, aliquam exactionem sustineat pro se uero id, quod ex ære alieno secundum leges comprobato deberi monstratum fuerit, pro rata duntaxat parte soluat. Cæterum si dixerit, SATIS TIBI FIET A ME, AVT AB HOC, AVT AB ILLO: tunc personis quidem nominatis, nisi consentiant, consimili modo nullum prę iudicium generatur. qui uero eam pecuniam constituit, is integrum quidem debitum persoluere compellitur. si quam tamen contra nominatas personas actionem sibi competere putauerit, hanc contra ipsos secundum leges proponat, & legitimo potiatur auxilio. Nouel. const. VT cum de appel. alias 115. §. ad hæc. & aliud, siue Coll. viii. const. xi.

Apertissime lege definitum, est ut liceat omnibus constituere non solum res, quæ pondere, numero, mensura consistunt, sed etiam alias omnes, siue mobiles, siue immobiles, siue se se mouentes, siue instrumenta, vel alias quascunque res, quas in stipulationem possint homines deducere. neque sit in quocunque casu annalis, sed siue pro se quis constituat, siue pro alio: sit & ipsa in tali uitæ mensura, in qua omnes personales actiones positæ sunt, idest annorum metis triginta, & liceat pro debito purè, vel in diem, vel sub conditione constitui: & non absimilem penitus stipulationi habeat dignitatem, suis tamen naturalibus priuilegiis minime defraudata, sed & hæredibus, & contra hæredes competat: ita tamen, ut hoc ei inhæreat, ut pro iam debito fiat constitutum, cum satis absurdum sit permittere per actionem res indebitas consequi. itaque omnes res ueniunt in constitutam actionem. tamque si fuisset ipsa pecunia constituta cùm etiam ueteres pecuniæ appellatione omnes res significari definiāt, iis uidelicet, quæ argenti distractores, & alii negociatores indefense constituerint in sua firmitate secundum morem usque adhuc obtinentem durantibus. C. de constit. pecunia, l. penult.

Diui Adriani epistolam, quæ de periculo diuidendo inter mandatores, & fideiussores loquitur locum habere, & in his, qui pecunias aliis simul constituunt, necessarium est. æquitatis enim ratio diuersas species actionis excludere nullo modo debet. C. eod. l. finali.

De constituta pecunia cum omnibus agitur, quicunque pro se, vel pro alio soluturos se constituerint, nulla scilicet actione interposita: nam alioquin si stipulanti promiserint iure ciuili tenentur. Inst. de actio. §. de constituta.

DE

DE IVREIVRANDO, SIVE VOLVNTARIO, SIVE NECESsario, siue iudiciali. Tit. XII.

SI quis postulante aduersario iurauerit, deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei soluatur, iustißimè prætor accõmodat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, sed an iurauerit, Inst. de actio. §. item si quis.

Maximum remedium expediendarum litium in usum uenit iurisiurandi religio, qua uel ex pactione ipsorum litigatorum, uel ex authoritate iudicis deciduntur controuersiæ, ff. de iureiurando, l. prima.

Iusiurandum speciem continet transanctionis, maiorem, quæ habet authoritatẽ, quam res iudicata. ff. eod. l. secunda.

Ait prætor, SI IS, CVM QVO AGETVR CONDITIONE DELATA IVRAVERIT. Eum, cum quo agetur accipere debemus ipsum reum, nec frustra adiicitur. CONDITIONE DELATA; Nam si reus iurauerit nemine ei iusiurandum deferente, prætor id iusiurandum non tuebitur. sibi enim iurauit. Alioquin facillimus quisque ad iusiurandum decurrens nemine sibi deferente iusiurandum oneribus actionum se liberabit, ff. eo. l. tertia, in princ.

Quacunque autem actione, quis conueniatur, si iurauerit, proficiet ei iusiurandũ, siue in personam, siue in rem, siue in factum, siue pœnali actione, vel quauis alia agatur, siue de interdicto, sed & si de conditione personæ fuerit iuratum, prætor iusiurandum tuebitur, utputa detuli tibi iusiurandum: & iurasti te in potestate mea non esse, tuendum erit iusiurandum. d. l. tertia. §. quæcunq;.

Vnde Marcellus scribit etiam de eo iurari posse, an prægnans sit mulier, uel non sit, & iurisiurando standum. denique ait si de possessione erat quæstio, seruari oportere, si fortè quasi prægnans ire in possessionem uolebat, & cum ei contradiceretur, uel ipsa iurauit se prægnantem, vel cõtra eam iuratum est. Nam si ipsa, ibi in possessionem sine metu, si contra eam non ibit, quamuis uerè prægnans fuerit, proderitque (inquit Marcellus) mulieri iuranti iusiurandum, ne conueniatur, quasi calumniæ causa uentris nomine fuerit in possessione, neve uim patiatur in possessione, sed an iusiurãdum eo vsq; prosit, vt post editum partum non quæratur, ex eo editus sit, an non sit, cuius esse dicitur, Marcellus tractat. & ait, veritatem esse quærendam, quia iusiurandum alteri, neque prodest, neque nocet. matris igitur iusiurandum partui non proficiet, nec nocebit, & si mater detulerit, & iuretur ex eo prægnas non esse, d. l. tertia, §. unde Marcellus.

Iurari autem oportet, vt delatum est iusiurãdum cæterum si ego detuli, ut p deum iurares, tu per caput tuum iurasti, vel filiorum tuorum. Non erit ratum habendum iusiurandum, quod si exigi, ut per salutem tuam iurares, & iurasti: stabitur. Omne enim omnino licitum iusiurandum per quod uoluit quis sibi iurari, idoneum est, & si ex eo fuerit iuratum prætor id tuebitur, d. l. tertia. §. finali, & quarta, & quinta, in princ.

Dato iureiurando non aliud quæritur, quam an iuratum sit, remissa quæstione, an debeatur, quasi satis probatum sit iureiurando. d. l. quinta. §. dato iureiurãdo.

Si neque iuratum est, neque remissum iusiurandum: pro eo debet haberi, atque si res in iusiurandum admisa non esset proinde si postea iurare paratus sit, nihil ei hoc iusiurandum proficiet; quia ex eo, quod delatum est iuratum non est. d. l. quinta. §. si neque.

Remittit iusiurandum, qui deferente se cum paratus esset aduersarius iurare, gratiam ei

tiam ei

etiam ei facit, contentus uoluntate ſuſcepti iuſiurandi. Quod ſi non ſuſceperit iuſiurandum: licet poſtea parato iurare, actor nolit defferre, non uidetur remiſſum, nam quod ſuſceptum eſt, remitti debet, ff. eo. l. ſexta.

Ait prætor, EIVS REI, DE QVA IVSIVRANDVM DELATVM FVERIT, NEQVE IN IPSVM, NEQVE IN EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, ACTIONEM DABO: EIVS REI, ſic erit accipiendum: ſiue de tota re, ſiue de parte ſit iuratum. Nam de eo, quod iuratum eſt, pollicetur ſe actionem non daturum: neque in eum, qui iurauit, neque in eum, qui in locũ eius, cui iuſiurandum delatum eſt, ſuccedit. Etiam ſi in rem ſucceſsit. Nam poſtea, quam iuratum eſt, denegatur actio, aut ſi controuerſia erit, id eſt ſi ambigitur: an iuſiurandum datum ſit: exceptionis locus eſt, ff. eod. l. ſeptima, octaua, & nona, in princip.

Iureiurando dato, vel remiſſo, reus quidem adquirit, exceptionem ſibi, aliiſque: actor uero actionem adquirit, in qua hoc ſolum quæritur, an iurauerit dari ſibi oportere: uel cum iurare paratus eſſet, iuſiurandum ei remiſſum ſit, ff. eod. l. nona, §. iureiurando.

Si is, qui temporaria actione mihi obligatus erat detulerit iuſiurandum, ut iurem eum dare oportere, egoque iurauero: tempore non liberatur: quia poſt litem cum eo conteſtatam perpetuatur aduerſus eum obligatio, d. l. nona, §. ſi is, qui.

Si minor vigintiquinque annis detulerit, & hoc ipſo captum ſe dicat, aduerſus exceptionem iuriſiurandi debebit id replicari, ut Pomponius ait, ſed verum eſt hanc replicationem non ſemper eſſe dandam, ſed plerunque ipſum prætorem debere cognoſcere, an captus ſit, & ſic in integrum reſtituere. nec enim ut quiſque minor eſt, ſtatim, & circunſcriptum ſe docuit, propterea exceptio iſta, ſiue cognitio ſtatutum tempus, poſt annum viceſimum quintum non debet egredi, d. l. noua. §. ſi minor.

Sed & ſi quis iuſiurandum in fraudem creditorum detulerit debitori, aduerſus exceptionem iuſiurandi, replicatio fraudis creditoribus dari debet, præterea ſi fraudator detulerit iuſiurandum creditori, vt iuraret decem ſibi dari oportere, mox bonis eius uenditis experiri uolet, aut denegari debet actio, aut exceptio opponitur fraudatorum creditorum, d. l. nona, §. ſed & ſi quis.

Iuſiurandum defenſoris, vel procuratoris ei ab aduerſario delatum prodeſſe, exceptionemque domino parere, Iulianus ſcribit, idem ergo dicendum erit, & ſi datus ad petendum procurator reo deferente, iurauerit dari mihi oportere, nam actionem mihi parit, quæ ſententia habet rationem, d. l. nona, §. iuſiurandum.

Si petitor iurauerit, poſſeſſore deferente rem ſuam eſſe actori dabitur actio, ſed hoc duntaxat aduerſus eum, qui iuſiurandum detulit, eoſq;, qui in eius locum ſucceſſerunt. Cæterum ſi aduerſus alium uelit prærogatiua iuriſiurandi uti, nihil ei proderit. Quia non debet alii nocere, quod inter alios actum eſt, d. l. nona, §. finali, cum l. ſeq.

Sed & ſi poſſeſſori fuerit iuſiurandum delatum, iuraueritq; rem petitoris non eſſe quandiu quidem poſsidet, aduerſus eum, qui detulit iuſiurandum, ſi petat exceptione iuriſiurandi utetur, ſi uero amiſerit poſſeſsionem actionem non habebit, nec quidem etiam ſi is poſsideat, qui ei iuſiurandum detulit. non enim rem ſuam eſſe iurauit, ſed eius non eſſe, proinde ſi cum poſsideret deferente petitore, rem ſuam eſſe iurauit, conſequenter dicemus amiſſa quoque poſſeſsione, ſi is, qui detulit iuſiurandum nactus ſit poſſeſsionem: actionem in factum ei dandam. fructus etiam perceptos ex re, quam meã eſſe iuraui reſtitui mihi placuit,

ſed &

ſed & fœtus pecorum reſtituendum eſſe conſtat, poſt iuſiurandum delatum, ff. eo.l.ſed & ſi poſſeſſori, xi.in prin.

Item ſi iurauero vſumfructum alicuius rei, vel meum eſſe, vel mihi dari oportere, eatenus mihi competit actio, quatenus ſi vero vſumfructum haberem, duraret, quibus vero caſibus amitteretur, non competit mihi actio, ſed & ſi rerum, in quibus vſusfructus propter abuſum conſtitui non poteſt, iurauerit vſumfructum ſe habere, vel ſibi deberi: effectus iuriſiurandi ſequendus eſt, ideoque tunc quoque videtur is rectè iuraſſe, & ex eo iureiurando poteſt petere vſumfructum cautione oblata, dicta lege ſed & ſi. §. item ſi iurauero.

Si iurauero vſumfructum mihi dari oportere, non aliter dari debet, quam ſi caueam boni uiri arbitratu me vſurum, & finito uſufructu reſtituturum, ff. eod.l. eum qui, 30 §.fin.

Si cum de hæreditate inter me, & te controuerſia eſſet, iurauero hæreditatem meam eſſe, id conſequi debebo, quod haberem, ſi ſecundum me de hæreditate pronunciatum eſſet. & non ſolum ea res reſtituere debebis, quas tunc poſsidebas, ſed & ſi quas poſtea cœpiſſes poſsidere, perindeque habetur, quod iuratum eſt, atque ſi probatum eſſet. idcirco utilis actio mihi competit. Quod ſi ego ex eadem hæreditate, poſsiderem, tuque cœpiſſes petere a me, cum aduerſus te iuraſſem, exceptione ego, uti debeo iuriſiurandi. Planè ſi alius a me petere hæreditatem cœperit: dubium non erit, (vt & Iulianus ſcribit) nihil mihi iuriſiurandum prodeſſe. Idemque & ſi ego quolibet alio poſsidente res hæreditarias petere velim: quia, & ſi petiiſſem a te hæreditatem, probaſſemque meam eſſe, nihilominus ab altero petendo idipſum probare neceſſe haberem, d.l. ſed & ſi poſſeſſori, §. finali, cum l. ſequenti.

Item Iulianus ſcribit eum, qui iurauit ſe furtum non feciſſe, videri de toto iuraſſe, atque ideo condictitia non tenetur, quia condictitia ſolus fur tenetur. Nunquid ergo qui iurauit furtum ſe non feciſſe hoc ſolo nomine, condictione ſi conueniatur, exceptione utetur? Cæterum ſi contendat, qui condicit, quaſi cum hærede ſe furis agere, non debet repelli? & quaſi condictio ei dari debet aduerſus hæredem furis, nec pati eum iudex debet, ſi cœperit tentare furem probare, ff. eodem lege ſi duo, tertiadecima, §. item Iulianus ſcribit.

Quæ iurauit diuortii cauſa rem ſe non amouiſſe, non debet defendi per exceptionem, ſi eum ea in rem agatur, & ſi contendat ſuam eſſe alio iureiurando opus eſt, contra ſi iurauerit ſuam eſſe: debet in actione rerum amotam defendi, & omnino hoc obſeruandũ eſt (licet per aliam actionem eadem quæſtio moueatur) ut exceptio iuriſiurandi locum habeat, ff. eo.l.in duob. 28.§.quæ iurauit.

Si quis iurauerit me ei vendidiſſe rem centum: ex empto agere poteſt erit, vt ei cætera præſtetur: id eſt, vt res tradatur, & de euictione caueatur, an tamen ad precium conſequendum ex vendito conueniri poſsit, videndum, & ſi quidem de hoc ipſo iuratum eſt, & quod precium ſolutum eſt, nulla pro precio actio ſupereſt. Si uero hoc non fuerit iuratum, tunc conſequens eſt, de precio eum teneri, idem dicemus, & ſi quis ſocietatem feciſſe iurauerit. Nam & is, pro ſocio poterit conueniri, d.l. ſi duo, §. ſi quis iurauerit.

Marcellus ſcribit, ſi quis iurauerit ob decem pignori dediſſe fundum: non

alias eum pignoratitia egere posse, quam si decem soluerit, sed & illud adiicit fortassis eum etiam in decem ex iureiurando suo posse conueniri, quod magis probat, cui Quintus Saturninus consensit, dicta lege si duo. §. Marcellus.

Quoties propter rem iuratur parenti non remittitur iusiurandum, propter rem autem iusiurandum exigitur (ueluti de pecunia credita) cum iurat actor, sibi dari oportere, vel reus se dare non oportere, idem est, cum de pecunia constituta iusiurandum exigitur. ff. eo. l. quoties, 14.

Iusiurandum, quod ex conuentione extra iudicium defertur, referri non potest ff. eo. l. iusiurandum, in princ.

Pupillus tutore authore iusiurandum deferre debet, quod si sine tutoris authoritate detulerit; exceptio quidem obstabit, sed replicabitur: quia rerum administrandarum ius ei non competit, dicta lege iusiurandum, §. pupillus tutore.

Si tutor, qui tutelam gerit, autem curator furiosi prodigive iusiurandum detulerit ratum id haberi debet. Nam & aliena res, & solui eis potest, & agendo rem in iudicium deducunt, d. l. iusiurandum, §. si tutor.

Procurator quoque quod detulit, ratum habendum est, scilicet si aut vniuersorum bonorum administrationem sustineat, aut si idipsum nominatim mandatum sit, aut si in rem suam procurator sit, d. l. iusiurandum. §. si.

Alias autem procuratorem deferentem iusiurandum non esse audiendum, Iulianus libro decimo Digestorum scribit, ne postea reus, qui semel iurauit a domino conueniatur, nec multum ei proficere, si fuerit ei de rato cautum. siue enim dominus petat, cogetur reus docere liquido se iurasse, posita scilicet exceptione, siue ex stipulatione de rato agat, necesse habebit ipse de periurio suo docere. Si itaque mandatum fuit procuratori, ut petat, ille autem iusiurandum detulit; aliud fecit, quam quod mandatum est, ff. eodem. l. alias autem, 18, & l. sequen.

Religio filii, cum quo etiam iudicium consistere poterit. ipsi autem referentes, condictionem eorum, quibus subiecti sunt, non faciunt deteriorem. ff. eod. l. multo magis, 24.

Qui iurasse dicitur, nihil refert, cuius sexus ætatisve sit, omni enim modo custodiri debet iusiurandum aduersus eum, qui contentus eo, dum deferret, fuit. quámuis pupillus non uideatur peierare, quia sciens fallere non uideatur, ff. eod. l. qui iurasse, 26. in prin.

Si pater filium dare non oportere iurauerit: Cassius respondit, & patri, & filio dándam exceptionem iusiurandi. si pater iurauerit in peculio, nihil esse filius conueniri poterit, sed & pater ita conuenietur, vt post adquisiti peculii ratio habeatur. d. l. qui iurasse. §. si pater.

Iusiurandi conditio ex numero esse uideri potest, nouandi, delegandive, quia proficiscitur ex conuentione: quamuis habeat, & instar iudici. Iusiurandum etiam loco solutionis cedit. d. l. qui iurasse. §. si. cum l. seq.

In duobus reis stipulandi ab altero delatum iusiurandum etiam alteri nocebit, ff. eo. l. in duobus. 28. in prin.

Quod reus iurauit, etiam fideiussori proficit. item a fideiussore exactum iusiurandum, prodesse etiam reo Cassius, & Iulianus aiunt. Nam quod in locum solutionis

tionis succedit, hoc quoque eodem loco habendum est, si modo ideo interpositum est iusiurandum, vt de ipso contractu, & de re, non & de persona iurantis ageretur, d.l. in duobus, §. quod reus.

Si ei, qui debitorem meum in iudicium exhibere promiserit, iusiurandum detulerim: isque iurauerit, se omnino exhibitionem eius non promisisse, prodesse id debitori meo non debet, si vero iurauerit se nihil mihi præstare oportere, distinguendum est, & replicatione emendãdum, vtrum ideo iurauerit, quia post promissionem exhibuerit, an vero, quia soluerit, quod eodem modo, & in fideiussore debiti distinguendum est, d.l. in duobus, §. si ei, qui.

Ex duobus reis promittendi eiusdem pecuniæ, si alter iurauit, alteri quoq; prodesse debebit, d.l. in duobus, §. ex duobus.

Exceptio iurisiurandi non tantum si ea actione, quis utatur, cuius nomine exegit iurisiurandum, opponi debet, sed etiam si alia, si modo eadem quæstio in iudicium deducatur, fortè si ob actionem mandati, negociorum gestorum, societatis, cæterasq; similes iurisiurandum exactum sit: deinde, ex iisdẽ causis certum condicatur, quia per alteram actionem altera quoque consumitur, d.l. in duobus. §. exceptio.

Colonus eum, quo propter succisas fortè arbores agebatur ex locato, se iurauerit se non succidisse, siue è lege duodecim tabularum de arboribus succisis, siue ex lege Aquilia damni iniuriæ, siue interdictio, QVOD VI, AVT CLAM, postea conuenitur: per exceptionem iurisiurandi defendi poterit, d.l. in duobus. §. colonus.

Igitur si quis iurauerit se non esse condemnatum, etiam si ex stipulatu IVDICATVM SOLVI ob rem iudicata conueniatur defendetur per exceptionem. Cõtra si cum ex stipulatu IVDICATVM SOLVI conueniretur, iurauit se dare non oportere, agenti iudicati non utique obstabit exceptio. potest. n. fieri, ut non sit commissa stipulatio, licet res iudicata sit, nisi ideo iurasset, quod nec damnatum se esse diceret, d.l. in duobus, §. igitur.

Item Pomponius ait eum, qui furtum sibi alicuius rei factum iurauerit, nõ statim etiam condictionis causam nancisci, d.l. in duob. §. item Pompon.

Item cum ex hac parte iusiurandum, & actionem, & exceptionem inducat, si fortè extra iudicium, actore inferente, iurauerit se dare non oportere, uel contra, posterior causa iurisiurandi potior habebitur, nec tamen præiuditium periurio alterius fiet, quia non quæretur, an dare eum oporteat, sed an actor iurauerit. Quod si iuraui te deferente, non iurasse te dari tibi oportere, aduersus utilem actioni, qua hoc quæritur, an iuraueris tibi dari oportere, opponenda est exceptio iurisiurandi perimentis quæstionem actione comprehensam, d.l. in duobus, §. fin. cum l. seq.

Eum qui iurauit ex ea actione, quæ inficiando crescit, aliquid sibi deberi, simpli non dupli persecutionem sibi adquirere, Pedius ait. abunde. n. sufficere exonerare petitorem probandi necessitate, cum omissa hac parte edicti dupli, actio integra maneat. & potest dici hoc iudicio non principalem causam exerceri, sed iusiurandum actoris conseruari, ff. eo. l. eum qui, 30. in prin.

Si iurauero te equum mihi dare oportere, qui non sit in rerum natura, nec æstimationem mihi præstare reus debet, nisi ex causa furtiua, vel pp moram. tunc. n. ẽt post mortem equi æstimatio præstatur, d.l. eum qui, §. si iurauero.

Si mulier iurauerit decem dotis sibi deberi, tota ea summa pstãda est, sed si iurauerit se decem dedisse in dotẽ, hoc solũ non erit qrendum, an data sint, sed quasi

data sint, quod ex eo reddi oportet, præstandum erit, d.l. eum qui. §. si mulier.

In popularibus actionibus iusiurandum exactum, ita demum aduersus alios proderit, si bonafide exactum fuerit, nam & si quis egerit: ita demum consumit publicam actionem, si non per collusionem actum sit, d.l. eum qui, §. in popularib.

Admonendi sumus, interdum etiam post iusiurandum exactum, permitti constitutionibus principum ex integro causam agere, si quis noua instrumenta si inuenisse dicat, quibus nūc solum vsurus sit, sed hæ constitutiones tunc uidentur locum habere cum à iudice aliquis absolutus fuerit, solent.n. sæpe iudices in dubiis causis exacto iureiurando secundum eum iudicare, qui iurauit. Quod si alias inter ipsos iureiurando transactum sit negotium, non conceditur eandem causam retractari, ff. eo. l. admonendi, 31.

Iurisiurandi gratiam facere pupillus non potest, ff. eo. l. iurisiurandi. 32.

Qui per salutem suam iurat, licet per deum iurare videatur. (respectu.n. diuini numinis ita iurat) attamen si non ita specialiter iusiurandum ei delatum est, iurasse non videtur, & ideo ex integro solenniter iurandū est, ff. eo. l. qui p̄ salutē, 33.

Iusiurandum, & ad pecunias, & ad omnes res ptinet, ff. eo. l. iusiurandū, 34. in pri.

Defensor municipum, vel cuiusvis corporis, iusiurandum deferre potest, si super hoc mandatū habeat. Pupillo nō defert iusiurandū, d.l. iusiurandū, §. defensor.

Procurator non compellitur iurare, nec defensor, & ita Iulianus scribit, defensorem iurare non compelli, sufficereq; ad plenam defensionem, si paratus sit iudicium accipere, d.l. iusiurandum, §. procurator.

Qui iusiurandum defert prior de calumnia iurare debet, si hoc exigatur, deinde sic iurabitur. hoc iusiurandum de calumnia, & parentibus remittitur, d.l. iusiurandum. §. qui iusiurandum.

Si de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubitatum, conceptio eius in arbitrio iudicantis est, d.l. iusiurandum, §. si de qualitate.

Ait prætor, EVM A QVO IVSIVRANDVM PETETVR, SOLVERE, AVT IVRARE COGAM, alterum itaque eligat reus, aut soluat, aut iuret, si non iurat, soluere cogendus erit a prætore, d.l. iusiurandum, §. ait prætor.

Datur autem, & alia facultas reo, ut si malit, referat iusiurandum, & si is, qui petet, conditione iusiurandi non utetur: iudicium ei p̄tor non dabit. Æquissimè.n. hoc facit, cum non debeat displicere conditio iusiurandi ei, qui detulit, sed nec iusiurandum de calumnia referenti dabitur, quia non est ferendus actor, si conditioni, q̃ ipse detulit de calumnia uelit iurari, d.l. iusiurandum, §. datur autem.

Non semper autem consonans est per omnia referri iusiurandum, quale defertur: forsitan ex diuersitate rerum, vel personarum quibusdam emergentibus, quæ varietatem inducunt, ideoque si quid tale inciderit, officio iudicis conceptio huius iurisiurandi terminetur, d.l. iusiurandum, §. non semper.

Cum res in iusiurandum demissa est iudex iurantem absoluet, & referentem audiet, & si actor iuret: condemnet reum, nolente autem iurare reum, si soluat, absoluet, non soluentem condemnet, uel ex relatione non iurante actore, absoluet reum, d.l. iusiurandum, 34. §. fi.

Tutor pupilli omnibus probationibus aliis deficientibus iusiurandum deferens audiendus est, quandoq; n. pupillo denegabitur actio, ff. eo. l. tutor, 35. in prin.

Prodigus si deferat iusiurandum, audiendus non est. idemque in cęteris similibus ei dicendum est. nam siue pro pacto conuento, siue pro solutione, siue pro iudicio hoc iusiurandum cedit, non ab aliis delatum probari debet, quam qui ad hæc habiles sunt, d.l. tutor, §. prodigus.

Qui

Qui non compelluntur Romæ iudicium accipere, nec iurare compellendi sunt: vt legati prouinciales. d. l. tutor. §. final.

Si actor deferat iusiurandum de sola constituta pecunia, & reus iurauerit: exceptione utetur, si de constituta conueniatur. sed si de sorte, idest de priore obligatione conueniatur: exceptio cessabit, nisi de hac quoque iurauerit aduersario deferente. ff. eod. l. si actor. xxxvi.

Si non fuerit remissum iusiurandum ab eo, qui detulit, nec de calumnia iuretur: consequens est, ut debeat denegari actio. sibi enim imputet, qui processit ad delationem iurisiurandi, nec prius de calumnia iurauit: ut sit iste remittenti similis. ff. eod. l. si non fuerit. xxxvii.

Manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. ff. eod. l. manifestę. xxxviii.

Si quis cum debitore suo pepigerit, ne ab eo pecunia peteretur, si iurasset se Capitolium non ascendisse, uel aliud quodlibet fecisse, uel non fecisse, isque iurauerit, & exceptio iurisiurandi dari debebit, & solutum repeti poterit. est enim iusta conuentio, si quælibet causa in conditione iurisiurandi deducta fuerit. ff. eod. l. si quis. xxxix.

Iusiurandum à debitore exactum efficit, ut pignus liberetur. est enim hoc acceptilationi simile perpetuam certè exceptionem parit. idcirca pœnam quoque petentem creditorem exceptione submoueri oportet, & solutum repeti potest: vt pote cũ interposito eo, ab omni controuersia discedatur. ff. eod. l. iusiurandũ. xl.

Labeo etiam absenti, & ignoranti iusiurandi gratiam fieri posse respondit, sed, & per epistolam iurisiurandi gratia fieri potest. ff. eod. l. labeo, xli.

Creditore, qui de mutua pecunia contra pupillum contendebat, iusiurandum deferente pupillus iurauit se dare non oportere, eandem pecuniam à fideiussore eius petit. an excludendus sit exceptione iurisiurandi? Pomponius respondit. Eandem rem apertius explicat Iulianus. Nam si cõtrouersia inter creditorem, & pupillum fuerit, an omnino pecuniam mutuam accepisset: & conuenerit, ut ab omni conditione discederetur, si pupillus iurasset: isque iurauerit se dare non oportere: naturalis obligatio hac exceptione tolletur, & soluta pecunia repeti poterit. sin uerò creditor quidem se mutuam dedisse contendat, pupillus autem hoc solo defendatur, quod tutor eius non interuenit, & hoc tale iusiurandum interpositum est, hoc casu fideiussorem prætor non tuebitur, si autem liquido adprobari non potest, quid actum fit: & in obscuro erit (ut plerunque) de facto, an de iure inter creditorem & pupillum controuersia fuerit. tantumque deferente creditore pupillum iurasse: intelligere debemus, actum inter eos, ut si iurasset dari non oportere ab omni conditione discederetur. Atque ita, & solutam pecuniam repeti posse, & fideiussoribus exceptionem dari debere existimabimus. ff. eod. l. finali, in prin.

Si fideiussor iurauerit se dare non oportere: exceptione iurisiurandi reus promittendi tutus est. At quin si quasi omnino idem non fideiussisset, iurauit: non debet hoc iusiurandum reo promittendi prodesse. d. l. finali. §. si fideiussor.

Sed & si actore deferente, defensor absentis, uel præsentis iurauit eum, quem defendit, dare non oportere: exceptio iurisiurandi ei, cuius nomine iuratum fuerit, dari debebit. Eadem ratio est, & si fideiussoris defensor iurauerit. reo enim datur exceptio. item si reus iurauerit, fideiussor tutus fit, quia & res iudicata secundum alterutrum eorum utrique proficiet. d. l. finali.

Causa iureiurando ex consensu vtriusq; partis, vel aduersario inferente, delato &

præstito, vel remisso, decisa: nec periurii prætextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur, C. eo. l. prima.

Iusiurandi contempta religio satis deum vltorem habet, periculum autem corporis vel maiestatis crimen, secundum constituta Principum, & si per Principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non placet, C. eodem, l. secunda.

In bonæfidei contractibus, nec non etiam in cæteris causis inopia probationum, per iudicem iureiurando causa cognita res decidi oportet, C. eo. l. tertia.

Si ad excludendam tutelæ actionem pupillus iusiurandum tutori detulerit: postea eandem litem exercere non prohibetur, C. eo. l. quarta.

Cum etiam à pupillorum tutoribus, velut ab ipsis pupillis, relicta fideicommissa videntur, super fideicommissi præses prouinciæ cognoscet, & si id tibi relictum esse constiterit, reddi tibi efficiet, idem si inficietur, ad iusiurandum (vt desideras) tutorem adiget, C. eo. l. quinta.

Cum proponas partibus placuisse iurisiurandi religione litem decidi: præses prouinciæ iuxta decretum arbitri ad uoluntatis vestræ placitum amitæ tuæ filiis consulet, C. eod. l. sexta.

Nec filius, nec quisquam alius, nec litigando, nec paciscendo, sed neque iusiurandum citra uoluntatem dominæ rei deferendo, præiudicium ei facere potest. Vnde si citra mandatum tuum aliquid erga rem tuam filius tuus gessit, nec hoc ratum habuisti, nihil tibi oberit, C. eo. l. septima.

Actori delato, vel relato iureiurando si iurauerit, vel ei remissum sit sacramētum, ad similitudinem iudicati in factum actio competit, C. eo. l. octaua.

Delata conditione iurisiurandi, reus, (si non per actorem, quominus de calumnia iuret, steterit) per iudicem soluere, vel iurare, nisi referat iusiurandum, necesse habet, C. eo. l. delata, 18.

In actione etiam depositi, quæ super rebus quamuis sine scriptis datis mouetur, iusiurandum ad exemplum cæterorum bonæ fidei iudiciorum deferri potest, C. eod. l. in actione, x.

Si quis iusiurandum intulerit, & necdum eo præstito postea, vtpotè sibi allegationibus abundantibus hoc reuocauerit. Sancitum est, nemini licere penitus iterum ad sacramentum recurrere. satis enim absurdum est, redire ad hoc, cui renunciandum putauit, & cum desperauit aliam probationem, tunc denuo ad religionem conuolare, & iudicis nullo modo eos audire, ad tales iniquitates venientes: si quis autem sacramentum intulerit, & hoc reuocare maluerit, licere quidem ei hoc facere, & alias probationes, (si voluerit) præstare, ita tamen, ut huiusmodi licentia vsque ad litis tantummodo terminum præstetur. Post diffinitiuam autem sententiam, quę prouocatione suspensa non sit, vel quę postquā fuerit appellatum, corroborata fuerit: nullo modo reuocare iuramentum, & iterum ad probationem venire cuidam conceditur: ne repetita lite, finis negocii alterius causæ fiat exordium, C. eo. l. si quis, xi.

Omne iuramentum, siue à iudicibus, siue a partibus illatum, vel in principio litis, vel in medio, vel in ipsa definitiua sententia, sub ipso iudice detur, non expetata, vel vltima definitione, vel prouocationis formidine, sed iuramento illato cum hoc à partibus factum fuerit, & a iudice adprobatum, vel ex authoritate iudicis cuicunq; parti illatum: siquidem is, cui imponitur sacramentum, nihil ad hoc fuerit reluctatus: & hoc præstetur, vel referatur: necessitate ei imponenda, cui iure refertur, relationis sacramentum subire, vel si hoc recusauerit, quasi

illato

illato sacramento præstito causa, uel capitulum decidatur, nullo loco prouocationi relinquendo. quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium in iis, quæ ipse facienda procurauit? Sin autem is, cui sacramentum & illatum, vel a parte, vel a iudice, hoc subire minime voluerit: licentiam quidem habeat sacramentum recusare. Iudex autem si hoc omnimodo præstandum existimauerit, sic causam dirimat, quasi uolente eo sacramentum sit recusatum. & ita cætera siue capitula, siue totius negocii summa examinentur, & lis suo marte pcurrat: nullo ei obstaculo obuiante. ipse autem, qui sacramentum sibi illatum recusauerit, vel hoc attestetur, vel si fortè non audeat, habeat sibi in ultima prouocatione repositum auxilium. & si iudex appellationi præsidens bene quidem illatum, iusiurandum, non ritè autem recusatum pronunciauerit: res, secundū quod iudicatum est, permanebit, sin autem non ritè quidem illatū, rectè autem recusatum sacramentum pronunciauerit: tunc ei licebit emendare sententiam iudicis, quæ quasi ex recusato sacramento processit, & nihil penitus, nec præiudicii, nec iniusti dispendii cuicunque incurret, sed & causę cursus ab initio vsq; ad nouissimum terminum non impedietur, & lis æqua lance trutinabitur, siue autem illatum iuramentum præstitum fuerit, siue recusatum, ipsi parti, quæ hoc intulit, nullum prouocationis remedium in hoc reseruabitur, cum nimis crudele est, parti, quæ hoc detulit propter hoc ipsum, quod iudex eius petitionem secutus est, superesse prouocationem, C eo. l. generaliter, 12. §. omne igitur, vsque ad §. his de præsentibus.

Si persona non præsens inueniatur, cui sacramentum est illatum lite fortè per procuratorem ventilata, necesse est, vel ipsam principalem personam datis certis induciis ad iudicem venire, vt ea, quæ de sacramentis statuta sunt, impleat: vel si iudex existimauerit in prouincia, vbi degit, sub actorum testificatione iuramentum ab ea, vel dari, vel referri, vel recusari, hoc procedere, vt singulis casibus euentus iam definitus imponatur. Licentia concedenda etiam parti alteri, vel per se, vel procuratorem super hoc ipso ordinatum adesse his, quæ de iuramento aguntur, vel si neutrum facere maluerit, & ex vna parte (sub fide tamen gestorum) iuramentum præstari, vel referri, vel recusari, expensis propter huiusmodi causam pręstandis officio iudicis trutinandis, an ab vtraq; parte, vel ab altera eas oporteat dependi. Nullo tamen ex hoc litibus impedimento generando, sed donec ea procedunt, aliis capitulis, vel litis membris à iudice examinandis, & postquam fuerint ei intimata gesta super iuramento subsecuta, tunc iterum ad hoc capitulum iudice redeunte, & eo adimpleto, ad cætera perueniente: omnibus aliis, quæ de præsentibus sancita sunt, & in absentium parte obseruandis, d. l. generaliter, §. his de præsentibus.

In omnibus autem casibus, in quibus sacramenta præstantur obseruatio iudicialis permanere debet, secundum personarum qualitatem, siue sub ipso iudice pstari oportet iuramentum, siue in domibus, siue sacris scripturis tactis, siue in sacrosanctis oratoriis. Similiq; modo in sua firmitate manere, quę de calumnię iureiurando, vel relato sacramento legibus cauta sunt, non enim vt aliquid derogetur antiquioribus legibus, hæc prolata sunt, sed, vt si quid deesse eis videatur, hoc repleatur, d. l. generaliter, §. in omnibus autem.

Cum quis legatum, vel fideicommissum, vtpotè sibi derelictum exigeret, & testamento forte non apparente pro eo sacramentum ei ab hærede delatum esset, & is religionem suam præstasset affirmans sibi legatum, vel fideicommissum derelictum esse, & ex huiusmodi testamento id, quod petebat, consecutus esset, po-

stea autem manifestum esset factum, nihil ei penitus fuisse derelictum: quærebatur vtrum iureiurando standum esset, an restituere deberet, quod accepisset, vel si reuera ei derelictum fuisset legatum, vel fideicommissum, an daretur licentia hæredi falcidia si competat ex hoc retinere, sed melius uisum est, repeti ab eo legatum, vel fideicommissum, nullumque ex huiusmodi periurio lucrum ei accedere, sed si uerum fuerit inuentum quartæ detentionem introduci, (si tamen locum habeat) ne cui ex delicto impium sibi lucrum adferre legibus concedatur, C. eod. l. finali.

DE IN LITEM IVRANDO. Titulus XIII.

REM in iudicio deductam non idcirco pluris esse opinamur, quia crescere potuit ex contumacia non restituentis per iusiurandum in litem. Non enim res pluris fit per hoc, sed contumacia æstimatur vltra rei precium. Siue nostrum quid petamus, siue ad exhibendã agatur, ff. de in litem iurando, l. prima, & secunda, in princ.

Interdum, quod intersit agentis solum æstimatur: veluti cum culpa punitur non restituentis, vel non exhibentis. Cum verò dolus punitur, aut contumacia non restituentis, vel non exhibentis, quanti in litem iurauerit actor, ff. eod. l. secunda, §. interdum.

Numis depositis, iudicem non oportet, in litem iusiurandum deferre, vt iuret qs, quod sua interfuit, cum certa sit numorum æstimatio, nisi fortè de eo, quis iuret, quod sua interfuisset numos sibi sua die redditos esse. quid enim si sub pœna pecuniam debuit, aut sub pignore, quod (quia deposita ei pecunia denegata est) distractum sit? ff. eo. l. tertia.

Videamus in tutelari causa quis iurare, & aduersus quem possit. & quidem ipse pupillus, si impubes est, non potest. hoc enim sæpissimè rescriptum est, sed nec tutorem cogendũm, nec matrem pupilli admittendam, & si parata esset iurare diui fratres rescripserunt. graue enim uidebatur, & ignorantes, & inuitos tutores, sub alieni compendii emolumento, etiam periurium anceps subire, ff. eo. l. quarta, in principio.

Curatores quoque pupilli, vel adolescentis non esse cogendos in litem iurare, rescriptis Imp. Alexandri, & diui patris eius continetur. Si tamen affectionem tantam pupillo suo, vel adolescenti tutores, vel curatores præstare volent, autoritas iuris non refragabitur, quin iudicio, quod inter ipsos acceptum est, finis eiusmodi possit adhiberi. Non enim ad suam utilitatem iurisiurandi referenda æstimatio est, sed ad domini, cuius nomine tutelæ ratio postulatur, adolescens uero, si uelit, iurare potest, d. l. quarta, §. curatores.

Deferre autem iusiurandum iudicem oportet. Cæterum si alius detulerit iusiurandum, vel eo non delato iuratum sit, nulla erit religio, nec ullum iusiurandum, & ita constitutionibus expressum est, d. l. quarta, §. deferre.

Iurare autem in infinitum licet, sed an iudex modum iuriiurando statuere possit, vt intra certam quantitatem iuretur, ne arrepta occasione in immensum iuretur, quæritur? Et quidem in arbitrio est iudicis, deferre iusiurandum, necne uelit, an igitur is, qui possit iusiurandum non deferre, idem possit, & taxationem iuriiurando dicere, quæritur? Arbitrio sanè iudicis bonæfidei, & hoc congruit, d. l. quarta, §. iurare.

Item

Item videndum, an posit iudex, qui detulit iusiurandum, non sequi id, sed vel prorsus absoluere, vel etiam minoris condemnare, quàm iuratum est, & magis est, vt ex magna causa, & postea repertis reprobationibus, posit. Ex culpa autem non esse iusiurandum deferendum constat, sed æstimationem a iudice faciendam, d.l.quarta, §.item videndum.

In actionibus in rem, & in ad exhibendum, & in bonæfidei iudicis, in litem iuratur, sed iudex potest præfinire certam summam, ad quam vsq; iuretur. licuit.n. ei a principio, nec deferre, item & si iuratum fuerit, licet iudici, vel absoluere, vel minoris condemnare, sed in his omnibus ob dolum suum in litem iuratur non etiam ob culpam. hæc enim iudex æstimat. planè interdum, & in actione stricti iudicii in litem iurandum est, veluti si promissor equi moram fecerit, & equus decesserit, quia iudex æstimare sine delatione iurisiurandi non potest rem, quæ non extat. Alias si ex stipulatu, vel ex testamento agatur, non solet in litem iurari, ff.eo.l.quinta, & sexta.

Vulgo præsumitur, alium in litem non debere iurare, quam dominum litis. Denique Papinianus ait, alium non posse iurare, quam eum, qui litem suo nomine contestatus est, ff.eod.l.septima.

Tutor rem pupilli, quam posidet, restituere ei non vult, quæritur quanti res est, an quanti in litem iuratum fuerit, condemnari debeat? Responsum est, non æquum esse precio, idest, quanti res est, litem æstimari: cum & cõtumacia punienda sit, & arbitrio potius domini rei precium statuendum sit, potestate petitori in litem iurandi concessa, ff.eod.l.octaua.

Cum pro furto agitur, iurare ita oportet, tanti rem fuisse, cum furtum factum sit, non adiici EO PLVRISVE: quia quæ res pluris est, vtique tanti est, ff. eod. l.cum furti.9.

In instrumentis, quæ quis non exhibet actori: permittitur in litem iurare, quanti sua interest ea proferri, vt tanti condemnetur reus, idemq; etiam diuus Commodus rescripsit. ff. eo.l.penul.

De periurio eius, qui ex necessitate iuris in litem iurauit, quæri facile non solet, ff. eod.l.finali.

Ex institutionibus titulo de actionibus, ita habetur.

Sic itaque discretis actionibus certum est, non posse actorem suam rem ita ab aliquo petere, si apparet eum dare oportere. nec enim quod actoris est, id ei dari oportet, quia scilicet dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut eius fiat, nec res, quæ iam actoris est, magis eius fieri potest. Planè odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur effectum est, ut rei recipiendæ nomine fures etiam hac actione teneantur, si apparet eos dare oportere, quamuis sit etiã hæc in rem actio, per quam rem suam quis esse, petit, Institu. de actionibus. §.sic itaque discretis.

Appellamus autem in rem, quidem actiones vindicationes. in personã vero actiones, quibus dare, aut facere oportere intenditur, condictiones condicere. est enim denunciare prisca lingua. Nunc vero abusiuè dicimus condictionẽ actionem in personam esse, qua actor intendit dari sibi oportere. nulla enim hoc tempore, eo nomine denunciatio fit, Inst. eo. §. appellamus.

Sequens illa diuisio est, quod quædam actiones rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quędam mistæ sunt. Rei persequendę causa comparatæ sunt omnes in rem actiones. Eam vero actionum, quæ in personã sunt, eæ quidem, quæ ex contratu nascuntur, ferè omnes rei persequendæ causæ com-

ſæ comparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam, vel in ſtipulatum deducta petit actor, item commodati, depoſiti, mandati pro ſocio exemplo vendito, locato, conducto, Inſt. eo. §. ſequens.

Actio in perſonam infertur, petitio in rem, perſecutio in rem, vel in perſonam rei perſequendæ gratia, ff. de obli. & actio. l. actio. 28.

Planè ſi depoſiti agatur eo nomine, quod tumultus, incendii, ruina, naufragii cauſa depoſitum ſit, in duplum actionem, prętor reddit, ſi modo cum ipſo, apud quē depoſitum ſit, aut cum hærede eius de dolo ipſius agitur, quo caſu mixta eſt actio, Inſt. eod. §. Planè,

Ex maleficiis vero proditæ actiones ſunt, quæ tam pœnæ, quam rei perſequendæ comparatæ ſunt, & ob id mixtæ ſunt, veluti, ex lege Aquilia de damno iniuria dato, non ſolum aduerſus inficiantem in duplum agitur, ſed interdum, & ſi in ſimplum quiſque agat ueluti ſi iumentum luſcum occiderit, qui in eo anno integer, & magni precii fuerit. tanti enim damnantur, quanti plurimi, & magni precii in eo anno fuerit. item miſta eſt actio contra eos, qui relicta ſacroſanctis eccleſiis, vel aliis venerabilibus locis legati, vel fideicommiſsi nomini dare diſtulerit, vſque ad eo, ut etiam in iudicium uocarentur. tunc enim & ipſam rem, vel pecuniam, quæ relicta eſt, dare compelluntur, & aliud tantum pro pœna, & ideo in duplum eius fit condemnatio, Inſt. eo. l. ex maleficiis.

Si procurator, aut tutor, aut curator, aut quiuis alius confitetur vulneraſſe, confeſſoria in eos utilis actio danda eſt. Sed notandum quod in hac actione, quæ aduerſus confitentem datur: Iudex non rei iudicandæ, ſed æſtimandæ datur, nam nullæ partes ſunt iudicandi in confitentes. Puta enim quod qui conuenitur fatetur ſe occidiſſe, & paratus ſit æſtimationem ſoluere, & aduerſarius magni litem æſtimat, ff. ad l. aquil. l. proinde, 25. §. ſi procurator, cum l. ſeq.

Quædam actiones miſtam cauſam obtinere videntur, tam in rem, quam in perſonam, qualis eſt familiæ erciſcundæ actio, quæ competit cohæredibus, de diuidenda hæreditate. item communi diuidūdo, quę inter eos redditur, inter quos aliquid commune eſt, vt id diuidantur. item finium regundorum actio, qua inter eos agitur, qui confines agros habent. in quibus tribus iudiciis permittitur, Iudici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare, & ſi unius pars prægrauari videbitur, eum inuicem certa pecunia alteri condemnare, Inſtit. eod. §. quædam actiones.

Mixtæ ſunt actiones, in quibus vterq; actor eſt. vtputa finium regundorum, familiæ erciſcundæ, communi diuidundo, interdictum uti poſsidetis, vtrubi, ff. de oblig. & actio. l. actionis, 37. §. fina.

FAMILIAE ERCISCVNDAE.
Titulus XIIII.

HAEC actio ex lege proficiſcitur duodecim tabularum, namque cohæredibus uolentibus à communione diſcedere, neceſſarium videbatur aliquam actionem conſtitui, qua inter eos res hæreditariæ diſtribuerentur, quæ quidem actio nihilominus ei quoque ipſo iure competit, qui ſuam partem non poſſidet, ſed ſi is, qui poſsidet neget eum ſibi cohæredem eſſe, poteſt eum excludere per hanc exceptionem, SI IN EA RE, QVA DE AGITVR PRAEIVDICIVM HAEREDITATI NON FIAT: quod ſi poſſideat eam partem, licet negetur eſſe cohæres.

res. non nocet talis exceptio quo fit, vt eo casu ipse iudex, apud quem hoc iudicium agitur. cognoscat an cohæres sit, nisi enim cohæres sit, neque adiudicari quicquam ei oportet, neque aduersarius ei condemnandus est, ff. familiæ erciscundæ, l. prima.

Familiæ erciscundæ iudicium ex duobus constat, idest rebus, atq; prçstationibus, quæ sunt personales actiones, ff. eo. l. item Labeo, 22. pen.

Per familiæ erciscundæ actionem diuiditur hæreditas, siue ex testamento, siue ex intestato, siue ex lege duodecim tabularum, siue ex aliqua lege deferatur hæreditas, vel ex senatusconsulto, vel etiam constitutione, & generaliter eorum duntaxat diuidi hæreditas potest, quorum peti hæreditas potest, ff. eodem, l. secunda. in princ.

Item si filiifamilias militis peculium sit, fortius defendi potest hæreditatem effectam per constitutione, & ideo hoc iudicio locus erit, d. l. secunda, §. item.

Si filiusfamilias fuisti, & res mobiles, vel se mouentes, quæ castrensis peculii esse possunt, donatæ tibi a patre sunt, eas quoq; in cętero peculio castrensi non communes cum fratribus habes. prædia autem, licet eunti tibi in castra filio pater donauerit, peculii castrensis non sunt. Diuerso iure ea prædia habentur, quæ ex occasione militiæ filiis familiarum obueniunt. hæc enim castrensi peculio cedunt, C. eod. l. quarta.

In familiæ erciscundæ iudicio vnusquisq; hæredum, & rei, & actoris partes sustinet, d. l. secunda, §. in familiæ.

Dubitatum autem non est, quia familiæ erciscundæ iudicium, & inter pauciores hæredes ex pluribus accipi posit, d. l. secunda, §. dubitatum.

In hoc iudicium, & si nomina non ueniunt, tamen si stipulationes interpositæ fuerint de diuisione eorum, vt stetur ei, & ut alter alteri mandet actiones, procuratoremq; eum in suam rem faciat, stabitur diuisioni, d. l. secunda, §. in hoc.

Planè ad officium iudicis nonnunquam ptinet, ut debita, & credita singulis pro solido aliis alia adtribuat, quia sæpè, & solutio, & exactio partium non minima incommoda habet. Nec tamen scilicet hæc adtributio illud efficit, vt quis solus totum debeat, vel totum alicui soli debeatur, sed ut siue agendum sit, partim suo, partim procuratorio nomine agat, siue cum eo agatur, partim suo, partim procuratorio nomine conueniatur. Nam licet libera potestas esse, maneat creditoribus cum singulis experiundi, tamen, & is libera potestas est suo loco substituendi eos, in quos onera actionis officio iudicis trãslata sunt, ff. eo. l. tertia.

Cæteræ itaque res præter nomina, ueniunt in hoc iudicium. Sin autem nomẽ uni ex hæredibus legatum sit, iudicio familiæ erciscundæ hoc hæres consequitur, ff. eod. l. quarta, in princ.

Ea quæ in nominibus sunt non recipiunt diuisionem cum ipso iure in portiones hæreditarias ex lege duodecim tabularum diuisa sunt, C. eo. l. sexta.

Mala medicamenta, & venena ueniunt quidem in iudicium, sed iudex omnino interponere se in his non debet, boni enim, & innocentis uiri officio eum fungi oportet. tantundem debebit facere, & in libris improbatæ lectionis, magicis fortè, vel his similibus, hæc enim omnia protinus corrumpenda sunt, ff. eod. l. quarta, §. si mala.

Sed & si quid ex peculatu, vel ex sacrilegio adquisitum erit, uel ui, aut latrocinio, aut adgressura, hoc non diuidetur, d. l. quarta, §. sed & si.

Sed & tabulas testamenti debebit, aut apud eum, qui ex maiore parte hæres est, iubere, manere, aut in æde deponi. Nam, & Labeo scribit, vendita hæreditate

tabulas

tabulas testamenti descriptas deponi oportere. hæredem enim exemplum debere dare, tabulas vero, authenticas ipsum retinere, aut in æde deponere d.l. quarta, §. finali.

Si quæ sunt cautiones hereditariæ, eas iudex curare debet, ut apud eum maneant, qui maiore ex parte hæres sit: cæteri descriptum, & recognitum faciant, cautione interposita, & cum res exegerit, ipsæ exhibeantur, si omnes iidem ex partibus hæredes sint, nec inter eos conueniat, apud quem potius esse debeant, sortiri eos oportet, aut ex consensu, vel suffragio eligendus est amicus, apud quem deponantur, vel in æde sacra deponi debent. Nam ad licitationem rem deducere, vt qui licitatione vicit hic habeat instrumenta hæreditaria, non placet, ff. eo. l. quinta, & sexta.

Si hæres vnus cum sub conditione adiectum cohæredem, aut apud hostes adiectũ, eos haberet, dixerit se hæredem esse, & actione expertus uicerit, deinde conditio hæredis extiterit, vel postliminio redierit, an uictoriæ commodum debeat cum eo communicari? nam indubitatæ iudicati actio ei insolidum competit, & electionem cohæredi dandam, idest aut communicandam eam, aut experiundi faciendam potestatem huic, qui post uictoriam cohæredis affectus hæres, aut reuersus sit in ciuitatem. Idemque obseruandum, si postea natus sit posthumus. non enim his personis silentium imputari potest, cum ad hæreditatem post victoriam cohæredis peruenerint, ff. eo. l. si hæres, 7.

Pomponius scribit, si uni ex hæredibus prælegatæ fuerint rationes, non prius ei tradendas, quam cohæredes descripserint, ff. eo. l. Pompon. 8. in prin.

Videndum est nunquid & cautio sit interponenda, vt quotiens desideratæ fuerint rationes, vel actor prælegatus, copia eorum fiat. plerumque enim authenticæ rationes sunt necessariæ actori ad instruenda ea, quæ postea emergunt ad notitiam eius spectantia. & necessarium est cautionem ab eo super hoc cohæredibus præstari, d. l. octaua, §. nos videbimus.

Pomponius ait columbas, quæ emitti solent de columbario, venire in familiæ ercíscundæ iudicium, cum nostræ sint tamdiù, quamdiù consuetudinem habeant ad nos reuertendi. quare si quis eas adprehendisset, furtiua condictio nobis competit, idem & in apibus dicitur, quia in patrimonio nostro computantur, d. l. octaua, §. Pomponius.

Sed & si quid è pecoribus nostris a bestia ereptum sit, uenit in familiæ erciscundæ iudicium, si feram euaserit, nam magis est, ut non desinat nostrum esse, quod à Lupo eripitur, vel alia bestia, tamdiù, quamdiù ab eo fuerit consumptum, d. l. octaua, §. finali.

Veniunt in hoc iudicium res quas hæredes vsuceperunt, cum defuncto traditæ essent, hæc quoque res, quæ hæredibus traditæ sunt cum defunctus emisset, ff. eodem, l. ueniunt, 9.

Item prædia, quæ nostri patrimonii sunt, sed & uectigalia, uel superficiaria, nec minus hæc quoque res, quas alienas defunctus bona fide possidet, fœtum quoque editum, & post aditam hæreditatem. Et post litem contestatam Sabinus scribit in familiæ erciscundæ iudicium uenire, & adiudicari posse, ff. eod. l. item prædia, x, & xi. & xii. in princ.

Res, quæ sub conditione legata est, interim hæredum est, & ideo uenit in familiæ erciscundæ iudicium & adiudicari potest, cum sua. s. causa, ut existente conditione existimatur ab eo cui adiudicata est, aut deficiente conditione ad eos reuertatur à quibus relicta est, ff. eo. l. & post, xii. §. res quæ.

Aliena-

Alienationes enim poſt iudicium acceptum interdictæ ſunt, duntaxat uoluntarię, non q̃ uetuſtiorem cām, & originē iuris hn̄t neceſſariā. ff. eo. l. alienationes. 13.

Sed & ſi uſucapio fuerit accepta ab eo, qui hæres non erat, ante litem conteſtatā, & poſtea impleta fuerit rem de iudicio ſubducit.. ff. eod. l. ſed & ſi 14. in princ.

Vſusfructus an in iudicium deducatur, quæritur: vtputa ſi deducto vſufructu fundus fuit ab hæredibus legatus. Et officio iudicis continetur, vt ſi volent hæredes a communione vſusfructus diſcedere, morem ei gerat cautionibus interpoſitis. d. l. ſed & ſi. 15. cum l. & puto, 16. in prin.

Iulianus ait, ſi alii fundum, alii vſumfructum fundi iudex adiudicauerit, non communicari uſumfructum. d. l. & puto, §. Iulianus.

Vſusfructus ex certo t̄pe, & vſq; ad certū t̄ps, & alternis annis adiudicari pōt, id ꝙ aīs fundo poſt litē cōteſtatā illuit æq; uenit in hoc iudiciū. d. l. & puto, §. vſuſf.

Sed & ſi dolo, vel culpa, quid in uſumfructum ab uno ex hæredibus factum ſit, hoc quoque in iudicium uenire Pomponius ait, d. l. & puto, §. ſed & ſi dolo.

Deniq; ſi unus ex hæredibus rationes hæreditarias deleuerit, vel interleuerit tenetur quidem lege Aquilia, quaſi corruperit: non minus autem etiam famil. erciſcundæ iudicio, d. l. & puto, §. denique.

Damno commiſſo ab uno hærede, conueniēs eſt dicere, ſimpli habendam æſtimationem in famil. erciſc. iudicio, ff. eo. l. damno, 17.

Non tantum dolum, ſed, & culpam in re hæreditaria præſtare debet cohæres, quoniam cum cohærede non contrahimus, ſed incidimus in eum, non tantum diligentiam præſtare debet, qualem diligens paterfamilias. quoniam hic propter ſuam partem cauſam habuit gerendi & ideo negociorum geſtorum ei actio nō competit, talem igitur dilıgētiam præſtare debet, qualem in ſuis rebus. Eadem ſunt, ſi duob. res legata ſit. Nam & hos coniunxit ad ſocietatem non conſenſus, ſed res. ff. eod. l. hæredes, 25. §. non tantum.

Si incerto equo legato, & poſtea defuncto legatario, aliquis ex hæredibus legatarii non conſentiendo impedierit legatum, is qui impedit, hoc iudicio, cæteris quanti interſit eorum damnabitur. idem eſt ſi è contrario vnus ex hæredibus à quibus generaliter equus legatus eſt, quem ipſi elegerint, noluerit conſentire, vt præſtetur, quem ſolui omnibus expediebat, & ideo conuenti à legatario iudicio pluris damnati fuerint, d. l. hæredes, §. ſi incerto.

Itē culpæ nomine tenet̄, qui cum ante alios ipſe adiſſet hæreditatem, ſeruitutes p̄diis hr̄ditariis debitas paſſus eſt nō utēdo amitti, d. l. hr̄des, §. itē culpæ nomine.

Aduerſus cohæredes diuidendæ iudicio hæreditatis ſecundum iuris formam experire, iudex datus ſi quid a cohærede etiam tuæ portionis ex hæreditate ſublatum fuerit probatum, adiudicationibus factis ſecundum iuris formam tibi condemnabit. expilatæ enim hæreditatis crimen fruſtra cohæredi intenditur cum iudicio famil. erciſcundæ idemnitati eius proſpitiatur C. eod. l. tertia.

Si filiusfamilias patris hæres pro parte extitiſſet, & a creditoribus peculiaribus cōueniretur. cum paratus ſit, ſoluere id omne, quod debetur, per doli exceptionē conſequetur à creditoribus, mandari ſibi actiones, ſed etiam famil. erciſc. iudicium cum cohæredibus habet, ff. eod. l. his conſequenter. 18. §. ſi filius.

Cum vnus ex hæredibus legatum exſoluit ei, qui miſſus fuerat in poſſeſſionem legatorum ſeruandorum cauſa putat Papinianus, & verum eſt, famil. erciſc. iudicium ei cum petere aduerſus cohæredes: quia non alias diſcederet legatarius a poſſeſſione, quam uice pignoris erat conſecutus, quam ſi totum ei legatum fuiſſet exſolutum. d. l. his conſequenter, §. cum unus.

Sed & si quis Titio debitum soluerit, ne pignus veniret, Neratius scribit, famil. erc isc. iudicio eum posse experiri, d. l. his consequenter, §. fin.

Item ex diuerso similiter prospicere iudex debet, vt quod vnus ex hæredibus ex re hæreditaria percepit, stipulatusve est, non ad eius solius lucrum pertineat. Quæ ita scilicet consequetur iudex, si aut reputationes inter eos fecerit, aut si curauerit cautiones interponi, quibus inter eos communicentur commoda, & incommoda, ff. eo. l. item, 19.

Pomponius Philadelphus dotis causa prædia filiæ, quam habebat in potestate, tradidit: & reditus eorum genero solui mandauit, an ea præcipua filia retinere possit, cũ oẽs filios hæredes instituisset, q̃rebat̃, iustam cãm retinendę possessionis hr̃e filiam. qm̃ pr̃ p̃dia de quibus quærebat̃ dotis esse voluit, & matrimonium, post mortem quoq; patris steterat, responsum est, filiam etenim, quæ naturaliter agros tenuit specie dotis cuius capax fuisset defendi. ff. eo. l. Pomponius, 35.

Filiæ cuius pater nomine res comparauit, si non postea contrarium eius iudiciũ probetur, per arbitrium diuidendæ hæreditatis præcipuas adiudicari, sæpe rescriptum est. His itaq; si patri successisti, quem nomine tuo quædam comparasse dicis aduersus sororem tuam apud præsidem prouinciæ, si res integra est, vti potes. in cõi aũt hæreditate quin sumptus ab uno facti bona fide famil. erciſc. iudicio uel negocio. gest. actione seruari possit, nõ est ambiguũ, C. eo. l. filiæ, 18.

Ex causa donationis, vel aliunde tibi quæsita si aut successionem respueris, conferre fratribus compelli non potest, C. eo. l. penult.

Si filiusfam. iussu patris obligatus sit debebit hoc debitũ pręcipere, sed & si in rem patris uertit, idẽ placet. & si de peculio, peculium præcipiet, & ita Imperator noster rescripsit, d. l. filia, §. si filius familias.

Hoc amplius filiusfamilias hæres institutus dotem uxoris suæ p̃cipiet. nec immerito, q̃a ipse onera matrimonii sustinet, ĩtegrã igit̃ dotẽ p̃cipiet & cauebit defensum iri cohæredes, q̃ ex stipulatu pñt cõueniri, idẽ & si alius dotẽ dedit, & stipulatus est, nec solum vxoris suæ dotem, sed etiam filii sui uxoris, quasi hoc quoq; matrimonii onus ad ipsum spectet, quia filii onera, & munus ipse adgnoscere necesse habet, d. l. si filia, §. hoc amplius.

Præcipere autem non solum patri datam dotem filium oportere, verum ẽt ipsi filio Marcellus scribit, sed filio datam tandiu, quandiu peculium patitur, vel in rem patris versum sit, d. l. si filiæ, §. præcipere autem.

Si pater in filios sine scriptura bona diuisit, & onera æris alieni pro modo possessionum distribuit. non uideri simplicem donationem, sed potius supremi iudicii diuisionem Papinianus ait. Planè inquit si creditores eos pro portionibus hæreditariis cunueniant, & vnus placita detrectet, posse cum eo præscriptis verbis agi quasi certa lege permutationem fecerint, scilicet si omnes res diuisæ sunt, d. l. si filia, §. si pater.

Non ideo diuisio inter te, & fratrem tuum (ut proponis) facta irrita habenda est, quod eam scriptura secuta non est, cum fides rei gestæ ratam diuisionem adfirmet, C. eo. l. non ideo, xii.

Inter omnes duntaxat hæredes suos, qui ex quolibet venientes gradu, tamen pares eidentur videntur esse siue cæptum, neque impletum testamentum, vel codicillos, seu epistola parentis esse memoretur, siue quocunq; alio modo scripturæ, quibuscunque uerbis, vel indiciis inueniantur relictæ, iudicio familiæ erciscundæ (licet intestato ad successionem liberi vocentur) seruato senatusconsulti auxilio, defuncti dispositio custodiri debet, etiam si solennitate legum

gum huiuſmodi diſpoſitio fuerit deſtituta.ſi vero in huiuſmodi voluntate deſignatis liberis,alia ſit miſta perſona: certum eſt,eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat perſonam permixtam pro nullo haberi,C.eo.l.fin.

Si quis bona ſua inter liberos velit omnia diuidere,vel quædam etiã quaſi exempta relinquere,vt ea præcipue (modo ſi fieri poſsit) in teſtamento dicat,& inde filiis extra controuerſiam poſitam utilitatem præbeat. ſi uero pp aliquas neceſsitates,quales multæ homines circunſiſtunt teſtamentum non faciat, nihilo minus ei bonorum,quæ diuidi vult,diuiſiones licebit in codicillos conіicere, & omnibus ſubſcribere,vel procurare,ut oẽs filii ſubſcribant, inter quos bona diuidit,exindeq; negotio irrefragabilem fidem addere,& ꝗ iſto modo ac forma factum fuerit,id ratum ac firmum ſit,neq; alia cautione indigeat.quod ſi minus agat,ſed tantum rudem quandam in carta deſignationem faciat,neque ulla ex parte cohærentem,& plerũq; omni deſtitutam teſtimonio, ſciat nullam ſe filiis ea re utilitatem allaturam, & perinde quaſi nihil factum ſit filios patrimonium diuiſuros obſcurarum illarũ, & magna ex parte teſtibus carẽtium ſcripturarum nulla ratione habita,neque his, qui eam controuerſiam diſceptãt quos leges famil.erciſc. arbitros vocare ſolent,cogendis, vt iſtas ſequatur. Nou.conſtit.de trien. ſemiſſe &c.18.§ hæc nos.

Papinianus ait ſi uni ex hæredibus onus æris alieni iniũgitur citra ſpeciem legati officio iudicis famil.erciſc. cognoſcentis ſuſcipere cum id oportere: ſed non ultra dodrantem portionis ſuæ, vt quadrantem illibatum habeat.indemnis igitur cohæredes ſuos præſtare cauebit.d.l.ſi filia,§.Papin.

Idem ſcribit & ſi filius in muneribus publicis in quibus pater ei conſentit, reliquatus eſt,& pro parte hæres ſcriptus eſt,hoc quoq; debere præcipere, quia & hoc patris æs alienum fuit,ſed ſi qua munera poſt mortem patris ſuſcepit ab his hæredes patri ſoluti ſunt.Neratius autem reſpondit, eum qui plures filios haberet unum ex filiis conſtituendi deſignandique certaminis munus ſuſceptu-rum profeſſum eſſe:& priuſquam honore fungeretur mortuum eſſe,omnibus filiis hæredibus inſtitutis,& quæſitum eſſe,an is filius,quod in eam rem impendiſſet famil.erciſc.conſequatur.eique reſpondiſſe nulla actione,idem conſequi poſſe,quod meritò diſplicet debet itaque hoc in famil. erciſc. iudicium uenire.d.l.ſi filia.§.idem ſcribit.

Item Papinianus ſcribit ſi maritus alterum ax hæredibus onus dotis ſoluendæ, ꝙ in ſtipulationem uenit ſuſcipere iuſsit,& mulier aduerſus vtrumq; dirrigat dotis petitionem,cohæredem eſſe defendendum ab eo,qui ſuſcipere onus iuſſus eſt.ſed legata quæ ab utroq; pro dote data,electa dote retinentur in compẽdio cohæredis eſſe qui debito leuatur, non oportet,uidelicet ut cohæres, qui onus æris alieni ſuſcepit officio iudicis legatum conſequatur, & verum eſt hoc, niſi aliud teſtator ædixit,d.l.ſi filia,§.item Papin.

Item Labeo ſcribit,ſi unus hæredum theſaurum relictum a teſtatore effodit famil. erciſ.iudicio eũ teneri,& ſi cũ extraneo cõſcio partitus ſit.ff eo.l.itẽ Labeo 22.

Famil.erciſc.iudex ita poteſt pluribus eandem rem adiudicare,ſi aut plurib.fuerit unius rei perceptio relicta, vbi etiam neceſsitatem facere Pomponius ſcribit,ut pluribus adiudicetur,vel ſi certam partem vnicuiq; cohęredum adſignet ſed poteſt etiam licitatione admiſſa uni rem adiudicare.d.l.item Labeo,§.fam.

Sed,& regionibus diuiſum fundum poſſe adiudicare ſecũdum diuiſionem, nemo dubitauerit.ſed ẽt cũ adiudicat poterit imponere aliquã ſeruitutẽ, ut alii aliũ ſeruum ex is quos adiudicat. ſed ſi pure alii adiudicauerit fundum adiudi-

eando amplius seruitutē imponere nō poterit, d. l. itē Labeo, §. sed & regionib.

Arbiter familiæ erciscundæ inter me, & te sumptus, quædam mihi, quædam tibi adiudicare uolebat. pro his rebus alteram alteri condemnandos esse intelligebat: quæsitum est, an possit pensatione ultro citroq; condemnationis facta eum solum, cuius summa excederet, eius dūtaxat summæ quæ ita excederet, damnare, & placuit posse id arbitrium facere, ff. eo. l. Mæuius, 52. §. arbiter.

Cum familiæ erciscundæ, vel communis diuidundo agitur vniuersæ res æstimari debent, non singulorum rerum partes, d. l. Mæuius, §. fi.

Si familiæ erciscundæ, vel communi diuidundo iudicium agatur, & diuisio tam difficilis sit, ut pœnè impossibilis esse videatur, potest iudex in vnius personam totam condemnationem conferre, & adiudicare omnes res, ff. eo. l. familiæ. 55.

Papinianus de re, quæ apud hostes est, Marcellum reprehendit, quod non putat in p̄stationes eius rei venire in familiæ erciscundæ iudicium, quæ apud hostes est. quid enim impedimentum est rei præstationem uenire, cum & ipsa ueniat. propter spem postliminii, scilicet cum cautione, quia possunt non reuerti. nisi si tantum æstimatus sit dubius euentus. Sed & eius rei, quæ in rebus humanis esse desiit veniunt præstationes, d. l. item Labeo, 22. §. Papinianus cum l. propter spem, 23. & l. seq. in princ.

Hæredes eius, qui apud hostes decesit hoc iudicium experiri possunt, ff. eo. l. hæredes, 25. in prin.

Si miles alium castrensium, alium cæterorum bonorum hæredem fecerit, non est locus familiæ erciscundæ iudicio, diuisum est enim per constitutiones inter eos patrimonium, quemadmodum cessat familiæ erciscundæ iudicium, cum nihil in corporibus, sed omnia in nominibus sunt, d. l. hæredes, §. similes.

Si quarta ad aliquem ex cōstitutione Diui Pii adrogatum deferatur, quia hic neq; hæres, neq; bonorum possessor fit, vtile erit familiæ erciscundæ iudicium necessarium. ff. eod. l. secunda. §. si quarta.

Familiæ erciscundæ iudicium, & inter eum, cui restituta est hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto locum habet, ff. eo. l. sed & eius, 24. §. fi.

Si ex asse hæres institutus rogatus sit mihi partem aliquam restituere, veluti dimidiam, vtile familiæ erciscundæ iudiciū rectè inter nos ageт, ff. eo. l. si ex asse, 40.

Si qua fideicommissorum petitio inter cohæredes consistat, prætor, vel præses prouinciæ eius rei disceptator, constitutus, vel iudex familiæ erciscundæ iudicio aditus, vt uoluntas testatricis seruet̄ suas partes accōmodare debet, C. eod. l. 7.

Quantum vero ad accipiendum familiæ erciscundæ iudicium nihil interest, possideat quis hæreditatem nec ne, ff. eo. l. hæredes, 25. §. quantum.

De pluribus hæreditatibus, quæ inter eosdem ex diuersis causis cōes sint, unum familiæ erciscundæ iudicium summi potest, d. l. hæredes, §. de pluribus.

Si inter me, & te Titiana hæreditas communis sit, inter me aūt, & Titium Seiana posse vnum iudicium accipi inter tres, Pompo. scribit, d. l. hr̄des, §. si inter me.

Item si plures hæredes inter nos communes sunt, possumus de vna familiæ erciscundæ iudicium experiri, d. l. hæredes, §. item si plures.

Si testator rem cōem cū extraneo habebat, siue rei suæ partē alicui legauit, aut hr̄s ante iudiciū famil. ercis. acceptum partē suā alienauit ad officium iudicis pertinet, ut eā partem, q̄ testatoris fuit, alicui iubeat tradi, d. l. hr̄des, §. si testator.

Quod pro emptore, vel pro donato, puta cohæres possidet in famil. erciscun. iudicium uenire negat Pompon. d. l. hæredes, §. quod pro emptore.

Idem scribit cum ego & tu hæredes Titio extitissemus, si tu partem fundi, quem

totum

totum hæreditarium dicebas à Sempronio petieris,& victus fueris,mox eandem partem à Sempronio emero,& traditus mihi fuerit agente te familiæ ercifcundæ iudicio,non ueniet non folum hoc quod pro hærede poſsidetur, fed ne id quod pro emptore: cum enim per iudicem priorem apparuit,totam non eſſe hæreditatis,quemadmodum in familiæ ercifcundæ iudicium veniat? d.l. hæredes.§.idem fcribit.

An ea ſtipulatio,qua finguli hæredes infolidum habent actionem,veniat in hoc iudicium,dubitatur: veluti fi is qui viam iter actus ſtipulatus erat deceſſerit, quia talis ſtipulatio per legem duodecim tabularum non diuiditur: quia nec poteſt,fed verius eſt non venire eam in iudicium,fed omnibus infolidum competere actionem,& fi non præſtetur via,pro parte hæreditaria condemnationẽ fieri oportet.ff.eod.l.hæredes,25.§.an ea ſtipulatio.

Contrà fi promiſſor viæ deceſſerit pluribus hæredibus inſtitutis,nec diuiditur obligatio,nec dubium eſt,quin daret: quoniam viam promittere,& is poteſt, q fundum non habet: igitur quia finguli infolidum,tenentur,officio iudicis cautiones interponi debere,ut fi quis ex his conuentus litis æſtimationem præſtiterit,id pro parte à cæteris conſequatur,idem dicendum eſt,& fi teſtator viam legauerit.d.l.hæredes.§.contrà.

In illa quoque ſtipulatione profpiciendum eſt cohæredibus fi teſtator promiferat NEQVE PER SE, NEQVE PER HAEREDEM SVVM, FIERI QVO MINVS IRE AGERE POSSIT: quoniam vno prohibente,infolidum cōmittitur ſtipulatio: nè vnius factum cæteris damnofum fit. Idem iuris eſt in pecunia promiſſa à teſtatore,fi fub pœna promiſſa fit. nam licet hæc obligatio diuidatur per legem duodecim tabularum,tamen quia nihilum prodeſt,ad pœnam euitandam partem fuam foluere,fiue nōdum foluta fit pecunia,nec dies venit profpiciendum eſt per cautionem, vt de indemnitate caueat per quem factum fuerit ne omnis pecunia folueretur: an vt caueat,fe ei qui folidum foluerit partem præſtaturum: fiue etiam foluit vnus vniuerfam pecuniam quam defunctus promittit ne pœna committeretur familiæ ercifcundæ iudicio à cohæredibus partes recipere poterit.d.l.hæredes.§.in illa quoque.

Idem obferuabatur in pignoribus foluendis,nam nifi uniuerfum quod debetur offeretur,iure pignus creditor uendere poteſt.d.l.hæredes.§.idem obferuabatur.

Si unus legatorum nomine cauerit ne in poſſeſsionem mitterentur,omnino, quæ pro parte expediri non poſſunt,fi unus cogente neceſsitate fecerit, familiæ ercifcundæ iudicio locus eſt.d.l.hæredes.§.idem eſt fi vnus.

Licet pacto diuifionis aduerfus fingulos actio pro hæreditariis portionibus creditori parata mutari non poſsit;ad exibendam tamen fidem his, quæ conuenerant,ſtipulationis,& iuris adhibito remedio, qui placitum excedit, urgeri poteſt, cum & hoc omiſſo, fi non contrarium conueniſſe probaretur præfcriptis uerbis conueniri potuiſſet.C.eod.l.licet.xxiii.

Si filius cum patrem defenderet,condemnatus foluerit.uel uiuo eo,uel poſt mortem, poteſt æquius dici, habere petitionem à cohærede in familiæ ercifcundæ iudicio.d.l.hæredes.§.fi filius.

Si pecunia quæ domi relicto non eſt,per præceptionem relicta fit,utrum uniuerfa à cohæredibus præſtanda fit,an pro parte hæreditaria,quemadmodum fi pecunia in hæreditate relicta eſſet,dubitatur.& magis dicendum eſt, ut id præſtandum fit,quod præſtaretur fi pecunia eſſet inuenta. d.l.hæredes. §.finali.

Officio autem Iudicis conuenit,iubere rem hæreditariam, venire unam pluresq;

pecuniamq; ex pretio redactam ei numerari cui legata sit. ff. eod. l. officio, xxvi.

Rem pignori datam si per præceptionem legauerit testator, officio iudicis continetur, ut ex communi pecunia luatur, eamque ferat is, cui eo modo fuerit legata. ff. eod. l. rem pignori. xxviii.

Pater in filios diuisit bona, & eam diuisionem testamento confirmauit: & cauit, ut æs alienum quod unusquisq; eorum habet siue habebit, solus sustineret, postea unus ex filiis cùm pecunia mutuaretur, interuenit pater: eiusq; consensu prædia quæ filio adsignauerat pignori data sunt, post mortem patris eadem idem filius possedit: interesse soluit. quæritur an familiæ erciscundæ iudicio, si prędia pignori data distrahat creditor. aliquid cei a cohęrede præstandum sit. respondit Sceuola non esse pręstandum. ff. eod. l. ex parte. xxxix. §. pater in.

Si pignori res data defuncto sit, dicendum est in familiæ erciscundæ iudicium uenire. sed is cui adiudicabitur in familię erciscundę iudicio pro parte cohæredi erit damnandus. nec cauere debet cohęredi indemnem eum fore aduersus eum, qui pignori dederit, quia pro eo erit, ac si hypothecaria, vel Seruiana actione, petita litis ęstimatio oblata sit: & ut is, qui obtulerit, aduersus dominum uindicantem exceptione tuendus sit. contrà quoque si is hęres, cui pignus adiudicatum est, uelit totum reddere, licet debitor nolit, audiendus est. Non idem dici potest, si alteram partem creditor emerit. adiudicatio enim necessaria est, emptio voluntaria, nisi obiiciatur creditori quòd animose licitus est. sed huius rei ratio habebitur, quia quod creditor egit, pro eo habendum est, ac si debitor per procuratorem egisset, & eius, quod propter necessitatem impendit etiam vltro est actio creditori, ff. eo. l. pignori, 29.

Si equus pignori obligatus luatur ab uno ex hæredibus, quamuis postea decedat, officium tamen arbitri durat. sufficit enim communionis causa, quæ præcessit, quæq; hodie duraret, si res non intercidisset, ff. eo. l. si seruus, 31.

Si ita legatum fuerit vni ex hæredibus, QVOD MIHI DEBET PRAECIPITIO, officio iudicis familiæ erciscundæ continetur, ne ab eo cohæredes exigant. nam & si quod alius deberet, præcipere unus iussus fuerit, officio iudicis actiones ei præstari debebũt, pro portione cohæredis, ff. eo. l. si ita legatum, 42.

Quæ pater inter filios non diuisit post datas actiones vice diuisionis ad singulos pro hæreditaria portione pertinent, modo si cætera, quæ non diuisit, in unum generaliter non contulit, vel res datas non sequuntur, ff. eo, l. quæ pater, 32.

Si paterfamilias singulis hæredibus fundos legando diuisionis arbitrio fungi uoluit, non aliter partem suam cohæres præstare cogetur, quam si uice mutua partem nexu pignoris liberam consequatur, ff. eo. l. si pater, 33.

Equos inter cohæredes tempore diuisionis æstimatos, non emendi, sed diuidendi animo pretiis adscriptos uideri placuit, quare suspensa conditione mortuos, tam hæredi, quam fideicommissario deperisse, ff. eo. l. seruos, 34.

Bona quæcunque tibi sunt communia cum fratre tuo ex hæreditaria successione patris, vel matris, cum eadem familiæ erciscundæ iudicio experiens, ut diuidantur impetrabis, C. eo. l. bona, 8.

Inter filios, & filias bona intestatorum parentum pro uirilibus portionibus, æquo iure diuidi oportere explorati iuris est, C. eo. l. inter filios, xi.

Si cogitatione futuræ successionis officium arbitri diuidendi hæreditatis præueniendo patri communis suo, vel qualicunque iudicio, suam declarauit voluntatem: inter eos, qui ei successerunt, exemplo Falcidiæ retentionis habita ratione, familiæ diuidendæ causa datus arbiter, pro uirili præterea portione eorum,

quæ

quæ nulli generaliter vel ſpecialiter adſignauit, facta diuiſione in adiudicando patris ſequetur uoluntatem, C.eo.l.ſi cogitatione, 21.

Cum putarem te cohæredem meum eſſe, idq; verum non eſſet, egi tecum familiæ erciſcundæ iudicio, & a iudice inuicem adiudicationes & condemnationes factæ ſunt, quæritur rei ueritate cognita vtrum condictio inuicem competat, an vindicatio, & an aliud in eo, qui hæres eſt, aliud in eo, qui hæres non ſit, dicendum eſt, reſpondit Paulus, qui ex aſſe hæres erat, ſi cum putaret ſe Titium cohæredem hr̃e, a cceperit cum eo familiæ erciſcundæ iudicium, & condemnationibus factis ſoluerit pecuniam, qm̃ ex cauſa iudicati ſoluit, repetere non poteſt. Sed tu uideris eo moueri, quod non eſt iudicium familiæ erciſcundæ, niſi inter cohæredes acceptum, ſed quamuis nõ ſit iudicium, tamen ſufficit ad impediendam repetitionem, quod quis ſe putat condemnatum. Quod ſi neuter eorum hæres fuit, ſed quaſi hæredes eſſent, acceperint familiæ erciſcundæ iudicium de repetitione idem in utriuſq; dicendum eſt, quod diximus in altero. Planè ſi ſine iudice diuiſerint res, etiam condictionem earum rerum, quæ ei ceſſerunt, quem cohæredem eſſe putauit, qui fuit hæres, competere dici poteſt. non enim tranſactum inter eos intelligitur, cum ille cohæredem eſſe putauerit, ff. eod. l. cum putarem, 36.

Qui familiæ erciſcundæ iudicio agit, non confitetur aduerſarium ſibi eſſe cohæredem, ff. eo. l. qui familiæ, 37.

Lucius & Titia fratres emancipati a patre, adulti curatores acceperunt, hi communes pecunias ex reditibus redactas ſingulis ſubminiſtrauerunt, poſtea omne patrimonium diuiſerunt, & poſt diuiſionem Titia ſoror Lucio fratri ſuo cœpit, quæſtionem mouere, quaſi amplius accepiſſent, quam ipſa acceperat. cum Lucius frater eius non amplius ſua portione; immo minus quam dimidiam conſecutus ſit, quæritur an Titiæ competat aduerſus fratrum actio. Paulus reſpondit, ſecundum ea, quę proponuntur, ſi Lucius non amplius ex reditu prędiorum communium accepit, quam pro hæreditaria portione ei competeret, nullam ſorori eius aduerſus eum competere actionem, idem reſpondit, cùm ex decretis alimentis a prætore amplius fratrem accepiſſe diceretur quam ſororem non tamen ultra partem dimidiam. ff. eod. l. Lucius, xxxviii.

Ex parte hęres inſtitutus cauſam de totis bonis, quam omnes hæredes patiebantur ob inultam mortem ſuſcepit, & obtinuit. cohæres ab eo partem ſuam petebat, nec partem ſumptuum factorum in litem præſtare volebat: quæſitum eſt, an doli exceptio noceret, reſpondit Sceuola, ſi idcirco amplius erogatum eſſet, quòd ipſius quoque cauſa defenſa eſſet, habendam rationem ſumptuum. ſed & ſi omiſerit doli exceptionem, agere poteſt de recipienda portione ſumptuum. ff. eod. l. ex parte, 39. in prin.

Filius reip. debitum, quod poſt mortem patris contraxit fratri ſuo per parte hęreditaria reputare non poteſt, ſi in omnibus ſocii eſſent: licet hæreditatem paternam communem haberent, & pater pro altero filio in patria magiſtratu functus deceſsit. d. l. ex parte. §. filius reip.

Arbitrum familię erciſcundæ, vel unus petere poteſt, nam prouocare apud iudicem, vel vnum hæredem poſſe palam eſt. igitur & præſentibus cęteris, & inuitis, poterit vel vnus arbitrum poſcere. ff. eod. l. arbitrum, xliii.

Inter cohæredes etiam communi diuidundo agi poteſt, ut res duntaxat, quæ eorum cões ſint, & cauſę ex his rebus pendentes in iudicium veniant. de cęteris verò in integro ſit familiæ erciſcũdæ iudiciũ. ff. eo. l. inter cohęredes, xliiii. in prin.

Si fami-

Si familiæ erciscundæ, uel communi diuidundo actum sit, adiudicationes prætor tuetur, exceptiones aut actiones dando. d. l. inter cohęredes. §. si familiæ.

Si cohæredes absente uno cohærede rem uendiderunt, & in ea re dolo malo fecerunt, quo plus ad eos perueniret, uel familiæ erciscundæ iudicio præstabunt ei, qui adfuit, vel hæreditatis petitione, d. l. inter cohæredes. §. si cohæredes.

Cohæredibus diuisionem inter se facientibus iuri absentis, & ignorantis minime derogari, ac pro indiuiso portionem ea, quæ initio ipsius fuit in omnibus communibus rebus retinere. certissimum est, vnde portionem tuam cum reditibus arbitrio familiæ erciscundæ percipere potes ex facta inter cohęredes diuisione nullum præiudicium timens, C. eo. l. cohæredibus, 17.

Fructus, quos ante aditam hæreditatem ex fundo hæreditario hæres cępit, non aliter familiæ erciscundæ iudicio præstare eum, Iulianus ait, quam si cum sciret hęreditarium fundum esse cœperit, d. l. inter cohæredes, §. fructus.

Non solum in finium regundorum, sed & familiæ erciscundæ iudicio præteriti, quoq; temporis fructus veniunt, ff. eo. l. pen.

Non est ambiguum cum familiæ erciscundæ titulus inter bonæ fidei iudicia numeretur, portionem hæreditatis, si qua ad te pertinet incremento fructuum augeri, C. eod. l. non est, 9.

Qui familiæ erciscundæ, & communi diuidundo, & finium regundorum agunt, & actores sunt & rei. & ideo iurare debent, non calumniæ causa litem intendere, & nō calumniæ causa ad inficias ire. ff. eod. l. inter cohæredes, 44. §. qui fami.

Quod ex facto suo vnus ex cohæredibus ex stipulatione hæreditaria præstat a cohærede non repetet, veluti si a se hæredeq; suo dolū malū affuturum defunctus spopondit, vel neque per se, neque per hæredem suum fore, quominus quis eat, agat. immo & si reliqui propter factum cuius teneri cœperint, quasi conditio stipulationis hæreditariæ extiterit, habebūt familiæ erciscundæ iudicium cum eo propter quem commissa sit stipulatio, d. l. inter cohæredes, §. quod ex facto.

Si quis stipulatus fuerit, Titium hæredemq; eius ratum habiturum, & Titius pluribus hæredibus relictis decesserit, eum solum teneri, qui non habuit ratum, & solum ex hæredibus stipulatoris acturum, a quo fuerit petitum, d. l. inter cohæredes, §. si quis.

Vsufructu uxori legato, donec ei dos soluatur, per arbitrum familiæ erciscundæ, tam id quod cohæredis nomine ex dote solutum sit recuperare potest, quam ut cohæres soluat effici posse Cassius ait. & uerū est, d. l. inter cohæredes, §. vsufr.

Si duo cohæredes damnati sint statuam ponere, & altero cessante, alter eam fecerit, non esse iniquum Iulianus ait familię erciscundæ iudicium dare, ut pars impendiorum boni uiri arbitratu præstetur, d. l. inter cohæredes, §. fi.

Incerti iuris non est in familiæ erciscundæ iudicio earum rerum, quas ex cohæredibus quidam de communibus adsumpserunt, vel deteriores fecerunt, rationem esse habendam eiusdemq; rei cæteris præstandam indemnitatem, C. eod. l. incerti. 19.

Si quid contendis ex hæreditate mihi tecum commune esse, quod ego ex alia causa meum proprium esse dico, id in familiæ erciscundæ iudicium non uenit, ff. eod. l. si quid, xlv.

Si maritus sub conditione a patre hęres institutus sit, interim vxoris de dote actio pendet, planè si post mortem soceri diuortium factum sit pendente conditione institutionis dicendum est præceptionis dotis locum esse, quia mortuo patre quædam filios sequantur, etiam antequam fiant hæredes, ut matrimonium, ut

tutelæ

tutelæ igitur & dotem præcipere debet, qui onus matrimonii poſt mortem patris ſuſtinuit, ff. eo. l. ſi maritus, 46.

Vxor tua, ſi mortuo patre tuo, cui dotem numerauerat, cum hæres ei extiteris, adhuc in matrimonio tuo fuerit: famil. erciſc. actionem ad exequendam dotem, ſecundum iuris pridem placitum aduerſas cohæredes tuos nactus es, eamque retines, etiam ſi poſtea, dum tibi nupta eſt, deceſſerit, C. eo. l. ſecunda.

In iudicio famil. erciſc. vel communi diuidundo, ſi dum res in arbitrio ſit de iure prædii controuerſia ſit, placet omnes eos inter quos arbiter ſumptus ſit, & agere, & opus nouum nunciare pro ſua, quemque parte poſſe, & cum adiudicationes ab arbitro fiant, ſi uni adiudicetur totus fundus, caueri oportet, vt quæ ex his actionibus recepta fuerint, reddãtur: aut quæ in eas impenſæ factæ fuerint pſtentur. & ſi cum res in iudicio eſſet, eo nomine actum non fuerit, eum ſequi integram actionem, cui totus fundus adiudicatus fuerit, aut pro quacunq; parte adiudicatus erit, ff. eo. l. in iudicio. 47. in prin.

Si famil. erciſc. vel communi diuidundo, vel finium regundorum actum ſit, & vnus ex litigatoribus deceſſerit pluribus hæredibus relictis, non poteſt in partes iudicium ſcindi, ſed aut omnes hæredes accipere id debent, aut dare unum procuratorem in quem omnium nomine iudicium agatur, ff. eod. l. ſi familiæ, 48.

Quæ pater filio emancipato ſtudiorum cauſa peregre agenti ſubminiſtrauit, ſi nõ credendi animo pater miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur, ff. eo. l. quæ pater, 50.

Pecuniam quam filius emancipatus, ita credidit, ut patri ſolueretur, ita demum in hæreditatem patris numerari uerum eſt, ſi patri aduerſus filium eiuſdẽ quantitatis nomine actio competebat, ff. eo. l. pecuniam, 53.

Certum eſt liberorum peculia, poſt mortem patris in hæreditatem diuidendam ad communionem eſſe reuocãda. frater autem, & cohæres tuus ob contractus, quibus uiuente pr̃e ẽt ignorante ipſo obligatus fuit conuenire te, & alterum tuum fratrem cohæredem veſtrum ultra non poteſt, quam ut de peculio ſuo recipiat tantam quantitatem in quantam condemnatus eſt is, cum quibus ipſe contraxit, C. eo. l. certum, xiii.

Fundus qui dotis nomine ſocero traditus fuerit, cum ſocer filium ex aliqua parte hæredem inſtituerit per arbitrum famil. erciſc. præcipi, ita debet ut ea cauſa filii ſit, in qua futura eſſet, ſi dos per præceptionem legata fuiſſet. quare fructus poſt litem conteſtatam præcepti ad eum redigendi ſunt, habita ratione impenſarum. qui uero ante litem conteſtatam percepti fuerint, æqualiter ad omnes hæredes pertinebunt. & impenſarum ratio haberi debet. quia nullus caſus interuenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat, ff. eo. l. fundus ſi. in prin.

Si ego à te hæreditatem petere uellem tu mecum famil. erciſc. agere: ex cauſa utrique noſtrum mos gerendus eſt. nam ſi ego totam hæreditatem poſſideo, & te ex parte dimidia hæredem eſſe confiteor, ſed a communione diſedere uolo, impetrare debeo famil. erciſc. iudicium, quia aliter diuidi inter nos hæreditas nõ poteſt. Item ſi tu iuſtam cauſam habes, propter quam per hæreditatis petitionẽ, potiuſquam famil. erciſc. iudicium negocium diſtrahere uelis, tibi quoq; permittendum erit hæreditatem petere. nam quædam ueniunt in hæreditatis petitionem, quæ in famil. erciſc. iudicio non deducuntur. ueluti ſi ego debitor hæreditarius ſim, iudicio famil. erciſc. non conſequeris id, quod defuncto debui per hæreditatis petitionem conſequeris. d. l. fundus. §. ſi ego.

Mæuius.

Meuius qui nos hæredes fecit rem communem habuit cum Attio si cum Attio cō muni diuidundo egissemus, & nobis ea res adiudicata esset uenturam eam in famil. ercisc. iudicio Proculus ait. ff. eod. l. Mæuius, 52. in prin.

Ex hæreditate Lucii Titii, quæ mihi, & tibi communis erat fundi partem meam alienaui, deinde famil. ercisc. iudicium inter nos acceptum est, neq; ea pars, quę mea fuit, in iudicio veniet, cum alienata de hæreditate exierit, neq; tua quia ēt si remanet in pristino iure, hæreditariaque est, tamen alienationis meæ partis exit de communione. vtrum autem vnus hæres partem suam nō alienauerit, an plures, nihil interest, si modo aliqua portio alienata ab aliquo ex hęredibus hæreditaria esse desiit, ff. eo. l. ex hæreditate, 54.

Arbitro quoq; accepto fratres communem hæreditatem consensu diuidentes pietatis officio funguntur. quam reuocari non oportet, licet arbiter sententiam iurgio perempto non dixerit, si non intercedat ætatis auxilium, ff. eo. l. fin.

Iudex famil. ercisc. nihil debet indiuisum relinquere. item curare debet, ut de euictione caueatur his quibus adiudicat, ff. eo. l. hæredes. 25. iudex.

In hoc iudicio condemnationes, & absolutiones, in omnium persona faciendæ sunt, & ideo si in alicuius persona omissa sit damnatio in cæterorum, quoque persona, quod fecit iudex non ualebit, quia non potest ex uno iudicio res iudicata in partem ualere, in partem non ualere. ff. eod. l. in hoc iudicio, 27.

Si famil. ercisc. iudicio quo bona paterna inter te, ac fratrem tuum æquo iure diuisa sunt, nihil super euictione rerum in singulis adiudicatarum specialiter inter uos conuenit, idest ut unusquisq; euentum rei suscipiat, rectè possessionis euictæ detrimentum fratrum tuum, & cohæredem pro parte agnoscere præses prouinciæ per actionem præscriptis verbis compellet, C. eo. l. si famil. 14.

Famil. ercisc. iudicio amplius quam semel agi non potest, nisi causa cognita. quod si quædam res indiuisæ relictæ sunt communi diuidundo de his agi potest, ff. eodem, l. si filia, 20. §. familiæ.

Si non omnem paternam hæreditatem ex consensu diuisisti, nec super ea re sententia dicta, vel transactio subsecuta est: iudicio famil. ercisc. experiri potes, C. eod. l. prima.

Si diuisionem conuentione factam, etiam possessio consensu secuta, pro solido dominium rerum, quas pertinere ad patrem tuum placuit, ei firmauit, earum vindicationem habere potes, si patri tuo successisti. si uero placitum diuisionis vsque ad pactum stetit, arbiter fami. ercisc. iudicio uobis datus, communionem inter uos finiri prouidebit, C. eo. l. si diuisionem, 15.

Si tam circa testamentum, quam etiam codicillos iudicium eius deficiat, uerum quibuscunq; uerbis uoluntas eius declarata sit, licet ab intestato ei fuerit successum, ex senatusconsulto retentionis modo seruato famil. ercisc. iudicio aditum iudicem sequi uoluntatem patris oportere iuris authoritate significatur, C eod. l. filii. 17.

In famil. ercisc. iudicio ab uno pro solido rei ueluti communis uenundatæ preciū non uenit, sed mandati, si præcessit cohæres venditoris agere potest, vel negociorum gestorum, si ratam fecerit, venditionem. Nam si uelut propriam unius distraxerit, ac precium possideat: hæreditas ab eo petenda est C. eo. l. in fam. xx.

Filium quem habentem fundum portionem hæreditatis fratribus, & quibusdam aliis sub conditione verbis præcariis restituere sanxit testator: post eius conditionis euentum hæreditaria parte prædii in quarta ratione retenta compensato præterea, quod a cohæredibus uice mutua percepit, si quid deest, in supple-

mentum

mentum deducto: quod à cæteris in eo fundo soluetur, supra quartam habens, reddere compellitur, C. eo. l. filium, 24.

DE QVIBVS REBVS AD EVNDEM IVDICEM EATVR. Titulus XV.

SI inter plures familiæ erciscundæ agatur, & inter eosdem communi diuidundo, aut finium regundorum: eũdem iudicem sumi oportet, præterea quo facilius coire cohæredes, vel socii possint, in eundem locum omnium præsentiam fieri oportet, ff. quibus rebus ad eundem iudicem, l. prima.

Cum ex pluribus tutoribus onus, quod cæteri non sunt idonei conueniuntur: postulante eo, omnes ad eundem iudicem mittuntur, & hoc rescriptis principum continetur, ff. eo. l. fin.

COMMVNI DIVIDVNDO ACTIO. Titulus XVI.

COmmuni diuidundo iudicium ideo necessarium fuit, quod pro socio actio magis ad personalis inuicem præstati ones pertinet, quam ad communium rerum diuisionem. Denique cessat communi diuidundo iudicium, si res communis non sit, ff. eod. l. prima.

Nihil autem interest, cum societate, an sine societate res inter aliquos communis sit. Nam utroq; casu locus est communi diuidundo iudicio. cum societate res communis est, veluti inter eos, qui pariter eandem rem emerunt, sine societate communis est, veluti inter eos quibus eadem res testamento legata est, ff. eo. l. secunda, in princ.

In tribus duplicibus iudiciis familiæ erciscundæ communi diuidundo, finium regundorum, quæritur quis actor intelligatur, quia par causa omnium uidetur, sed magis placuit eum uideri actorem, qui ad iudicium prouocasset, d. l. secunda, § in tribus.

In communi diuidundo iudicio, nihil peruenit vltra diuisionem rerum ipsarum, quæ communes sint, & si quid in his damni datum, factumve est, si quid eo nomine, aut abest alicui sociorum, aut ad eum peruenit, ex re communi, si quid ipsi sine dolo malo inter se pepigerunt, id in primis & famil. erciscun. & communi diuidundo iudex seruare debet, ff. eo. l. tertia.

Per hoc iudicium corporalium rerum fit diuisio, quarum rerum dominium habemus, non etiam hæreditatis, ff. eo. l. quarta, in princ.

De puteo quæritur, an communi diuidundo iudicio agi possit & ait Mela, ita demum posse, si solum eius commune sit, d. l. quarta, §. de puteo.

Hoc iudicium bonæfidei est, quare si una res indiuisa relicta sit, ualebit, utque, & cerarum diuisio. & poterit iterum communi diuidundo agi de ea, quæ indiuisa mansit, d. l. quarta, §. hoc iudicium.

Sicut autem ipsius rei diuisio uenit in communi diuidundo iudicio, ita etiam præstationes veniunt, & ideo si quis impensas fecerit, consequatur, sed si non cum ipso socio agat, sed cum hærede socii Labeo rectè existimat impensas & fructus à defuncto perceptos uenire. Planè fructus ante percepti: quam res communis esset, vel sumptus ante facti in communi diuidundo iudicium non ueniunt.

niunt. Ea propter scribit Iulianus, si missi in possessionem damni infecti simus & antequam possidere iuberemur, ego insulam fulsero, sumptum istum communi diuidundo iudicio consequi me non posse, d.l. quarta, §. sicut autem.

Impendia autem quæ, dum proprium meum fundum existimo feci, quæ scilicet si vendicaretur fundi pars, ꝑ exceptionem doli retinere possem, an etiam si communi diuidũdo iudicio mecum agetur, æquitate ipsius iudicii retinere possim considerandum est. quod quidem magis existimatur, quia bonæ fidei iudicium est communi diuidundo, sed hoc ita si mecum agatur. cæterum si alienauero partem meam, non erit vnde retinere possim. sed is qui à me emerit, an retinere possit, videndum est, nam & si vindicaretur, ab eo pars, impendiorum nomine, quæ ego fecissem, ita ut ego, poterat retentionem facere, & verius est, vt & in hac specie expensæ retineantur. quæ cum ita sint rectissime dicitur, etiam Impendiorum nomine vtile iudicium dari debere mihi in socium, etiam manente rei communione. diuersum est enim cum quasi in rem meam impendo, quę sit aliena, aut communis. hoc enim casu vbi quasi in rem meam impendo, tantum retentionem habeo, quia neminem mihi obligare volui. at cum puto rem Titii esse, quæ sit Mæuii, aut esse mihi communem cum alio, quam est, id ago, vt alium mihi obligem, & sicuti negociorum gestorum actio datur aduersus eũ, cuius negocia curaui, cum putarem alterius ea esse, ita & in proposito. igitur si ab alienauero prædium, quia in ea causa fuit, ut mihi actio dari deberet, danda mihi erit, ut Iulianus quoque scribit negociorum gestorum actio. ff. eo. l. in hoc iudicium, 14. §. impendia.

Item iudex eorum, quæ inter fratres communia permanent fieri diuisionem prouidebit; tam sumptuum (si quis de vobis in res communes fecit) quam *fructuum* item doli, & culpæ (cum in communi diuidundo hæc omnia venire nõ ambigitur) rationem, ut omnibus æqualitas seruetur, habiturus, C. eodem, l. quarta, §. item eorum.

Sed & si res non defenderetur, & ideo iussi sumus à prætore eas ædes possidere, & ex hoc dominium earum nancisceremur. Respondit Proculus, communi diuidundo iudicio, partem eius impensæ me seruaturum esse. ff. eod. l. quinta.

Si quis putans sibi cum Titio fundum cõmunem esse, fructus perceperit, uel sumptum fecerit cum esset cum alio communis, agi poterit vtili communi diuidundo iudicio, quare & si fundum Titius alienauerit, licet hic communi diuidundo iudicio locus non sit, quia à communione discessum est, vtili tamen locus erit, quod datur de præstationibus. quoties communis esse desiit, ff. eodem, l. sexta, in princip.

Siue autem locando fundum communem, siue colendo, de fundo communi quod socius consecutes sit communi diuidundo iudicio tenebitur. & si quidem communi nomine id fecit, neque lucrum, neque damnum sentire eum oportet. si vero non communi nomine, sed ut lucretur solus. magis esse oportet, ut & damnum ad ipsam respiciat. Hoc autem ideo præstat communi diuidundo iudicio, quia uidetur partem suam non potuisse expedite locare, d.l. sexta, §. siue autem.

Cæterum non alias communi diuidundo iudicio locus erit, vt & Papinianus scribit, nisi id demum gessit, sine quo partem suam rectè administrare non potuit. alioquin si potuit, habet negociorum gestorum actionem: eaque tenetur, d.l. sexta, §. cæterum.

Si quid post acceptum communi diuidundo iudicium fuerit impensum. Nerua recte existimat etiam hoc venire. sed & partem venire Sabinus, & Atilicinus re-

sponderunt,

ſponderunt, ſed & acceſsionem, & deceſsionem hoc iudicium accipere, idem exiſtimauerunt, d.l.ſexta, §.ſi quid.

Si damni infecti inſolidum prædibus caueris, Labeo ait communi diuidundo iudicium tibi non eſſe, cum neceſſe tibi non fuerit inſolidum cauere, ſed ſufficere pro parte tua. quæ ſententia vera eſt, d.l.ſexta, §.ſi damni.

Si fundus communis nobis ſit, ſed pignori datus à me, venit quidem in communi diuidundo, ſed ius pignoris creditori manebit, etiam ſi adiudicatus fuerit. Nam & ſi pars ſocio tradita fuiſſet, integrum maneret. Arbitrum autem communi diuidundo hac minoris partem æſtimare debere, quod ex pacto vendere eam rem creditor poteſt, Iulianus ait, d.l.ſexta, §.ſi fundus.

Officio iudicis etiam talis adiudicatio fieri poteſt, vt alteri fundum, alteri vſumfructum adiudicet. Cætera eadem ſunt, quæ in familiæ erciſcundæ iudicio tractauimus, d.l.ſexta, §.officio iudicis.

Cum autem regionibus diuidi, aliquis ager inter ſocios non poteſt, vel ex pluribus ſingulis, æſtimatione iuſta facta vnicuique ſociorum adiudicantur, compenſatione precii inuicem facta: eoque, cui maioris precii res obuenerit, cæteris condemnato ad licitationem nonnunquam etiam extraneo emptore admiſſo: maxime, ſi ſe non ſufficere ad iuſta precia alter ex ſociis ſua pecunia uincere vilius licitantem profiteatur, C.eo.l.tertia, §.cum autem.

Vrſeius ait, cum in communi ædificii vicinus nunciauit ne quid operis fieret, ſi vnus ex ſociis, ex cauſa hoc damnatus fuiſſet, poſſe eam pœnam à ſocio pro parte ſeruare, Iulianus autem rectè notat, ita demum hoc uerum eſſe, ſi interfuit ædium hoc fieri, ff.eo.l.ſexta, §.fin.

Communi diuidundo iudicium locum habet, & in vectigali agro. vectigalis ager an regionibus diuidi poſsit, videndum magis autem debet iudex abſtinere huiuſmodi diuiſione alioquin præſtatio vectigalis confundetur, ff.eodem, l. ſeptima, in principio.

Neratius ſcribit, arbitrum ſi regionibus fundum non vectigalem diuiſum duobus adiudicauerit, poſſe quaſi in duobus fundis ſeruitutem imponere, d.l. ſeptima, §. Neratius.

Qui in rem Publicianam habent, etiam communi diuidundo iudicium poſſunt exercere. ex quibuſdam autem cauſis vindicatio ceſſat. ſi tamen iuſta cauſa eſt poſsidendi, utile communi diuidundo competit. vtputa ſi ex cauſa indebiti ſoluti res poſsideatur, d.l.ſeptima §.qui in rem.

Inter prædones autem hoc iudicium locum non habet, nec ſi præcario poſsideât, locum habebit, nec ſi clam. quia iniuſta eſt poſſeſsio iſta præcaria uero iuſta quidem. ſed quæ non pergat ad iudicii vigorem, d.l.ſeptima, §.inter.

Iulianus ſcribit ſi alter poſſeſſor prouocet, alter dicat eum ui poſsidere, non debere hoc iudicium dari, nec poſt annum quidem, quia placuit etiam poſt annum in eum, qui ui deiecit interdictum reddi. & ſi præcario, inquit, dicat eum poſsidere, adhuc ceſſabit hoc iudicium, quia & de præcario interdictum datur. ſed & ſi clam dicatur poſsidere, qui prouocat, dicendum eſſe ait, ceſſare hoc iudicium, nam de clandeſtina poſſeſsione competere interdictum inquit, d.l. ſeptima, §.Iulianus.

Si duo ſint, qui rem pignori acceperunt æquisſimum eſt utile communi diuidundo iudicium dari. ſed & ſi de uſufructu ſit inter duos controuerſia, dari debet.

Item si duo a prætore missi sunt in possessionem legatorum: est enim iusta causa possidendi custodiæ gratia. Ergo & si duo ventres, idem erit dicendum, quod habet rationem. Planè si iam damni infecti missus, iussus sit possidere non erit huic utili iudicio locus cum uindicationem habere possit, dicta lege septima, §. si duo.

Cum de vsufructu communi diuidundo iudicium agitur, iudex officium suum, ita diriget, vt vel regionibus eis uti frui permittat, vel locet vsumfructum uni ex illis, vel tertiæ personæ, vt hi pensiones sine ulla controuersia percipiant, vel si res mobiles sint, etiam sic poterit, vt inter eos conueniat, caueantque per tempora se vsuros, & fruituros: hoc est, vt apud singulos mutua uice certo tempore sit vsusfructus, d. l. septima, § cum de usufructu.

Neque colonis, neque eis, qui depositum susceperunt, hoc iudicium competit, quamuis naturaliter possideant, d. l. septima, §. neque colonis.

Inter eos, qui pignori acceperunt, talis diuisio fieri debet, vt non uero precio æstimetur pars, sed in tantum duntaxat, quantum pro ea parte debetur; & adsignetur quidem pignus uni ex creditoribus, licentia tamen non denegetur debitori debitum offerre, & pignus suum luere. Idemque dicitur, & si possessor pignoris litis æstimationem pignoratitiam in rem agenti offerat, dicta lege septima. §. inter eos.

Si debitor communis prædii partem pignori dedit, & a domino alterius partis prouocatus creditor eius, aut ab alio creditore alterius debitoris licendo superauit, & debitor eius, cui res fuit adiudicata, velit partem suam prædii reciperare soluto eo, quod ipse debuit, eleganter dicitur non esse audiendum, nisi & eam partem paratus sit reciperare, quam creditor per adiudicationem emit. Nam & si partem vendideris rei, & priusquam traderes emptori, communi diuidundo iudicio prouocat usus fueris, aliaque pars tibi adiudicata sit, consequenter dicitur ex empto agi non posse: nisi totam rem suscipere fuerit paratus: quia hæc pars beneficio alterius uenditori accessit. quinimo etiam ex vendito posse conueniri emptorem, vt recipiat totum, solum illud spectandum erit, num fortè fraus aliqua uenditoris interuenit, sed & si distracta parte, cesserit victus licitatione venditor, æquè precium vt restituat ex empto tenebitur. Hæc eadem & in mandato, cæterisque huius generis iudiciis seruantur, d. l. septima, §. si debitor.

Et si non omnes, qui rem communem habent, sed certi ex his diuidere desiderant hoc iudicium inter eos accipi potest, ff. eodem, lege. Et si non octaua, in principio.

Si incertum sit, an lex Falcidia locum habeat, inter legatarium & hæredem communi diuidundo agi potest, aut incertæ partis uindicatio datur. similiter fit, & si peculium legatum sit, quia in quantum res peculiares deminuit id, quod domino debetur, incertum est, d. l. Et si non, §. si incertum.

Venit in communi diuidundo iudicium etiam si quis rem communem deteriorem fecerit forte equum vulnerando, aut arbores ex fundo excidendo, d. l. & si non, §. uenit.

Item si unus insolidum de peculio conuentus & damnatus sit, est cum socio communi diuidundo actio, ut partem peculii consequatur, dicta lege, & si non, §. finali.

Item

Item quamuis legis Aquiliæ actio in hæredem non competat, tamen hoc iudicio hæres socii præstat, si quid defunctus in re communi admisit, quod nomine legis Aquiliæ actio nascitur, ff.eo.l.item quamuis, x.in prin.

Si vsus tantum noster sit, qui neque venire, neque locari potest, quemadmodum diuisio potest fieri, in communi diuidundo iudicio uideamus. sed prætor interueniet, & rem emendauit, vt si iudex alteri usum adiudicauerit, non uideatur alter qui mercedem accepit, non uti, quasi plus faciat, qui videtur frui. quia hoc propter necessitatem fit, d.l.item quamuis.§. si usus.

In communi diuidundo iudicio iusto precio rem æstimare debebit iudex, & de euictione quoque cauendum erit. d.l.item quamuis.§.fi.

In summa admonendi sumus, quod si post interitum rei communis is cui aliquid ex communionem præstari oportet, eo nomine agere uelit, communi diuidundo iudicium vtile datur. veluti si actor impensas aliquas in rem communem fecit: siue socius eius solus aliquid ex ea re lucratus est, hoc iudicio eorum omnium ratio habetur, ff.eo.l.in summa, xi.

Si ædes communes sint, aut paries communis, & eum reficere, vel demolire, vel in eum immittere, quid opus sit, communi diuidundo iudicio erit agendum, aut interdicto VT POSSIDETIS experimur, ff.eod.l.si ædes, 12.

Si meo, & uicini nomine parietem ædificem, vel repetiturus ab eo pro parte impensam, vel donationis gratia, communis fiet paries, ff.eo.l.si meo, 22.

In iudicium communi diuidundo omnes res veniunt, nisi si quid fuerit ex communi consensu exceptum nominatim ne ueniat, ff.eo.l.in iudicium, 13.

In hoc iudicium hoc uenit, quod communi nomine actum est, aut agi debuit ab eo, qui scit se socium habere, ff.eo.l.in hoc iudicium, 14.in prin.

Si conueniat ne omnino diuisio fiat, huiusmodi pactum nullas uires habere manifestissimum est. Sin autem intra certum tempus, quod etiam ipsius rei, qualitati prodest, valet, d.l.in hoc iudicium, §.si conueniat.

In communione, vel societate nemo compellitur inuitus detineri. quapropter aditus præses prouinciæ ea, quæ communia tibi cum sorore prospexerit diuidi prouidebit, C.eo.l.fi.

Si inter socios conuenisset, ne intra certum tempus societas diuideretur, quin vendere liceat ei, qui tali conuentione tenetur, non est dubium, quare emptor quoque communi diuidundo agendo eadem exceptione summouebitur, qua auctor eius summoueretur, ff.eo.l.in hoc iudicium, 14.§.pen.

Si paciscatur socius, ne partem suam petat, effectu tollitur societas, d.l.in hoc, §.finali.

Cum socii diuidunt societatem de eo, quod sub conditione deberetur, cautiones interuenire solent, ff.eo.l.cum socii, 16.

Qui cohæredes habet si fundum pignori datum à testatore suo, comparauerit à creditore, non debet à cohæredibus iudicio communi diuidundo conueniri, ff.eod.l.qui cohæredes, 17.

Vt fundus hæreditarius fundo non hæreditario seruiat arbiter disponere non potest, quia ultra id, quod in iudicium deductum est, excedere potestas iudicis non potest, ff.eo.l.ut fundus, 18.

Arbor quæ in confinio nata est, item lapis, qui per utrumque fundum extenditur, quamdiu cohæret fundo, è regione cuiusque finium utriusque sunt, neque in communi diuidundo iudicium ueniunt. sed cum aut lapis exemptus, aut ar

bor eruta, uel succisa est, communis pro indiuiso fiet, & ueniet in communi diuidundo iudicium, nam quod erat finitis partibus, rursus confunditur, quare duabus massis, duorum dominorum conflatis, tota massa communis est, etiam si aliquid ex prima specie separatum maneat, ita arbor, & lapis separatus a fundo, confundit ius dominii, ff. eo. l. arbor, 19. in prin.

De vestibulo communi binarium ędium arbiter communi diuidundo inuito utrolibet dari non debet, quia qui de vestibulo liceri cogatur, necesse habeat interdum totarum ædium precium facere, si alias aditum non habet, d. l. arbor, §. de vestibulo.

Si per eundem locum via nobis debeatur, & in eam impensa facta sit, durius ait Pomponius communi diuidundo, vel pro socio agi posse, quæ enim communio iuris separatim intelligi potest? sed negociorum gestorum agendum, d. l. arbor, §. si per eundem.

Aquarum iter in iudicium communi diuidundo non venire, Labeo ait. Nam aut ipsius fundi est, & ideo in iudicium non uenit, aut separatum a fundo diuisum tamen, aut mensura, aut temporibus, sed possunt iura interdum, & separata à fundo esse, & nec mensura, nec temporibus diuisa. ueluti cum is, cuius fuerunt. Plures hæredes reliquit. quod cum accidit, consentaneum est, & ea in arbitrio familiæ erciscundæ venire, nec uidere, inquit Pomponius, quare minus in communi diuidundo, quam familiæ erciscundæ iudicium ueniat. Igitur in huiusmodi speciebus, etiam in communi diuidundo iudicio venit, ut præfata iura, aut mensura, aut temporibus diuidantur, d. l. arbor, §. aquarum.

Si is cum quo fundum communem habes ad delictum non respondit, & ob id motu iudicis uilla diruta est, aut arbusta succisa sunt, pręstabitur tibi detrimentum iudicio communi diuidundo. quidquid enim culpa socii amissum est eo iudicio continetur, ff. eo. l. si is cum quo, 20.

Iudicem in prædiis diuidundis, quod omnibus utilissimum est, uel quod malint litigatores sequi conuenit, ff. eo. l. Iudicem, 21.

Si conuenerit inter te, & socium tuum, ut alternis annis fructum perciperetis, & non patiatur te socius tui anni fructum percipere, videndum utrum ex conducto sit actio, an uero communi diuidundo. Eadem quæstio est, & si socius qui conuenerat, ut alternis annis frueretur, pecus immisit, & effecit, ut futuri anni fructus, quos socium percipere oportuit corrumperentur. & magis est communi diuidundo iudicium, quam ex conducto locum habere, quæ enim locatio est, cum merces non intercesserit? aut certe actionem incerti ciuilem reddendam. ff. eod. l. si conuenerit, 23.

In re communi nemo dominorum iure facere, quicquam inuito altero potest. vnde manifestum est prohibendi ius esse, in re enim pari portionem causam esse prohibentis constat. Sed & si in communi prohiberi socius à socio, ne quid faciat potest ut tamen factum opus tolat cogi non potest, si cum prohibere potecrat, hoc prætermisit, & ideo per communi diuidundo actionem damnum sarciri poterit. Sin autem facienti consensit, nec pro damno habet actionem. quod si quid absente socio ad læsionem eius fecit, tunc etiam tollere cogitur. ff. eod. l. Sabinus. 28.

Si quis cum existimaret fondum communem sibi cum Mæuio esse, quem cum Titio cōem habebat, impendisset rectè dr̄ ēt cōi diuidundo iudicium ei sufficere. Hoc. n. est sciētiā cōem esse, ignorē aūt, cuius socii. neq; . n. negocia socii gero, sed pro-

ſed propriam rem tueor,& magis ex re in quam impenditur. quam ex perſona ſocii actio naſcitur. Denique ea actione pupillum teneri dicimus, vt impendia reſtituat officio iudicis. Diuerſa cauſa eſt eius, qui putat ſe in rem proprium impendere, cum ſit communis. huic enim nec communi diuidundo iudicium cō petit, nec utile dandum eſt. ille enim qui ſcit rem eſſe communem, vel aliena negocia eo animo gerit, ut aliquem ſibi obliget, & in perſona labitur. Pomponius ſcripſit, poſsi iudicem poſſe a quolibet ſociorum, ſed etiam ſi unus ex ſociis mutus erit rectè eum eo communi diuidundo agi, ff. eo. l. 29.

Frater tuus ſi ſolam portionem prædii ad ſe pertinentem diſtraxit, venditionem reuocari non oportet, ſed aduerſus eum, cum quo tibi dum prædium commune eſſe cœpit, communi diuidundo iudicio conſiſte, & ea actione, aut uniuerſum prædium, ſi licitatione viceris, exſoluta ſocio parte precii obtinebis, aut precii portionem, ſi meliorem alius condicionem obtulerit conſequeris, quod ſi diuiſo prædii ſine cuiuſque iniuria commode fieri poterit, portionem ſuis finibus tibi adiudicatam poſsidebis, hoc videlicet cuſtodiendo, vt poſt litis conteſtationem, nec partem ſuam cæteris eiuſdem rei dominis non conſentientibus alienare poſsit, C. eo. l. prima.

Si probatum fuerit præſidi prouinciȩ fratrem tuum uineas communes pignori de diſſe, cum partem tuam, quam in vineis habes, creditori obligare non potuerit, præſes prouinciæ reſtititui tibi eam iubebit cum fructibus, quos creditor de parte tua perceperit. Idem præſes prouinciæ de diuiſione uinearum inter te, & creditorem fratris tui cognoſcet, & iubebit eam accepta pecunia, quanti ſtatuerit partem fratris tui ualere, eam partem, quam de fratre tuo accepit, tibi reſtituere, aut æſtimata tua parte, ad creditorem fratris tui, data pecunia, quanti eam æſtimauerit transferre, C. eo. l. ſecunda.

Ad officium arbitri, qui inter te, & fratrem tuum de diuidendis bonis datus fuerit ea ſola pertinent, quæ manent communia tibi & illi. Nam, & ea, quorum partem is vendidit, cum emptoribus tibi communia ſunt, & aduerſus ſingulos arbitrum petere debes, ſi ab illorum quoque ſocietate diſcedj placeat, C. eodem, l. tertia, in princip.

Communi diuidundo iudicio rectè agi, ſiue neuter poſsideat, ſiue alter ſociorum fundum non poſsideat, ff. eo. l. pen.

Si maior quinque & viginti annis ſoror tua tecum res communes diuiſit, quamuis non inſtrumentis, ſed aliis probationibus earum communionem direptā eſſe probetur, ſtare finitis conuenit. quod ſi minor fuit, nec tempus in integrum reſtitutioni præfinitum adhuc exceſsit, an in integrum propter diuiſionem reſtitui debeat cauſa cognita prouinciæ præſes æſtimabit, C. eodem, l. quarta, in principio.

Furioſus & pupillus, vbi ex te actio venit obligantur etiam ſine curatore, vel tutoris auctoritate. Veluti ſi communem fundum habeo cum his, & aliquid in eum impendero, vel damnum in eo pupillus dederit. Nam iudicio communi diuidundo obligabuntur, ff. de oblig. & actio. l. furioſus, 46.

COMMVNIA VTRIVSQVE IVDICII, TAM FAMILIAE ercifcundæ, quam communi diuidundo. Tit. XVII.

Diuifionem prædiorum vicem emptionis obtinere placuit, C. communia vtriufque iud. l. prima.

Etiam fi is diuifioni arbitrum dedit, cui dandi ius non fuit, tamen fi focii quondam diuifioni confenfum dederint: quod quifq; eorum fecundum placita poffedit, pro parte focii dominium nactus eft, C. eod. l. fecunda.

Maioribus ēt per fraudem, uel dolum: uel perperam, fine iudicio factis diuifionibus folet fubueniri, quia in bonæ fidei iudiciis, quod inequaliter factum effe conftiterit in melius reformabitur, C. eo. l. tertia.

Si patruus tuus ex communibus bonis res comparauit fibi negocium gerens, non omnium bonorum focium conftitutus: pro competentium portionum modo indemnitati tuæ confunli oportet. & ideo rem emptam communicare eum contra iuris formam poftulas, C. eo. l. quarta.

De inftrumentis, quæ communia fratrem veftrum tenere proponitis, rector prouinciæ aditus apud quem collocari debeant, æftimabit, C. eo. l. quinta.

Si cum patruo veftro hac conditione diuifionem feciftis, ut fe nullum dolum adhibuiffe iuraret, nec fidem placitis exhibuit, quominus res indiuifas requiratis eorum placitum, qui indiuifionem venerunt, nihil vobis nocere poteft, C. eodem, l. fexta.

Si fratres veftri pro indiuifo commune prædium citra veftrum uoluntatem obligauerunt, & hoc ad uos fecundum pactum diuifionis nulla pignoris facta mentione peruenit euictis partibus, quæ ante diuifionem fociorum fuerunt in quibus obligatio tantūm conftitit, ex ftipulatu, fi intercefsit, alioquin quanti intereft, præfcriptis verbis contra fratres agere poteftis. nam fi fundi fcientes obligationem, dominium fufcepiftis, tantum euictionis promifsionem folennitate uerborum, uel pacto promiffam probantes eos conueniendi facultatem habebitis, C. eod. l. feptima.

Si inter maiores annis, 25. rerum communium diuifio, relicta, uel tranflata poffeffione, finem accepit, inftaurari mutuo bona fide terminata confenfu minimè poffunt, C. eo. l. fi inter. 8.

Familiæ ercifcundæ, uel communi diuidūdo iudicium, ita demum, fi corpora maneant communia, agi poteft, C. eo. l. familiæ. 9.

Scriptura teftamenti, qua fpecialiter omnia diuifa continentur, quominus res, quarum teftator non fecit mentionem, hæredes inquirere pofsint, nihil impedit, C. eod. l. fcripturæ, x.

Si quis pro filio fuo ante nuptias donationem confcripferit, uel dederit, uel pro filia fua dotem, & hoc quod dedit, iterum ad eum reuertatur, vel ftipulatione, vel lege hoc faciente, vel & fi alio dotem, vel ante nuptias donationem dante, ftipulationis paternæ tenor, uel fortè legis, hoc induxerit, ille aut teftamento condito, uel filios fuos, uel extraneos fcripferit hæredes, & nihil de huiufmodi rebus, quæ ad eum reuerfæ funt, uel peruenerunt, difpofuerit, inueniantur autem alii liberi eius res à paterna fubftantia lucrati, vel per ante nuptias donationem, uel dotes, uel militiæ caufa, quas (utpote teftamento exiftente) non coguntur conferre tunc filius, uel filia eafdem res, quæ reuerfæ funt ad patrem, uel peruenerunt, habeunt præcipuas, ad fimile tamen lucrum computandas: ut in præ-

ſenti tantum caſu habeat ipſe, vel ipſa quantum eius fratres à patre ſunt conſecuti, ſecundum eos modos, ſupradictos, & quos conferre propter teſtamentum non coartantur. Sinautem nihil tale penitus in fratres eorum à patre collatum eſt: neque ipſi ſibi præcipuè hanc partem vindicare poſſunt, ſed quaſi paternæ facta ſubſtantiæ ſit, inter omnes, ſecundum inſtitutionis tenorem diuidenda, & hæc quidem, ſi inter fratres patris elogium compoſitum ſit. Sinautem extranei ſint ſcripti hæredes, & nihil in teſtamento ſuo, neq; in hac parte teſtator dixerit, tunc omnimodo præcipuum habeat filius, vel filia, quod ad patrem reuertitur, vel peruenit, ſi tamen minus in fratres collatum eſt, amplius autem ex huiuſmodi cauſa ad patrem peruenit, illo, quod ad ſimilem quantitatem concurrit excepto, cætera quaſi paternæ ſubſtantiæ facta, ſecundum modum inſtitutionum diuidantur. Illo proculdubio obſeruando, ſi minus ſit, quod pater ex huiuſmodi cauſa habuit, ea quantitate, quæ inter fratres collata eſt, tota huiuſmodi portio ad eas perſonas perueniat, quarum occaſione res ad patrem reuertitur. Ea igitur, quæ in paterna perſona diximus, obtinuere volumus, etiam in auo, & proauo, paterno, vel materno, & in matre, & in auia, & proauia paterna, vel materna, C.eod.l.fin.

FINIVM REGVNDORVM ACTIO.
Titulus XVIII.

Finium Regundorum actio in perſonam eſt, licet pro uindicatione rei eſt, ff.fin.reg.l.prima.

Hæc actio pertinet ad prædia ruſtica, quamuis ædificia interueniāt, neque enim multum intereſt, arbores quis in confinio, an ædificium ponat. Iudici finium regundorum permittitur, ut ubi non poſſit dirimere fines, adiudicatione controuerſiam dirimat. & ſi fortè amouendæ veteris obſcuritatis gratia, ꝑ aliam regionem fines dirigere iudex velit, poteſt hoc facere per iudicationem, & condemnationem, quo caſu condemnationem, ff.eo.l.ſecunda, & tertia.

Sed & loci unius controuerſia in partes ſcindi adiudicationibus poteſt, prout cuiuſque dominium in eo loco, iudex competerit, ff.eo.l.quarta, in prin.

Si alter fundus duorum alter trium ſit, poteſt iudex uni parti adiudicare locum de quo quæritur, licet plures dominos habeat, quoniam magis fundo, quam perſonis adiudicari fines intelliguntur. Hic autem cum ſit adiudicatio pluribus vnuſquiſque portionem habebit, quam in fundo habet, & pro indiuiſo, d.l. quarta, §.ſi alter.

Qui communem fundum habent, inter ſe non condemnantur, neque enim inter ipſos accipi videtur iudicium, d.l.quarta, §.qui communem.

Si communem fundum ego, & tu habemus, & vicinum fundum ego ſolus, an finiū regundorum iudicium accipere poſſumus? & ſcribit Pomponius non poſſe nos accipere, quia ego & ſocius meus in hac actione aduerſarii eſſe non poſſumus, ſed unius loco habemur, idem Pomponius ne utile quidem iudicium dandum dicit, cum poſſit, qui propriam habeat, vel communem, vel proprium fundum alienare, & ſic experiri, d.l.quarta, §.ſi communem.

Non ſolum autem inter duos fundos, verum etiam inter tres pluresve fundos accipi iudicium finium regūdorum poteſt, vtputa ſinguli plurium fundorum confines ſunt, trium fortè, vel quatuor, d.l.quarta, §.non ſolum.

Finium regundorum actio,& in agris vectigalibus, & inter eos, qui vsumfructum habent,vel fructuarium,& dominum proprietatis vicini fundi,& inter eos,qui iure pignoris posſident competere poteſt,d.l.quarta,§.finium.

Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorum rusticorum,vrbanorum diſpli cuit.neque enim confines hi,ſed magis vicini dicuntur,& ea communibus parietibus plerunque deſterminantur. & ideo ſi in agris ædificia iuncta ſint locus huic actioni non erit. Et in urbe hortorum latitudo cōtingere poteſt,ut etiam finium regundorum agi poſsit,d.l.quarta,§.hoc iudicium.

Siue via publica interuenit confinium non intelligitur,& ideo finium regundorū agi non poteſt. Quia magis in confinio meo uia publica, vel flumen ſit, quam ager uicini,ſed ſi riuus priuatus interuenit finium regundorum agi poteſt,d.l. quarta,§.fin.cum duobus ſeq.

De modo agrorum arbitri donatur, & is qui maiorem locum in territorio habere dicitur,cęteris,qui minorem locū poſsident,integrum locum adſignare compellitur,idque ita reſcriptum eſt.ff.eod.l.ſeptima.

Si interuptione fluminis fines agri cōfudit, inundatio, ideoq; vſurpandi q̃buldā loca,in quibus ius non habent, occaſionem præſtat, præſes prouinciæ alieno eos abſtinere,& domino ſuum reſtitui,terminosq; per menſorem declarari iubet.ff.eod.l.octaua,in princ.

Ad officium de finibus cognoſcentis pertinet menſores mittere, & per eos dirimere ipſam finium,quæſtionem,vt æquum eſt,ſi ita res exigit oculisq; ſuis ſub iectis locis, d.l.octaua,§.ad officium.

Iudicium finium regūdorum manet,quamuis ſocii communi diuidundo egerint, vel alienauerint fundum.ff.eod.l.iudicium 9.

In iudicio finium regundorum etiam eius ratio ſit,quod intereſt. quid enim ſi q̃s aliquam utilitatem ex eo loco percepit,quem vicini eſſe appareat? inique damnatio eo nomine fiet.ff.eod.l.quarta,§.in iudicio.

Sed & ſi menſor ab altero ſolo conductus ſit condemnatio eius erit facienda, qui non conduxit in partem mercedis,d.l.quarta,§.ſed & ſi menſor.

Poſt litem autem conteſtatam etiam fructus uenient in hoc iudicio. Nam & culpa & dolus exinde præſtantur, ſed ante iudicium percepti non omnimodo hoc in iudicium uenient,aut enim bona fide percepit,& lucrari eum oportet,ſi eos cō ſumpſit,aut mala fide,& condici oportet,d.l.quarta,§.poſt litem.

Sed,& ſi quis iudicii non pareat in ſuccidenda arbore,vel ædificio, in fine poſito deponendo;parteve eius comdemnabitur.d.l.quarta.§.ſed & ſi quis.

Si dicatur termini deiecti,vel ex arati,iudex, qui de crimine cognoſcit, etiam de finibus cognoſcere poteſt,d.l.quarta,§.ſi dicatur.

Iudicium communi diuidundo familiæ erciſcundæ, finium regundorum tale eſt, ut in eo ſingulæ perſonæ duplex ius habeant,agentis, & eius quo cum agitur,ff. eo.l. iudicium,x.

In finalibus q̃ōnibus uetera monumēta, cenſus auctoritas ante litem inchoatā ordinati ſequenda eſt,modo ſi non uarietate ſucceſsionum & arbitrio poſſeſſorū fines additis,vel detractis agris, poſtea ꝑmutatos ꝓbeī,ff.eo.l. in finalibus,xi.

Eos terminos quantum ad dominii quæſtionem pertinet obſeruari oportere fundorum,quos demonſtrauit is,qui vtriuſque prędii dominus fuit cum alterutrū eorum uenderet.non enim termini, qui ſingulos fundos ſeparabunt obſeruari debent,ſed demonſtratio adfinium nouos fines inter fundos conſtituere,ff. eo. l.eos terminos,xii.

Sciendum

Sciendum est in actione finium regundorũ illud obseruandum esse, quod ad exẽplum quodammodo eius legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse, nam illic ita est. si quis sepem ad alienum prædium fixerit, infoderitq́; terminum ne excedito, si maceriam, pedem relinquito. si uero domũ, pedes duos si scrobẽ foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum spacii relinquito, si putrum, passus latitudinem, at vero oleam, aut ficum ab alieno ad nouem pedes plantato, cæteras arbores ad pedes quinque. ff. eod. l. fi.

DE PRAESCRIPTIS VERBIS, ET IN FACTVM ACTIONIB. Titulus XIX.

Nonnunquam euenit, vt cessantibus iudiciis proditis, & uulgaribus actionibus, cum proprium nomen inuenire non possumus: facilè descendamus ad eas, quæ in factum appellantur, sed ne res exemplis egeat, paucis agendum est. Domino mercium in magistrum nauis: si sit incertum, vtrum nauem conduxerit, an merces uehendas locauerit, ciuilem actionem in factum esse dandam Labeo scripsit. item si quis precii explorandi gratia rem tradat, neque depositum, neq; commodatum erit, sed non exhibita fide, ciuilis in factum actio subiicitur. Nam cum deficiunt uulgaria, atque usitata actionum nomina præscriptis uerbis agendum est, ad quã necesse est confugere, quoties contractus existunt, quorum appellationes nullæ iure ciuili proditæ sunt. Natura enim rerum inductum est, vt plura sint negocia quam vocabula. ff. de præscrip. verb. l. prima, cum tribus seq.

Aut do tibi, vt des, aut do, ut facias, aut facio, ut des, aut facio, ut facias, in quibus quæritur quæ obligatio nascatur? Et si quidem pecuniam dem, ut rem accipiã, emptio, & uenditio est, si autem rem do, ut rem accipiam, quia non placet permutationem rerum emptionem esse, dubium non est, nasci ciuilem obligationem, in qua actione id uenit, vt non reddas, quod accepisti, sed ut damneris mihi, quanti interest mea illud, de quo conuenit accipere, vel si meum recipere velim, repetam quod datum est, quasi ob rem datum, rerum secuta. sed si scyphos tibi dedi, ut equum mihi dares, periculo meo equus erit, ac tu duntaxat culpam præstare debes. At cum do, ut facias, si tale sit factum, quod locari solet: (puta ut tabulam piagas) pecunia data locatio erit, sicut in superiore casu emptio, si res non erit locatio, sed nascetur, uel ciuilis actio in hoc, quod mea interest, vel ad repetendum condictio. Quod si faciam ut des, & posteaquam feci, cesses dare, nulla erit ciuilis actio, & ideo de dolo dabitur. Sed si facio, ut facias, hæc species tractatus plures recipit. nam si pacti sumus, ut tu a meo debitore carthagini exigas ego à tuo Romæ, vel ut tu in meo, ego in tuo solo ædificem, & ego ædificaui, tu cessas: in priore specie mandatum, quodammodo interuenisse uidetur, sine quo exigi pecunia, alieno nomine non potest. Quamuis enim & impendia sequantur, tamen mutuum officium præstamus, & potest mandatum ex pacto etiam naturam suam excedere, possum enim tibi mandare, ut in custodiam mihi præstes, vt non plus impendas in exigendo, quam decem, & si eundem quantitatem impenderimus, nulla dubitatio est. Sin autem alter fecerit, ut & hic mandatum interuenisse uideatur, quare refundemus inuicem impensas. neque enim de re tua tibi mando, sed Tutius erit, & in insulis fabricandis, & in debitoribus exigendis p̃scriptis uerbis dari actionem, q̃ actio similis erit mãdati actioni, quemadmodũ in su pioribus casibus locationi, & emptioni, ff. eo. l. 5.

Insulam,

Insulam, hoc modo, vt aliam insulam reficeres, vendidi, respondit nullam esse venditionem, sed ciuili intentione incerti agendum, ff. eo. l. sexta.

Ob eam causam quis accepto liberatus, vt nomen Tirii debitoris delegaret, si fidem contractus non impleat, incerti actione tenebitur. itaque iudicis officio non vetus obligatio restaurabitur, sed promissa præstabuntur, aut condemnatio sequetur, ff. eod. l. septima.

Partis tertiæ vsumfructum uxori legauit. hæredis bona ab eius creditoribus distracta sunt, & pecuniam, quæ ex æstimatione partis tertiæ fiebat, mulier accepit fruendi causa, & per ignorantiam stipulatio prætermissa est, quæritur an ab hærede mulieris pecunia, quæ fruendi causa data est, repeti possit, & qua actione? responsum est, in factum actionem dari debere, ff. eo. l. partis, 8.

Quia actionum non plenus numerus est, ideo plerunque actiones in factum desiderantur, sed & eas actiones, quæ legibus proditæ sunt, si lex iusta, ac necessaria sit, supplet prætor in eo, quod legi deest, quod facit in lege Aquilia, reddendo actiones in factum accommodatas legi Aquiliæ, idque vtilitas eius legis exigit, ff. eod. l. quia, 9.

Si uir uxori suæ fundos vendiderit, & in venditione comprehensum est, conuenisse inter eos, si ea nupta ei esse desisset, vt eos fundos, si ipse uellet, eodem precio mulier vires transcriberet, in factum iudicium erit reddendum, idque, & in aliis personis obseruandum est, ff. eo. l. si uir, x.

Si tibi rem uendendam certo precio dedissem, vt quo pluris vendidisses, tibi haberes, placet neque mandati, neque pro socio actionem esse, sed in factum, qua si alieno negocio gesto, quia, & mandata gratuita esse debent, & societas non videtur cōtracta in eo, quod te non admisit socium distractionis, sed sibi precium certum excepit, ff. eo. l. si tibi, 13. in prin.

Si tibi areæ meæ dominium dedero ea lege, vt insula ædificata, mihi partem reddas, neque emptionem esse, quia precii loco partem rei meæ recipio, neq; mandatum, quia non est gratuitum, neque societatem, quia nemo societatem contrahendo rei suæ dominus esse desinit, d. l. si tibi, §. Iulianus.

Sed si pecus pascendum tibi dedero ita, ut si post certos annos venisset, precium inter nos communicaretur: abhorrere hæc ab area, eo quod hic dominus esse non desinit, qui prius fuit. competit igitur pro socio actio. sed si forte pecus dominii tui fecero, idem erit, quod in area, quia dominium desinit ad primum dominum pertinere, quid ergo est? in factum putat actionem Iulianus dandam igitur & si quis areæ dominium non transtulerit, sed passus sit, sic te ædificare vt communicaretur, uel ipsa, uel precium, erit societas. idemq; & si partis areæ dominium transtulerit partis non, & eadem lege ædificare passus sit, d. l. si tibi, §. Iulianus vsque ad finem.

Quis seruandarū merciū cā alienas merces in mare proiecit, nulla tenet actione, si sine causa id fecit, in factum, si dólo de dolo, ff. eo. l. qui seruandarū, 14. in prin.

Sed & si calicem argenteum quis alienum in profundum abiecerit, id damni dandi causa, non lucri faciendi, Pomponius scribit, neque damni iniuriæ actionem esse, in factum tamen esse agendum, d. l. qui seruandarum, §. sed & si calicem.

Si Glans ex arbore tua in meum fundum cadet, eamque ego immisso pecore depascam: Aristo scribit, non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri posit, nam neque ex lege duodecim tabularum de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur, neque de pauperie, neque damni iniuriæ agi posse, in factum, itaque erit agendam, d. l. qui seruandarum, §. fin.

Permisisti

Permisisti mihi cretam eximere ex agro tuo, ita ut eum locum, unde exemissem, replerem, exemi, nec repleo, quæsitum est, quam habeas actionem? sed certum est ciuilem actionem incerti competere, sin autem uendidisti cretam: ex vendito ages. quod si post exemptionem cretæ fossam repleuero, nec patiaris me cretam tolere: tunc agam ad exibendum: quia mea facta est, cum uoluntate tua exempta sit, ff. eo. l. permisisti, 16. in prin.

Permisisti mihi, ut sererem in fundo tuo, & fructus tollerem, si non patiaris me fructus tollere, nullam iuris ciuilis actionem esse. Aristo ait, an autem in factum dari debeat, deliberari posse, sed de dolo erit, d. l. permisisti, §. fi.

Si gratuitam tibi habitationem dedero, an commodati agere possim? & Viuianus ait posse, sed est Tutius præscriptis uerbis agere, ff. eo. l. si gratuitam, 17. in prin.

Si margarita tibi æstimata dedero, ut aut eadem mihi adferas, aut precium eorum, deinde ea perierint ante uenditionem, cuius periculum sit? & ait Labeo, (quod & Pomponius scribit) si quidem ego venditorem rogaui, meum esse periculum, si tu me, tuum, si neuter neutrum, sed duntaxat consensimus: teneri te hactenus, ut dolum & culpam mihi præstes, actio autem ex hac causa utiq; erit præscriptis uerbis, d. l. si gratuitam, §. si margarita.

Papinianus scripsit. si rem tibi inspiciendam dedi, & dicas te perdidisse, ita demũ mihi præscriptis uerbis actio competit, si ignorem ubi sit. nam si mihi liqueat apud te condicere, uel ad exhibendum agere, secundum hoc, si cui inspiciendum dedi, siue ipsius causa, siue utriusque: & dolum & culpam mihi præstãdam esse dicitur, propter utilitatem, periculum non si uero mei duntaxat causa datum est: dolum solum: quia propè depositum hoc accedit, d. l. si gratuitã, §. Pap.

Si cum unum bouem haberem, & uicinus unum: placuerit inter nos, ut per denos dies ego ei, & ille mihi bouem commodaremus, ut opus faceret, & apud alterũ bos perierit commodati actio non competit, quia non fuit gratuitum commodatum, uerum præscriptis uerbis agendum est. d. l. si gratuitam, §. si cum unum.

Si cum mihi vestimenta venderes, rogauero, ut ea apud me relinquas, ut peritioribus ostenderem, mox hæc perierint ui ignis, aut alia ui maiore: minime periculum ego præstabo, ex quo apparet, utique custodiam ad me pertinere, d. l. si gratuitam. §. si cum mihi.

Si quis sponsionis causa annulum accepit, nec reddidit uictori, præscriptis uerbis actio in eum competit. planè si inhonesta caussa sponsionis fuit, sui annuli duntaxat repetitio erit, d. l. si gratuitam, §. fi.

Rogasti me, ut numos tibi mutuos darem. ego cum non haberem, dedi tibi rem uendendam, ut precio vtereris, si non vendidisti, aut vendidisti quidem pecuniã autem non accepisti mutuam, utilius est ita agere, (vt Labeo ait) præscriptis verbis, quasi negocio quodam inter nos gesto proprii contractus, ff. eod. l. Rogasti, 19. in princip.

Si prædium pro te obligauero, deinde placuit inter nos, ut mihi fideiussorem præstares, nec facias melius est præscriptis verbis agi, nisi merces interueniat. nam si interuenit ex locato erit actio, d. l. rogasti, §. fi.

Apud Labeonem quæritur, si tibi equos uenales experiundos dedero, ut si in triduo displicuissent, redderes, tuque desultor in his concurrereris, & uiceris, deinde emere nolueris, an sit aduersus te ex uendito actio? & est verius præscriptis uerbis agendum. Nam inter nos hoc actum est, vt experimentum gratuitum acciperes, non ut etiam certares, ff. eo. l. apud, 20. in prin.

Item apud Melum quæritur, si mulas tibi dedero, vt experiaris, & si placuissent, emeres,

emeres, si displicuissent, ut in dies singulos aliquid præstares: deinde mulæ a grassatoribus fuerint ablatæ intra dies experimenti: quid esset præstandum? Vtrum precium, & merces, an merces tantum? & ait Mela interesse, utrum emptio iam erat contracta, an futura: ut si facta, precium petatur, si futura merces. Petatur sed non exprimit de actionibus. est autem uerum, si quidem perfecta fuit emptio, competere ex uendito actionem si uero nondum perfecta esset: talis, qualis, aduersus desultorem datur. d.l. apud, §. item apud.

Si cum emere argentum velles, Vascularius ad te detulerit, & reliquerit: & cum displicuisset tibi, filio tuo referendum dedisti, & sine dolo malo, & culpa tua perierit: Vascularii est detrimentum, quia eius quoq; caussa sit missum certè culpam eorum quibus custodiendum perferendumve dederis te præstare oportere Labeo ait, & præscriptis uerbis actio in hoc est competenda. d.l. apud, §. finali.

Quotiens deficit actio, vel exceptio, vtilis actio, vel exceptio, danda est. ff. eod. l. quotiens deficit, xxi.

Si tibi polienda, sarciendave uestimenta dederim, si quidem gratis hanc operam te suscipiente, mandati est obligatio. Si uero mercede data, aut constituta, locationis, conductionisve negocium gerit. quod si neque gratis hanc operam susceperis, neque protinus aut data, aut constituta sit merces, sed eo animo negocium gestum fuit, ut postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit: placet quasi de nouo negocio in factum dandum iudicium esse, idest præscriptis uerbis. ff. eod. l. si tibi, xxii.

Duo secundum tyberim, cum ambularēt, alter eorū, qui secum ambulabat, rogatus annulum ostendit, ut respiceret, excidit illi annulus & in tyberim deuolutus est, respondit Alfenus posse, agi cum eo in factum actione. ff. eo. l. duo, xxiii.

Titius Sempronio triginta dedit: pactique sunt, vt ex reditu eius pecuniæ tributū, quod Titius pendere deberet, Sempronius præstaret, computato interesse, quā toq; minus Tributorū nomine præstitum foret, quam eius interesse quantitas esset, ut id Titio restitueret: quod amplius præstitū esset, id ex sorte decederet: aut si & sortem, & interesse summa Tributorum excessisset, id quod amplius esset Titius Sempronio præstaret: neque de ea re ulla stipulatio interposita est, Titius consulebat id, quod amplius ex interesse Sempronius redegisset, quam tributorum nomine præstitisset: qua actione ab eo consequi posset: respondit Africanus, pecuniæ quidem creditæ, interesse non in stipulatione deductum nō deberi: verum in proposito uidendum, ne non tam pecunia intelligi debeat, quam quasi mandatum inter eos contractum: nisi quid ultra semissem consecuturus esset, sed ne ipsius quidem sortis petitionem pecuniæ creditæ fuisse: quā do si sempronius eam pecuniam sine dolo malo, vel amisisset, vel uacuam habuisset, dicendum, nihil eum hoc nomine præstare debuisse, tutiusq; esse præscriptis verbis in factum actionem dari: præsertim cum illud quoque conuenisset, ut quod amplius præstitum esset quam ex interesse redigeretur. sorti decederet, quod ipsum ius, & causam pecuniæ creditæ excedat. ff. eo. l. Titius. xxiiii.

Si tibi Scyphos dedi, ut eosdem mihi redderes: commodati actio est. si, ut pondus argenti redderes, quantū in illis esset: tamtidem ponderis petitio est per actionem præscriptis verbis, & tam boni argenti, quam illi Scyphi fuerunt. sed et si, ut vel hos Scyphos, vel eiusdem ponderis argentum dares, conuenit: idem dicendum est. ff. eod. l. finali.

DE DOLO MALO ACTIO. Tit. XX.

HOc edicto prætor aduersus varios, & dolosos, qui aliis obfuerunt calliditate quadam subuenit: ne vel illis malitia sua. sit lucrosa, vel istis simplicitas damnosa. Verba autem edicti talia sunt. QVAE DOLO MALO FACTA ESSE DICENTVR, SI DE HIS REBVS ALIA ACTIO NON ERIT. ET IVSTA CAVSA ESSE VIDEBITVR, IVDICIVM DABO: ff.de dolo malo,l.prima,in princ.

Dolum malum seruius quidem ita definiit machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, & aliud agitur. Labeo autem, posse, & sine simulatione id agi, vt quis circunueniatur, posse & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, sicuti faciunt qui per eiusmodi dissimulationem deseruiant: & tuentur uel sua, vel aliena. Itaque ipse sic definiit, dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam machinationem ad circunueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam, Labeonis diffinitio uera est, d.l. prima, §. dolũ.

Non fuit autem contentus prætor DOLVM dicere, sed adiecit MALVM. quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro sollertia hoc nomen accipiebant, maxime si aduersus hostem latronemve quis machinetur, d.l. prima, §. non fuit.

Ait prætor, SI DE HIS REBVS ALIA ACTIO NON ERIT. merito prætor, ita demum hanc actionem pollicetur, si alia non sit: quoniam famosa actio non debuit temere à prætore decerni, si sit ciuilis, vel honoraria. qua possit experiri. Vsque adeo & Pedius libro octauo scribat: etiamsi interdictum sit, quo quis experiri, uel exceptio, qua se tueri possit cessare hoc edictum. Idem, & Põponius libro vicesimo octauo. & adicit, & si stipulatione tutus sit quis, eũ actionem de dolo habere non posse, vtputa si de dolo stipulatum sit. Idem Pomponius ait, & si actionem in nos dari non oporteat: veluti si stipulatio, tam turpis dolo malo facta sit, ut nemo daturus sit ex ea actionem: non debere laborare, vt habeam de dolo malo actionem, cum nemo sit aduersus me daturus actionem, d.l. prima, §. ait prætor.

Idem Pomponius refert Labeonem existimare etiam si quis in integrum restitui possit, non debere ei hanc actionem competere, & si alia actio tempore finita sit hanc competere non debere: sibi imputaturo eo, qui agere supersedit, nisi in hoc quoque dolus malus admissus sit, vt tempus exiret, d.l. prima, §. idem Põp.

Si quis cum actionem ciuilem haberet, vel honerariam in stipulatum deductam acceptilatione, vel alio modo sustulerit, de dolo experiri non poterit, quoniam habuit aliam actionem, nisi in amittenda actione dolum malum passus est, d.l. prima, §. si quis.

Non solum autem, si aduersus eum sit alia actio, aduersus quem de dolo quæritur. vel ab eo res seruari possit, non habet hoc edictum locum, veruntamen si aduersus alium sit actio, vel si ab alio res mihi seruari potest. Ideoque si quis pupillus a Titio, tutore, auctore concludente circumscriptus sit, non debere eum de dolo actionem aduersus Titium habere, cum habeat tutelę actionem, per quam consequatur, quod sua intersit. Planè si tutor soluendo non sit, dicendum erit de dolo actionem dari ei. Nam is nullam videtur actionem habere cui propter inopiam aduersarii inanis actio est, ff. eo. l. prima, §. fin. cum quinq; legib. seq.

Et eleganter Pomponius hæc verba, SI ALIA ACTIO NON SIT, sic excipit, quasi res alio modo ei ad quem ea res pertinet salua esse non poterit, ff. eodem, l. septima, in princip.

Non solum autem si alia actio non sit, sed & si dubitetur, an alia sit, putat Labeo de dolo dandam actionem: & adfert talem speciem. Qui equum mihi debeat, vel ex uenditione, vel ex stipulatu, uenenum ei dedit, & sic eum tradidit, uel fundum, & dum tradit imposuit ei seruitutem, vel ædificia diruit, arbores excidit, vel extirpauit, ait Labeo siue cauit de dolo, siue non, dandam in eum de dolo actionem, quoniam si cauit, dubium est, an competat ex stipulatu actio. sed est verius si quidem de dolo cautum est, cessare actionem de dolo, quoniam est ex empto, in ex stipulatu, de dolo actio necessaria est, dicta lege septima, §. non solum.

Si quadrupes tua dolo alterius damnum mihi dederit, quæritur an de dolo habeam aduersus eum actionem, & placuit mihi, quod Labeo scribit, si dominus quadrupedis non sit soluendo dari debere de dolo, quamuis si noxæ deditio sit secuta danda non sit, nec in id, quod excedit, d. l. septima, §. si quadruples.

Si dolo malo procurator passus sit uincere aduersarium meum, ut absolueretur, an de dolo mihi actio aduersus eum, qui uicit competat, potest quæri. & verum est non competere, si paratus sit reus transferre iudicium sub exceptione hac si COLLVSVM EST, alioquin de dolo actio erit danda: scilicet si cum procuratore agi non possit, quia non esset soluendo, d. l. septima, §. si dolo.

Idem Pomponius refert Cæcidianum prætorem non dedisse de dolo actionem aduersus eum, qui adfirmauerat idoneum esse eum, cui mutua pecunia dabatur, quod verum est, nam nisi ex magna & euidenti calliditate, non debet de dolo actio dari. Quod si si cum sciret eum facultatibus labi, tui lucri gratia adfirmasti mihi idoneum esse, merito aduersus eum, cum mei decipiendi gratia alium falso laudauit, de dolo iudicium datum est, d. l. septima, §. fin. cum l. seq.

Si quis adfirmauit minimam esse hæreditatem, & ita eam ab hærede emit, non est de dolo actio, cum ex uendito sufficiat. Si autem mihi persuaseris, ut repudiem hæreditatem, quasi minus soluendo sit, de dolo datur actio, si callide hoc feceris, ff. eo. l. si quis, 9. in princ.

Is, qui decipit aliquem, ut hæreditatem non idoneam adiret, de dolo tenebitur, nisi fortasse ipse creditor erat, & solus erat, tunc enim sufficit contra eum doli mali exceptio, ff. eo. l. fi.

Si oleum tuum, quasi suum defendat Titius, & tu hoc oleum deposueris apud Seium, ut is hoc uenderet, & precium seruaret donec inter uos deiudicetur cuius oleum esset, neque Titius velit iudicium accipere, quoniam neque mandati, neque sequestraria Seium conuenire potes nondum impleta conditione depositionis, de dolo aduersus Titium agendum, sed Pomponius libro vicesimo septimo posse cum sequestræ præscriptis uerbis actione agi, uel si is soluendo non sit, cum Titio de dolo, quæ distinctio uera esse uidetur, d. l. si quis, §. Labeo.

Ex hac lege notatur titulū de præscriptis verb. hūc titu. de dolo debere præcedere.

Merito causæ cognitionem prætor inseruit, neque enim passim hæc actio indulgenda est. nam ecce in primis si modica summa sit. Idest usq; ad duos aureos non debet dari, d. l. si quis, 9. §. fi. & l. idest, x. & seq. in prin.

Quibusdā ꝑsonis nō dabitur, vtputa liberis aduersus parentes cū sit famosa, sed nec humili aduersus eū, q dignitate excellet. debet dari, puta plebeio aduersus cōsularē receptæ auctoritatis, uel luxorioso, atq; ꝓdigo, aut alias vili aduersus hominē uitæ emēdationis, & ita Labeo. qd ergo est? ī horū ꝑsona dicendū est, ī factū

uerbis

uerbis temperandam actionem dandam, ut bonæ fidei mentio fiat. Nec ex dolo suo lucretur. ff. eod. l. non debet, xi. §. quibusdam. cum l. sequen.

Hæredibus tamen harum personarum, item aduersus hæredes de dolo actio erit danda. ff. eod. l. hæredibus tamen, xiii. in princ.

Item in causæ cognitione uersari Labeo ait, ne in pupillum de dolo detur actio, nisi forte nomine hæreditario conueniatur. At ex dolo suo conuenietur si proximus pubertati est: maxime si locupletior ex hoc factus est. Quid enim si impetrauerit à procuratore petitoris, ut ab eo absolueretur, vel si de tutore mentitus pecuniam accepit, uel alia similia admisit, quæ non magnam machinationem exiguunt. d. l. hæredibus. §. item in causa. cum l. sequenti.

Sed, & ex dolo tutoris si factus est locupletior in pupillum datur actio, sicut exceptio datur. ff. eod. l. sed, & ex dolo, xv. in princ.

In municipes ex suo quidem dolo non potest dari. quid enim municipes dolo facere possunt, sed si quid ad eos peruenit ex dolo eorum, qui res eorum administrant, dabitur. d. l. sed, & ex dolo. §. in municipes.

Si duo dolo malo fecerint, in uicem de dolo non agent. ff. eod. l. si duo. xxxvi.

Item si quid ex dolo procuratoris ad dominum peruenit, datur in dominum de dolo actio, in quantum ad eum peruenit: nam procurator ex dolo suo procul dubio tenetur. d. l. sed ex dolo. §. item si quid.

In hac actione designari oportet cuius dolo factum sit: quamuis in metu non sit necesse. d. l. sed ex dolo. §. final.

Item exigit prætor, ut comprehendatur. quid dolo malo factum sit: scire enim debet actor in qua circumscriptus sit: nec in tanto crimine uagari. ff. eod. l. item exigit prætor, xvi.

Si plures dolo fecerint, & unus restituerit: omnes liberantur. quòd si unus quanti ea res est præstiterit: adhuc ceteri liberantur. ff. eod. l. si plures dolo fecerint, xvii. in principio.

Hæc actio in hæredem, & ceteros successores datur duntaxat de eo quo ad eos peruenit. d. l. si plures dolo fecerint. §. finali.

In hæredem eatenus daturum se eam actionem proconsul pollicetur, quatenus ad eum peruenerit, idest quatenus ex ea re locupletior ad eum hæreditas uenerit. Dolove eius factum est, quominus peruenerit. ff. eod. l. in hæredem eatenus, xxvi. & xxvii.

Itaque si accepto lata tibi sit pecunia, omnimodo cum hærede tuo agetur. At si res tibi tradita sit: siquidem mortuo te ea res extitit, agetur cum hærede tuo: si minus non agetur. Sed utique in hæredem perpetuo dabitur, quia non debet lucrari ex alieno damno. cui conueniens est, ut & in ipso. qui dolo commiserit, in id quod locupletior esset, perpetuo dãda sit in factũ actio. ff. eo. l. itaq; xxviii.

Sabinus putat calculi ratione potius quam maleficii hæredem conueniri: denique famosum non fieri: ideoque in perpetuum teneri oporteri. ff. eo. l. Sabinus. xxix.

Neque causæ cognitio in hærdis persona erit necessaria. ff. eod. l. neque causæ, xxx.

Arbitrio quoque Iudicis in hac actione restitutio comprehenditur: & nisi fiat restitutio, sequitur condemnatio, quanti ea res est. Ideo autem & hic, & in metus causa actione certa quantitas non adiicitur, ut posit per contumaciam suam tanti reus condemnari, quanti actor in litem iurauerit. sed officio iudicis debet in utraque actione, taxatione iusiurãdum refrenari. ff. eo. l. arbitrio. xviii. in pri.

Non tamen semper in hoc iudicio arbitrio iudicis dandum est. quid enim si manifestum sit restitui non posse? Veluti si equus dolo malo traditus, defunctus

ſit. ideoque protinus condemnari debeat in id, quod interſit actoris. d.l. Arbitrio. §. non tamen ſemper.

Si dominus proprietatis inſulam, cuius uſusfructus legatus erat, incenderit: non eſt de dolo actio, quoniam aliæ ex hoc oriuntur actiones. d.l. Arbitrio. §. ſi dominus proprietatis.

De eo qui ſciens commodaſſet pondera, ut uenditor emptori merces adpēderet. Trebatius de dolo dabat actionem, Atquin ſi maiora pondera commodauit: id quod amplius mercis datum eſt, repeti condi tione poteſt, ſi minora: ut reliqua mers detur ex empto agi poteſt. niſi ſi ea condictione mers uenit, ut illis ponderibus tradentur. cum ille decipiendi cauſa adfirmaſſet ſe æqua pondera habere. d.l. Arbitrio. xviii. §. de eo qui.

Dolo cuius effectum eſt ut lis temporibus legitimis tranſactis pereat, Trebatius ait de dolo dandum iudicium, non ut arbitrio iudicis res reſtituatur, ſed, ut tantum actor conſequatur, quanti eius interfuerit id non eſſe factum: ne aliter obſeruantibus lex circumſcribatur. d.l. Arbitrio, §. dolo cuius.

Si fideiuſſor promiſſum animal ante moram occiderit: de dolo actio nem reddi ad uerſus eum oportere Neratius Priſcus, & Iulianus reſponderunt: quoniam debitore liberato, per conſequentias ipſe quoque dimittitur. ff. eod. ſi fideiuſſor promiſſum. xix.

Si perſuaſeris mihi nullam ſocietatem tibi fuiſſe cum eo, cui hæres ſum, & ob id iudicio abſolui te paſſus ſim: dandam mihi de dolo actionem Iulianus ſcribit. ff. eod. l. ſeruus, xx. §. ſi perſuaſeris mihi.

Cum quis perſuaſerit familiæ meæ, ut de poſſeſsione decedat: poſſeſsio quidem non amittitur, ſed de dolo malo iudicium in eum competit, ſi quid damni mihi acceſſerit. ff. eod. l. cum quis perſuaſerit, xxxi.

Si cum mihi permiſiſſes ſaxum ex fundo tuo eicere uel cretam uel harenam fodere, & ſumptum in hanc rem fecerim, & non patiaris me tollere: nulla alia quam de dolo malo actio locum habebit. ff. eod. l. ſi cum mihi, xxxiiii.

Quod ſi deferente me iuraueris, & abſolutus ſis, poſtea periurium fuerit ad probatum. Labeo ait de dolo actionem in eum dandam. Pomponius autem per iuſiurandum tranſactum uideri, quam ſententiam, & Marcellus libro octauo. digeſtorum probat: ſtari enim religioni debet. Nam ſufficit per iurii pœna. ff. eod. l. quod ſi deferente, xxi. cum l. ſequen.

Si legatarius cui ſupra modum legis falcidiæ legatum eſt, hæredi adhuc ignoranti ſubſtantiam hæreditatis ultro iurando, vel quadam alia fallacia perſuaſerit, tanquam, ſatis abundeque ad ſolida legata ſolvenda ſufficiat hæreditas, atq; eo modo ſolida legata fuerit conſecutus, datur de dolo actio. ff. eod. l. ſi legatarius cui. xxiii.

Cum a te pecuniam peterem, eoque nomine iudicium acceptum eſt, falſo mihi perſuaſiſti tamquam eam pecuniam procuratori ſoluiſſes: eoque modo conſecutus es, ut conſentiente me abſoluereris: quærentibus nobis, an in te doli iudicium dari debeat, placuit de dolo actionem non dari: quia alio modo mihi ſuccurri poteſt. Nam ex integro agere poſſum; & ſi obiiciatur exceptio rei iudicatæ, replicatione iure uti potere. ff. eod. l. cum a te pecuniam. xxv.

Rei, quam uenalem poſſeſſor dabebat, litem proprietatis aduerſarius mouere cæpit. & poſteaquam oportunitatem emptoris cui uenundari potuit peremiſ, deiit: placuit poſſeſſori hoc nomine actionem in factum cum ſua indemnitate competere. ff. eod. l. rei, quam uenalem, xxxiii.

Si quis

Si quis tabulas testamenti apud se deposita, post mortem testatoris deleuit, vel alio modo corruperit, hæres scriptus habebit aduersus eam actionem de dolo, sed & his quibus legata data sunt, danda erit de dolo actio, ff. eo. l. si quis, 35.

Quod venditor, vt commendet dicit, sic habendum quasi neque dictum, neque promissum est, si vero decipiendi emptoris causa dictum est, æquè sic habendũ est, vt non nascatur aduersus dictum promissumve actio, sed de dolo actio, ff. eod. l. si uenditor, 37.

Quidam debitor epistolam, quasi à Titio mitti, creditori suo effecit, vt ipse liberetur, hac epistola creditor deceptus Aquiliana stipulatione & acceptilatione liberauit debitorem. postea epistola falsa, vel inani reperta, creditor maior quidem annis uigintiquinque de dolo habebit actionem, minor autem in integrum restituetur, ff. eod. l. quidam debitor, 38.

Si te Titio optuleris de ea re, quam non possidebas, in hoc, ut alius usucapiat, & iudicatum solui satisdederis, quamuis absolutus sis, de dolo malo tamen teneberis, & ita Sabino placet, ff. eo. l. pen.

Ex depositi, & commodati, & mandati & tutelæ & negociorum gestorum ob dolum malum defuncti hæres insolidum tenetur, ff. de obl. & act. l. ex depositi, 12.

Ex institutionibus titulo de actionibus,

Omnes autem actiones, vel in simplum conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel quadruplum, Inst. de actionibus, §. omnes autem.

In simplum agitur veluti ex stipulatione, & mutui datione ex empto, vendito, locato, conducto, mandato, & deniq; ex aliis, quam plurimis causis, Inst. de actionibus, §. in simplum.

In duplum agitur ex legato, quod uenerabilibus locis relictum est, & ex damno iniuria ex lege Aquilia, & interdum ex deposito, quæ actiones inficiationes duplicantur, in confitentem autem in simplum dantur, sed illa quæ de iis competit, quæ relicta venerabilibus locis sunt, non solum inficiatione duplicantur, sed etiam si distulerit relicti solutionem vsque quo iussu magistratuum conueniatur, in confitentem vero, & antequam iussu magistratuum conueniatur soluentem, simpli redditur, Inst. de actionib. §. in duplum.

De tigno iniuncto.

Lex duodecim tabularum, neque soluere permittit tignum furtiuum ædibus, vel uineis iniunctum, neque uindicare (quod prouidenter lex efficit, ne uel ædificia sub hoc prætextu diruantur, uel uinearum cultum turbetur) sed in eum, qui conuictus est iniunxisse in duplo dat actionem Tigni autem appellatione continetur omnis materia ex qua ædificium constat, uineæq; necessaria. Vnde quidam aiunt teguiam quoque & lapidem, & cæmenta cæteraq; si qua ædificii sunt utilia. hac appellatione contineri. Sed & in uineis Tigni appellatione omnia uineis necessaria continentur, utputa perticæ pedamenta. Sed & ad exhibendum danda est actio. Nec enim parti oportet ei, qui sciens alienam rem ędificio inclusit, iniunxitve. non enim sic eum conueniemus, quasi possidentem, sed ita quasi dolo malo fecerit, quominus possideat, ff. de tigno iniũcto, l. pri.

Sed si proponas tigni furtiui nomine ædibus iniuncti actum deliberari poterit, an extrinsecus sit rei uindicatio. & esse non dubitatur, ff. eo. l. fi.

Tripli uero agitur cum quidam maiorem uera æstimatione quantitatem in libel-

lo conuentionis inferunt, ut ex hac causa uiatores, id est executores litium, amplioré m summam sportularum nomine exigerent? Tunc enim id, quod propter eorum causam damnum passus fuerit reus, in triplum ab actore consequetur, ut hoc triplo, & simplum, in quo damnum passus est, connumeretur, Institu. de actionibus, §. tripli uero.

Quadrupli autem agimus de eo, quod metus causa factum sit, & de ea pecunia, quæ in hac data sit, ut is, cui datur, calumniæ causa, negocium alicui faceret, vel non faceret. Item ex lege condictitia in quadruplum condemnantur executores litium, qui contra iuris normam a reis quicquam exegerint, sed quod attinet ad actionem de eo, quod metus causa factum sit, eius natura tacitè continetur, vt qui iudicis iussu ipsam rem actori rem restituit, absoluatur, Inst. de actioni. §. quadrupli autem.

QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT. Titulus XXI.

Ait prætor, QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT, RATVM NON HABEBO. olim ita dicebatur. QVOD VI, METVSVE CAVSA. vis enim fiebat mentio, propter necessitatem impositam contrariam uoluntati, metus autem propter instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidationem, sed postea distracta est VIS mentio, quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri uideretur, ff. quod metus causa, l. prima.

Vis autem est maioris rei, impetus, qui repelli non potest, ff. eo. l. secunda.

Continet igitur hæc clausula, & uim, & metum, & si quis ui compulsus aliquid fecit per hoc edictum restituitur. sed uim accipimus atrocem, at eam, quæ aduersus bonos mores fiat, non eam, quam magistratus intulit, scilicet iure licito, & iure honoris, quem sustinet. Etenim si per iniuriam quid fecit Populi Romani magistratus, vel prouinciæ præses, Pomponius scribit, hoc edictum locum habere, si fortè, (inquit) mortis, aut verberum terrore pecuniam alicui extorsit, ff. eodem, l. tertia.

Metum accipiendum Labeo dicit, non quolibet timorem, sed maioris mali. Metum autem non uani hominis, sed qui merito, & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicemus, ff. eo. l. quinta, & sexta.

Nec timorem infamiæ hoc edicto contineri, Pedius dicit, neq; alicuius vexationis timorem per hoc edictum restitui; Proinde si quis meticulosus rem nullam frustra metuerit, per hoc edictum non restituitur, quando neque ui, neque metu factum est. Proinde si quis, in furto uel in adulterio deprehensus, vel in alio flagitio, vel dedit aliquid, vel se obligauit. Pomponius rectè scribit, posse eum ad hoc edictum pertinere, timuit enim, vel mortem, vel vincula. quamquam nō omnem adulterum, vel furem licet occidere, nisi se telo defendat, sed potuerant, vel non iure occidi, & ideo iustus fuit metus. sed & si ne prodatur ab eo, qui deprehendit, alienauerit, succesturi ei per hoc edictum videtur, quoniam si proditus esset, potuisset ea pati, quæ diximus, ff. eod. l. septima.

Isti quidem, & in legem Iuliam incidunt, qui quid pro comperto stupro acceperunt, prætor tamen, vt restituat, interuenire debet. nam & gestum est malo more. & prætor non respicit, an adulter sit, qui dedit, sed hoc solum, quod hic accepit, metu mortis illato. quid si dederit, ne stuprum patiatur, vir, seu mulier, hoc

edictum locum habet cum uiris bonis iste metus maior, quam mortis esse debeat. Hæc, quæ diximus ad edictum pertinere, nihil interest, in se, quis ueritus sit, an in liberis suis, cum pro affectum magis in liberis parentes terreantur, ff. eod. l. isti quidem, 8.

Metum autem præsentem accipere debemus, non suspitionem inferendi eius, & ita Pomponius scribit. Ait enim metum accipiendum, si illatus est timor ab aliquo. Denique tractat, si fundum meum dereliquero, audito quod quis cum armis veniret, an huic edicto locus sit, & refert Labeonem existimare, edicto locum non esse, sed &, VNDE VI, interdictum cessare, qm̃ non uidear ui deiectus, qui deici non expectaui, sed profugi. aliter atque si postea, quam armati ingressi sunt, tunc discessi. huic enim edictum locum fore. idem ait, & si fortè adhibita manu, in meo solo per uim ædifices, & interdictum: QVOD VI, AVT CLAM, & hoc edictum locum habere, scilicet quoniam metu patior id te facere, sed & si per uim tibi possessionem tradidero. Dicit Pomponius huic edicto locum esse, ff. eo. l. metum autem, 9. in prin.

Animaduertendum est autem, quod prætor hoc edicto generaliter, & in rem loquitur, nec adiicit a quo gestum sit, & ideo siue singularis sit persona, quæ metũ intulit, vel populus, vel curia, uel collegium, vel corpus huic edicto locus erit. Sed licet uim à quocunque prætor factam complectatur, eleganter autem Pomponius ait, si quo magis te de ui hostium, vel latronum, vel populi tuerer, uel liberarem, aliquid accepero a te, uel te obligauero, non debere me hoc edicto teneri, nisi ipse hanc tibi uim sub nisi. cæterum si alienus sum à ui, teneri me non debere. ego enim operæ potius meæ mercedem accepisse uideor, d. l. metum, §. animaduertendum.

Sed quod prætor ait. RATVM NON HABEBO, quatenus accipiendum est, uideamus. Et quidem aut imperfecta res est, licet metus interuenerit, vt puta stipulationem, numeratio non est secuta, aut perfecta, si post stipulationem, & numeratio facta est, aut per metum accepto debitor liberatus est, uel quid simile contigit, quod negocium perficeret. Et Pomponius scribit, in negociis quidem perfectis, & exceptionem interdum, & actionem competere, in imperfectis autem solam exceptionem, d. l. metum, §. sed quod.

Ex facto Vulpianus refert cum campani metu cui cuidam illato extorsissent cautionem pollicitationis) rescriptum esse ab Imperatore posse eum a prætore in integrum restitutionem postulare, & prætorem se adsistente interlocutum esse, vt siue actione vellet aduersus campanos experiri esse ꝑpositam, siue exceptione, aduersus petentes non desse exceptionem ex qua constitutione colligitur, ut siue perfecta, siue imperfecta sit res, & actio, & exceptio detur, d. l. metum, §. ex facto.

Volenti autem datur, & in rem actio, & in personam, rescissa acceptilatione, uel alia liberatione, d. l. metum, §. uolenti.

Iulianus putat eum, cui res metus causa tradita est, non solum reddere, uerum etiam de dolo repromittere debere, d. l. metum, §. Iulianus.

Licet etiam in rem actionem dandam existimemus, quia res in bonis eius est, qui uim passus est, uerum non sine ratione dicetur, si in quadruplum quis egerit, finiri in rem actionem, uel contra, d. l. metum, §. licet autem.

Ex hoc edicto restitutio facienda est in integrum officio iudicis, idest vt si per uim res tradita sit retradatur, & de dolo (sicut dictum est) repromittatur, ne fortè deterior res facta sit. Et si acceptilatione liberatio interuenerit, restituenda erit in pri-

in pristinum statum obligatio: usque adeo, ut Iulianus scribat, si pecunia, quæ debita fuit, accepto per vim facta sit, nisi vel soluatur, vel restituta obligatione iudicium accipiatur. in quadruplo eum condemnandum, sed & si per vim stipulanti promisero, stipulatio accepto facienda erit, sed & si usus fructus, uel seruitutes amissæ sint, restituendæ erunt, d.l. metum, §. ex hoc edicto.

Cum autem hæc actio in rem sit scripta, nec personam uim facientis coerceat, sed aduersus omnes restitui uelit, quod metus causa factum est, non immerito Iulianus a Marcello notatus est, scribens, si fideiussor uim intulit, ut accepta liberaretur, in reum non esse restituendam actionem, sed fideiussorem (nisi aduersus rerum quoque actionem restituat) debere in quadruplum condemnari, sed est verius, quod Marcellus notat, etiam aduersus reum competere hanc actionem, cum in rem sit scripta, d.l. metum. §. fin.

Illud verum est, si ex facto debitoris metum adhibentis, fideiussores acceptilatione liberati sint, etiam aduersus fideiussores agi posse, ut se reponant in obligationem, ff. quod metus causa, l. illud, x.

Si quis alius sine malitia fideiussoris, ut fideiussori accepto fieret, uim fecit, non tenebitur fideiussor, ut rei quoque obligationem restituat, ff. eo. l. si quis alius, xi.

Sed & fœtus pecorum, & fructus restitui, & omnem causam oportet, nec solũ eos, qui percepti sunt. Verum si plus ego percipere potui, & per metum impeditus sum, hæc quoque præstabit, ff. eo. l. sed &, 12. in prin.

Quæri poterit, an etiam ei, qui uim fecerat, passo uim restitui prætor uelit, ꝑ hoc edictum ea, quæ alienauit? Et Pomponius scribit, non oportere ei prætorem opem ferre. nam cum liceat (inquit) uim vi repellere, quod fecit, passus est. Quare si metu te coegerit, sibi promittere, mox ego eum coegero, metu te accepto liberare, nihil esse, quod ei restituatur, d.l. sed & partus, §. quæri.

Iulianus ait, & eum, qui vim adhibuit debitori suo, ut ei solueret, hoc edicto nõ teneri propter naturam, QVOD METVS CAVSA actionis, quæ damnum exigit, quamuis negari non possit, in legem Iuliam eum de ui incidisse, & ius crediti amisisse. Extat enim decretum Diui Marci in hęc uerba. Optimum est, vt si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Et cum Marcianus inde diceret uim nullam feci. Cæsar dixit. Tu uim putas esse solum, si homines vulnerentur? vis est, & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debitoris, non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo iudice temere possidere, uel accepisse, sibiq; ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit, d.l. sed & partus, §. finali, cum l. sequenti.

Item si cum exceptione aduersus te perpetua tutus essem, coegero te acceptum mihi facere cessabit hoc edictum, quia nihil tibi abest, ff. eo. l. item si, 14. in princ.

Si quis non restituat, in quadruplum iudicium in eum pollicetur. Quadruplabitur autem omne, quodcunq; restitui oportuit. satis enim clementer cum reo prætor egit, ut daret ei restituendi facultatem, si uult pœnam euitare. post annum vero in simplum actionem pollicetur, sed non semper: sed causa cognita, d.l. item si, §. si quis.

In causæ autem cognitione uersatur, ut si actio non sit, tunc hæc detur, & sanè cũ per metum facta iniuria anno quidem utili exoleuerit: idonea causa esse debet, ut post annum actio hæc dari debeat. Alia autem actio esse sic potest, si is, cui uis admissa est, decesserit: hæres eius habet hæreditatis petitionem. quoniã pro possessore, qui uim intulit, possidet propter quod hæredi non erit, QVOD

METVS

METVS CAVSA actio: quamuis si annus largiretur, etiam hæres in quadruplum experiri posit. ideo autem successoribus datur, quoniam & rei habet persecutionem, d.l. item si, §. in causæ.

In hac actione non quæritur, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecerit. sufficit enim hoc docere metum sibi illatum, vel vim, & ex hac re eum, qui conuenitur, & si crimine caret, lucrum tamen sensisse. Nam cum metus habebit in se ignorantiam. meritò quis non adstringitur, vt designet, quis ei metum, vel vim adhibuerit, & ideo ad hoc tantum actor adstringitur, ut doceat metum in causa fuisse, vt alicui acceptam pecuniam faceret, vel rem ita tradere, vel quid aliud faceret. Nec cuiquam iniquum uideatur ex alieno facto, alium in quadruplum condemnari, quia non statim quadrupli est actio, sed si res non restituatur, d.l. item si, §. in hac actione.

Hæc autem actio, cum arbitraria sit, habet reus licentiam ab arbitrio dato, vsq; ad sententiam, restitutionem (secundum quod supra diximus) rei facere, quod si non fecerit: iure meritoq; quadrupli condemnationem patietur, d.l. item si, §. hæc autem actio.

Aliquando tamen, & si metus adhibitus proponatur arbitrium absolutionem adfert. quid enim si metum quidem Titius adhibuit, me non conscio: res autem ad me peruenit, & hæc in rebus humanis non est sine dolo malo meo: nonne iudicis officio absoluar? Vnde quidam putant bonæfidei emptorem, ab eo, qui vim intulit, comparantem, non teneri: nec eum, qui dono accepit, vel cui res legata est, sed rectißimè Iuliano videtur, etiam hos teneri: ne metus, quem passus sum, mihi captiosus sit. Pedius quoque libro octauo scribit, arbitrium iudicis in restituenda re tale esse, vt eum quidem, qui vim admisit, iubeat restituere, etiam si ad alium res peruenit: eum autem, ad quem peruenit, etiam si alius metum fecit. nam in alterius præmium verti alienum metum non oportet, d.l. item si, 14. §. aliquando.

Labeo ait si quis per metum reus sit constitutus, & fideiussorem volentem dederit, & ipse, & fideiussor liberatur. si solus fideiussor metu accesit, nō etiam reus, solus fideiussor liberabitur. Quadruplatur autem id, QVANTI EA RES ERIT, cum fructibus, & omni causa, d.l. item, §. Labeo.

Si quis per uim stipulatus, cum acceptum non faceret, fuerit in quadruplum condemnatus: ex stipulatu eum agentem, aduersus exceptionem replicatione adiuuari, Iulianus putat: cum in quadruplo. & simplum sit reus consecutus. Labeo autem etiam post quadrupli actionem, nihilominus exceptione submouendum eum, qui vim intulit, dicebat, quod cum durum videatur, ita temperandum est, vt tam tripli condemnatione plectatur, quam acceptilationem omnimodo facere compellatur, d.l. item si, §. si quis per uim.

Quatenus autem diximus quadruplo simplum inesse, sic hoc disponendum est, vt in condemnatione quadrupli, res quidem omnimodo contineatur, & eius restitutio fiat: pœna autem vsque ad triplum præstetur, d.l. item si, §. si quis per vim.

Sed & si non culpa ab eo, cum quo agitur, obierit: si tamen peritura res non fuit: si metum non adhibuisset: tenebitur reus, sic, & interdicto, VNDE VI, VEL QVOD VI, AVT CLAM: obseruatur. itaque interdum equi mortui precium recipit, quanti eum uenditurus fuerat, si uim passus non esset, d.l. item si, §. sed & si non culpa.

Qui vim intulit, cum possesionem à me sit consecutus, fur non est: quamuis, qui rapuit, fur improbior esse videatur, ut Iuliano placet. Eum qui metum fecit, &

de dolo

de dolo teneri certum est. (& ita Pomponius) & consumi alteram actionem per alteram, exceptione in factum opposita, d.l. item si, §. qui vim.

Julianus ait, quod interest, quadruplari solum, & ideo eum, qui ex causa fideicommissi, quadraginta debeat, si trecenta promiserit per uim, & soluerit, ducentorum sexaginta quadruplum consecuturum. in his enim cum effectu uim passus est. secundum hæc si plures metum adhibuerint, & vnus fuerit conuentus, si quidem sponte rem ante sentētiam restituerit, omnes liberati sunt. Quod & si non fecerit, sed ex sententia quadruplum restituerit, verius est etiam sic perimi aduersus cæteros, QVOD METVS CAVSA actionem. Aut in id dabitur aduersus cæteros actio, quod minus ab alio exactum est, d.l. item si, §. fina. cum l. sequenti.

Quod diximus, si plures metum admiserunt, idem dicendum erit, & si ad alium res peruenit, & alter metum adhibuit, ff. quod metus causa, l. quod diximus, in prin.

Hæc actio hæredi, cæterisque successoribus datur, quoniam rei habet persecutionem. in hæredem autem, & cæteros in id, quod ad eos peruenit, datur non immerito. licet enim pœna ad hæredem non transit, attamen quod turpiter, vel scelere. quæsitum est, (vt est rescriptum) ad compendium hæredis non debet pertinere, d.l. quod diximus, §. hæc actio.

Videamus ergo, si hæres, ad quem aliquid peruenit, consumpserit, quod peruenit, an desinat teneri, an vero sufficiat semel peruenisse? & si consumpta eo decesserint, vtrum aduersus hæredem eius omnimodo competat hæc actio, quoniam hæreditariam suscepit obligationem, an non sit danda, quoniam ad secundum hæredem nihil peruenit? Et melius est omnimodo competere in hæredem hæredis actionem. sufficit enim semel peruenisse ad proximum hæredem, & quod perpetua actio esse cæpit. alioquin dicendum erit, nec ipsum, qui consumpsit, quod ad eum peruenerit, teneri, ff. eo. l. videamus, 17.

Si ipsa res, quæ ad alium peruenit, interiit non esse locupletiorem dicemus. si vero in pecuniam, aliamve rem conuersa sit, nihil vltra quærendum est, quis exitus sit; sed omnimodo locuples videtur, licet postea deperdat. Nam & Imperator Titius Antoninus Claudio Frontino, de preciis rerum hæreditariarum rescripsit: ob id ipsum peti hæreditatem ab eo posse, quia licet res, quæ in hæreditate fuerant, apud eum non sint, tamen precium earum locupletem eum, vel sæpius mutata specie faciendo, perinde obliget, ac si corpora ipsa in eadem specie mansissent, ff. eo. l. si ipsa res, 18.

Quod autem in hæredem eatenus pollicetur actionem proconsul, quatenus ad eum peruenerit: intelligendum est, ad perpetuo dandam actionem pertinere, ff. eod. l. quod autem, 19.

Quantum autem ad hæredem peruenit, litis contestatæ tempore spectabitur, si modo certum sit, aliquid peruenisse, idem & si in ipsius, qui vim intulit corpus patrimonii, sic peruenerit aliquid, vt certum sit ad hæredem peruenturum. idem si debitor liberatus est, ff. eo. l. quantum, 20.

Quod metus causa gestum erit, nullo tempore prætor ratum habebit, qui possessionem non sui fundi tradidit: non quanti fundus est; sed quanti possessio: eius quadruplum, vel simplum cum fructibus consequetur, æstimatur enim, quod restitui oportet, idest quod abest. Abest autem nuda possessio cum suis fructibus, quod & Pomponius scribit. Si dos metu promissa sit, non nascitur obligatio, quia est uerissimum, nec talem promissionem dotis ullam esse, ff. eo. l. si mulier, xxi. §. quod metus causa.

Si metus

Si metu coactus sim ab emptione, vel locatione discedere: videndum est, an nihil sit actum, & antiqua obligatio remaneat, an hoc dissimile sit acceptilatione, qa nulla bonæ fidei obligatione possumus nisi, cum finita sint, dum amittitur, & magis est, vt similis species acceptilationis sit, & ideo prætoria nascatur, d. l. mulier, §. si metu.

Si metu coactus adii hæreditatem. ego hæres efficiar, quia quamuis si liberum esset, noluissem: tamen coactus uolui: sed per prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur. Si coactus hæreditatem repudiem, duplici uia prætor mihi succurrit, aut utiles actiones, quasi hæredi dando, aut actionem, QVOD METVS CAVSA præstando, ut quam uiam ego elegero, hæc mihi pateat, d. l. si mulier, §. fin.

Qui in carcerem, quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret. quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est, ff. eo. l. pen.

Non est verisimile compulsum in vrbe iniq; indebitum soluisse eum, qui claram dignitatem, se habere prætendat, cum potuerit is ius publicum inuocare, & adire aliquem potestate præditum, qui utique uim eum pati prohibuisset; sed huiusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes violentiæ opponere, ff. eodem, l. finali.

Si iusto metu præteritus cognitione iudicis: ad quem ut uinctus iret, potens aduersarius minabatur, id quod habere licebat, compulsus uendidit: res suæ æquitati per præsidem prouinciæ restituitur, d. l. fi. §. si iusto.

Si quis quod aduersario non debebat, delegante eo per uim apparitione præsidis interueniente sine notione iudicis coactus est dare, iudex in ciuiliter extorta restitui ab eo, qui rei damnum præstitit, iubeat. Quod si debitis satisfecit, simplici iussione, & non cognitione habita: quamuis non extra ordinem exactionem fieri: sed ciuiliter oportuit, quæ tamen solutioni debitarum ab eo quantitatum pro fecerunt reuocare in ciuile est, d. l. fi. §. fi.

Persecutionem eorum, quæ vi, vel furto ablata sunt, etiam si postea interciderunt, integram esse, iure responsum est, C. de iis, quæ VI, metusve causa. gest. sunt, l. prima.

Cum te non solum cauisse, verum etiam soluisse pecuniam confitearis, qua ratione, vt uim passus restitui, quod illatum est, postules, pespici, non potest, quin uerisimile non sit, ad solutionem te properasse, omissa querella, de chirographo, vtpote per vim extorto, nisi & in soluendo uim te passum dicas, C. eo. l. secunda.

Si ui, uel metu fundum auus tuus distrahere coactus est: etiam si maximè emptor eum alii uendidit, si tamen tu auo tuo hæres extitisti: ut tibi reddito a te precio restituatur, postquam placuit in rem actionem quoque dari, secũdum formam perpetui edicti, adito præside prouinciæ poteris postulare: si modo, qui secundo loco comparauit longæ possessionis præscriptione non fuerit munitus, C. eodem, l. tertia.

Si per uim, vel metum mortis, aut cruciatus corporis uenditio uobis extorta est, & non postea eam consensu corroborastis, iuxta formam perpetui edicti intra annum quidem agentes (quo experiundi potestas est) si res non restituatur, quadrupli condemnationem referetis, scilicet reddito a uobis precio, post annum uero causa cognita eadem actio in simplum permittitur, quæ causæ cognitio, eo pertinet, ut ita demum decernatur, si alia actio non sit, C. eo. l. quarta.

Non interest à quo uis adhibita sit patri, & patruo tuo, utrum ab emptore, an uero sciente emptore ab alio, ut ui, uel metu possessionem uendere cogerentur.

Nam

Nam si adhibita ui compulsi sunt, possessiones suas, quæ maiore ualebant, minimo distrahere, iurisdictione tenore, vt id, quod improbè factum est, in priorem statum reuoluatur, impetrabunt, C. eo. l. quinta.

Ad inuidiam alicui nocere nullam dignitatem oportet, vnde intelligis, quod ad metum arguendum per quem dicis initum esse contractum, senatoris dignitas aduersarii tui sola non est idonea, C. eod. l. sexta.

Si donationis, vel transactionis, vel stipulationis, uel cuiuscunque alterius contractus obligationis confectum instrumentum metu mortis, uel cruciatu corporis extortum, vel capitales minas pertimescendo, adito præside prouinciæ probare poteris, hoc ratum haberi, secundum edicti formam non patietur, C. eo. l. septi.

Cum te domus, & horti uenditionem fecisse sub spe recipiendi, quod de frumento feceras instrumentum, vel timore, ne ad ciuilia munera nominareris proponas, & rescindi uenditionem, ueluti metus causa, factam desideres intelligis ad ratum non habendum contractum metum, huiusmodi prodesse non posse, C. eod. l. cum te, 8.

Metum non iactationibus tantum, vel contestatione, sed atrocitate facti probari conuenit, C. eod. l. metum, 9.

Accusationis institutæ, vel futuræ metu alienationem, seu promissionem factam rescindi postulantis, improbatum est desiderium, C. eod. l. accusationis, x.

Si per impressionem quis aliquem metuens, saltem in modico officio constitutum rei suæ in ea prouincia, vel loco vbi tale officium peragit, sub uenditionis titulo fecesserit cessionem, & quod emptum fuit, reddatur, & nihilominus etiã pecuniæ retineantur: simili pœna seruanda, si qui uel coniugis, vel amici nominibus abutentes, prædam tamen sibi adquirunt, C. eo. l. pen.

Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipitur infirmari, C. eod. l. fin.

DE EO QVI CALVMNIAE CAVSA PECVNIAM ACCIPIT. Titulus XXII.

IN eum, qui ut calumniæ causa negocium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse dicetur: intra annum: in quadruplum eius pecuniæ, quam accepisse dicetur, post annum simpli in factum actio competit, ff. de calum. l. prima, in prin.

Hoc autem iudicium non solum in pecuniariis causis, sed etiam ad publica crimina pertinere Pomponius scribit. Maximè cum, & lege repetundarum teneatur, qui ob negocium faciendum, uel non faciendum per calumniam pecuniam accepit, d. l. prima, §. hoc autem.

Qui autem accipit pecuniam: siue ante iudicium, siue post iudicium acceptum: tenetur, sed & constitutio Imperatoris, quæ scripta est ad Cassium Sabinum: prohibuit iudici uel aduersario in publicis, vel priuatis, vel fiscalibus causis pecuniam dare, & ex hac causa litem perire iussit, & tractari potest si aduersarius nõ per calumniam, sed transigendi animo pecuniam acceperit, an constitutio cesset, & est cesandum, sicuti hoc quoq; iudicium. neque enim transactionibus licitis est interdictum, sed sordidis concussionibus, pecuniam autem accepisse dicemus, etiam si quid pro pecunia accepit, d. l. prima, §. qui autem.

Quin etiam si quis obligatione liberatus sit, potest uideri cepisse. Idemq; si gratuita pecunia vtenda data sit, aut minoris locata, venditave res sit, nec refert, ipse

pecuniam

pecuniam acceperit, an alii iusserit dari, vel acceptum suo nomine ratum habuerit, ff. eod. l. secunda.

Et generaliter idem erit, si quid omnino compendii sensit propter hoc, siue ab aduersario, siue ab alio quocunque, si igitur accepit, ut negocium faceret, siue fecit, siue non fecit, tenetur, & qui accepit, ne faceret: & si fecerit, tenetur, ff. eod. l. tertia, in princip.

Hoc edicto tenetur etiam is, qui depectus est. Depectus autem dicitur, turpiter pactus, d. l. tertia, §. hoc edicto.

Illud erit notandum, quod qui dedit pecuniam, vt negocium quis pateretur: non habebit ipse repetitionem (turpiter enim fecit) sed ei dabitur repetitio, propter quem datum est, vt calumnia ei fiat. quare si quis, & a te pecuniam acceperit, ut mihi negocium faceret: & a me, ne mihi faceret: mihi duobus iudiciis tenebitur, d. l. tertia, § fin.

Hæc actio hæredi quidem non competit: quia sufficere ei debet, quod eam pecuniam, quam defunctus dedit, repetere potest. In hæredē autem competit in id, quod ad eum peruenit. Nam constitutum est, turpia lucra ab hæredibus quoq; extorqueri, licet crimina exstinguantur, utputa ob falsum testimonium, uel iudici ob gratiosam sententiam datam, & hæredi extorquebitur: & si quid aliud scelere quæsitum est, ff. eo. l. quarta, & quinta, in princ.

Sed etiam præter hanc actionem condictio competit, si sola turpitudo accipientis versetur. Nam si, & dantis, melior causa erit possidentis. quæritur si fuerit condictum, vtrum tollatur hæc actio, an uerò in triplum danda sit? sed sufficit alterutra actio, d. l. quinta, §. sed etiam.

Vbi autem condictio competit, ibi post annum nō est necesse dare in factum actionem, d. l. quinta, §. ubi autem fin.

Annus autem in persona quidem eius, qui dedit pecuniam, ne secum ageretur: ex eo tpe cedit, ex quo dedit, si modo potestas ei fuerit experiundi. In illius uero persona cum quo, vt agatur, alius pecuniam dedit: dubitari potest, vtrum ex die datæ pecuniæ numerari debeat, an potius ex quo cognouit datam esse: quia qui nescit, is uidetur experiundi potestatem non habere, & uerius est, ex eo annum numerari, ex quo cognouit, ff. eo. l. sexta.

Si quis ab alio acceperit pecuniam, ne mihi negocium faceret: si quidem mandato meo ei datum est, vel à procuratore meo omnium rerum, vel ab eo, qui negocium meum gerere uolebat, & ratum habui: ego dedisse intelligor. Si autem nō mandato meo alius ei (licet misericordiæ causa) dederit, ne fieret, neq; ratū habui: tūc, & ipsum repetere, & me in quadruplū agere posse, ff. eo. l. 7. ī prīc.

Si ut filio familias negocium fieret, acceptum est: etiam patri actio danda est. Item si filiusfamilias pecuniam accepit, ut faceret negociū, uel non faceret, in ipsum iudicium dabitur. Et si alius non meo mandato ei dederit, ne fiat: tunc, & ipsum repetere, & me in quadruplum agere posse, d. l. septima, §. si ut.

Cum publicanus animalia retinet, dataque ei pecunia est, quæ non debetur, & ipse ex hac parte edicti in factum actione tenetur. d. l. septima. §. fin.

Si ab eo, qui innocens fuit, sub specie criminis alicuius, quod in eo probatum non est: pecuniam acceptam is, cuius de ea re notio est, edoctus fuerit, id, quod illicitè extortum est. (secundum edicti formam, quod de his est, qui pecuniam, ut negocium faceret, aut non facerent accepisse dicentur.) restitui iubeat: & ei, qui id commisit, pro modo delicti pœnam irroget, ff. eo. l. pen.

Ex institutionibus titulo de actionibus.

Actionum autem, quædam bonæfidei sunt: quædam strictiiuris. Bonæfidei sunt hæ: ex empto, uendito, locato, conducto, negociorum gestorum, mandati, depositi, pro socio tutelæ, commodati, pignoraticia, famil. erciſc. cõi diuidundo, pręſcriptis verbis, quæ de æſtimato proponitur, & ea, quę ex permutatione competit, & hæreditatis petitio. Quamuis.n. antea incertum erat, inter bonæfidei iudicia connumeranda, hæreditatis petitio eſſet, an non: poſtea tamen apertè eam eſſe bonæfidei conſtitutum eſt. Inſt. de actionibus. §. actionum autem.

DE REI VXORIAE ACTIONE IN EX STIPVLATV ACTIOnem transfuſa, & de natura dotibus præſtita. Et ſoluto matrimonio quemadmodum dos petatur. Tit. XXIII.

FVerat antea & rei uxoriæ actio una ex bonæ fidei iudiciis, ſed cũ plenior ſit ex ſtipulatu actio: ac propterea omne ius quod rei uxorię antè habebat, cum multis diuiſionibus in actionem ex ſtipulatu, quæ de dotibus exigendis proponitur tranſlatum ſit: meritò rei uxorię actione ſublata, ex ſtipulatu actio, quæ pro ea introducta eſt, naturã bonæfidei, iudicii tm̃ in exactione dotis meruit, vt bonæfidei ſit, ſiue ſcripta fuerit ſtipl'o, ſiue nõ: vt intelligat̃ re ipſa ſtipl'o ſubſecuta: Eodẽ mõ & ſi inutiliter facta eſt ſtipl'o: nã ſi ſtipl'o ſuppoſita nõ eſt & intelligit̃, multo magis ſi inutilis eſt, valida efficitur. Inſt. de actionib. §. fuerat, & C. de rei uxorię acti. l. vnica, in prin.

Sed & tacita hypotheca dotibus data eſt ex utroq; latere, ſiue ex parte mariti pro reſtitutione dotis, ſiue ex parte mulieris, pro ipſa dote præſtanda, vel rebus dotalibus euictis ve, ſiue ipſe principales perſonæ dotes dederint, vel promiſerint, ſiue ſuſceperint, ſiue aliæ pro iis perſonæ & dos ſiue aduentitia, ſiue profectitia ſit. ita.n. & imperitia hominum, & ruſticitas, nihil eis potuit afferre præiudicii, cum illis ignorantibus, & neſcientibus prouiſum ſit, ſi enim & ſtipulationes & hypothecæ ineſſe dotib. intelligunt̃, & inutiles ſtipl'nes emendant̃: ſic in poſterum cã inuenieт̃ ualida, & ꝑfecta, quaſi omnibus dotalibus inſtr̃is à prudentiſsimis uiris confectis. Et nemo putet in his tm̃ modo dotibus, quæ inſtr̃is recepta ſunt, prouiſum fuiſſe. nihil.n. prohibet, & ſi ſine ſcriptis dos vel det̃, uel promitatur, uel ſuſcipiatur: ſimili modo intelligi factam ſtipulationem, & hypothecam ex utraque parte, quæ ſi fuerit ſcripta, & natura quidem ex ſtipulatu actionis hæc intelligat̃, re uxoria in poſterum ceſſante, d. l. vnica, §. & vt plenius.

Sed & ſi ex ſtipulatu actio ſtricto iure eſſet vallata & non ex bona fide deſcenderet, tamen quia nouã naturã de dote ſtipulatio ſibi inuenit, accõmodatur ei natura rei uxoriæ, & bonæfidei beneficiũ. & oẽs q̃dẽ euẽtus, quos dos ex ſtipulatu hẽt, manet ꝓ ſui natura exercẽs. ſi q̃d aũt optimũ ex rei uxorię actione inuenit̃: hoc in pñti ſpecialiter ei addit̃, ut ſit noua iſta ex ſtipulatu actio, q̃ cõpoſuim⁹, & nõ propria tm̃, ſed ẽt ueteris actionis pulchritudine decorata, d. l. vnica, §. ſed & ſi.

Illud ꝓculdubio in ex ſtipulatu actione ſeruat̃, vt ſi deceſſerit mulier conſtãte matrimonio dos nõ in lucrum mariti cedat, (niſi ex quibuſdam pactionibus) ſed ad mulieris hæredes & ex ſtipulatu actio ſecundũ ſuam naturam tranſmittatur, ſiue expreſſa fuerit, ſiue ex hac lege ineſſe intelligat̃. d. l. unica, §. illo ꝓculdubio.

Si matrimoniũ fuerit diſſolutũ nullo pacto adhibito, ĩ tm̃ q̃dẽ maritus cõdemnat̃, in quantum facere p̃t: q̃a hoc æq̃ſsimũ eſt, & reuerentiæ debitum maritali, ſi nõ dolo malo uerſatus eſt: cautione uidelicet ab eo exponenda: quod ſi ad meliorem fortunam peruenerit, etiam quod minus perſoluit, hoc reſtituere procuret. Exactio autem dotis celebratur, non annua, bima, trima, die, ſed omnimodo

intra

intra annum in rebus mobilibus, vel se mouentibus, vel in corporalibus: cęteris videlicet rebus, quę solo continentur ilicò restituendis, d. l. vnica, §. cum autem.

Si mulier à marito fuerit hæres instituta, & falcidię legis ratio emerserit: etiam dotis debitum licet ei, sicuti alia debita, ex substantia mariti subtrahere, & sic quartam partem deducere, d. l. unica, §. si mulier.

Fœtus iumentorum, omniaq; quæ fructuum nomine continentur, ad lucrum mariti pertinent, siue æstimata, siue nō æstimata sint. Sed & nouissimi anni, in quo matrimonium soluitur, fructus pro rata temporis portione vtriq; parti debent adsignari, in rebus scilicet non æstimatis. æstimatur. n. rerum maritus quasi emptor, & commodum sentiet, & dispēdium subibit, & periculum expectabit. Cautione videlicet defensionis in specie, in qua dotem suæ vxoris, vel nurus in familiæ ercisc undæ iudicio præcipuam filius defuncti detrahit, secundum propriam naturam ex stipulatu actionis cohæredibus suis præstanda, d. l. vnica, §. fœtus autem, & §. cautione.

Si parens per virilē sexum ascendens dote pro filia, vel pro nepote præstita, emancipauerit eam, vel ipse decesserit, in rei uxoriæ actione dos omnimodo ad mulierem pertinet, & si fuerit exhæredata (quod non erat in stipulatu actione. ibi. n. velut aliæ actiones, in omnes hæredes actio diuidebatur) sed æquissimum uisum est mulierem dotem suam præcipuam accipere, & si emancipata, vel exhæredata sit, uel cū aliis hæredib. scripta. Quæ tn̄ dos in legitima imputat̄, qn̄ testator dixerit, & actio đ inofficioso excludit̄. d. l. unica. §. videmus, & §. quo à nobis.

Si non specialiter extraneus dotem dando in suam personam stipulatus sit dotem, uel pactum fuerit: tunc præsumatur ipsa mulier stipulationem fecisse, ut ei dos ex huiusmodi casu accedat. neq; n. in hac specie uidetur extraneus tacitam stipulationem fecisse, ne quod pro mulieribus introductum est, hoc aduersus mulieres conuertatur. imò magis in huiusmodi dotibus, quæ ab extraneis dantur, uel promittuntur, ipsa mulier uidetur fecisse tacitam stipulationem: nisi expressim extraneus dotem reddi pactus fuerit, uel stipulatus, cum donasse magis mulieri, quam sibi aliquod seruasse ius extraneus non stipulando uideatur. extraneum autem intelligimus omnem citra parentem per uirilem sexum adscendentem, & in potestate dotatam personam habentem. parenti enim tacita ex stipulatu actio datur, d. l. unica, §. accedit.

Si post dissolutū matrimoniū dos à p̄re petet̄, solus actionē hēt consensu filiæ non expectato: & si decederet ad suos hæredes transmittet, d. l. unica, §. & hæc ex rei.

Si qua pacta intercesserint, uel pro restitutione, uel pro tempore, uel pro interesse, uel pro alia quacunque causa, quæ nec contra leges, nec constitutiones sint: ea obseruentur, d. l. unica, §. illud etiam.

Si uoluntate filiæ procurator à patre datus, litem de dote contestatus fuerit, & re secundum eum iudicata pater decesserit, iudicati actionem filiæ potius, quàm hæredibus patris, dari oportebit, ff. sol. mat. l. si marito, 31. §. si uoluntate.

Si constante matrimonio à marito uxori dos sine causa legitima refusa est (quod legibus stare non potest, quia donationis instar perspicitur obtinere) eadem uxor defuncta, ab eius hæredibus cum fructibus ex die refuse dotis marito restituetur, ita ut proprietas eiusdem liberis, ex eadem susceptis competens alienari contra legem à marito non possit, C. si dos const. matri. l. unica.

Quamuis mulier non in hoc accipiat constante matrimo. dotē, ut æs alienū soluat aut p̄dia idonea emat, tamen ut liberis ex alio uiro egentibus, aut fratribus, aut parentib. consulat, uel ut eos ex hostib. redimat, (q̄a iusta & honesta cā est) non

videtur male accipere. & ideo rectè ei soluitur, idq́; & in filiafam. obseruatur. ff. solut. mat. l. quamuis mulier, xx.

Si constante matrimonio propter inopiam mariti mulier agere uolet: unde exactionem dotis initium accipere ponemus? & constat, exinde dotis exactionem competere, ex quo euidentissimè apparuit, mariti facultates ad dotis exactionem non sufficere. ff. eod. l. si constante matrimonio, xxiiii. in princ.

Si exheredato marito mulier agat, magis est, ut ex die aditæ patris hæreditatis, incipiat ei dotis exactio. d. l. si constante. §. primo.

Si cum dotem daret pater, uel extraneus pro muliere in unum casum pepigit, uel in diuortium, vel in mortem: dicendum est in eum casum, in quem non pepigit esse mulieri actionem. ff. eod. l. si cum dotem, xxii. in princ.

Si post solutum matrimonium filiafam. citra patris uoluntatem exactam communem dotem consumat: patri, & uiua ea, & mortua actio superest, vt dos ipsi soluatur; quod ita uerum est, si perditurae soluatur. cæterum si non perdituræ, & ex iustis causis soluta sit: non supererit actio, sed mortuo patre, nec etiam hæredes agent, nec mulier. d. l. si cum dotem. §. si post solutum.

Si mulier soluto matrimonio egentem reum dotis per nouationem decepta accipiat: nihilominus actio dotis ei manebit. d. l. si cum dotem. §. si mulier soluto.

Si pater filia absente de dote egerit, & si omissa sit de rato satisdatio, filiæ denegari debet actio: siue patri hæres exstiterit, siue in legato tantum acceperit, quantum doti satis esset. Sed & Iulianus in pluribus locis scribit, compensandum ei in dotem, quod à patre datur: lucroque eius cedere, si tantum ab eo consecuta sit, quantum ei dotis nomine debebatur à marito, qui patri soluit. Item si patri propter condemnationem Romæ, ubi dos petatur, esse non liceat: filiæ satisdotis fieri oportet: ita tamen, ut caueat ratam rem patrem habiturum. d. l. si cum dotem. §. si pater filia.

Eo autem tempore consentire filiam patri oportet, quo lis contestatur, secundum hæc si filia dicat se patri consentire, & ante litis constationem mutauerit. voluntatem, vel etiam emancipata sit: frustra pater aget. d. l. si cum dotē. §. Eo autē.

Nec non illud quoque probamus, quod Labeo probat: nonnumquam patri denegandam actionem, si tam turpis persona patris sit, ut uerendum sit, ne acceptam dotem consumat. ideoque officium iudicis interponendum est, quatenus & filiæ & patri competenter consulatur. sed si latitet filia ne tali patri consentire cogatur, si soluto datur quidem patri actio, sed causa cognita. quid. n. si filia uerecundè per absentiam patri contradicat? cur non dicamus patri non esse dandam actionem? Quod si is pater sit, cui omnimodo consentire filiam debeat, hoc est uitæ probatæ: filia leuis mulier, uel admodum iuuenis, patri potius adquiescere Prætorem oportere, dareque ei actionem. d. l. si cum dotem. §. nec non illud.

Si soluto matrimonio pater furiosus sit: curator eius uoluntate filiæ dotem petere poterit: aut si curatoris copia non sit, agere filiam permittendum erit, caueriq́; oportebit de rato. Item dicendum est, & si ab hostibus captus sit, puellæ dādam actionem de dote repetenda. d. l. si cum dotem, §. si soluto.

Transgrediamur nunc ad articulum hunc, ut quæramus aduersus quos competat de dote actio, & aduersus ipsum maritū competere, palā est: siue ipsi dos data sit, siue alii ex uolūtate mariti, uel subiecto ueri eius, uel nō subiecto. Sed si filiusfa. maritus sit, & dos socero data sit: aduersus socerū aget: planè si filio data sit: si q. dem iussu soceri, adhuc absolutè socer tenebitur: quod si filio data sit, nō iussu pr̄is:

Sabinus

Sabinus & Cassius responderunt nihilominus cũ patre agi oportere. Videri.n. ad eum peruenisse dotem, penes quem est peculium, sufficit autem ad id eum damni, quod est in peculio, vel quod in rem patris versum est. Si autem socero dotem dederit, cum marito non poterit experiri, nisi patri hæres extiterit, d. l. si cum dotem, §. transgrediamur.

Siue autem mariti, siue uxoris periculo dos fuit: nihilominus legitimo tempore debet soluere maritus, ff. sol. mat. l. si constante, 24. §. siue autem.

Si uxor viri rem commodauerit, eaq; perierit, videndum est, an compensationem hoc nomine pati possit: & si quidem prohibuit eam maritus commodare statim deducto fit. Si uero non prohibuit eam commodare: arbitrio iudicis modicum tempus ei indulgetur, cautionem præbendi, d. l. si constante, §. si uxor.

Si fundum dotalem recepisset mulier non habita ratione fructuum pro portione anni quo nupta non fuisset, nihilominus de dote agere potest: quia minorem dotem recepisset. hoc.n. ad dotis augmentum pertinet, quemadmodum si fœtum equarum non recepisset, aut legata, uel hæreditates, quæ post diuortium adquisitæ marito fuissent. ff. sol. matri. l. marito. 31. §. fi.

Intellige de diuortio, secundũ ius canonicum.

Si bona mulieris pro parte sint publicata, superest. mulieri reliquę partis dotis exactio, imo, & si post litem contestatam publicata sit pro parte dos: sufficiet arbitrium iudicis ad patris condemnationem faciendam, quod si tota dos publicata sit: expirabit iudicium, d. l. si constante, §. fi.

Si post diuortiũ mortua muliere hrs eius cũ uiro, parẽteve eius agat, eadẽ vñr ꝗ restituẽda dote interuenire, ꝗ ipse muliere agẽte obseruari solẽt. ff. eo. l. si post. 27.

Post dotem datam, & nuptias contractas stipulatus est pater, uoluntate filiæ DIVORTIO FACTO DOTEM DARI; si ꝯdõ stipulationis impleat, & postea filia, sine liberis decesserit, non erit impediẽdus pr̃, quo minus ex stipulatu agat. Viua aũt filia, si agere vult exceptione submouendus erit. ff. eo. l. si post. 40.

Si pater ignorans filiam diuertisse, dotem ex causa promissionis numerauit, non per indebiti condictionem, sed de dote actione pecunia petẽ, ff. eo. l. si pr̃. 41.

In insulam patre deportato, qui pro filia dotem dedit, actio dotis ad filiam pertinet, post diuortium quoque patre damnato, qui dotem consentiente filia non petierat, æque dotis actio mulieris est, ff. eo. l. in insulam, 42. in prin.

Interesse numeratæ dotes ex stipulatu pater in matrimonio defuncta filia, si petat gener, qui residuæ dotis promissæ interesse stipulatus est, ita demum ad finem vice mutua debitæ quantitatis compensationem opponere iustè videtur, si propriis sumptibus uxorem suam exhibuit, alioquin si patris sumptibus exhibita sit, inanis pro interesse stipulatio cõpẽsationi non proderit, d. l. insulã, §. usuras.

Si socer a genero hæres institutus, adierit hæreditatem, quandoq; mortuo patre cum hærede eius filiam de dote acturam, Nerua & Cato responderunt, vt est relatum apud sextum Pomponium ad Aristone libro quinto, vbi idem Aristoni consensit, sed & si emancipasset pater filiam, ipse quoque conueniri potest, ff. eo. l. si socer, 44. in princip.

Lucius Titius filiæ suæ nomine centum doti promisit Caio Seio, interq; Caium Seium, & Lucium Titium fratrem mulieris conuenit, ne dos a uiro viuo Lucio Titio peteretur, postea culpa mariti separatum est matrimonium, & pater mulieris decedens alios hæredes instituit, filia exheredata. quærit an ab hæredib. soceri maritus exigere possit dotem, cum eam mulieri redditurus sit? responsum est, cũ filia aliis à patre hæredibus institutis, actionẽ de dote sua recuperãda hr̃e cæperit, necesse habebit maritus, aut exactã dotẽ, aut actiones ei pstare.

nec ullam exceptionem habebunt soceri hæredes aduersus eum, cum absurdè dicatur, dolo uideri eum facere, qui non ipsi, quem conuenit, sed alii restituturus petat. alioquin & si post mortem patris diuertisset: nondum exacta dote, excluderetur actione dotis maritus, quod non est admittendum. sed & si ex parte filia hæres patri suo extiterit: debebit maritus, cohæredes eius pro parte virili exigere, & mulieri reddere, aut actiones ei præstare, d. l. si socer, §. Lucius.

Caius Seius auus maternus Seiæ nepti, quæ erat in patris potestate, certam pecuniæ quantitatem dotis nomine Lucio Titio marito dedit, & in instrumento dotali huiusmodi pactum. & stipulationem complexus est, si inter Lucium Titium maritum, & Seiam diuortium sine culpa mulieris factum esset, dos omnis Seiæ vxori, vel Caio Seio auo materno redderetur, restitueretúrq; quæritur. cum Seius, auus maternus statim vita defunctus sit, & Seia postea sine culpa sua diuerterit, viuo patre suo in cuius potestate est: an & cui actio ex hoc pacto, & stipulatione competat? Vtrum hæredi aui materni, an nepti? responsum est in persona quidem neptis uideri inutiliter stipulationem esse conceptam, quoniam auus maternus ei stipulatus proponeretur. Quod cum ita est: hæredi stipulatoris (quandocunque diuerterit mulier) actio competere uidetur: sed dicẽdum est, Seiæ dotem posse solui, quamuis actio ei directo non competat, ac si sibi, aut illi dari auus stipulatus esset: sed & promittendam esse nepti, ex hac auita conuentione, ne commodo dotis defraudetur. vtilem actionem. fauore enim nuptiarum, & maximè propter affectionem personarum ad hoc decurrendum est, ff. eod. l. Caius, 45.

Qui dotem stipulanti uxori promiserat, eidem testamento quædam legauerat, ita tamen ne dotem ab hæredibus peteret ea, quæ legata erant, uxor capere non potuerat, respondit Paulus dotis actionem mulieri aduersus hæredes non esse denegandam, ff. eo, l. qui dotem, 46.

Si dotali instrumento, ita stipulatio interposita sit, vt liberorum nomine dos apud maritum resideat: ne potum quoque nomine dos retinebĩt, ff. eo. l. si dotali, 78.

Fundus æstimatus in dotem datus a creditore antecedente ex causa pignoris ablatus est. quæsitum est, an mulier si æstimationem dotis repetat, exceptione submouenda sit? ait enim propterea se non teneri, quod pater eius dotem pro se dedit, cui hæres non extiterit, Paulus respondit, prædio euicto sine dolo, & culpa viri: precium petenti mulieri doli mali exceptionem obesse. consequi enim eã precium fundi euicti, euidens iniquitas est, cum dolus patris ipsi nocere debeat, ff. solut. matr. l. Mæuia, 49. §. fundus æstimatus.

Maritus dotem, quam non accepit, si post diuortium per errorem soluit, repetet: quasi non numeratam pecuniam cauerit, exigi enim ab eo non potuit, ff. eodem, l. maritus, 52.

Cum mulier de dotis repetitione post solutum matrimonium agit, cauere debet marito, qui ædium nomine damni infecti cauit, si uelit eam recipere, ut periculum marito amoueatur, ff. eo. l. cum mulier, 55.

Si quis sic stipuletur à marito: SI QVO CASV TITIA TIBI NVPTA ESSE DESIERIT, DOTEM DABIS. hac generali commemoratione, & ab hostibus capta ea cõmittetur stipulatio, vel etiam si deportata fuerit. hac enim conceptione, omnes hi casus continentur. Planè quantum veniet in stipulatione, vtrum quasi mortua sit, an quasi diuortium fecerit? sed humanius, quis id competere dixerit, quod propter mortem conuenit, ff. eo. l. si quis, 56.

Si filiafam. nupta decesserit, & pater funus ei fecerit. tametsi ei doté post aliquod tempus

tempus gener reddere deberet: tamen continuo socer agendo consequetur, vt impensum funeris præsentem recipiat, cætera dotis statuto tempore soluantur,ff.eod.l.si filiafam.60.

Dabit (vt ait lex Iulia) quod ad eam peruenit: Peruenisse accipimus siue iam exegit,siue exigere potest,quia actio ei delata est,ff.eo.l.si vero,64.§.dabit.

De uiro,hæredeq; eius lex tantum loquitur: de socero,successoribusq; soceri, nihil in lege scriptum est, & hoc Labeo quasi omissum adnotat. in quibus igitur casibus lex deficit,non erit,nec utilis actio danda,d.l.si uero,§.de uiro.

Quod ait lex, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO: ostendit æstimationem hæreditatis,non ipsam hæreditatem uoluisse legem prestari,nisi maritus ipsas res tradere maluerit,& hoc enim benignius admitti debet,d.l.si vero,§.fin.

Mulier quæ centum dotis apud uirum habebat diuortio facto ducenta a uiro errante stipulata erat.Labeo putat, quanta dos fuisset, tantam deberi, siue prudens mulier plus esset stipulata,siue imprudens, Labeonis sententia probatur, ff.eod.l.penul.§.mulier.

Si vir socero,in iussu uxoris manente matrimonio dotem acceptam fecisset, etiã si id propter egestatem soceri factum esset, viri tamen periculum futurum, ait Labeo,& hoc verum est,d.l.pen.§.si uir.

Si vir uxorem suam occiderit dotis actionem heredibus vxoris dandam esse Proculus ait,& rectè. non enim æqum est uirum ob facinus suum dotem lucri facere,idemque & ex contrario statuendum est,ff.eo.l.si ab hostibus,x.§. fina.

Dos a patre profecta,si in matrimonio decesserit dos à patrẽ profecta, si in matrimonio decesserit mulier filiafam.ad patrem redire debet,C.solu.mat.l.quarta.

Si quidem viuit apud hostes uxor tua, nondum pater eius quasi hæres dotem repetere potest,si uero diem functa est,& hereditatem eius possit uindicare,dotis quoque repetitio ei iure competit,cum in stipulatum deducta sit,C.eo.l.q̃nta.

Filiæ pecuniam adimere,quam habes in potestate,minime prohiberis. nam si pro ea dotem dedisti,hanc constante matrimonio, nec consentiente, quidem ipsa matrimonio autem dissoluto inuita repetere non potes,C.eo.l.septimo.

Dotis actione successores mariti super eo, quod ei dotis nomine fuerat datum conuenire debes. ingredi enim in possessionem rerum dotalium, hæredibus mariti non consentientibus, siue authoritate competentis iudicis nullam habes facultatem,C.eo.l.dotis,9.

Hæredi mariti,licet insolidum condemnetur,compensationes tamen, quæ ad pecuniariam causam respiciunt,proderunt,ut hoc minus sit obligatus, ueluti ob res donatas,& amotas,& impensas,ff.sol.matr.l.rei judic.15.§.hæredi.

Si socero filiæ tuæ dotem dedisti, licet in eius positus potestate, gener tuus rebus humanis exemptus sit,tamen non de peculio, sed insolidum a te consentiente filia,conuentum eum satisfacere oportet,C.eo.l.pen.

Si constante matrimonio maritus fatali sorte fuerat consumptus dos,quæ data dicitur,uel promissa,ex eius uxoris facultatibus,ad eandem reuertatur, nihilque sibi ex hoc defuncti hæres audeat uindicare, quod ad mulierem recurrere fecit obitus maritalis,C.eod.l.fin.

NE PRO

NE PRO DOTE MVLIERI BONA MARITI ADDICANTVR. Titulus XXIII.

VT vxori pro dote addicantur bona quondam mariti, iure prohibitum est. Sanè, si nullo relicto successore, non idoneus decessit, secundum iuris formam, quatenus successionis modus patitur, indemnitati tuæ consulere mulier non prohibetur, C. ne per dote mul. bona. 60. ma. l. unica.

DE IMPENSIS IN RES DOTALES FACTIS. Tit. XXIIII.

IMpensarum quædam sunt necessariæ, quædam utiles, quædam uoluptariæ, necessariæ hæ dicantur, quæ habent in se necessitatem impendendi. Cæterum si nulla sit necessitas alio iure habentur. in necessariis impensis hoc sciendum est eas demum impensas dotem minuere, quæ in dotem factæ sunt. Cæterum, si in dotem factæ nō sint, non habent in se reputationem, inter necessarias impensas esse Labeo ait, moles in mare, vel flumen proiectas, sed & si pristinum, uel horreum necessario factum sit, necessariis impensis habendum ait. proinde Fulcinius inquit. Si ædificium ruens, quod habere mulieri utile erat, refecerit, aut si oliueta, defecta restaurauerit, vel si ex stipulatione damni infecti nomine, ne committatur, præstiterit. Vel si uites propagauerit, uel arbores curauerit, vel si minaria pro utilitate agri fecerit, necessarias impensas fecisse uidebitur, sed generaliter definiendum est, multum interesse ad perpetuam utilitatem agri, uel ad eam, quæ ad præsentis temporis, an uero, quæ non ad præsentis anni fructum pertineat, si in præsens, cum fructibus hoc computandum: si uero non fuit ad præsens tantum apta erogatio, necessariis impensis computandum, ff. de impensis, l. prim. & ter.

Impensæ necessariæ sunt, qbus non factis dos imminuit, ueluti ageres facere, flumina auertere, & ædificia uetera fulcire, itemq; reficere arbores in locum mortuarum reponere, ff. eo. l. impensæ, 14. in prin.

Et in totum id uidetur necessariis impensis contineri, quod si a marito omissum sit, iudex tanti eum damnabit, quanti mulieris interfuerit eas impensas fieri, sed in hoc differt, quod factarum ratio habetur, & si res malè gesta est, non factarum, ita si ob id res, malè gesta est, itaque si fulserit insulam ruentem, eaque exusta sit, consequitur impensas, si non fecerit, deusta ea, nihil præstabit, ff. eod. l. 4.

Quod dicitur, NECESSARIA IMPENSAS DOTEM MINVERE, sic erit accipiendum (vt & Pomponius ait) non ut ipsæ res corporaliter deminuantur (vtputa fundus, vel quodcunque aliud corpus) etenim absurdum est deminutionem corporis fieri propter pecuniam) cæterum hæc res faciat desinere esse fundum dotalem, vel partem eius, manebit igitur maritus in rerum detentionem, donec ei satisfiat. non enim ipso iure corporum, sed dotis fit minutio. Vbi ergo admittimus deminutionem dotis ipso iure fieri, ubi nō sunt corpora, sed pecunia. Nam in pecunia ratio admittit deminutionem fieri, proinde si æstimata corpora in dotem data sint, ipso iure dos deminuetur per impensas necessarias. hoc de iis impensis dictum est, quæ in dotem ipsam factæ sint. Cæterum si extrinsecus, non deminuent dotem, sed si impensis necessariis mulier satisfecerit, utrum dos crescit, an uero dicimus, ex integro uideri dotem? Sed ubi & pecunia

cunia data est, non dubitatur dotem uideri creuisse. ff. eod. l. quinta in princip.

Quod dicitur, IMPENSAS, QVAE IN RES DOTALES NECESSARIO SVNT FACTAE, DOTEM DEMINVERE, ità interpretandum est ut: si quid extra tutelā necessariam in res dotales impensum sit, id demum in ea causa sit, nam tueri res dotales vir suo sumptu debet. alioquin quæuis modica ædificiorum dotalium refectio, & agrorum quoque cultura, dotem minuent. omnia enim hæc in specie necessariarum impensarum sunt. sed ipsæ res ita præstare intelliguntur, vt non tam impendas in eas, quam deducto eo minus ex his percepisse uidearis. quæ autem impendia secundum eam distinctionem ex dote deduci debeant, non tam facile in uniuersum definiri, quam per singula ex genere, & magnitudine impendiorum æstimari possunt. ff. eod. l. penul.

Si dos tota soluta sit, non habita ratione impensarum: uidendum est, an condici posit id, quod pro impensis necessariis compensari solet. & Marcellus admittit, condictioni esse locum. sed & si plerique negent, tamen propter æquitatem Marcelli sententia admittenda est. ff. eod. l. quinta. §. si dos tota.

Vtiles impensæ sunt, quas maritus utiliter fecit, remque meliorem uxoris fecerit. Veluti si nouelletum in fundo factum sit, aut si domini pistrinum, aut tabernam adiecerit. Et utiles sunt ueluti pecora prædiis imponere, id est stercorare. d. l. quinta. §. finali. cum l. seq. & l. impensæ. xiiii. §. vtiles.

Vtilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, si uoluntate mulieris factæ sint. iniquum enim esse, compelli mulierem rem uendere, ut impensas in eam factas soluat, si aliunde soluere non potest. Quod summam habet æquitatis rationem. ff. eod. l. octaua.

Voluptariæ impensæ sunt, quas maritus ad uoluptatem fecit, & quæ species exornant. quarum utiles quidem ipso iure dotem non minuunt, veruntamen habent exactionem. Item uoluptuosæ sunt, balnea exstruere. ff. eod. l. septima, & li impensæ. xiiii. §. final.

Pro uoluptariis impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem exactionem patitur. nam si uult habere rem mulier: reddere ea, quæ impensa sunt marito debet, aut si non uult: pati debet tollentem: si modo recipiant separationem. cæterum si non recipiant, relinquendæ sunt. ita enim permittendum est marito auferre ornatum, quem potuit: si futurum est eius, quod abstulit. Quod si hæres, in quibus impensæ factæ sunt, promercales fuerint: tales impensæ non voluptariæ, sed utiles sunt. ff. eod. l. pro voluptariis, ix. & l. seq.

In voluptariis autem Aristo scribit, nec si uoluntate mulieris factæ sunt exactionem parere. Donationem inter uirum & uxorem circa impensas quoque inhibitam vere Sabinus scribit. ff. eod. l. in voluptariis, xi.

Ante omnia quæcumque impensæ quærendorum fructuum causa factæ erunt quamquam eædem etiam colendi causa fiant, ideoque non solum ad percipiendos fructus, sed etiam ad conseruandam ipsam rem, speciemque eius necessariæ sunt) eas uir ex suo facit, nec ullam habet eo nomine ex dote deductionem ff. eod. l. finali.

Ex institutionibus titulo de actionibus.

In bonæfidei iudiciis libera potestas permitti videtur. Iudici ex bono,& æquo ęsti mandi,quantum actori restitui debeat,in quo & illud continetur, vt si quid inuicem præstare actorem oporteat,eo compensato,in reliquum is,cum quo actũ est,debeat condemnari. Sed in stricti iuris iudiciis actiones ipso iure minuunt, siue in rem,siue in personam,siue alias quascunq;,excepta sola depositi actione cui aliquid compensationis nomine opponi sanè iniquum esset: nè sub prætextu compensationis depositarum rerum,quis ex actione defraudetur. Institu.de actionibus,§.in bonæfidei iudiciis.

Præterea quasdam actiones arbitrarias,idest ex arbitrio iudicis pendentes appellamus: ĩ quibus nisi arbitrio Iudicis is,cum quo agitur,actori satisfaciat, ueluti rem restituat,vel exhibeat,vel soluat,condemnari debeat. Inst. eod.§.præterea.

Sed istæ actiones,tàm in rem,quàm in personam inueniuntur. in rem ueluti publiciana,Seruiana de rebus coloni,Quasi seruiana,quæ etiam hypothecaria vocatur. In personam,veluti quibus de eo agitur,quod vi,aut metus causa,aut dolo malo factum est,item cum id,quod certo loco promissum est,petitur. Ad exhibendum quoq; actio ex arbitrio Iudicis pendet. in his enim actionibus,& cæteris similibus permittitur Iudici ex bono, & æquo secundum cuiusq; rei, de qua actum est,naturam æstimare,quemadmodum actori satisfieri oporteat.Institu. eod.§.sed istæ.

Curare autem debet iudex, vt omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ, vel rei sententiam ferat,etiam si de incerta quantitate apud eum actum est. Institu.eod.§.curare autem.

Si quis agens,intentione sua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat, punitur. nam si tempore plus fuerit petitum,statuitur Zenoniana lege, vt tempus debeat duplicari conuento,& omnes expensę sibi restitui: sin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitum,omne si quod fortè damnum,ex hac causa acciderit,ei contra quem plus petitum fuerit,commissa tripli condemnatione,sicut supra diximus,puniatur.Inst.eo.§.si quis agens.

Plus autem quatuor modis petitur, R E, tempore loco,& causa.Institut.eodem, §. plus autem.

R E, veluti si quis pro decem aureis,qui ei debebantur,uiginti petierit: aut si is, cuius ex parte res est,totam eam,vel maiorem partem esse suam intenderit.Institut.eodem,§.R E.

Tempore,veluti si quis ante diem, vel conditionem petierit. Qua enim ratione, qui tardius soluit,quam soluere deberet,minus soluere intelligitur: eadem ratione,qui præmaturè petit,plus petere videtur,Inst.eo.§.tempore.

Loco plus petitur,veluti cum quis id,quod certo loco sibi dari stipulatus est: uerbi gratia,si is,qui ita stipulatus fuerit: Ephesi dare spondes: Romæ purè intendat sibi dari oportere. ideo autem plus petere intelligitur,quia vtilitatem, quã haberet promissor,si Ephesi solueret,adimit ei pura intentione. Propter quam causam alio loco petenti arbitraria actio proponitur,in qua scilicet ratio habetur utilitatis,quæ promissori competitura fuisset,si illo loco solueret,quo se soluturum spopondit. Quæ vtilitas plerumque in mercibus maximè inuenitur, veluti vino,oleo, frumento, quæ per singulas regiones diuersa habent precia. sed & pecuniæ numeratæ non in omnibus regionibus eodem modo negociantur. Si quis tamen Ephesi petat,id est, eo loco petat, quo vt sibi detur stipulatus est,pura actione rectè agit: idque etiam prætor monstrat: scilicet,quia vtilitas sol-

tas soluendi salua est promissori. Instit. eodem. §. loco plus.

Huic autem, qui loco plus petere intelligitur, proximus est is, qui causa plus petit, ut ecce, si quis equum à te stipuletur, aut decem aureos, dare spondes? deinde alterum petat, ueluti equum, aut decem aureos. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo Genere stipulationis promissoris est electio, utrum pecuniam, an equum soluere malit. Præterea si generaliter stipulatus sit uinum, & specialiter campanum petat, aut generaliter purpuram stipulatus sit, deinde specialiter Zyriam petat, plus petere intelligitur, quia electionem aduersario tollit, cui stipulationis iure liberum fuit, aliud soluere, quam quod peteretur. Quin etiam licet uilissimum sit, quod quis petat, nihilominus plus petere intelligitur, quia sæpe accidit, ut promissori facilius sit illud soluere, quod maioris precii est. Instit. eod. §. huic autem.

Si minus intentione sua complexus fuerit actor, quam ad eum pertineat: ueluti, si cum ei decem aurei deberentur, quinque sibi dari oportere intenderit: aut si cũ totus fundus eius esset, partem dimidiam suam esse petierit, sine periculo agit: in reliquã enim nihilominus iudex aduersarium in eodem iudicio ei condemnat. Inst. eod. §. si minus.

Si quis aliud pro alio intenderit, nihil eum periclitari placet, sed in eodem iudicio, cognita ueritate errorem suum corrigere ei permittitur: ueluti si quis ex testamento dari sibi oportere intenderit, quod ex stipulatu debeť. Inst. eo. §. si qs.

Sunt præterea quædam actiones, quibus nõ semper solidum, quod nobis debetur, persequimur: sed modo solidum persequimur, modo minus: ecce si in peculiũ filii agamus, nam si non minus in peculio sit, quam persequimur in solidum pater condemnatur: si uero minus inueniatur, eatenus condemnat iudex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine proponemus. Inst. eo §. sunt præterea.

Item si de dote in iudicio mulier agat, placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere possit, idest quatenus facultates eius patiuntur. itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius, insolidum damnatur: si minus in tantum quantum facere potest. Inst. eo. §. item si de dote.

Propter retentionem quoq; dotis repetitio minuitur: nam ob impensas in res dotales factas, marito quasi retentio concessa est: quia ipso iure necessariis sumptibus dos minuitur: sicut ex latioribus digestorum libris cognoscere licet. Institu. eod. §. propter.

Sed & si qnis cum parente suo agat: item si socins cũ socio iudicio societatis agat, non plus actor cõsequitur, quam aduersarius eius facere potest, idem est, si quis ex donatione sua conueniatur. Inst. eod. §. sed & si quis.

Compensationes quoque oppositæ plerunque efficiunt, ut minus quisquam consequatur, quàm ei debeatur. Nam ex bono, ex æquo habita ratione eius, quod inuicem actorem ex eadem causa præstare oportet in reliquum eum, cum quo actum est, condemnat, sicut iam dictum est. Inst. eo. §. compensationes.

Cum eo quoque qui creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumentum habeat ex integro in id, quod facere potest, creditores experiuntur: in humanum enim erat, spoliatum fortumis suis insolidũ damnari. Inst. eod. §. fina.

DE CESSIONE BONORVM.
Titulus XXV.

Creditori, qui ob restitutionem ædificiorum crediderit, priuilegium exigendi datur, ff. de cesſio. bonorum, l. prima.

In personalibus actionibus, qui postea quidem contraxerunt, verum vt pecunia eorum ad priores creditores perueniat, in locum eorum succedunt, ff. eo. l. secunda.

Is, qui bonis cesſit, ante rerum venditionem vtique bonis suis non caret. Quare si paratus fuerit se defendere, bona sua non veneunt, ff. eo. l. tertia.

Is, qui bonis cesſit, si quid postea acquisierit, inquantum facere potest, conuenitur: Sabi. & Cass. putabant eum, qui bonis cesſit, ne quidem ab aliis, quibus debet, posse inquietari, ff. eo. l. quarta.

Quem pœnitet bonis cesſisse, potest defendendo se consequi, ne bona eius veneant, ff. eo. l. quinta.

Qui bonis suis cesſit, si modicum aliquid post bona sua vendita acquisiuit: iterũ eius bona non veneunt. Vnde ergo modum hunc æstimabimus? vtrum ex quantitate eius, quod acquisitum est, an vero ex qualitate? & verum est ex qualitate, id æstimandum esse eius, quod quæsiit: dummodo illud sciamus, si quid misericordiæ causa ei fuerit relictum (puta menstruum, vel annuum alimentorum nomine) non oportere propter hoc bona eius iterum venundari. nec enim fraudandus est alimentis quotidianis. Idem & si vsusfructus ei sit concessus, vel legatus, ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis sit, ff. eodem, l. sexta.

Si debitoris bona venierint; postulantibus creditoribus permittitur: rursus eiusdem debitoris bona distrahi, donec suum consequantur. Si tales tamen facultates acquisitæ sint debitori, quibus prætor moueri posſit, ff. eo. l. septima.

Qui cedit bonis ante, quam debitum agnoscant, condemneturve, vel in iure confiteatur, audiri non debet, ff. eo. l. pen.

Bonis cedi non tantum in iure, sed etiam extra ius potest: sufficit & per nuntium, & per epistolam id declarari, ff. eo. l. fin.

Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo. n. tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne iudicati detrahantur in carcerem, C. qui bonis ced. poss. l. prima.

Si quantitatem, quam licet reipublicæ condemnatus debebas inferre paratus es: frustra vereris ne verbum BONORVM cesſionis temere à te prolatum, priuare te, nec dum distractis facultatibus iuris rationibus posſit, C. eo. l. secunda.

Si pater tuus bonis cesſit, propter onera ciuilia ipſius facultates oportet inquiri: non patrimonium, quod tibi emancipato quæsitum dicis, inquietari. Quod ut fiat implolare æquitatem præsidis debes, C. eo. l. tertia.

In omni cesſione bonorum ex qualibet causa facienda, scrupulositate priorum legum explosa, profesſio sola quærenda est. Idem dixit, in omni cesſione sufficit voluntatis sola profeſsio, C. eo. l. sexta.

Qui bonis cedere poſſunt.

Beneficium, vt cesſio bonorum admittatur, notum est, non tamen creditoribus sua authoritate diuidere hæc bona, & iure dominii detinere, sed venditionis remedio, quatenus substantia patitur, indemnitati suæ consulere permissum est. Cum itaque contra iuris rationem res iure dominii teneas

neas eius, qui bonis ceſsit te creditore dicẽs: longi temporis præſcriptione petitorem ſummoueri non poſſe manifeſtum eſt. Qui in bonis eum ceſsiſſe, ſed res ſuas in ſolutum tibi dediſſe monſtretur: p̃ſes prouinciæ poterit de proprietate tibi accommodare notionem, C. eo. l. quarta.

Propter honorem municipalem, uel munus, bonis cedentium inuidioſam admitti ceſsionem minimè conuenit. ſed his obnoxios pro modo ſubſtantiæ fungi, C. eod. l. quinta.

Cum & filii familias poſsint habere ſubſtantias, quæ patribus acquiri uetitæ ſunt, nec num peculium, uel caſtrenſe, uel quod patre uolente poſsident quare ceſſio bonorum eis denegāda ſit; cum, & ſi nihil in ſuo cenſu ii, qui in poteſtate parentum ſunt, habeant: tamen ne patiantur iniuriam timorem ad ceſsionis flebile ueniens adiutorium, quare filii familias utriuſq; ſexus hoc ius denegamus: apertiſsimi iuris eſt, & inter patresfamilias, & inter alieno uiri ſubiectos, ſi q̃d poſtea eis pingius acceſſerit, hoc iterum uſque admodum debiti poſſe a creditoribus legitimo modo auelli, C. eo. l. pen.

Cũ homines ueniunt ad miſerabile auxiliũ ceſsionis bonorũ, & electionem dant creditoribus, uel quinquennale ſpaciũ eis indulgerẽ, uel bonorũ accipere ceſsionem, ſalua uidelicet eorum exiſtimatione: & omni corporali cruciatu ſemoto. Si quidem ex creditoribus uoluerint quinquennales dare inducias, alii autem iam nunc ceſsionem accipere uelint, uel ex cumulo debiti, uel ex numero creditorum cauſa iudicatur, nam ſi quidem unus creditor aliis omnibus grauior in ſumma debiti inueniatur, ut omnibus ĩ unum coadunatis, & debitis eorum computatis ipſe ante alios antecedat: ipſius ſententia obtineat, ſiue indulgere tempus, ſiue ceſsionem accipere deſiderat. Si uero plures ſint creditores ex diuerſis autem quantitatibus: etiam nunc amplior debiti cumullus minoris ſummæ præferatur, ſiue par, ſiue diſcrepans numerus eſt creditorum. Pari aũt quantitate debiti inuenta, diſpari uero creditorum numeri tunc amplior pars creditorum obtineat: ita ut quod pluribus placeat, hoc ſtatuat. Si uero undiq; æqualitas emergat, tàm debiti, quàm numeri creditorum: tunc ii anteponuntur, q̃ ad humaniorem declinant ſententiam, non ceſsionem exigentes, ſed inducias nulla quidem differentia inter hipothecarios, & alios creditores quantum ad hanc electionem obſeruando in rebus autem officio iudicis parciendis ſuam uim ſingulis creditoribus habentibus, quam eis legum præſtabit regula: nullo præiudicio creditorum cuiq; ex quinquennii de actione ui ea temporalem præſcriptionem generanda, C. eod. l. fin.

Finis Libri Secundi

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omiſsis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber tertius.

QVOD IVSSV.
Titulus I.

SI iuſſu patris cum filio negocium geſtum erit inſolidum prætor aduerſus patrem actionem pollicetur, ſcilicet quia is, qui ita contrahit, fidem patris ſequi videtur. Inſtit. quod cum eo, qui in alien. pot. eſt, §. ſi igitur iuſſu.

Meritò ex iuſſu patris inſolidum, aduerſus eum iudicium datur. nam quodammodo cum eo cõtrahitur, qui iubet. iuſſum autem accipiendum eſt, ſiue teſtato quis, ſiue per epiſtolam, ſiue verbis, aut per nuncium, ſiue ſpecialiter in unum contractum iuſſerit, ſiue gnāliter. & ideo ſi ſic conteſtatus ſit. QVOD VOLES CVM FILIO MEO NEGOTIVM GERERE PERICVLO MEO: videtur ad omnia iuſsiſſe, niſi certa lex aliquid prohibeat, ff. quod iuſſu. l. prima, in princ.

Sed quæritur; an reuocare hic iuſſum ante, quam credatur poſsit? & reſponſum eſt poſſe, quemadmodum ſi mandaſſet, & poſtea ante contractum, contraria uoluntate mandatum reuocaſſet, & me certioraſſet, ſed & ſi mandauerit pater uidetur, iuſsiſſe, d. l. prima, §. ſed ego quæro.

Sed & ſi filii chirrographo ſubſcripſerit, pater tenetur quod iuſſu. quid ergo ſi fideiuſſerit pro filio: ait Marcellus, quod iuſſu non teneri. quaſi extraneus. n. interuenit. neq; hoc dicit ideo, ꝙ teneatur ex cauſſa fideiuſsionis, ſed quia aliud eſt fideiubere, aliud iubere. Deniq; idem ſcribit, & ſi inutiliter fideiuſſerit, tamen eum non obligari, quaſi iuſſerit. quæ ſententia verior eſt, d. l. prima, §. ſed & ſi.

Si ratum habuerit; quis, quod filius eius geſſerit, QVOD IVSSV actio in eum datur, d. l. prima, §. ſi ratum.

Si iuſſu fructuarii erit cum filio contractum, QVOD IVSSV datur in eum actio, d. l. prima, §. ſi iuſſu.

Si curatore adoleſcentis, vel furioſi, vel prodigi iubente, cum uero procuratore contractum ſit, quod iuſſu datur in eum actio, ſed ſi procurator verus non ſit in ipſum potius dandam actionem Labeo ait, d. l. prima, §. fin.

Pater, qui iuſsit filio ſuo pecuniam mutuam, hactenus tenetur, quatenus iuſsit: nec pignoris obligationem locum habere in his prædiis, quæ filius non ex uo-

luntate

luntate patris obligauit, uerum est, ff. eo. l. tertia.

Si iussu eius, qui administrationi rerum ciuitatis præpositus est, cum procuratore ciuitatis negocium contractum sit, Pomponius scribit, QVOD IVSSV cum eo agi posse, ff. eo. l. quarta.

Si pater pecuniam mutuam accepturus iusserit filio numerari: nulla quæstio est, quin ipsi condici posit: imo in hoc casu de iussu actio non competit, ff. eo. l. fi.

Si ex contractu pris iussu eius mutuã pecuniã accepisti, teq; eius hæreditate abstines: frustra uereris, ne à creditorib. eius cõueniaris C. qđ cum eo, qui, l. prima.

Si mandator pro filio tuo extitisti, uel iussu tuo cum eo, quem in potestate habuisti, contractum est, intelligis & sorti, & interesse te parere oportere, si te his omnibus obligasti; ut res, quæ pignoris iure detinentur, liberari posint, quod si fideiussor creditæ pecuniæ intercesisti: teneri te ex ea obligatione exploratis iuris est, C. eod. l. si mandator, ix.

Patres ita constringi manifestum est actione prætoria, quæ appellatur quod iussu, si certam numerari præceperint filio pecuniam, qui igitur filio, colono conductori procuratoriuè pecuniam mutuam dat: sciat patres cultoresue terrarũ obligari non posse, neq; familiares epistolas, quibus homines plerunq; cõmendant, absentem in id trahere conuenit, ut pecuniam, quam rogatus non fuerat, impendisse pro prædiis mentiatur: cum nisi specialiter, ut pecuniam præstet à patre fuerit postulatus, idem pater teneri non posit, creditáq; quantitate multantur creditores, si huiusmodi personis non iubente patre, nec fideiussoribus specialiter acceptis fuerit credita pecunia. sanè creditori datur, ut si liber à rationibus, quas gerebat, fuerit inuentus actor procuratorue prædiorum, utilis actio pateat, de peculio. C. eo. l. fin.

Is, qui de peculio egit, cum posset, quod iussu, in ea causa est, ne posit, QVOD IVSSV postea agere, & ita proculus existimat. & si errore deceptus, de peculio egit. putat Celsus succurrendum ei, quę sententia habet rationem, ff. eo. l. quod cum eo qui in alien. l. quarta, §. fina.

DE EXERCITORIA ACTIONE, Titulus II.

EAdem ratione, qua prætor actionem. QVOD IVSSV insolidum aduersus patrem pollicetur DVAS alias insolidum actiones pollicetur, quarum altera exercitatoria, altera institutoria appellat̃. EXERCITATORIA tũc habet locum, cum quis filium suum magistrum naui præposuerit, & quod cum eo eius rei gratia, cui prępositus erit, contractum fuerit: Ideo autem exercitatoria uocatur, quia exercitor, is appellatur, ad quem quotidianus nauis quæstus pertinet, Inst. quod cum eo, qui in aliena potest. est, neg. gest. esse dicet, §. eadem ratione.

Vtilitatem huius edicti patere, nemo est, qui ignoret. Nam cum interdum ignari, cuius sint condicionis, uel quales, cum magistris propter nauigandi necessitatem contrahamus, æquum fuit eum, qui magistrum naui imposuit teneri, ut tenetur, qui institutorem tabernæ uel negotio præposuit. Cum sit maior necessitas contrahendi cum magistro, quàm institore, quippè res patitur, ut de conditione quis institoris dispiciat, & sic contrahat. in nauis magistro non ita. Nã interdum locus, tempus non patitur plenius deliberãdi consilium, ff. de EXERCITATORIA actione, l. prima, in princ.

Magiſtrũ nauis accipere dẽmus, cui totius nauis cura mãdata eſt, d.l. prim. §. Mag.

Item magiſtrum accipimus non ſolum, quem exercitor præpoſuit, ſed & eũ, quem magiſter. & hoc conſultus Iulianus in ignorante exercitore reſpondit. Cæterũ ſi ſcit, & paſſus eſt eum in naue magiſterio fungi, ipſe eum impoſuiſſe videtur. quæ ſententia vr̃ probabilis. omnia enim facta magiſtri debet præſtare, qui eũ præpoſuit. alioquin contrahentes decipientur. & facilius hoc in magiſtro, quã in inſtitore admittendum ꝑꝑ utilitatem. quid tamen ſi ſic magiſtrum præpoſuit, ne alium ei liceret præponere? an adhuc Iuliani ſententiam admittimus. videndum eſt. finge. n. & nominatim eum prohibuiſſe ne Titio magiſtro, vtaris. dicendũ tñ erit, eo vſq; ꝑducendã vtilitatẽ nauigãtium, d.l. prima. §. item Mag.

Nauem accipere debemus, ſiue marinam, ſiue in aliquo ſtagno nauiget, ſiue ſchedia ſit, d.l. prima, §. nauem.

Si cum quolibet naturam ſit contractum, non datur actio in exercitorem: quamquam ex delicto cuiusvis eorum, qui nauis nauigandæ cauſa in naue ſint, detur actio exercitorem: alia. n. eſt contrahendi cauſa, alia delinquendi, ſiquidem qui magiſtrum ꝑ̃ponit: contrahi cũ eo permittit, qui nautas adhibet, non contrahi cum eis permittit, ſed culpa, & dolo carere eos curare debet, d.l. prima, §. ſi.

Magiſtri autem imponuntur locandis nauibus, vel ad merces, vel vectoribus conducendis, armamentisve emendis. ſed etiam, ſi mercibus emendis, vel vendendis fuerit ꝑ̃poſitus, ẽt hoc nomine obligat exercitatorem, d.l. prima, §. magiſtri.

Cuius autem ætatis ſit, nihil intereſt, ſibi imputabit, q̃ ꝑ̃poſuit, d.l. prima, §. cuius.

Non autem ex omni cauſa prætor dat in exercitorem actionem: ſed eius rei nomine, cuius ibi præpoſitus fuerit. ideſt ſi in eam rem ꝑ̃poſitus ſit. vtputa ſi ad onus vehendum locatum ſit. aut aliquas res emerit vtiles nauiganti. vel ſi quid reficiendæ nauis cauſa contractum, vel impenſum eſt. Vel ſi quid nautæ operarum nomine petent, d.l. prima, §. non autem.

Quid ſi mutuam pecuniam ſumpſerit? an eius rei nomine videatur geſtum? & pegaſus exiſtimat, ſi ad vſum eius rei in quam præpoſitus eſt fuerit mutuatus, dandam actionem, quæ ſententia vera eſt. quid. n. ſi ad armandam inſtruendamve nauem, vel nautas exhibendos mutuatus eſt: Vnde quærit, ſi filius, ſi ad reficiendam nauem mutuatus, numos in ſuos vſus conuerterit, an in exercitorem detur actio. & ait, ſi hac lege accepit, quaſi in nauem impenſurus, mox mutauit voluntatem teneri exercitorem, imputaturum ſibi, cùr talem præpoſuerit? quod ſi ab initio conſilium cæperit fraudandi creditoris, & ſpecialiter non expreſſerit, q̃ ad nauis cãm accipiat: contra eſſe, q̃ diſtinctionem Pedius probat. ſed & ſi in precijs rerum emptarum fefellit magiſter: exercitoris erit damnum, non creditoris. ſed & ſi ab alio mutatus, liberauit eum, qui in nauis refectionem crediderat: etiam huic dandam eſt actio, quaſi in nauem crediderit, d.l. prima, §. quid.

Igitur præpoſitio certam legem dat contrahentibus. quare ſi eum præpoſuit naui ad hoc ſolum, vt vecturas exigat, non ut locet, quod forte ipſe locauerat, non tenebitur exercitor, ſi magiſter locauit, vel ſi ad locandum tm̃, non ad exigendũ: idem erit dicendum, aut ſi ad hoc, vt vectoribus locet, non vt mercibus nauem ꝑ̃ſtet, vel contra: modum egreſſus non obligauit exercitorẽ, d.l. prima, §. igitur.

Sed & ſi, ut certis mercibus eam locet præpoſitus eſt, (puta legamini cannabae ille marmoribus, vel alia materia locauit dicendum erit exercitorem non teneri, quædam enim naues onerariæ, quædam (ut ipſi dicunt) ἐπιβατηγοί ſunt, & pleroſq; mandare ſcio, ne uectores recipiant, & ſic ut certa regione, & certo mari negocientur, ut ecce ſunt naues, quæ Brunduſium à Caſlopa, uel à Dyrrachio uecto-

uectores traiiciunt ad honera inhabiles. Item quædam capaces fluminum ad mare non sufficientes.d.l.prima.§.sed & si.

Si plures sint magistri non diuisis officiis: quodcunq; cum uno gestum erit, obligauit exercitorem, si diuisis. ut alter locando, alter exigendo: pro cuiusque officio obligabitur exercitor, d.l.prima, §.si plures.

Sed si sic præposuit (ut plerunque faciunt) ne alter sine altero, quid gerat, qui cõtraxit cum uno sibi imputabit, d.l.prima, §.sed si sic.

Exercitatorem autem eum dicimus, ad quem obuentiones, & reditus omnes perueniunt: siue is dominus nauis sit, siue a domino nauem per auersionem condu xit, uel ad tempus, uel in perpetuum, d.l.prima, §. exercitatorem.

Parui refert, qui exercet, masculus sit, an mulier: paterfamilias, an filiusfamilias. pupillus autem si exerceat, exigimus tutoris authoritatem, d.l.prima, §. parui.

Est autem nobis electio, utrum exercitorem, an magistrum cõuenire uelimus. sed ex contrario exercenti nauem aduersus eos, qui cum magistro contraxerunt, actio non pollicetur. quod non eodem auxilio indigebat, sed autem ex locato cum magistro, si mercede operam ei exhibet: aut si gratituitam mandati agere potest. solent tñ præfecti p.p. ministrum annonæ, item in prouinciis præsides ꝓuinciarum extra ordinem eos iuuare ex contractu magistrorũ, d.l.pri.§. est aũt.

Si is, qui nauem exercuit, in aliena potestate erit, eiusque uoluntate nauem exercuerit. quod cum eius magistro gestum erit, in eum, cuius in potestate is erit, qui nauem exercuit iudicium datur, d.l.prima, §.si is, qui.

Licet autem datur actio in eum, cuius in potestate est, qui nauemexercet: tamen ita demum datͬ, si uoluntate eius exerceat. Ideo autem ex uoluntate insolidum tenetur, qui habet in potestate exercitorem, quia ad summam Reipub. nauium exercitio ꝑtinet. At institorum non idem usus est, ea propter in tributum duntaxat uocantur, qui contraxerunt cum eo, qui in merce peculiari sciente domino negociatur, d.l.prima, §.licet.

Sed si sciente duntaxat, non etiam uolente dño cum magr̃o contractum sit, utrum quasi in uolentem dabimus actionem insolidum, an uero exemplo tributoriæ? in re igitur dubia melius est uerbis edicti seruire. & neq; scientiam solam, & nudam patris in nauibus onerare, neq; in peculiaribus mercibus uoluntatem extendere ad solidi obligationem. & ita uidetur etiam Pomponius significare, si sit in aliena potestate, si quidem uoluntate gerat, insolidum eum obligari, si minus in peculium.d.l.prima.§.sed si sciente.

In potestate autem accipiamus utriusq; sexus filios, uel filias.d.l.prima.§. in ptãte.

Quamquam autem si cum magistro eius gestum sit. duntaxat pollicetͬ prætor actionem: tamen (ut Iulianus quoque scripsit) etiam si cum ipso exercitore sit contractum solidum tenebitur.d.l.prima.§.quanquam.

Hæc actio ex persona magistri in exercitorem dabitur, & ideo si cum alterutro eorum actum est, cum altero agi non potest, sed si quid solutum sit: si quidem à magistro: ipso iure minuitͬ obligatio, sed & si ab exercitore, siue suo nomine, idest ꝓpter honorariam obligationem, siue magistri nomine soluerit: minuetur obligatio, quoniam & alius pro me soluendo me liberat.d.l.prima, §.hæc actio.

Si plures nauem exerceant, cum quolibet eorum insolidum agi potest. Ne in plures aduersarios distringatur, q cum uno contraxerit. Nec quicquam facit, quotam quisque portionem in naue habeat, eumque qui præstiterit, societatis iudicio à cæteris consecuturum, d.l.prima, §.fin.cum duobus sequen.

Si tñ plures ꝑ se nauem exerceant, ꝓ portionib. exercitationis conueniuntͬ. neq;.n. inuicem sui magistri uidebuntͬ. sed si plures exerceant, vnum autem de numero

ſuo magrum fecerit: huius noīe ī ſolidū poterunt conueniri, ff. e. l. quarta, ī pri.

Hæ actiones perpetuo, & hæredibus, & in hæredes dantur, d. l. quarta, §. fin.

Si vnus ex multis exercitoribus cum magiſtro nauis contraxerit, agere cum aliis exercitoribus poterit, d. l. quinta, §. fin.

Lucius Titius Sempronium magiſtrum naui præpoſuit. is pecuniam mutuatus, cauit ſe in refectionem nauis eam accepiſſe. q̄ſitū eſt, an non aliter Lucius Titius exercitoria tenetur q̄ ſi creditor probaret pecuniam in refectionem nauis eſſe conſumptum: Rn̄dit African. creditorem utiliter acturum, ſi cum pecunia crederet̄ nauis in ea cauſa fuiſſet, vt refici deberet. etenim non oportere creditorē ad hoc adſtringi, ut ipſe reficiendæ nauis curam ſuſcipiat, & negotium dn̄i gerat, ꝗ certè futurum ſit, ſi neceſſe habeat probare pecuniam in refectionem erogatam eſſe. itaq; & illud exigendum, ut ſciat in hoc ſe credere cui rei magiſter, qui ſit præpoſitus, ꝗ certè aliter fieri non poſſit, q̄ ſi illud quoq; ſcierit, neceſſariam refectioni pecuniam eſſe, quare & ſi in ea cā fuerit nauis, vt refici deberet multo tn̄ maior pecunia credita fuerit, q̄ ad eam rem eſſet neceſſaria: non debere inſolidum aduerſus dn̄m nauis actionem dari. interdum ēt illud æſtimandū, an in eo loco pecunia credita ſit, in quo id ꝑ ꝗ credebat̄, comparari potuerit. quid. n. (inquit) ſi ad uelum emendum in eiuſmodi inſulam pecuniam q̄s crediderit. in qua oīo uelum comparari non potuerit: & in ſumma aliquam diligentiam in eam rem creditorem debere præſtare. Eadem ferè dicenda ait, & ſi de inſtitoria actione quæratur. Nam tunc quoq; creditorē ſcire debere neceſſariam eſſe mercis comparationem, cui emendæ filius ſit præpoſitus, & ſufficere, ſi in hoc crediderit: non etiam illud exigendum, vt ipſe curam ſuſcipiat, an in hanc rem pecunia erogata ſit, ff. eod. l. fin.

Si filius non ex uoluntate patris nauem exercuerit, ſi ſciente quaſi tributoria: ſi ignorante de peculio actio dabitur, ff. eo. l. ſexta, in prin.

Et ſi à muliere magiſter naui ꝓpoſitus fuerit: ex contractibus eius ea exercitoria actione ad ſimilitudinem inſtitoriæ tenetur. C. de exercitoria actio. l. quarta.

Si mutuam pecuniam accipere Demetriano Domitianus mandauit, & hoc poſſe probare confidis: ad exemplum inſtitoriæ eundem Domitianum apud competentem iudicem potes conuenire. C. de exercitoria action. l. pen.

DE LEGE RHODIA DE IACTV. Tit. III.

Lege Rhodia cauetur, vt ſi læuandæ nauis gratia iactus merciū factus ſit oīum contributione ſarciat̄, ꝗ ꝓ oīb. factum eſt, ff. de Lege. l. pri.

Si laborante naue iactus factus eſſet. ammiſſarum mercium dn̄i, ſi merces vehendas locauerant, ex locato cum magiſtro nauis agere debent. magiſter deinde cum reliquis, quorum merces ſaluæ ſunt, ex conducto, vt detrimentum pro portione cōicet, agere pōt. Seruius quidem rn̄dit ex locato agere cum magiſtro nauis debere, ut cæterorū uectorum merces retineant. donec portionem damni præſtent. Imò & ſi retineat merces magiſter: ultro ex locato habiturus eſt actionem cum uectorib. quid. n. ſi vectores ſint, qui nullas ſarcinas habeant? planè commodius eſt, ſi ſint: retinere eas, at ſi non. & totam nauem conduxerit, ex conducto aget, ſicuti vectores, qui loca in naue conduxerunt. equiſſimum. n. eſt, cōe detrimentum fieri eorum, q̄ ꝓ ꝑ amiſſas res aliorū conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſaluas hn̄ent, ff. eo. l. ſecunda, in prin.

Si conſeruatis mercibus deterior facta ſit nauis, aut aliquid exarmauerit, nulla facienda eſt collatio: quia diſsimilis earum rerum cauſa eſt, quæ nauis gratia parantur, & earum pro q̄b. mercedem aliquis accepit. Nam & ſi faber in cudem, aut malleum fregerit. non imputatur ei, qui locauit opus, ſed ſi uoluntate uectorum

rum, uel propter aliquem metum, id detrimentum factum sit: hoc ipsum sarciri oportet, d.l.secunda, §.si conseruatis.

Cum in eadem naue uaria mercium genera complures mercatores coegissent: tẽpestate graui orta, necessario iactura facta erat. q̃sita deinde sunt hæc, an oẽs iacturam præstare oporteat? & quid si tales merces imposuissent, quibus nauis non oneraretur: ueluti gemas, malgaritas? & quæ portio p̃stãda est? & qua actione ea res expediri posit. Placuit oẽs, quorum quid interfuisset iacturam fieri, conferre oportere: quia id tributum ob seruatas res deberent. itaq; dominum etiam nauis pro portione obligatum esse, d.l.secunda, §.cum in eadem.

Iacturæ summam pro rerum precio distribui oportet, ex conducto domini rerum amissarum cum nauta, idest, cum magistro acturi sunt. Itidem agitatum est, an etiam uestimentorum cuiusq;, & anulorum æstimationem fieri oporteat? & omnium uisum est, nisi si qua consumendi causa imposita forent. quo in numero essent cibaria. eo magis, quod si quando ea deficerent in nauigationem, quid quisq; haberet in commune conferret, d.l.secunda. §.iacturæ.

Si nauis à piratis redempta sit. Seruius, Ofilius, Labeo, omnes conferre debere aiunt, q uero prædones abstulerint, eum perdere, cuius fuerit, nec conferendũ ei, qui suas merces redemerit. Portio autem pro æstimatione rerum, quæ saluæ sunt, & eorum, quæ amissæ sunt. præstari solet. Nec ad rem pertinet, si hæ, quæ amissæ sunt pluris uenire poterant, qm̃ detrimenti non lucri fit præstatio. sed in his rebus, quarum nomine conferendum est, æstimatio debet haberi, non quanti emptæ sunt, sed quanti uenire possunt, d.l.secunda, §.si nauis.

Si res, quæ iacte sunt, apparuerint: exoneratur collatio. q si iam contributio facta sit. tunc hi, qui soluerunt, agente ex locato cum magistro. ut is ex conducto experiatur, & quod exegerit, reddat, res autem iacta dñi manet, nec fit adpræhendentis, quia pro derelicto non habetur, d.l.secunda, §.si res quæ.

Cum arbor, aut aliud nauis instrumentum remouendi communis periculi causa, deiectum est: contributio debetur, ff.eo.l.tertia.

Nauis onustæ leuandæ causa (quia intrate portum, uel flumen non potuerit cum onere) si quædam merces in scapham traiectæ sunt, nè autem extra flumen periclitetur, aut in ipso hostio, uel portu eaq; scapha submersa est: ratio hr̃i debet inter eos, qui in naues merces saluas habent, cum iis, q in scapha perdiderunt, proinde tàm, quàm si iactura facta esset: Idq; Sabinus probat. contra si scapha cum parte mercium salua est, nauis periit: ratio hr̃i non debet eorum, qui in naue p̃diderunt: q̃a iactus in tributum naue salua uenit, ff.eo.l.quarta, in princ.

Sed si nauis, quæ in tempestate iactu mercium unius mercatoris leuata est, in alio loco submersa est, & aliquorum mercatorum merces perurinatores extractæ sunt. data mercede: rationem hr̃i debere eius, cuius merces in nauigatione leuandæ nauis causa iactæ sunt, ab his, qui postea suas p urinatores seruauerunt, inuicem rationem hr̃i non debere ab eo, q in nauigatione iactum fecit: si quædam ex his mercibus per urinatores extractæ sunt. eorum.n. merces nõ possunt uideri seruandæ nauis causa iactæ esse, quæ periit, d.l.quarta, §.sed si nauis.

Cum autem iactus de naue factus est, & alicuius res, quæ in naue remanserunt, deteriores factæ sunt: uidendũ an cõferre cogẽdus sit: quia non debet duplici dãno, onerari, & collationis, & quod res deteriores factæ sunt, sed defendendum est, hunc conferre debere. pretio præsente rerum itaque (uerbi gratia) si Vicenum merces duorum fuerint, & alterius adspargine decem esse cæperunt; ille cuius res integræ sunt pro uiginti conferrat. hic pro decem. potest tamen dici et illa sñia distinguentibus nobis, deteriores, ex qua cã factæ sunt, id est, utrum

pp iacta nudatis rebus damnum secutum est, an uero ex caussa: veluti qđ alicubi iacebant merces aliquo in angulo, & unda penetrauit. tunc. n. conferre debebit. sed an ex priori caussa collationis onus pati non debet: quia iactus ēt hunc lęsit? ad huc nunquid & si aspargine pp iactum deteriores factę sunt; sed distinctio subtilior adhibenda est. quid stiplus sit in damno an in collatione: Si verbi gratia hæc res viginti fuerunt, & collatio quidem facit decem, damnum autem duo: deducto hoc, quod damnum possus est, reliquum conferre debeat? quid ergo si plus in damno erit, quam in collatione: vtputa decem aureis res deteriores factæ sunt, duo autem collationis sunt? indubitatè utrumq; onus pari non debet. sed hic uideamus, num & ipsi conferri oporteat. quid enim interest, iactatas res meas amiserim, an nudatas deteriores habere cœperim? Nam sicut ei, qui perdidit, subuenitur: ita & ei subueniri oportet, qui deteriores propter iactum res hr̄e cæpit. hæc ita Papyn. Pronto respondit. d. l, quarta, § cum autem.

Amissæ nauis damnum collationis consortio non sarcit̄ per eos, qui merces suas ex naufragio liberarunt. Nam huiusmodi æquitatem tunc admitti placuit, cum iactus remedio cæteris in cōi periculo salua naue consultum est, ff. eo. l 5. in pri.

Arbore cæsa, vt nauis cum mercibus liberari posit, æquitas contributionis locum habebit, d. l. quinta, §. fin.

Nauis aduersa tempestate depressa ictu fluminis deustis armamentis, & arbore, & omnia. Hipponem deleta est, ibiq; tumultuariis armamentis ad præsens comparatis, Hostiam nauigauit, & onus integrum pertulit. Quæsitum est, an hi. quorum onus fuit nautæ pro damno conferre debeant, Respondit Iulian. non debere. hunc enim sumptum instruendæ nauis magis, quam conseruandarum mercium gratia factus est, ff. eo. l. sexta.

Cum depressa nauis, aut deiecta esset, id quod quisq; ex eo suum seruasset sibi seruare respondit Paulus tanquam ex incendio, ff. eo. l. septima.

Qui leuandæ nauis gratia res aliquas proiiciunt, non hanc mentē haberet, ut eas pro derelicto habeât, quippè si inuenerint eas oblaturos: & si suspicati fuerint, in quem locum eiectæ sint, requisituros, ut perinde sit, ac si quis onere præsus, unā rem abiecerint, mox cū aliis reuersurus, ut eandem auferret, ff. eo. l. octaua.

Libellus Eudæmonis Nicomedensis suplicatorius ad Antoninū Imperatorē. Dn̄e Imperator Antoninæ facto in Italia naufragio, spoliati direptiq; sumus a publicanis, qui Cycladas insulas inhabitant. Respondit Antoninus. Ego quidem mundi dominus. lex uero maris lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præscripta est disceptetur, quatenus nulla ei nostrarum legum aduersatur. hoc idem Diuus quoque Augustus iudicauit, ff. eo. l. pen.

Si uehenda animalia conduxisti pro eo animali. quod in mare mortuum est uectū tibi non debetur: PAVLVS. imo quæritur, quid actum est: utrum pro his, qui impositi: an pro his, qui deportati essent merces daretur? quod si hoc apparere non potuit: satis erit p nauta, si pbauerit impositū esse animal, ff. eo. l. fi. in prin.

Si ea conditione nauem conduxisti, ut ea merces tuæ portarentur: easque merces nauta nulla necessitate coactus, in nauem deteriorem (cum id sciret te fieri nolle) transtulit, & merces tuæ cum ea naue perierunt, in qua nouissimè uectæ sunt: habes ex conducto, cum priore nauta actionem, Paulus, imò contra si modo ea nauigatione, utraq; nauis periit, cum id sine dolo, & culpa nautarum factum esset. Idem iuris erit. si prior nauta publicè retentus, nauigare cū tuis mercibus phibitus fuerit, idem iuris erit, si ea conditione a te conduxisset, ut certā pœnam tibi pręstaret, nisi ante constitutum diem merces tuas eo loci exposuisset, in quem vehendas eas merces locasses: ne per eum staret, quominus remissa sibi

sibi pœna spectaret, idem iuris in eodem genere cognitionis obseruabimus, si probatum fuerit, nautam morbo impeditum nauigare non potuisse. idem dicemus, si nauis eius uicium fecerit: sine dolo, & culpa eius, d.l.fi.§. si ea condit.

Si conduxisti nauem amphorarum duorum milium, & ibi amphoras portasti: pro duobus milibus amphorarum precium debes Paulus. imo si auersionis naue conducta est: pro duobus milibus merces debetur. si pro numero impositarum amphorarum merces constituta sit: contra se habet. nam pro tot amphoris precium debes, quot portasti, d.l.fi.§.fi.

DE INSTITORIA ACTIONE. Tit. IIII.

INstitoria actio tunc locum habet cum quis tabernæ fortè, aut cuilibet negociationi filium suum proposuerit, & quid cum eo eius rei causa, cui præpositus erit, contractum fuerit: Ideo autem institoria appellatur, quia qui negociationibus præponuntur, institores uocantur. ista tamen actiones prætor reddit, & si non filium, sed alium quemlibet hominem naui, aut tabernæ, aut cuilibet negociationi præposuerit, scilicet quia eadem æquitas ratio etiam eo casu interueniat, Inst. quod cum eo, qui in alie. pot. est neg gest. esse dicatur, §. institoria.

Aæquum p̄tori uisum est, sicuti commoda sentimus ex contractu institorum, ita ēt obligari nos ex contractibus ipsorum, & conueniri. Sed non idem facit circa eū qui institorem p̄posuit, vt experiri possit, Marcellus ēt ait, debere dari actionē ei, q institorem p̄posuit, in eos, qui cum eo contraxerunt. Eo nomine, quo institor contraxit si mō aliter rem suam seruare nō p̄t, ff. de inst. act. l. prima, & scd̄a.

Institor appellatus est ex eo, quod negocio gerende insistat. nec multum facit, tabernæ sit præpositus, an cuilibet alii negociationi, ff. eo. l. tertia.

Item institor est, q tabernæ locove ad emendum, vendendamve præponitur, quivè sine loco ad eundem actum præponitur. Cum interdum etiam ad homines honestos adferant merces, & ibi vendant, nec mutat causam actionis locus emendi, vendendive cum utroq; modo uerum sit, institorem emisse, aut uendidisse, ff. eo. l. tertia, & quarta.

Cuicunq; igit̄ negocio p̄positus est, institor rectè appellabitur. nam & Seruius lib. primo, ad Brutum ait, si quid cum insulario gestum sit, uel cum eo, quem quis ædificio præposuit, vel frumento coemendo insolidum eum teneri. Labeo quoque scribit, si quis agrit colendis mercaturis, redemptisve faciendis p̄posuerit insolidum eum teneri, Labeo scribit, sed & si mensæ habuerit, quis filium præpositum nomine eius tenebitur, ff. eo. l quinta, in princ.

Sed etiam eos institores dicendos placuit, quibus vestiarii, uel lintearii dant uestem circumferendā, & distrahendam, quos uulgo circuitores appellamus, sed etiam muliones, quis propriè institores appellet. item fullonū & sarcinatorum præpositus, sed & stabularii quoq; loco institorum hn̄di sunt, d. l. quinta, §. sed.

Si quis pistor filium suum solitus sit in certum locum mittere panem uendendum, deinde is pecunia accepta præsente, ut per dies singulos eis panem præstaret, conturbauerit, dubitari non oportere, quin si permisit ei, ita dari summas, teneri debeat, d. l. quinta. §. si quis.

Sed, & cū fullo pegræ ꝓficiscēs, rogasset, quem ut discipulis suis, q̄b. tabernā īstructū tradiderat, īperaret, post cuius ꝓfectionem uestimenta discipulus accepisset, & fugisset: fullo non tenetur, si quasi procurator fuerit relictus. sin uero, quasi institor is tenebit̄, planè si adfirmauerit mihi, rectè me credere operariis suis:

non

non institoria, sed ex locato tenebitur, d. l. quinta, §. sed & cum fullo.

Non tamen omne, qđ institore geritur, obligat eum, qui proposuit: sed ita si eius rei gratia, cui præpositus fuerat, contractum est. proinde si ꝑposui ad mercium distractionem: tenebor nomine eius ex empto actione. Item si fortè ad emendũ præposuero tenebor duntaxat ex vendito. sed neq; si ad emendum, & ille uendiderit, neq; si ad uendendum & ille emerit, debebo teneri, idemque Cassius scribit. sed & si pecuniam quis crediderit institori ad emendas merces præposito, locus est institoriæ, idemq; si ad pensionem pro taberna exsoluẽdam, quod ita verum est, nisi prohibitus fuit mutuari, si ei, quem ad vendendum emendumve oleum præposui. oleum mutuum datum sit, dicendum erit institoriam locum habere. Item si institor cum oleum vendidisset, anullum arræ nomine accepit, neq; eum reddat. Patrem institoria teneri. Nam eius rei, in quam præpositus est, contractum est, nisi forte mandatum ei fuit, præsente pecuniam vendere. quare & si forte pignus institor ob precium acceperit institoriæ locus erit. Item fideiussor quoq;, qui pro institore interuenerit, institoria cõpetit, eius. n. rei sequella est. Si institor sit præpositus is tamen decesserit, qui præposuit: & hæres ei extiterit, qui eodem institore utatur, sine dubio teneri eum oportebit, nec non si ante aditam hæreditatem cum eo contractum est: æquum est, vel ignoranti dari institoriam actionem, sed & si procurator meus tutor, curatorve institorem præposuerit: dicendum erit velut à me præposito, dandam institoriam actionem, ff. eod. l. quinta. §. non tamen.

Sed & ĩ ipsũ ꝑcuratorẽ (si omniũ rerũ ꝑcurator est) dari debebit ĩstitoria. ff. eo. l. vi.

Sed & si quis meam rem gerens præposuerit, & ratum habuero, idem erit dicendum, ff. eo. l. septima, in prin.

Parui refert, qui sit institor. Masculus aut fœmina, item quisquis præposuit. Nam & si mulier præposuit, competet institoria actio, exemplo exercitoriæ actionis. & si mulier sit præposita, tenebitur etiam ipsa. Sed & si filiusfamilias sit præpositus competit institoria actio. pupillus etiam institor obligat eum, qui eum præposuit, institoria actione: quoniam sibi imputare debet, qui eum præposuerit. Nam pleriq; & puerum, puellasq; tabernis præponunt. Verum si ipse pupillus præposuerit, si quidem tutoris authoritate, obligabitur, si minus non, ff. eo. l. septima, §. parui refert. cum duobus sequentibus.

Eatenus tñ dabit̃ in eũ actio, quatenus ex ea re locupletior est, ff. eo. l. eatenus. x.

Sed, & si pupillus hæres extiterit ei, qui præposuerit æquissimum erit pupillum teneri, quandiu præpositus manet. remouendus. n. fuit à tutoribus, si nollent uti opera eius, sed & si minor uigintiquinq; annis erit, qui præposuit, auxilio ætatis utetur, nec sine causæ cognitione, ff. eo. l. sed & si, xi. in princ.

Si Impubes patri habenti institoris, hæres extiterit, deinde cum his contractum fuerit: dicendum est in pupillum dari actionem propter utilitatem promiscui vsus: quemadmodum ubi post mortem turoris, cuius authoritate institor præpositus est, cum eo contrahitur. Eius contractus nomine, qui ante aditam hæreditatem intercessit, & si furiosus hæres existat dandam actionem, etiam Põponius scripsit. non. n. imputandum est ei, qui sciens dominum decessisse cum institore exercente mercem contrahat, ff. eo. l. si quis, 17. §. si impubes.

De quo palàm proscriptum fuerit, ne cum eo contrahatur, is præpositi loco non habebitur. non enim permittendum erit cum eo, quasi cum institore, contrahere: sed si quis nolit contrahi, prohibeat. cæterum qui præposuit, tenebitur ipsa præpositione, d. l. sed & si, §. de quo.

Proscri-

Proscribere palàm sic accipimus, claris literis, ut de plano rectè legi possint: ante tabernam scilicet, uel ante eum locum in quo negociatio exercetur, nec in loco remoto, sed in euidenti, & literis græcis, aut latinis secundum loci conditionem, ne quis causari possit ignorantiam literarum, d.l. sed & si, §. proscribere.

Certè si quis dicat ignorasse se literas, vel non obseruasse, quod propositum erat, cum multi legerent, cunque palàm esset propositum: non audietur. proscriptū autem perpetuò esse oportet, cæterum si illud temporis, quo propositum non erat, vel obscurata proscriptione, contractum sit: institoria locum habebit. proinde si dominus quidem mercis proscripsisset, alius autem sustulisset, aut vetustate, vel pluuia, vel quo simili contingit, ne proscriptum esset, vel non pareret: dicendum est eum, qui præposuit, teneri. sed si ipse institor decipiendi mei causa detraxit: dolus ipsius præponenti nocere debet: nisi particeps doli fuerit, qui contraxit, d.l. sed & si, §. certè si quis.

Conditio autem præpositionis seruanda est. quid. n. si certa lege, vel interuentu cuiusdam personæ, vel sub pignore voluit cum eo contrahi, vel ad certam rem? æquissimum erit, id obseruari, in quo præpositus sit. Item si cum plures habuit institores, vel cum omnibus simul contrahi uoluit, vel cum uno solo: sed & si denunciauit cui, nè cum eo contraheret: non debet institoria teneri. Nam & certam personam possumus prohibere contrahere, vel certum genus hominum, vel negociatorum: & certis hominibus permittere. sed si alias cum alio cōtrahi vetuit, continua variatione: danda est omnibus aduersus eum actio. Neq; enim decipi debent contrahentes, d.l. sed & si. §. condictio autem.

Sed si in totum prohibuit cum eo contrahi, præpositi loco non habetur: cum magis hic custodis sit loco, quàm institoris. Ergo nec vendere mercem hic poterit, nec modicum quid ex taberna, d.l. & si, §. sed si in totum.

Habebat quis filium merci oleariæ præpositum Arelati: eundem & mutuis pecuniis accipiendis: acceperat mutuam pecuniam, putans creditor ad merces eum accepisse egit proposita actione. probare non potuit, mercis gratia eam accepisse, licet consumpta est actio, nec amplius agere poterit, quasi pecuniis quoq; mutuis accipiendis esset præpositus: tamen Iulianus vtilem ei actionem competere ait. Meminisse autem oportebit, Institoria dominum ita demum teneri, si non nouauerit quis eam obligationem, vel ab institore, vel ab alio nouandi animo stipulando, ff. eo. l. habebat, 13. in prin.

Si duo plures ve tabernam exerceant, & filium quem ex disparibus, habebant partibus, institorem proposuerint. Vtrum pro paternis teneatur, an pro æqualibus an pro portione mercis, an uero in solidum: Iulianus quærit? & verius esse ait exemplo exercitorum, & de peculio actionis in solidum vnumquemq; conueniri posse: & quidquid is præstiterit, qui conuentus est, societatis iudicio, vel cōi diuidundo consequetur, quæ sententia probata est, d.l. habebat, 13. §. si duo.

Idem erit, & si filius communi merci præpositus sit. Nam aduersus utrumq; actio in solidum dari debet; & quod quisque præstiterit, eius partem societatis, vel communi diuidundo iudicio consequetur, ff. eo. l. idem erit, 14. in princ.

Si cum uillico alicuius contractum sit: non dabitur in dominum actio, quia uillicus propter fructus percipiendos, non propter quæstum præponitur, si tamen villicum distrahendis quoque mercibus præpositum habuero: non erit iniquū, exemplo institoriæ actionem in me competere, ff. eo. l. si cum villico, 16.

Si quis iumentis, pecoribusve emendis, vendendisve præpositus sit; Non solum institoria competit aduersus eum, qui præposuit, sed etiam redhibitoria, uel ex

ſtipulatu duplæ ſimpleve inſolidum actio danda eſt,ff.eo.l.ſi quis,17. in prin.

Si filium Titii inſtitorem habueris: uel tecum ex hoc edicto,uel cum Titio ex inferioribus edictis agere potero,ſed ſi tu cum eo contrahi uetuiſti, cum Titio duntaxat agi poterit,d.l.ſi quis,§.ſi ſeruum.

Proculus ait, ſi denunciauero tini, nè filio à me præpoſito crederes exceptionem dandam. SI ILLE ILLI NON DENVNCIAVERIT, NE ILLI FILIO CREDERET, ſed ſi ex eo contractu peculium habeam, aut in rem meam uerſatum ſit,nec uelim,quo locupletior ſim,ſoluere: replicari de dolo oportet. Ná uideri me dolũ facere,qui ex aliena iactura lucrũ q̃rã, d.l. ſi q.s.§.Proculus.

In eum,qui mutuis accipiendis pecuniis procuratorem præpoſuit,utilis ad exemplum Inſtitoriæ dabitur actio, quod æquè faciendum erit, & ſi procurator ſoluendo ſit,qui ſtipulanti pecuniam promiſit,ff. eo.l.in eam,19.in prin.

Tabernæ præpoſitus à patre filius, mercium cauſa mutuam pecuniam accepit pro eo pater fideiuſsit, etiam Inſtitoria ab eo petet̃, cum acceptæ pecuniæ ſpeciem fideiubendo tabernæ negocio miſcuerit,d.l.in eum,§.tabernæ.

Filius pecuniis tantum exercendis præpoſitus, per interceſsionem æs alienum ſuſcipiens,aut inſtitorem patrem inſolidam iure prætorio non adſtringit. quod autem pro eo,qui pecuniam exercuit per delegationem alii promiſit à patre rectè petetur cui,pecuniæ creditæ contra eum,qui delegauit, actio quæſita eſt,d.l.in eum,19.§.finali.

Lucius Titius menſæ numulariæ,quam exercebat, habuit Sempronium præpoſitum.is Gaio Seio cauit in hæc uerba. Octauius Terminalis rem agens Octauii Felicis Domitio felici ſalutem. habes penes menſam Lucii Titii,denarios mille,quos denarios uobis numerare debebo pridie Kal.Maias. Quæſitum eſt,Lucio Titio defuncto,ſine hærede,bonis eius uenditis,an ex hac epiſtola iure conueniri terminalis poſsit?Reſpondit Scæuola nec iure his uerbis obligatum,nec æquitatem conueniendi eum ſupereſſe, cum id ex inſtitoris officio ad fidem menſæ præſtandam ſcripſiſſet,ff.eo.l.fin.

Si inſtitoria rectè actum eſt,tributoria ipſo iure locum non habet.neque.n.poteſt habere locum tributoria in merce dominia,quod ſi non fuerit inſtitor dominicæ mercis,tributoria ſupereſt actio,ff.eo.l.ſed ſi pupillus,xi.§.ſi inſtitoria.

Meminiſſe autem oportebit inſtitoria patrem,ita demum teneri, ſi non nouauerit quis eam obligationem,uel ab inſtitore, uel ab alio inouandi animo ſtipulando,ff.eo.l.habebat,13.§.meminiſſe.

Ex hac cauſa etiam condici poſſe uerum eſt,ff.eo.l.ſi quis,17.§.finali.

Ex contractibus filiorum,quãuis de peculio duntaxat patres teneantur: de eo tamen,quod in rem eorum uerſum eſt,uel cum inſtitore ex cauſa, cui propoſitus eſt,contractum eſt,etiam inſolidum conueniri poſſe,dubium non eſt,C.de exercit.inſtitutoria actio.l.ſecunda.

Inſtitoria tibi aduerſus eum actio competit, a quo filius menſæ propoſitum dicis: ſi eius negocii cauſa,quod per eum exercebatur, depoſita pecunia, ne reddita poteſt probari,C.de exerci.& inſt.act.l.tertia.

Qui ſecutus patris uoluntatem,cum filio ipſius habuit contractum inſtar actionis inſtitoriæ rectè pro ſolido patrem conuenit,C.eo.l.fin.

DE

DE TRIBVTORIA ACTIONE. Titulus V.

INtroduxit,& aliam actionem prætor,quæ tributoria appellatur.Nã que si filius in peculiari mene,sciente patre,negocietur,& quid cũ eo eius rei causa contractum fuerit,ita prætor ius dicit, ut quicq̃d in his mercibus erit,quodq; inde receptum erit,id inter patrem si quid ei debebitur, & cæteros creditores pro rata portione distribuatur: & ideo tributoria uocatur,quia ipsi patri distributionem prætor ꝑmittit. Nam si quis ex creditoribus quæratur, quasi minus ei tributum sit, quam oportuerit,hanc ei actionem accommodat,quæ tributoria appellatur. Institut. quod cum eo,qui in alien.pot.est neg.gest.esse dic.§.introduxit.

Huius quoq; edicti non minima utilitas est: vt dñs, qui alioquin in filii contractibus priuilegium habet (quippè cum de peculio,duntaxat teneatur cuius peculii æstimatio deducto eo, quod patri debetur fit,) tamen si scierit filium in peculiari merce negociari, veluti extraneus creditor ex hoc edicto in tributum vocatur,ff.de tributoria actio.l.prima,in prin.

Licet mercis appellatio angustios sit,ut neq; ad fullones,vel sarcinatores,uel textores,vel venaliacitores pertineant tamen Pedius scribit,ad omnes negociationes porrigendum edictum,d.l.prima,§.licet mercis.

Peculiarem autem mercem,non sicuti peculium accipimus. quippè peculium deducto,ꝙ patre debetur, accipitur; Merx peculiaris, etiam si nihil sit in peculio parrem tributoria obligat: ita demum si sciente eo negociabitur. ut tñ merx, qua peculiariter negocietur ad nos pertinet,d.l.prima,§. peculiarẽ, cũ l. scđa.

Scientiam hic eam accipimus,quæ habet uoluntatem,sed patientiam. non enim velle debet pater,sed non nolle.si igitur scit,& non protestatur, ac contradicit, tenebitur actione tributoria,d.l.prima,§.scientiam.

Potestatis verbum ad omnem sexum, item ad omnes, qui sunt alieno iure subiecti porrigendum erit,d.l.prima,§.potestatis.

Si amicus pupilli, vel furiosi, sciente tutore,vel curatore in merce peculiari negocietur:dolum quidem tutoris,vel curatoris nocere pupillo,vel furioso non debet,nec tamen lucrosum esse debet,& ideo hactenus, is ex dolo tutoris tributoria tenetur,si quid ad eum peruenerit,idem, & in furioso erit, quamuis Pomponius scripserit,si soluendo tutor sit,ex dolo eius pupillum teneri, & sanè hactenus tenebitur,vt actionem,quam contra tutorem habet,præstet, ff. eodem, l.tertia,§.si seruus.

Sed & si ipsius pupilli dolo factum sit (si eius ætatis sit, ut doli capax sit) efficere, ut teneatur: quamuis scientia eius non sufficit ad negociationem,quid ergo est?scientia quidem tutoris,& curatoris debet facere locum huic actioni, dolus autem,quatenus noceat. ostensum est,d.l.tertia,§.sed & si ipsius.

Si pupillus, cuius tutor scierit, pubes factus; uel furiosus sanæ mentis dolum admittant: tenetur ex hoc edicto,ff.eod.l.quarta.

Procuratoris autem scientiam,& dolum nocere debere domino,neque Pomponius dubitat,neq; dubitandum est,ff.eo.l.quinta,in prin.

Parui refert cum ipso filio contrahatur,an cum institore eius mercis nomine merito adiicitur,ne omnis negociatio cum eo facta tributoriã inducat,d.l.v.§.itẽ.

Per hanc actionem tribui iubetur,quod ex ea merce,& quod eo nomine recetum est,d.l.quinta,§.per hanc.

In tributum autem vocantur, qui in potestate filios habent, à creditoribus mercis, d.l. quinta, §. in tributum.

Sed est quæsitum pater vtrum, ita demum partietur ex merce, si quid ei mercis nomine debeatur, an vero & si ex alia causa? & Labeo ait, ex quacunq; causa ei debeatur: paruiq; referre, ante mercem, an postea debere ei, quid filius cæperit sufficere enim, quod priuilegium deductoris perdidit. quid tñ, si qui contrahebant, ipsam mercem pignori acceperint? debet dici præferrendos patri iure pignoris, siue autem patri, siue his, qui in potestate eius sunt, debeatur: vtiq; erit tribuendum, d.l. quinta, §. sed est quæsitum.

Non autem totum peculium venit in tributum, sed id duntaxat, quod ex ea merce est, siue merces manent, siue precium earum receptum, conuersumve est in peculium, sed & si adhuc debeatur mercis nomine à quibusdam, quibus solebat filius distrahere, hoc quoq; tribuetur, prout fuerit receptũ, d.l. quinta, §. non aũt.

Si præter mercem filius iste in taberna habet instrumentum: an hoc quoq; tribuatur, & Labeo ait, etiam hoc tribui. & est æquissimum. plerunq; enim hic apparatus ex merce est, imo semper. cætera tamen, quę extra hęc in peculium habuit non tribuentur (vtputa argentum habuit, vel aurum) nisi hæc ex merce comparauit, item si animalia in negotiatione habuit ex merce parata: etiam hæc tribuentur, d.l. quinta, §. si præter.

Si plures habuit filius creditores, sed quosdam in mercibus certis: an omnes in idem confundendi erunt, & omnes in tributum vocandi? vtputa duas negociationes exercebat, puta sagariam, & lintearium, & separatos habuit creditores, separatim ii, in tributum vocantur. vnusquisq; n. eorum merci magis, quam ipsi credidit, sed & si duas tabernas eiusdem negociationis exercuit, & ego fui tabernæ, (verbi gratia) quam ad Bucinum habuit, ratiocinatur: alius eius, quã trans thyberim, æquissimum est, separatim tributionem faciendam, ne ex alterius re, merceve alii indẽnes fiant, alii damnũ sentiant, d.l. quinta, §. si plures.

Planè si eadem taberna merces eædem deferebãtur: licet hæ, quæ extent ex vnius creditoris pecunia sint comparatæ: dicendum erit, omnes in tributum venire, nisi fuerint creditori pignoratæ, d.l. quinta. §. planè.

Sed si dedi mercem meam uendendam & extat: videamus, ne iniquum sit in *tributum* me uocari, & si quidem in creditum abii tributium locum habebit. enimvero si non abii, quia res venditæ non alias desinent esse meæ (quamuis vendidero) nisi ære soluto, vel fideiussore dato, vel alias satisfacto: dicendum erit, vendicare me posse, d.l. quinta, §. sed si dedi.

Tributio autem fit pro rata eius, quod cuique debetur, & ideo si unus creditor ueniat, desiderans tribui sibi integram portionem: consequitur, sed quoniam fieri potest, vt alius quoq;, vel alii existere possint mercis peculiaris creditores: cauere debet creditor iste pro rata se refusurum, si fortè alii emerserint creditores. Nõ enim hæc actio, sicut de peculio occupantis meliorem causam facit, sed æqualem conditionem quandoq; agentium, d.l. quinta, §. fin. cum l. seq.

Illud quoq; cauere debet, si quid aliud patri debitum emerserit refusurum se ei pro rata. finge. n. conditionale debitũ imminere, vel in oculto esse. hoc quoq; admittendum est. Nam iniuriam pater pati non debet, licet in tributum vocatur. quid tñ si pater tribuere nolit, nec hanc molestiam suscipere: sed peculio, uel mercibus cedere paratus sit? Pedius refert audiendum eum, quæ sententia habet æquitatem, & plerunq; arbitrum in hanc rem prætor debebit dare, cuius interuentu tribuatur merces peculiares, ff. eo. l. septima, in prin.

Si cuius

Si cuius dolo malo factum est,quo minus ita tribueretur,in eum tributoria datur, ut quanto minus tributũ sit,quam debuit,pręstet.quę actio dolum malum coercet patris. Minus autem tribuere pater uidetur etiam si nihil tributum est. proinde si ex ea merce sibi solui fecit,vtiq; dolo vr̃ minus tribuisse.d.l.septima.§.si.

Sed & si mercem perire passus est, aut eam auertit, aut vilioris data opera distraxit,uel si ab emptoribus,precium non exegit: dicendum erit, teneri eum tributoria,si dolus interuenit.d.l.septima,§.sed & si.

Sed & si negauerit pater cuiq; deberi,videndum erit,an tributoriæ locus sit. & est uerior Labeonis sententia, tributoriam locum habere alioquin expediret patri negare,d.l.septima.§.sed & si negauerit.

Hæc actio,& perpetuo & in hæredem datur,de eo duntaxat, quod ad eum peruenit. quia non de dolo est,sed rei persecutionem continet, quare etiã pater mortuo filio item hæres eius perpetuo teneri debebit propter factum defuncti, quamuis non aliter,quam dolo interueniente competat,d.l.septima, §.finali, cum l.sequen.

DE PECVLIO ACTIO, ET DE IN REM VERSO.
Titulus VI.

INtroducta est actio de peculio,deq; eo, quod in rem patris uersum erit,vt quamuis sine voluntate patris negocium gestum erit,tamen siue quid in rem eius versum fuerit id totum præstare debeat: siue quid non sit in rem eius uersum,id eatenus præstare debeat, quatenus periculum patitur.in rem autem patris uersum intelligitur,qcquid necessario in rem eius impenderit filius: veluti si mutuatus pecuniam,creditoribus eius soluerit,aut ædificia eruentia fulserit,aut frumẽtum emerit, vel etiam fundum,aut quamlibet aliam rem necessariam mercatus erit. Itaq; si ex decem (puta) aureis,quos filius tuus à Titio mutuo accepit,creditori tuo quinque aureos soluerit reliquos vero quinque quolibet modo consumpserit, pro quinque quidem in solidum damnari debes,pro cæteris vero quinq; eatenus, quatenus in peculio sit. ex quo scilicet apparet, si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint tot decem aureos Titium consequi posse. licet n. una est actio,quæ de peculio,deq; eo,quod in rem patris uersum sit,agitur tamen duas habet cõdemnationes. Itaque iudex apud quem ea actione agitur, ante dispicere solet, an in rem patris versum sit, nec aliter ad peculii æstimationem transit, quam aut nihil in rem patris uersum intelligatur,aut non totum. Instit.quod cum eo, qui in alien. potest. est,neg.gest. esse dic,§.Præterea.

Ordinarium Prætor arbitratus est,prius eos contractus exponere eorum,qui alienæ potestati subiecti sunt,qui insolidum tribuunt actionem, sic de inde ab hoc peruenire,ubi de peculio datur actio. est autem triplex hoc ædictum, aut enim DE PECVLIO, aut DE IN REM EVERSO, aut QVOD IVSSV hinc oritur actio. Verba autem edicti talia sunt, QVOD CVM EO, QVI IN ALTERIVS POTESTATE ESSET, NEGOCIVM GESTVM ERIT, de eo loquitur non de ea: sed tamen, & ob eam,quæ est fœminini sexus, dabitur ex hoc edicto actio,ff.de peculio.l.prima,in princ.

Peculium dictum est,quasi pusilla pecunia,siue patrimonium pusillum. peculium autem Tubero; quidem sic definiuit (vt Celsus refert. Quod filius patris

permiſſu ſeparatum à rationibus paternis habet, deductio inde ſi quid patri debetur, ff. eo. l. quinta, §. peculium.

Peculium & ex eo conſiſtit, quod parſimonia ſua, quis parauit, vel officio meruit à quolibet ſibi donari, idque uelut proprium patrimonium filium ſuum habere quis voluerit, ff. eo. l. peculium, 39.

Peculium naſcitur, creſcit, decreſcit, & moritur. & iō eleganter, Papynius Fronto dicebat peculium eſſe ſimile homini. Naſcitur peculium, ſi id adquiſiit, filius quod pater non habet præſtare, creſcit cum auctum fuerit, decreſcit cum animalia moriuntur, res intercidunt: Moritur cum ademptum ſit. ff. eo. l. pecul. 40.

In hoc autem iudicio licet reſtauratur recedens: tamen & augumenti & deceſſionis rationem haberi oportet. ideo ſiue hodie nihil ſit in peculio, ſiue acceſſerit aliquid præſens ſtatus peculii ſpectandus eſt. quare circa venditionem quoque & emptorem hoc nobis videtur verius: quod acceſsit peculio, poſſe nos ab emptore cōſequi, nec retrorſus, velut in vno iudicio, ad id tempus conuentionem reducere emptoris, quo uenditor conuentus ſit, ff. eod. l. ſi ex duobus, 32. §. in hoc autem.

Qui peculii adminiſtrationem concedit, uidetur permittere generaliter, quod & ſpecialiter permiſſurus eſſet, ff. eod. l. qui peculii. 46.

Cui peculii adminiſtratio data eſt delegare debitorem ſuum poteſt, ff. eodem, l. libera, 28. §. finali.

Non ſolum id peculium eſt, quod pater filio conceſsit: uerum id quoque, quod ignorante quidem eo adquiſitum ſit. tamen ſi reſciſſet paſſurus erat eſſe in peculio, ff. eod. l. non ſolum. 49. in prin.

Si filius cuius nomine duntaxat de peculio actum eſt, ante finitum iudicium deceſſerit: id peculium inſpicietur, quod aliquis eorum uim moriebatur habuit, ff. eod. l. ſi filius, 57. in princ.

In peculio autem res eſſe poſſunt omnes & mobiles & ſoli, hoc amplius, & nomina debitorum, hæreditas quoq; & legatum, vt Labeo ait, ſed & id, quod pater filio debet in peculium habebit, ſi forte in patris rationem impendit, & pater debitor ei manſit, aut ſi debitorem eius pater conuenit, ff. eodem, l. ſeptima. §. in peculio.

Peculii eſt non id, cuius filius ſeorſum à patre, rationem habuerit. ſed ꝙ pater ipſe ſeparauerit ſummam filii rationem diſcernens. Nam cum filii peculium totum adimere, vel augere, vel minuere pater poſsit: animaduertendum eſt nō quid filius, ſed qui pater conſtituendi filii peculii gratia fecerit. Sed hoc ita uerum eſt, ſi debito filium liberare voluit pater: vt etiam ſi nuda uoluntate remiſerit pater, quod debuerit, definat filius debitor eſſe. ſi vero nomina ita fecerit pater, vt quaſi debitorem ſe filio faceret, cum debitor non eſſet; contra eſt. re enim non verbis peculium augendum eſt. Ex his apparet non quid filius ignorante patre habuit peculii eſſe, ſed quid volente, ff. eo. l. quarta, in prin.

Non ſtatim quod pater uoluit. ex re ſua peculii eſſe, peculium fecit: ſed ſi tradidit aut cum apud eum eſſet, pro tradito habuit. deſiderat enim res naturalem dationem. contra autem ſimul atque noluit peculium filii definit peculium eſſe, ff. eod. l. octaua.

Summa cum ratione etiam hoc peculio prætor imputabit, ꝙ dolo malo patris factum eſt, quominus in peculio eſſet, ſed dolum malum accipere debemus, ſi ei ademit peculium. ſed & ſi cū intricare peculium in necem creditorū paſſus eſt Mela ſcribit dolo malo eius factum. ſed & ſi quis, cum ſuſpicatur alium ſecum

acturum

acturum aliò peculium auertat: dolo non caret. sed si alii soluerit: non dubitatur, quin non teneatur: quoniam creditori soluit, & licet creditori uigilare ad suum consequendum, ff. eo. l. 21. in prin.

Si dolo tutoris, vel curatoris furiosi, vel procuratoris, factum sit, quominus in peculio esset, si soluendo tutor sit præstabit pupillus ex dolo eius, maximè si quid ad eum peruenit. ita & Pomponius scribit, idem in curatore, & procuratore erit dicendum. Emptor autem ex dolo venditoris non tenebitur, nec hæres, vel alius successor: nisi in id, quod ad eum peruenit, d. l. summa, 21. §. si dolo.

Siue autem post iudicium acceptum, siue ante, dolo factum sit continetur officio iudicis, d. l. summa, §. siue autem.

Peculium autem deducto, quod patri debetur, computandum est: quia præuenisse pater, & cum filio egisse creditur. Huic definitioni seruius adiecit. ET SI QVID HIS DEBEATVR, QVI SVNT IN EIVS POTESTATE: quoniam hoc quoque patri debere nemo ambigit. Præterea id etiam deducetur, quod his personis debetur, quæ sunt in tutela, vel in cura patris, vel quorum negotia administrat: dummodo dolo careat: quoniam & si per dolum peculium, vel ademerit, vel minuerit, tenetur. Nam si semper præuenire pater, & agere videtur: cur non dicatur etiam hoc nomine eum secum egisse, quo uel tutelę, vel negociorum gestorum, vel utili actione tenebitur. Nam (vt eleganter Pedius ait) ideo hoc minus in Peculio est, quod patri debetur: quoniam non est verisimile patrem, id concedere filio in peculium habere, quod sibi debetur. sanè cũ ex cæteris causis ipsum à semetipso exegisse dicimus, qui negocia, vel tutelã gerit. cùr non etiam in specie peculiari exegerit, quod exigi debuit: Defendendum igitur erit, quasi sibi eum soluere, cum quis agere de peculio conabitur, ff. eod. l. sed si damnum, 9. §. peculium.

Siue autem ex contractu, quid patri debeatur, siue ex rationum reliquis deducet pater. item deducitur de peculio, si quid pater filii nomine obligatus est, aut præstitit obligatus. ita & si quid ei creditum est iussu patris: Nam hoc deducendum esse Iulianus scribit. sed hoc ita demum verum est, si non in rem patris, quod acceptum est, peruenit, alioquin secum debebit compensare. sed si pro filio fideiusserit: deducendum esse, idem Iulianus scribit, Marcellus autem in vtroq; si nondum quidquam patri absit: Melius esse ait, præstare creditori, ut caueat refusurum se, si quid præstiterit pater hoc nomine conuentus: quàm ab initio deduci, ut medii temporis interusurium magis creditor consequatur. sed & si de peculio conuentus pater. condemnatus est: debet in sequente actione de peculio deduci, sed si alius de peculio egit, & uicit, oportet deduci. cæpit enim pater iudicati teneri. Nam & si quid filii nomine non condemnatus præstitisset: creditori etiam hoc deduceret. Si vero adhuc in suspenso est, prius iudicium de peculio, & ex posteriore iudicio res iudicatur, nullo modo debet prioris iudicii ratio haberi in posteriore condemnatione: quia in actione, de peculio, occupantis melior est conditio. occupare autem videtur, non qui prior litem contestatus est, sed qui prior ad sententiam iudicis peruenit, ff. eo. l. sed si damnum, 9. §. siue autem, & §. item deducitur, vsq; ad finem cum l. seq.

Sed & si quid pater soluturum se filii nomine repromisit: deduci oportebit. quemadmodum si quid patri filius pro debitore repromiserit. Sed si à debitore paterno filius exegerit, an patri debitorem se fecerit, quæritur, & Iulian. ait, patrem deducturũ, si ratum habuisset, quod exactum est. naturalia enim debita spectamus in peculii deductione, est autem natura æquũ liberari filiũ obligatione, eo

quod videtur indebitum exegisse, ff. eod. l. si noxali, xi. §. sed, & si quid.

Est autem quæstionis, an id, quod pater semel deduxit, cum conueniretur: rursus si conueniatur, de peculio eximere debeat, an vero veluti solutum ei uideatur semel facta deductione? & Neratius & Nerua putant, item Iulianus scribit, si quidem abstulit hoc de peculio nō debere deduci. si uero eandem positionem peculii reliquit, debere eum deducere, d. l. si noxali, §. est autem quæstionis.

Quod autem deduci debere diximus, id, quod debetur ei, qui de peculio conuenitur: ita accipiendum est, si non hoc aliunde consequi posuit, d. l. si noxali. §. quod autem.

Non solum autem, quod ei debetur, qui conuenitur, deducendum est: verum etiā si socio eius, quid debetur, & ita Iulianus scribit. Nam qua ratione insolidum alteruter conuenitur: pari ratione deducere eum oportet, quod alteri debetur, quæ sententia recepta est. Quia hoc casu etiam cum eo agi potest, penes quem peculium non est. Sed in emptore & venditore vera non est. item in fructuario & proprietario, & cæteris, qui non sunt socii, sed & in patre & bonæfidei emptore. Nam, & Iulianus scribit, neutrum eorum deducere id, quod alteri debetur, d. l. in noxali. xi. §. fi. cum duabus, ll. seq.

Sed si duo sint bonæfidei possessores adhuc dicendum erit, neutrum plus deducturum, quam quod sibi debetur. idemq; & si duo sint fructuarii, quia nullam inter se habent societatem. idem dicitur interdum, & in sociis: si fortè separata apud se peculia habeant, ut alter alterius peculii nomine non conueniatur. cæterum si commune sit peculium, & in solidum conuenient, & deducetur, quod vtrique debetur, ff. eod. l. sed si duo, xv.

Si cum impubere filiofamilias contractum sit, ita dabitur in patrem de peculio, si locupletius eorum peculium factum est, d. l. prima, §. si cum impubere.

Si à filio meo fideiussorem accepero, quidquid a fideiussore accepero, ego non de in rem uerso, sed de peculio actione mandati præstabo. Idemq; si alius mihi pro filio meo debitore soluisset, quod si filius meus non fuisset, exceptione doli fideiussor utetur: & si soluisset condicturus est, ff. eod. l. tertia, §. si à filio, & §. cui congruit.

Sed si filius fideiussor, vel quasi interuentor acceptus sit: an de peculio patrem obliget, quæritur? & est, uera Sabini, & Cassii sententia existimantium semper obligari patrem de peculio, quare & ex compromisso pater tenebitur: nec interest, ex qua causa compromisserit. Vtrum ex ea causa ex qua potuit cum patre de peculio agi: an vero ex ea, ex qua non potuit, cum ex stipulatu pater conueniatur, d. l. tertia, §. sed si filius.

Iudicati quoque patrem de peculio actione tenetur, quod & Marcellus putat etiā eius actionis nomine, ex qua non potuit pater de peculio actionem pati. Nam sicuti stipulatione contrahitur cum filio, ita iudicio contrahi. proinde non originem iudicii spectandam, sed ipsam iudicati, veluti obligationem. quare, & si quasi defensor condemnatus sit: idem putat, d. l. tertia, §. idem scribit.

Ex furtiua causa à filio, quidem familias condici posse constat. an uero in patrem de peculio danda est. quæritur, & est verius ī quantum locupletior pater factus est ex furto facto actionem de peculio dandam. Nam & circa rerum amotarū actionem filiæfamilias nomine in id, quod ad patrem peruenit. competit actio de peculio, d. l. tertia, §. ex furtiua.

Si filiusfamilias decemuir pupillo rem saluam fore, caueri non curauit: Papinianus ait de peculio actionem competere. nec quidquam mutare, an uoluntate

patris

patris decurio factus sit, quoniam remp. saluam fore pater obstrictus est,d.l. tertia,§.finali.

Depositi nomine pater duntaxat de peculio conuenitur, & si quid dolo malo eius captus sum. sed & si præcario res filiofamilias data sit, duntaxat de peculio pater obligatur,ff.eod.l.quinta,in princ.

Deposui apud filiumfamilias decem,& ago depositi de peculio quamuis nihil patri filius debeat,& hæc decem teneat: nihilo magis tamen patrem damnandum existimatur,si nullum præterea peculium sit.hanc enim pecuniam cum mea maneat. non est peculii. deniq; quolibet alio agente de peculio minimè dubitandum est,computari non oportere: itaq; ad exhibendum agere me,& exhibitam vindicare debere,ff.eo. l.deposui,xxxviii.

Si filiusfamilias iusiurandum detulerit,& iuratum sit: de peculio danda est actio, quasi contractum sit,ff.eod.l. quinta,§.si filiusfamil.

Si pater recuset de peculio actionem. nō est audiendus,sed cogendus, quasi aliam quamuis personalem actionem suscipere,ff.eo.l.summa,21.§.si.

Si damni infecti ædium peculiarium nomine promisit pater: ratio eius haberi debet,& ideo ab eo,qui de peculio agit,patri cauendum est,ff.eod.l.si damni,22.

AEdium autem pecularium nomine insolidum damni infecti promitti debet,q̃a pro pignore eas,si non defendantur,actor possidet,ff.eo.l.ædium,23.

Curator furiosi administrationem peculii,& dare, & denegare potest, tam patri, quàm filio,ff.eo.l.curator,24.

Quæsitum est,an teneat actio de peculio,etiam si nihil sit in peculio,cū ageretur: si modo sit rei iudicatę tempore:Proculus,& Pegasus nihilominus teneri aiūt, intendi,& rectè,etiam si nihil sit in peculio,Idem & circa ad exhibendum,& in rem actionem placuit,quæ sententia probata est,ff.eo.l.quæsitum, 30. in prin.

Si cum ex parte patris agatur duntaxat de peculio condemnabitur, quod apud eum hæredem sit,qui conuenitur.idem & de ire rem uerso pro patre, nisi si q̃d in ipsius hęredis rem vertisset,nec quasi unus ex sociis erit hic hæres conueniēdus,sed pro parte duntaxat,sed si filius sit,quamuis ex parte institutus,nihilominus insolidum actionem patietur,sed si uelit pro parte nomen cohæredis redimere.audiendus est. quid enim si in rem patris uersum sit, cur non consequatur filius a cohærede, quod in patris re est? idem & si peculium locuplex sit,d.l. quæsitum. §. si cum ex parte.

Is,qui de peculio egit: rursus aucto peculio, de residuo debiti agere potest,d.l. quæsitum,§. is, qui.

Si annua exceptione repulsus sit a uenditore creditor: subueniri ei aduersus emptorem debet,sed si alia exceptione: hactenus, ut deducta ea quantitate, quam à uenditore consequi potuisset,ab emptore residuum consequatur. d. l.quæsitum.§.si annua.

In dolo obiiciendo temporis ratio habetur. fortasis enim post tempus de dolo actionis non patietur dolum malum obiici prætor, quoniam nec de dolo actio post statutum tempus datur.in hæredem autem doli clausula in id, quod ad eū peruenit,fieri debet: ultra non: sed si ipse hæres dolo fecerit,solidum præstat,d. l.quæsitum,30.§. fin.cum l.seq.

In bonæfidei contractibus quęstionis est,de peculio,an insolidum pater teneatur, vt est in actione de dote agitatum,si filiofamilias dos data sit: an pater duntaxat de peculio conueniatur. At non solum de peculio, sed & si quid præterea dolo malo patris capta, fraudataque est mulier competit actio. Nam si habeat

res,

res, nec restituere sit paratus: æquum est eum, quanti ea res est condemnari, ff. eod. l. in bonæ fidei, 36.

Si nuptura filiofamilias dotis nomine certam pecuniam promiserit, & diuortio facto agat de dote cum patre: vtrumve tota promissione, an deducto eo, quod patri filius debeat, liberari eam oporteret, respondit Africanus tota promissione, eam liberandam esse: cum certè: & si ex promissione cum eo ageretur, exceptione doli mali tueri se posset, ff. eo. l. deposui, 38. §. si nuptura.

Si dos filiofamilias sit data, vel tutelam administrauerit: habenda erit ratio priuilegiorum in actione de peculio, dilata interim cæterorum creditorum actione: vel interposita cautione si priores agant, qui priuilegium non habent: restitui, quod acceperunt, si inferatur postea cum patre actiò priuilegii, ff. eo. l. ex facto, 52. §. si dos.

Si creditor filii tui hæredem te instituerit, & tu hæreditatem eius vendideris: illa parte stipulationis. QVANTA PECVNIA EX HAEREDITATE AD TE PERVENERIT. teneberis de peculio, ff. eo. l. si creditor, 37. in prin.

In adrogatorem de peculio actionem dandam, quidam rectè putant: quamuis Sabinus, & Cassius ex ante gesto de peculio actionem non esse dandam existiment, ff. eo. l. in adrogatorem, 42.

Si quis cum filiofamilias contraxerit, duos habet debitores: filium insolidum, & patrem duntaxat de peculio. Ideoque si pater filio peculium ademerit, nihilominus creditores cum filio agere possunt, ff. eo. l. si quis. 44. cum l. seq.

Quotiens in taberna, ita scriptum fuisset CVM IANVARIO FILIO MEO GERI NEGOTIVM VETO: hoc solum consecuturum esse patrem constat ne institoria teneatur non etiam de peculio, ff. eo. l. quotiens, 47. in prin.

Sabinus respondit non aliàs dandam de peculio actionem in patrem, cum filius fideiussisset, nisi in rem patris, aut ob rem peculiarem fideiussisset, d. l. quotiens, §. Sabinus.

Cum filiusfamilias tutor aut curator datur: pater tutelæ, vel negociorum gestorũ iudicio de peculio & de in rem uerso conueniendus est, C. quod cum eo, qui in alien. pot. est, l. prima.

Si semel actum sit de peculio: quamuis minus inueniatur rei iudicandæ tempore in peculio, quam debet, tamen cautionibus locum esse non placuit de futuro incremento peculii. hoc enim in pro socio actione locum habet, quia socius vniuersum debet, ff. de pecul. l. quotiens. 47. § si semel.

Eo tempore, quo in peculio nihil est, pater latitat: in bonorum possessionem, eius rei seruandæ causa mitti non possum, qui de peculio cum eo acturus sum: quia non fraudationis causa latitat, qui si iudicium acciperet, absolui deberet. nec ad rem pertinet, quod fieri potest, vt damnatio sequatur. Nam & si in diem, uel sub conditione debeatur, fraudationis causa non videtur latitare, tametsi potest iudicis iniuria condemnari, ff. eo. l. eo tempore, 50. in prin.

Sed fideiussorem datum eo tempore, quo nihil in peculio est, teneri putat Iulianus: quoniam fideiussor futurę quoq; obligationis accipi possit, si tamen sic acceptus est, d. l. eo tempore, §. sed fideiussorem.

Si creditor patrem, qui de peculio tenebatur, hæredem instituerit: quia mortis tempus in Falcidiæ ratione spectatur, illius temporis peculium considerabitur. d. l. eo tempore, §. si creditor.

Etiam postquam pater de peculio conuentus est fideiussor pro filio accipi potest, & ideo qua ratione si post actionem dictatam filius pecuniam exsoluit, non magis re-

gis repetere poteſt, quàm ſi iudicium dictatum non fuiſſet: eadem ratione fide iuſſor quoque vtiliter acceptus videbitur: quia naturalis obligatio, quam etiã filius ſuſcipere videtur in litem tranſlata non eſt, d.l. eo tempore, §. etiam poſtq̃.

Nulla res prohibet filiofami. ſi pro aliis maiores vigintiquinq; annis fideiuſſerũt, actione competenti aduerſus eos teneri. ſed ſi duntaxat de peculio tecum agatur: defenſionibus, ſi quæ tibi competunt vteris, C. quod cum eo, qui in alien. poteſta. eſt, l. quinta.

Si ex alio contractu, non ex illicita mutui datione debitor extitiſti, vel quod patrẽ tuum in fide ſuſcipiſti: tàm in patris poſitus poteſtate iure teneris, quàm etiam morte genitoris tui iuris effectus. & ſiquidem patri hæres extitiſti: inſolidum. alioquin in quantum facere potes, ſecundum ædicti formam. ſed ſi per emancipationem tui iuris effectus es: ſimiliter conueni te poſſe, debes intelligere, C. eodem, l. octaua.

Si liberam peculii adminiſtrationem habentes æquas de peculio cum fœtu filii vendiderunt reprobandi contractum patres nullam habent facultatem. quod ſi non habentes liberam peculii adminiſtrationem, rem paternam eo ignorante diſtraxerunt: neq; patrem, quod non habent in alium transferre poſſunt: neque conditionem eorum ſcientibus poſſeſsionis, iuſtum afferunt initium. Vnde non immerito, nec temporis præſcriptionem huiuſmodi poſſeſſoribus prodeſſe manifeſtum eſt, C. eo. l. ſi liberam, x.

Patrem per filium obligari non poſſe, ac tãtum de peculio, deducto ſcilicet, quod naturaliter filius patri debet, eius creditoribus dari actionem, vel ſi quid in rem eius conuerſum probetur, de in rem verſo, ædicto perpetuo declaratur, C. eodem, l. penultima.

De in rem verſo.

Si hi, qui in aliena poteſtate ſunt, nihil in peculio habent: vel habeant, non inſolidum tamen teneantur qui eos habent in poteſtate, ſi in rem eorum, quod acceptum eſt conuerſum ſit. quaſi cum ipſis potius contractum eſſe videatur, nec videtur fruſtra de in rem verſo actio permiſſa, quaſi ſufficeret de peculio. rectiſſime enim Labeo dicit fieri poſſe, vt & in rem verſum ſit: etiam ſi ceſſet de peculio actio, quid enim ſi pater peculium ademit ſine dolo malo? quid ſi morte filii extinctum eſt peculium, & annus vtilis præteriit? De in rem verſo namque actio perpetua eſt, & locum habet, ſiue ademit ſine dolo malo, ſiue actio de peculio anno finita eſt. Item ſi plures agant de peculio, proficere hoc ei, cuius pecunia in rem verſa eſt, debet, ut ipſe uberiorem actionem habeat certè ſi præuentum ſit ab aliquo, & actum de peculio: de in rem verſo actio (an ceſſet uidendũ) & refert Pomponius Iulianum exiſtimare de peculio actione de in rem uerſo perimi actionem: q̃a in peculium conuerſum eſſet, quod in rem patris uerſum erat, & pro filio ſolutum eſſet, quemadmodum ſi ipſi filio à patre fuiſſet ſolutum. ſed ita demum: ſi præſtiterit ex actione de peculio pater, quod filius in rem eius uerterat, cæterum ſi non præſtiterit, manet actio de in rem verſo, ff. de in rem verſo, l. prima.

Omnia proconſul agit, vt qui contraxit cum eo, qui in aliena poteſtate fuit, etiam ſi deficiant ſuperiores actiones, ideſt exercitoria inſtitoria, tributoriave: Nihilominus tamen, in quantum ex bono, & æquo res patitur ſuum conſequatur.

siue enim iussu eius, cuius in potestate est negocium gestum fuerit: insolidum eo nomine iudicium pollicetur, siue non iussu. sed tamen in rem eius uersum fuerit: eatenus introduxit actionem, quatenus in rem eius uersum fuerit. siue neutrum eorum sit: de peculio actionem constituit. ff. quòd cum eo qui in alien. potest. est. l. prima.

In rem autem uersum uidetur, siue idipsum quod filius accepit in rem patris conuerterit: ueluti si triticum accepit, & idipsum in domo patris consumpserit: aut si pecuniam à creditore acceptum patris creditori soluerit, sed & si errauit in soluendo & putatauit creditorem eum, qui non erat: æquę in rem uersum esse, Pomponius ait, quatenus in debiti repetitionem pater haberet, siue cum filius patris negocii gerendi administrandive gratia quid gessit; ueluti si mutuatus est pecuniam, ut frumentum compararet, & postea in rem patris uersit. hoc enim iure utimur, ut etiam si prius in peculium uertit pecuniam, mox in rem patris, de in rem uerso esse actio possit. ff. eod. l. tertia. §. in rem autem.

Et regulariter dicimus toties de in rem uerso actionem esse: quibus casibus procurator mandati, uel qui, negocium gessit, negotiorum gestorum haberet actionem, quotiensve aliquid ita consumpsit filius, ut aute rem meliorem pater haberet, aut non deteriorem. d. l. tertia. §. & regulariter.

Proinde si filius sumpsit pecuniam, ut se aleret, & uestiret secundum consuetudinem patris, id est, usque ad eum modum, quem pater ei præstare consueuerat, in rem patris uertisse Labeo scribit. d. l. tertia. §. proinde

Sed si mutua pecunia accepta domum paternam exornauit tectoriis, & quibusdam aliis, quæ magis ad uoluptatem pertinent, quam ad utilitatem: non uidetur uersum quia nec procurator hoc imputat: nisi forte mandatum patris, aut uoluntatem habuit; nec debet ex eo onerari pater, quod ipse facturus non esset. quid ergo est? pati debet pater, creditorem hoc auferre, sine domus suæ uidelicet iniuria; ne cogendus sit pater, uendere domum, ut quanti preciosior facta est, id præstet. d. l. tertia. §. sed si mutua pecunia.

Idem Labeo ait, si filius mutuatus numos à me alii eos crediderit de in rem uerso patrem teneri, quod nomen ei adquisitum sit, quam sententiam ita Pomponius probat, si non peculiare nomen fecit, sed quasi paternæ rationis. ex qua caussa hactenus erit pater obligatus: ut si non putat sibi expedire nomen debitoris habere, cedat creditori actionibus procuratoremve eum faciat. d. l. idem Labeo.

Nec non illud quoque in rem patris uersum Labeo ait, quod mutuatus filius patri emit uolenti ad luxuriæ materiam (unguenta forte) vel quod ad delicias uel ad turpes sumptus subministrauit. neque enim spectamus an bono patris accesserit quod consumptum est, sed an in negotium putris. Vnde rectè dicitur, & si frumentum comparauit filius ad alendam familiam patris, & in horreo patris reposuit, & hoc periit, uel corruptum est, uel arsit: uideri in rem uersum. d. l. idem Labeo ait. §. nec non illud.

Sed & si equum patri necessarium emisset, isq; decessisset uel insulam fulcisset eaque ruisset dicendum est, esse actionem de in rem uerso. d. l. tertia. §. sed & si.

Sed si sic accipit quasi in rem patris uerteret, nec uertit, & decipit creditorem, non uidetur uersum, nec tenetur pater, ne credulitas creditoris patri obesset, uel caliditas filii noceret. quid tamen si is fuit filius, qui solitus erat accipiens uertere? adhuc non nocebit patri, si aliamente filius accepit, aut si cum hac mente accepisset, postea aliò uertit, curiosus igitur debet esse creditor quò uertatur, d. l. tertia. §. sed si sic accipit.

Si mu-

Si mutuatus sit pecuniam filius ad vestem comparandam, & numi perierint: quis de in rem verso agere posit, vtrum creditor, an venditor? putat Vulpianus si quidem precium numeratum sit: creditorem de in rem uerso acturum, & si vestis perierit. vestis autem in domo patris diuisa est: vtique creditorem de in rem verso actionem habere. Num, & venditor habeat actionem? quia res eius peruenerunt in rem patris; ratio hoc facit, vt teneat. Vnde incipit pater teneri ex vna causa duobus. proinde & si tàm pecunia, quàm vestis periit: dicendum erit vtrique patrem teneri, quoniam ambo in rem patris uertere voluerunt. sed dicendum est occupantis meliorem condicionem esse debere, nam vtrisque condemnari patrem de in rem verso, iniquum est, d. l. tertia, §. fi. cum l. seq.

Siue ratum habeat filii contractum pater, siue non de in rem uerso erit actio, ff. eod. l. quinta, §. siue ratum.

Quod filius patri emit, siquidem voluntate eius emit potest, quod iussu agi, si uero non ex voluntate, siquidem pater ratum habuerit, vel alioquin rem necessariam, vel vtilem patri emit, de in rem verso actio erit, si uero nihil eorum est, de peculio erit actio, d. l. quinta, §. quod filius.

Placet non solum eam pecuniam in rem verti, quę statim à creditore ad patrem peruenerit, sed & quæ prius fuit in peculio. hoc autem toties verum est, quoties filius rem patris gerens locupletiorem eum facit numis peculiaribus. alioqn si filio peculium pater, adimat vel uendat rem peculiarem, & precium exigat, non uidetur in rem versum. Nam si hoc verum esset: etiam ante, quam uenderet rem peculiarem, de in rem verso teneretur, quia hoc ipso, quod filius rem in peculio haberet, locupletior fieret, quod aperte falsum est. Et ideo & si donauit filius patri rem peculiarem, actio de in rem verso cessabit, & sunt ista uera, d. l. quinta, §. fin. & l. sexta, ac septima, in prin.

Planè si mutuum filius acceperit, & donandi animo soluit, dum non vult eum debitorem facere peculiarem: De in rem uerso actio est, d. l. septima, §. planè.

Illud verum non est, quod Mela scribit, si filio meo, argentum dederis, vt pocula tibi faceret, ex quolibet argento, & factis mox poculis filius decesserit, esse tibi aduersus me de in rem verso actionem: quoniam possum pocula uindicare, d. l. septima, §. illud verum.

Si filiusfamilias pecuniam mutuatas, pro filia sua dotem dederit: in rem patris uidetur versum, quatenus auus pro nepte daturus fuit, quæ sententia ita demum vera videtur, si hoc animo dedit, vt patris negocium gerens. Et nihil interesse, Pomponius ait, filiæ suæ nomine, an sororis, vel neptis ex altero filio matre dederit, si vero pater dotem daturus non fuit: in rem patris versum esse non uidetur, d. l. septima, §. fin. cum l. octaua, & nona.

Si pro patre filius fideiusserit, & creditori soluerit in rem patris videtur versum, quia patrem liberauit, cui simile est, quod Papinianus scribit, si filius quasi defensor patris iudicio susceperit, & sit condemnatus: de in rem verso teneri patrem. Namque filius eum iudicio suscepto liberauit, idem tractat Papinianus, & si quid patrem dare oporteret, à filio sim stipulatus, & ita conuenerim filium. Nam & hic de in rem verso fore actionem, nisi si donare patri filius uoluit, dum se obligat. quare potest dici: & si de peculio actionem, quasi defensor patris susceperit: teneri patrem de in rem uerso, vsq; ad peculii quantitatem. cuius sententiæ id erit emolumentum: ut si finita, sit actio de peculio de in rem uerso conueniatur. Vulpianus uero & ante condemnationem, post iudicium patris nomine acceptum de in rem uerso teneri putat, ff. eo. l. si pro patre. x. in prin.

In rem

In rem autem versum videtur, prout aliquid versum est, proinde si pars versa est, de parte erit actio, d.l. si pro patre, §. in rem autem.

Versum autem sic accipimus, vt duret versum; & ita demum de in rem verso competit actio, si non sit à patre filio solutum. si tamen in necem creditoris, idest pditurо filio solutum sit, desinit quidem versum, æquissimum autem est de dolo malo aduersus patrem competere actionem. Nam, & peculiaris debitor si fraudulenter filio soluerit, quod ei debeat non liberatur, d.l. si pro patre, §. versum.

Si patri debitor sit filius, & ab alio mutuatus ei soluerit, hactenus non vertit, quatenus patri debeat, quod excedit, vertit, proinde si cum patre deberet, triginta, mutuatus quadraginta, creditori eius soluerit, vel familiam exhibuerit: dicendum erit de in rem verso in decem competere actionem & si tantundem debeat, nihil uidetur uersum. Nam, vt Pomponius scribit aduersum lucrum patris uidetur subuentum, & ideo siue debitor fuit patri, cum in rem uerteret: nihil uideri uersam, siue postea debitor esse patris cæpit. Desinere versum, idemque & si soluerit ei: Plus dicit, & si tantundem ei donauit pater, quantum creditori soluit pro se, siquidem numerandi animo non videri uersum. si uero alias donauit durare versum, d.l. si pro patre, x. §. si domini debitor.

Idem quærit si decem in rem patris vertit, & postea tantundem summam a patre mutuatus sit, habeat præterea & peculium decem: vtrum desiit esse versum, an vero, quoniam est peculium, vnde detrahatur debitum, de in rem uerso non tollimus actionem, an potius ex vtroq; pro rata detrahimus? Putat Vulpianus sublatum de in rem verso actionem, cum debitore patris sit constitutus, d.l. si pro patre, §. idem quærit.

Idem quærit, si ī rem tuam vertit, & debitor tuus factus sit: mox creditor eiusdem summæ, quam tibi debuit, an renascatur de in rem verso actio, an vero ex postfacto, non conualescat? quod verum est, d.l. si pro patre, §. idem quærit.

Item tractat, an ex euentu posit in rem patris filius uertere: veluti si duo rei pater, & filius fuerint, & filius mutuatus suo nomine soluat: vel si filio iussu patris crediderís, & filius creditum tibi soluerit. verius uidetur, siquidem pecunia ad patrem peruenerat: uideri in rem versum. quod si non fuit, & suum negotium gerens filius soluit non esse de in rem verso actionem, d.l. si pro patre, §. fin.

Quod filius in hoc mutuatus fuerit, vt creditori suo solueret, non erit in rem uersum quamuis actione de peculio liberatus sit pater, ff. eo. l. quod seruus, xi.

Interdum & propter hoc quod in rem alterius socii uersum est, de in rem verso cum altero agi potest, quia conuentus à socio petere potest id, in quo damnatus fuerit, quid enim dicemus si peculium filius ab altero adēptum fuerit? Paulus. ergo hæc qō, ita procedit, si de peculio agi non potest, ff. eo. l. interdum, 14.

Si filiusfamilias constituerit, quod pater debuit: uidendum est, an de in rem verso actio debeat, at quin non liberauit patrem. nam qui constituit, se quidem obligat, patrem uero non liberat. planè si soluit post constitutum: licet pro se videatur soluisse hoc est ob id, quod constituit: in rem tamen patris uertisse merito dicetur, ff. eo. l. si filiusfamilias, 15.

Qui fundum colendum filio suo locauit, & boues ei dederat. cum hi boues non essent idonei, iusserat eos venire, & his numis, qui recepti essent alios reparari. filius boues vendiderat, alios redemerat, numos venditori non soluerat. postea conturbauerat, qui boues uendiderat, vtrum numos à patre petat actione de peculio, an quod in rem patris versum est, cum boues, pro quibus pecunia peteretur penes patrem essent. Alphenus respondit nō uideri peculii, quidquam esse:

esse: nisi si quid deducto eo, quod pater filio debuisset, reliquum fieret, illud sibi videri, boues quidem in rem patris versos esse, sed pro ea re soluisse tantum, quanti priores boues venissent. si quid amplioris pecuniæ, posteriores boues essent: eius oportere patrem condemnari, ff. eodem, lege quidam, sextadecima.

Filius in rem patris pecuniam mutuatus, sine culpa eam perdidit. nihilominus posse cum patre de in rem verso agi. Alphenus existimabit. Nam si procurator meus in negocia mea impensurus, pecuniam mutuatus, sine culpa eam perdiderit: rectè enim hoc nomine mandati, vel negociorum gestorum acturum, ff. eo. l. seruus, 17. in princ.

Quamuis in eam rem pro filio meo fideiussoris, quæ ita contracta est, vt in rem meam verteretur: veluti si cum filius frumentum emisset, quo familia aleretur, venditori frumenti fideiussoris: propius est tamen, vt de peculio eo nomine, nõ de in rem verso agere posis: vt vnius duntaxat in quoquo contractu de in rem verso actio sit, qui id ipsum credidit, quod in rem patris versum est, ff. eodem, l. quamuis, 18.

Filiusfamilias togam emit, mortuo deinde eo pater ignorans, & putans suam esse, dedicauit eam in funus eius. Neratius libro secundo Responsorum ait. in rem patris versum videri: in actione autem de peculio, quod in rerum natura non esset vno modo æstimari debere: si dolo malo eius, cum quo ageretur, factum esset, atquin si filio pater togam emere debuit, in rem patris uersa est. non nunc quo funerabitur, sed quo tempore emit. funus enim filii æs alienum patris est, & Neratius quoque, qui de in rem verso patrem teneri putauit: ostendit negotium hoc (idest sepulturam, & funus filii) patris esse æs alienum, non filii. Factus est ergo debitor peculii, quamuis res non extet, ut etiam de peculio posit conueniri, in quam actionem venit, & quod in rem uersum est, quæ tamen adiectio tunc necessaria est, cum annus post mortem filii excesit, ff. eod. l. filiusfamilias, 19.

Pater pro filia dotem promisit: & conuenit, vt ipse filiam aleret. non præstante patre, filia à uiro mutuam pecuniam accepit, & mortua est in matrimonio. Respondit Scæuola, si ad ea id, quod creditum est, errogatum esset, sine quibus se tueri non posset datur de in rem verso vtilis actio. ff. eodem, l. pater pro filia, 20. in principio.

Filiamfamilias duxit, quis uxorem, patre dotem promittente, & conuenit inter omnes personas, vti eam pater aut ipsa se tueretur, maritus ei mutuos numos dedit, cum iustè putaret patrem eius ministraturum tantum salarium, quantum dare filiæ suæ instituerat, eos numos illa in vsus necessarios sibi consumpsit. aliquantum etiam cum ei res familiaris credita esset, ex pecunia mariti in easdem causas conuertit, deinde prius, quam pater salarium expleret, moritur filia, pater impensam recusat, maritus res mulieris retinet. quæritur an de in rem verso aduersus patrem actio competat? Respondit Scæuola si ad ea, id quod creditum est erogatum esset, sine quibus se tueri non posset dandam esse de in rem verso actionem, ff. eod. l. fin.

Eius rei nomine, quæ cum filiofamilias contracta est, siue sua uoluntate, siue eius, in cuius potestate fuit, siue in peculium ipsius, siue in rem patris ea pecunia redacta est, & si paterna hæreditate abstinuit: actionem, nisi in id, quod facere posit non dari: perpetui edicti interpretatione declaratum est, C. quod cum eo. l. secunda.

Etiam si neq; mandante,neq; iubente, neq; subscribente patre pecuniam mutuã filio dedisti,tamen ea quantitas si in rem patris eius iustis erogationibus versa est,de in rem verso pater conuenitur consecuturus, quod tibi deberi apparuerit,C.quod cum eo,qui in alien.l.tertia.

Si ex alio contractu non ex illicita mutui datione debitor extitisti, vel quod patrem tuum in fide suscipisti: tàm in patris positus potestate iure teneris, quàm etiam morte genitoris tui iuris effectus,& si quidem patris hæres extitisti. insolidum,alioquin,in quantum facere potes,secundum ædicti formam. sed si per emancipationem tui iuris effectus es, similiter conueniri te posse,debes intelligere,C.eo.l.si ex alio,viii.

Ex contractu filiorum,quamuis de peculio duntaxat patres teneantur de eo,tamẽ, quod in rem eorum versum est, etiam insolidum conueniri posse non dubium est,C.de exercitatoria,l.secunda.

Eligere debet actor,qua actione uti uelit.

Cæterum dubium non est,quin is quoq;,qui iussu patris contraxerit, cuiq; institoria,vel exercitoria actio competit de peculio, deq; eo, quod in rem patris verſum est agere posſit. sed erit stultisſimus si omisſa actione, qua facillimè solidũ ex contractu consequi posſit se ad difficultatem perducat probandi in rem patris versum esse,vel habere filium peculium: & tantum habere, vt solidũ sibi peti posſit. is quoq; cui tributoria actio competit,æquè de peculio, & de in rẽ verso agere potest,sed sanè huic modo tributoria expedit agere,modo de peculio, & de in rem verso. Tributoria ideo expedit agere, quia ĩ ea patris conditio præcipua non est,idest quod patri debetur,non deducitur,sed eiusdem iuris est pater,cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio, antè deducitur, quod patri debetur;& in id,quod reliquum est,creditori pater condemnatur. rursus de peculio expedit agere,quod in actione totius peculii ratio habetur: at in tributoria eius tantam,quo negociatur:& potest quisq; tertia forte parte peculii, aut quarta,vel etiam minima negociari maiorem autem partem,in prædiis vel censibus habere. prout ergo expedit,ita quisq; vel hanc actionem,vel illam eligere debet. Certè qui potest probare in rem patris versum esse, de in rem verso agere debet. Inst. quod cum eo,qui in aliena potest.§.cæterum.

Eligere quis debet,qua actione experiatur: vtrum de peculio,an tributoria: causa scit sibi regressum ad aliam non futurum. planè si quis velit ex alia causa tributoria agere,ex alia causa de peculio,audiendus erit, ff. de tributoria actione,l. quod in hærede,ix.§.eligere.

Aliquando etiam expedit potius de peculio agere, quam tributoria. nam in hac actione,de qua loquimur,hoc solum in diuisione venit, quod in mercibus est, quibus negotiatur,quodq; eo nomine receptum est. at in actione de peculio totius peculii quantitas spectatur,in quo & merces continentur,& fieri potest, vt dimidua forte parte peculii,aut tertia,vel etiam minore negocietur, fieri præterea potest,ut patri nihil debeat,ff.eo.l.aliquando,xi.

Alius duntaxat de peculio,alius tributoria filii nomine cum pater agit,quæsitum est, an deducere pater de peculio debeat, quod tributoria agenti præstaturus sit. Respondit Scæuola tributoria actione tunc demum agi potest,cum pater in distribuendo precium mercis edicto prætoris non satisfecit: idest cum maiorem partem debiti sui deduxit,quam creditoribus tribuit. veluti si cum in merce triginta fuissent. in q̃ ipse quidem quindecim crediderat. duo aũt extranei triginta tota q̃ndecim deduxerit,& creditoribus reliqua q̃ndecim dederit: cũ deberet

deberet sola decem deducere extraneis decia tribuere, cum igit hoc fecit, nec intelligendus est filium à se liberasse, eo quod quinq; adhuc nomine eius tributoria actione præstaturus sit. quare si agi de peculio cæperit (cum fortè extra mortem peculium est) quinq; tanquam adhuc creditor filii deducere debebit, ff.eod.l.finali.

Quod diximus de filio, & patre eadem intelligimus de nepote, & neptæ patre, auoue cuius in potestate sunt. Inst. quod cum eo, qui. §. quod diximus.

Illud in summa admonendi sumus id, quod iussu patris contractum fuit, quodque in rem eius versum erit, directò quoq; posse à patre condici, tanquam si principaliter cum ipso negocium gestum esset. ei quoq;, qui exercitatoria, vel institoria actione tenetur, directò posse condici placet: quia huius quoq; iussu contractum intelligitur. Inst. eo. §. fin.

QVANDO ACTIO DE PECVLIO ANNALIS SIT.

Titulus VII.

PRætor ait, POST MORTEM EIVS, QVI IN ALTERIVS, POTESTATE FVERIT, POSTEAVE, QVAM IS EMANCIPATVS FVERIT, DVNTAXAT DE PECVLIO, ET SI QVID DOLO MALO EIVS, IN CVIVS POTESTATE EST FACTVM FVERIT, QVO MINVS PECVLII ESSET, IN ANNO, QVO PRIMVM DE EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT IVDICIVM DABO: quandiù filius in potestate est: de peculio actio perpetua est: post mortem autem eius, vel postquam emancipatus fuerit, temporaria esse incipit, idest annalis. Annus autem vtilis computabitur; & ideo si condicionales sit obligatio: Iulianus scripsit, ex eo computandum annum, non ex quo emancipatus est, sed ex quo peti potuit conditione existente. Meritò autem temporariam in hoc casu fecit prætor actionem. Nam cum morte, vel alienatione extinguatur peculium. sufficiebat vsq; ad annum produci obligationem: ff. quando de peculio actio annal. sit, l. prima, in princ.

Sed & si alio modo, sine emácipatione desierit esse in potestate: annalis erit actio. sed & si morte patris, vel deportatione, sui iuris fuerit effectus filius: de peculio intra annum hæres patris, vel fiscus, tenebuntur, d. l. prima, §. sed & si.

Vsufructu quoq; extincto intra annum actionem dandam in vsufructuarium Pomponius scripsit. d. l. prima, §. vsufructu.

Quæsitum est apud Labeonem, si cum filius viueret, tu credens eum mortuum annali actione egeris: & quia annus præterierat, exceptione sis repulsus: an rursus experiri tibi, comperto errore permittendum sit: & ait, permitti debere dũtaxat de peculio, non etiam de in rem verso: nam priore iudicio de in rem uerso rectè actum esse: quia annua exceptio ad peculium, non ad rem uersum pertinet. d. l. prima. § quæsitum est.

Cum post mortem filiifamilias annua aduersus patrem actio est, quemadmodum aduersus eum esset perpetua, viuo filio: ideo si ex causa redhibitionis erat de peculio actio: sex mensium erit, post mortem filii. idem dicẽdum erit in omnibus temporalibus actionibus, si filius, cui creditum est, apud hostes sit: de peculio actio, in dominum non anno finienda est: quia postliminio reuerti potest, ff. eodem, l. secunda, §. cum post.

Definitione peculii interdum vtendum est, etiam si filius in rerum natura esse

desiit; & actionem prætor de peculio intra annum dat. Nam, & tunc accessiones, & decessiones, quasi peculii recipiendas; quamquam desiit morte filii uel emancipatione esse peculium, ut possit, & accedere peculio, ueluti fructibus pecorum fœtu animalium, & decedere, ueluti si mortuum sit animal, uel alio quolibet modo perierit. ff. eod. l. final.

QVOD CVM EO QVI IN ALIENA POTESTATE EST, gestum esse dicetur. Titulus VIII.

AIt Prætor, IN EVM, QVI EMANCIPATVS AVT EXHAEREDATVS ERIT, QVIVE ABSTINVERIT HAEREDITATE EIVS CVIVS IN POTESTATE; CVM MORIRETVR, FVERIT: EIVS REI NOMINE, QVAE CVM EO CONTRACTA ERIT: CVM IN POTESTATE ESSET, SIVE SVA VOLVNTATE, SIVE IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE ERIT; SIVE IN PECVLIVM IPSIVS SIVE, IN PATRIMONIVM EIVS, CVIVS IN POTESTATE FVERIT, EA RES REDACTA FVERIT: ACTIONEM CAVSA COGNITA DABO IN ID, QVOD FACERE POTEST: ff. quod cùm eo qui in alie. potest. l. secunda, in princ.

Sed & si citra emancipationem sui iuris factus sit, uel in adoptionem datus, deinde pater naturalis decesserit: item si quis ex minima parte sit institutus, æquissimum est, caussa cognita etiam in hunc dari actionem in id quod facere potest. d. l. secunda. §. fin.

Sed an hic detrahi debeat, quod aliis debetur, tractari potest. & si quidem sint creditores, qui cum esset alienæ potestatis, cum eo contraxerunt: horum ratio habenda est. ff. eod. l. tertia.

Sed si ex parte, nõ modica sit hæres scriptus filius: in arbitrio est creditoris, utrum pro portione hæreditaria, an insolidum eum conueniat: sed, & hic iudex æstimare debet, ne fortè in id, quod facere potest debeat conueniri. ff. eo. l. quarta. §. sed si ex parte.

Interdum autem, & si hæredatus filius, uel emancipatus sit; insolidum actio aduersus eum dabitur. ut puta si patrem familias se mentitus est, cum contraheretur cum eo etiam si facere non possit, conueniendum propter mendacium. Quamquam autem ex contractu in id quod facere potest, actio in eum datur: tamen ex delictis insolidum conuenietur. d. l. quarta. §. interdum, & §. quanquam.

Soli autem filio succurritur, non etiam hęredi eius, & Papianus scribit in hęredem filii insolidum dandam actionem. d. l. quarta. §. soli autem.

Sed an temporis ratio haberi debeat: ut si quidem excontinenti cum filio agatur, detur actio in id quod facere potest: si uero post multos non debeat indulgeri, sed uidetur rationem habendam esse, in hoc enim caussæ cognitio uertitur. d. l. quarta §. sed an etiam.

Si filius familias uiuo patre conuentus, & condemnatus sit: in emancipatum, vel exhæredatum postea iudicati actio in id, quod facere potest danda est. ff. eod. l. quinta.

Si filio exhæredato, ex senatusconsultu Trebelliano, hæreditas patris restituta sit: non debebit in quantum facere potest, sed insolidum condemnari effectu enim quodammodo hæres est. d. l. quinta. §. si filio.

Pater

Pater filio permiſit mutuam accipere, & per epiſtolam creditori mandauit, vt ei crederet. filius ex minima parte patri hæres extitit. Reſpondit Scæuola eſſe in poteſtate creditoris, vtrum filium cui crediſſet inſolidum: an hæredes, pro qua parte quiſq; ſucceſſiſſet mallet conuenire, ſed filius condemnatur in quantum facere poteſt, ff. eod. l. ſeptima.

DE SENATVSCONSVLTO MACEDONIANO. Titulus IX.

VErba ſenatuſconſulti Macedoniani ſunt hæc, CVM INTER CAETERAS SCELERIS CAVSAS MACEDO, QVAS ILLI NATVRA ADMINISTRABAT, ETIAM AES ALIENVM ADHIBVISSET: ET SAEPE MATERIAM PECCANDI MALIS MORIBVS PRAESTARET, QVVM PECVNIAM (NE QVID AMPLIVS DICATVR) INCERTIS NOMINIBVS CREDERET: PLACERE, NE CVI, QVI FILIOFAMILIAS MVTVAM PECVNIAM DEDISSET, ETIAM POST MORTEM PARENTIS EIVS, CVIVS IN POTESTATE FVISSET ACTIO, PETITIOQVE DARETVR: VT SCIRENT, QVI PESSIMO EXEMPLO FOENERARENT NVLLIVS POSSE FILIIFAMILIAS, BONVM NOMEN EXPECTATA PATRIS MORTE FIERI. Si pendeat vtrum, quoniam patrem habet apud hoſtes, in pendenti eſt, an in ſenatuſcnnſultum ſit commiſſum. Nam ſi reciderit in poteſtatem, ſenatuſconſulto locus eſt, ſi minus: ceſſat interim, igitur deneganda eſt actio. certè, & ſi adrogatus mutuam pecuniam acceperit, deinde ſit reſtitutus, vt emanciparetur ſenatuſconſultum locum habebit. fuit enim filiusfamilias nihil dignitas facit, quominus ſenatuſconſultum Macedonianum locum habeat. Mam & ſi conſul ſit, uel cuiuſvis dignitas, ſenatuſconſulto locus eſt: niſi fortè caſtrenſe peculium habeat. tunc enim ſenatuſconſultum ceſſabit, vſq; ad quantitatem caſtrenſis peculii, cum filiifamiliarum in caſtrenſi peculio uice patrumfamiliarum fungantur, ff. de ſena. conſ. Mace. l. prima, & ſecunda.

Mutui dationem non ſolum numeratæ pecuniæ, verum omnium, quæ mutuo dari poſſunt, an accipere debeamus, videndum. ſed verba videntur ad numeratam pecuniam referri. ait. n. ſenatus MVTVAM PECVNIAM DEDISSET. ſed ſi fraus ſit ſenatuſconſulto adhibita: puta, frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, ut his diſtractibus fructibus vteretur pecunia, ſubueniendum eſt filiofamilias, ff. eo. l. ſeptima. §. mutui.

Si filiusfamilias in alterius erat poteſtate, cum mutua daretur, nunc in alterius: mens, ſenatuſcōſulti non ceſſat. dabitur ei itaq; exceptio, d. l. ſeptima, §. ſi filius.

Sed & ſi patri eius non mors, ſed alia cauſa inciderit. quominus ſit in ciuitate, dicendum, ſenatuſconſulto locum eſſe, d. l. ſeptima, §. ſed & ſi.

Non ſolum ei, qui mutuam dediſſet, ſed, & ſucceſſoribus eius deneganda eſt actio proinde, & ſi alius pecuniam mutuam dedit, alius ſtipulatus eſt, dabitur aduerſum eum exceptio. licet hic non dederit. ſed & ſi alteruter eorum ignorauit in patris eſſe poteſtate ſe: verius dicendum eſt, vtriq; alterius ſcientiam nocere. idem eſt in duobus reis ſtivulandi, d. l. ſeptima, §. non ſolum.

Item ſi duos filiosfamilias accepero reos, ſed alterum pataui patremfamilias: intererit ad quem peruenerit pecunia, vt ſi eum ſi cui filiū famil. ad quē peruenit

pecunia exceptione ſubmouear. ſi ad eum, quem ignorem non ſubmoueat, d.l. ſeptima, §. item ſi duos.

Quanquam autem non declaret ſenatus, cui exceptionem det: tamen ſciendum eſt, & hæredem filii, ſi paterfamilias deceſſerit; & patrem eius, ſi filiusfamilias deceſſerit, exceptione vti poſſe, d.l. ſeptima, §. quanquam.

Si ab alio donatam ſibi pecuniam filius creditori ſoluerit: an pater vindicare, vel repetere poſsit? & ait Iulianus ſiquidem hac condictione ei donata ſit pecunia vt creditori ſoluat: uideri à donatore profectam protinus ad creditorem, & fieri numos accipientis. ſi uero ſimpliciter ei donauit, alienationem eorum filium non habuiſſe. & ideo ſi ſoluerit, condictionem patri ex omni euentu competere, ff. eo. l. ſed ſi pater, 9. §. ſi ab alio.

Hoc ſenatuſconſultum ad filias quoq; familiarum pertinet, nec ad rem pertinet, ſi adfirmetur, ornamenta ex ea pecunia comparaſſe, nam ſi ei quoq; qui filiofam. credidit, decreto ampliſsimi ordinis actio denegatur: nec intereſt, conſumpti ſint numi, an extent in peculio: multo igitur magis feueritate ſenatuſconſulti eius contractus improbabitur, qui filiæfamilias mutuum dedit, d.l. ſed ſi pater, §. hoc ſenatus.

Non ſolum filiofamilias, & patri eius ſuccurritur, verum fideiuſſori, quoq;, & mandatori eius: quia, & ipſi mandati habent regreſſum, niſi fortè animo donandi interceſſerint. tunc. n. cum nullum regreſſum habeant, ſenatuſconſultum locũ non habebit, ſed ſi non donandi animo, patris tamen uoluntate interceſſerunt, totus contractus à patre videbitur comprobatus. & tamen hi, qui pro filiofami. ſine uoluntate patris eius interceſſerunt, ſoluendo, non repetent. Hoc. n. & Diuus Hadrianus conſtituit, & poteſt dici non repetituros. atquin perpetua exceptione tuti ſunt. ſed ipſe filiusfamilias, & tamen non repetit, quia hi demum ſolutum non repetunt, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, non qm̃ exonerare eos lex uoluit. Quanquam autem ſoluendo non repetunt. Quia naturalis obligatio manet. Tamen ſi non oppoſita exceptione condemnati ſunt vtentur ſenatuſconſulti exceptione. & ita Iulianus ſcribit in ipſo filiofamilias, exemplo mulieris intercedentis, d.l. ſed ſi pater, §. non ſolum, cum duab. ll. ſeq.

Filium habeo, & ex eo nepotem. nepoti meo creditum eſt, iuſſu patris eius. quæſitum eſt, an contra ſenatuſconſultum fieret? dixit Iulianus & ſi verbis, ſenatuſconſulti filii continerentur, tamen & in perſona nepotis idem ſeruari debere. iuſſum autem huius patris non efficere, quominus contra ſenatuſconſultum crȩditum exiſtimaretur: cum ipſe in ea cauſa eſſet, vt pecuniam mutuam inuito patre ſuo accipere non poſſet, ff. eo. l. filium, 14.

Si filius tuus in poteſtate tua agens contra ſenatuſconſultum Macedonianum mutuam ſumpſit pecuniam, actio de peculio aduerſus te eo nomine efficaciter dirigi nequaquam poteſt. Quod ſenatuſconſulti auxilium, licet filiifamilias meminerit, & ad nepotes & pronepotes porrigitur, C. eod. l. ſexta.

Nihil intereſt, quis filiofamilias crediderit: utrum priuatus, an ciuitas. Nam in ciuitate quoq; ſenatuſconſultum locum habere. Diui Seuerus, & Antonius reſcripſerunt, ff. eo. l. nihil, 15.

Si Filiusfamilias abſente patre cum quaſi mandatu eius pecuniam acciperet, cauit: & ad patrem literas emiſit, ut eam pecuniam in prouincia ſolueret: debet pater, ſi actum improbat, continuo teſtationem interponere contrariæ uoluntatis, ff. eo. l. ſi filius, 16.

Creditorem filiifamilias, mortuo eo fideiuſſorem accipere nõ poſſe, Iulianus ſcribit;

bit; quia nulla obligatio, aut ciuilis, aut naturalis supersit, cui fideiussor accedat. planè à patre, eius actionis nomine, quæ de peculio, aduersus eum competit, fideiussorem rectè accipi, ff. eo. l. creditorem, 18.

Iulianus scribit exceptionem senatusconsulti Macedoniani nulli obstare, nisi ei, qui sciret, aut scire potuisset, filiumfamil. eum esse, cui credebat, ff. eo. l. Iul. 19.

Si quis patremfamilias esse crediderit, non uana simplicitate deceptus, nec iuris ignorantia: sed quia publicè paterfamilias plerisq; videbatur, sic agebat, sic contrahebat. sic muneribus fungebatur: cessat senatusconsultum, vnde Iulianus libro duodecimo Digestorum in eo, qui vectigalia conducta habebat, scribit, & est sæpe constitutum, cessare senatusconsultum, proinde & in eum, qui scire nō potuit, an filiusfamil. sit. Iulianus ait cessare senatusconsultum, vtputa in pupillo, vel minore vigintiquinque annis. sed in minore causa cognita & à prætore succurrendum in pupillo autem, etiam alia ratione debuit dicere, cessare senatusconsultum, quod mutua pecunia non sit, quam sine tutoris authoritate pupillus dat: quemadmodum ipse Iulianus dicit, si filiusfamilias crediderit, cessare senatusconsultum, quod mutua pecunia non sit, quamuis liberam peculii administrationem habuit. non enim perdere ei peculium patrem concedere, cū peculii administrationem permittit, & ideo vendicationem numorum patri superesse ait, ff. eo. l. tertia, in princ.

Si filiusfamilias cum in potestate patris esset mutuam à te pecuniam accepit, cum se patremfamilias diceret, eiusq; affirmationi credidisse te iusta ratione edocere potes, exceptio ei denegabitur, C. eo. l. prima.

Zenodorus si, cum sui iuris esse publicè uideretur, aut patris voluntate contraxit, aut in eam rem pecuniam accepit, quæ patris oneribus incumberet, vel suæ potestatis constitutus nouatione facta fidem suam obligauit, vel alias agnouit debitum: non esse decreto amplissimi ordinis rationis est, C. eo. l. secunda.

Is autem solus senatusconsultum offendit, qui mutuam pecuniam filiofamilias dedit, non qui alias contraxit: puta, vendidit, locauit, vel alio modo contraxit, nam pecuniæ datio perniciosa parentibus eorum visa est. ideo, & si increditum abit filiofamilias, vel ex causa emptionis, vel alio contractu, in quo pecuniam non numeraui, & stipulatus sim: licet cæperit esse mutua pecunia: tamen quia pecuniæ numeratio concurrit, cessat senatusconsultum. quod ita demum erit dicendum, si non fraus senatusconsulto sit cogitata: ut qui credere non potuit, magis ei vēderet, ut ille rei preciū hr̄et in mutui uicem, d. l. tertia, §. is aūt solus.

Si à filiofamilias stipulatus sum, & patrifamilias facto crediderim, siue capite minutus sit, siue morte patris, vel alias sui iuris sine capitis deminutione fuerit affectus: debet dici, cessare senatusconsultum: quia mutua pecunia iam patrifamilias data est. Quia quod vulgo dicitur, filiofamilias credi non licere: non ad verba, sed ad numerationem. Ergo hic & insolidum damnabitur, nō in id, quod facere potest, d. l. tertia, §. fin. cum duabus, ll. seq.

Contra etiam rectè dicetur, si à patrefamilias stipulatus, credam postea filiofamilias facto, senatusconsulti potestatem exercendam. quia expleta est numeratione substantia obligationis, ff. eo. l. sexta.

Item si filiusfamilias fideiusserit, Neratius lib. primo, & secundo Responsorum, Cessare senatusconsultum ait, idem & Celsus lib. quarto. Sed Iulianus adiicit, si color quæsitus sit, ut filiusfamil. qui mutuam accepturus erat, fideiuberet alio reo dato, fraudem senatusconsulto factam nocere, & dandam exceptionem, tā filiofamil. quam reo: quoniam & fideiussori filii subuenitur, ff. eo. l. septim. ī prī.

Idem

Idem ait si duos reos accepero filiumfamilias,& Titium,cum ad filiumfamilias esset peruentura pecunia: ideo autem reum Titium acceperim, ne quasi fideiussor auxilio senatusconsulti vteretur: vtilem esse exceptionem aduersus fraudem dandam,d.l.septima,§.idem.

Sed & si filiusfamilias patre suo relegato, vel longo tempore absente, dotem pro filia promiserit,& rem patris pignori dederit: senatusconsultum quidem cessabit,patris tamen res non tenebitur.planè si patri hæres extiterit filius,& pignus persequatur: exceptione doli submouebitur,d.l.septima,§. sed & si filius.

Interdum tamen,& si senatusconsulto locus sit,tamen in alio datur actio; vtputa, si filiusfamilias institor mutuam pecuniam acceperit. scribit.n. Iulianus libro duodecimo, ipsum quidem institorem exceptione senatusconsulti usurum, si conueniatur,sed institoriam actionem aduersus eum, qui præposuit competere,quanquam (inquit) si ipse pater eum præposuisset merci suæ,vel mercem peculiarem exercere passus esset,cessaret senatusconsultum: quoniam patris voluntate contractum uideretur. Nam si scit eum negociari,etiam hoc permisisse videtur,si non nominatim prohibuit mutuum accipere, proinde si accepit pecuniam,& in rem patris vertit,cessat senatusconsultum. patri.n. non sibi accepit,sed & si ab initio non sic accepit. Verum postea in rem patris vertit: cessare senatusconsultum Iulianus ait,intelligendumq; esse, ab initio sic accepisse, vt in rem patris verteret. non tamen vertisse videbitur, si mutuam pecuniam acceptam patri in debitum proprium soluit,& ideo si pater ignorauit adhuc senatusconsulto locus erit,d.l.septima.

Macedoniam senatusconsulti authoritas petitionem eius pecuniæ non impedit, quæ filiofamilias studiorum, vel legationis causa alibi degenti ad necessarios sumptus, quos patris pietas non recusaret,credita est, sed ex contractu filii post mortem eius de peculio actio in patrem competere,ita demum poterit,si anni vtilis spatium petitionem non impedit. Sanè si iussu patris datum mutuum probetur: nec in quos vsus versa sit pecunia, disquiri necesse est, sed perpetua in patrem,etiam mortuo filio est in patrem,C.eo,l.quinta

Quod diximus in eo,qui studiorum causa absens mutuum acceperat, cessare senatusconsultum: ita locum habet, si probabilem modum in mutuando non excesserit: nempè eam quantitatem,quam pater solebat subministrare, d.l. septima, §.quod diximus.

Si filius accepit mutuam pecuniam, vt eum liberaret, qui se peteret, exceptione non submoueretur: senatusconsulti cessabit exceptio. hoc amplius cessabit senatusconsultum,si pater soluere cæpit,quod filiusfamilias mutuum sumpserat, quasi ratum habuit,d.l.septima,§.si filius.

Si paterfamilias factus patrem soluerit debiti,cessabit senatuscunsultum, nec sopetere potest: Cum tamen à curatore per ignorantiam solutum sit repeti debeat,d.l.septima,§.fin.cum l.seq.

Sed si paterfamilias factus,rem pignori dederit: dicendum erit senatusconsulti exceptionem ei denegandam vsq; ad pignoris quantitatem,ff.eo.l.ix.in prin.

Si tamen sciente patre creditum sit filio: dicendum est,cessare senatusconsultum, sed & si iusserit pater filio credi,deinde ignorante creditore, mutauerit uoluntatē locus senatusc.non erit,qm̄ initiū contractus spectandū est,ff.eo.l.si tn̄.xii.

Si filiusfamilias aliquid mercatus precium stipulanti venditori spondeat: nō esse locum senatusconsulto,quo mutuare filiifamiliarū est prohibitū,nemini dubiū est.origo.n.potius obligationis,q̄ titulus actionis cōsiderādū est.C,eo.l.tertia.

Si per-

Si permittente patre filiofamilias pecuniam mutuam dedisti, senatusconsulti potestas non interuenit, & ideo persecutio pignoris, quod in bonis patris fuit, non denegabitur, præsertim cum & idem filius hæres extiterit, modo si nullus alius nomine conuentionis, ratione temporis, & ordinis, potior apparuerit, C. eodem, l. quarta.

Si filiusfamilias citra patris iussionem, vel mandatum, vel uoluntatem pecunias creditas acceperit, postea autem pater ratum contractum habuerit cessat senatusconsultum, quemadmodum si ab initio uoluntate patris, vel mandatu filiusfamilias pecuniam creditam accepisset, obnoxius firmiter constitueretur: & si postea ratum pater habuerit contractum, validus est; cum testimonium paternū respuere satis iniquum sit. Necesse est enim patris ratihabitionem, uel principali mādato patris, vel consensui non esse absimilem, cum lege generali omnis rati habitio prorsus retrohatur, & confirmet ea, quæ ab initio subsecuta sunt, & hæc quidem de priuatis hominibus sancienda sunt, sinautem miles filiusfamilias pecuniam creditam accepit, & si sine mandato, vel consensu, vel voluntate, vel ratihabitione patris: stare oportet contractum, nulla differentia introducenda; ob quam causam pecuniæ creditæ, vel ubi consumptæ sint, in pluribus enim iuris, articulis filiifamiliarum milites non absimiles uidentur hominibus, qui sui iuris sunt: & ex præsumptione, omnis miles non creditur, in aliud, quidquam pecuniam accipere & expendere, nisi in causas castrenses, C. eo. l. fin.

Finis Libri Tertij.

COM.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omisʃis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iuʃtiniani Conʃtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vʃu derogatum eʃt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quartus.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR. Titulus I.

ANimalium nomine, quæ ratione carent, ʃi quæ laʃciuia, aut feruore, aut feritatę pauperiem fecerint. Noxalis actio lege, xii. tab. prodita eʃt. Quæ animalia, ʃi noxe dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex xii. tab. ʃcripta eʃt, vtputa ʃi equus calcitroʃus calce percuʃʃerit, aut bos cornu petere ʃolitus, cornu petierit. Hæc autem actio in iis, quæ contra naturam mouentur, locum habet: cæterum ʃi genitalis ʃit feritas ceʃʃat actio. Denique ʃi urʃus fugerit à domino, & ʃic nocuerit, non poteʃt quondam dominus conueniri, quia deʃiit dominus eʃʃe, vbi fera euaʃit. Et ideo ʃi eum urʃum occidero meum corpus eʃt, Pauperies autem eʃt damnum ʃine iniuria facientis datum. nec enim poteʃt animal iniuriam feciʃʃe dici, quod ʃenʃu caret. Inʃt. ʃi quadrup. paup. feci: dicetur in princ. & ff. eod. l. prima, §. in beʃtiis vero.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICETVR ACTIO, ex duodecim tabulis deʃcendit. Quæ lex voluit, aut dari, quod nocuit, ideʃt id animal, quod noxia commiʃit: aut æʃtimationem noxiæ offerre. noxia enim eʃt ipʃum delictum, quæ actio ad omnes quadrupedes pertinet, ff. eo. l. prima, in prin.

Ait prætor, PAVPERIEM FECISSE. Pauperies eʃt damnum ʃine iniuria facientis datum, nec enim poteʃt dici animal iniuriam feciʃʃe, quod ʃenʃu caret. Itaque (ut Seruius ʃcribit) tunc hæc actio locum habet, cum commota feritate nocuit quadrupes: puta ʃi æquus calcitroʃus calce percuʃʃerit, aut bos cornu petere ʃolitus petierit, aut mulæ propter nimiam ferocitatem, quod ʃi propter loci iniquitatem, aut propter culpam mulionis, aut ʃi plus iuʃto onerat, quadrupes in aliquem onus euerterit, hæc actio ceʃʃabit, damniq; iniuriæ agetur, ʃed

&ʃi

& si canis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua euaserit, & alicui damnum dederit, si contineri firmius ab alio potuit, vel per eum locum induci non debuit, hæc actio cessabit, & tenebitur, qui canem tenebat: sed & si instigatu alterius fera damnum dedit, cessabit hæc actio, d.l. prima, §. ait prætor.

Et generaliter locum habet hæc actio, quoties contra naturam fera mota pauperiem dedit. Ideoque si equus dolore concitatus calce petierit: cessare istã actionem, sed eum, qui equum percusserit, aut vulnerauerit in factum magis, quam lege Aquilia teneri: vtique ideo, quia non ipse suo corpore damnum dederit. at si cum equum permulsit quis, vel palpatus est, calce eum percusserit: erit actioni locus. Et si alia quadrupes aliam concitauit, ut damnum daret: eius, quæ concitauit nomine agendum erit, d.l. prima, §. & generaliter.

Siue autem corpore suo pauperiem, quadrupes dedit, siue per aliam rem, quam tetigit quadrupes: hæc actio locũ habebit: vtputa si plostro bos obtriuit aliquem, vel alia te deiecta, d.l. prima, §. siue autem.

Cum arietes, vel boues commisissent, & alter alterum occidisset. Quintus Mutius distinxit, vt si quidem is perisset, qui aggressus erat: cessaret actio, si is, qui non prouocauerat: competeret actio, quamobrem eum sibi, aut noxiam sarcire, aut noxam dedere oportere, d.l. prima, §. cum arietes.

Et cum etiam in quadrupedibus noxa caput sequitur aduersus dominum hæc actio datur, non cuius fuerit quadrupes, cum noceret, sed cuius nunc est. Planè si ante litem contestatam decesserit animal, extincta erit actio noxæ autem dedere est animal tradere viuum demum. si commune plurium sit animal, aduersus singulos erit insolidum noxalis actio, d.l. prima, §. & cum etiam.

Interdum autem dominus in hoc non conuenitur, vt noxæ dedat, sed etiam insolidum: vtputa si in iure interrogatus, an sua quadrupes esset, responderet non esse suam. nam nisi constiterit eius esse: insolidum condemnabitur, d.l. prima, §. interdum autem.

Si post litem contestatam ab alio sit animal occisum: quia domino legis Aquiliæ actio competit ratio in iudicio habebitur, quod noxæ dedendæ facultatem dominus amiserit. Ergo ex iudicio proposito litis æstimationem offeret: nisi paratus fuerit actionem mandare aduersus eum, qui occidit, d.l. prima, §. si post.

Hanc actionem nemo dubitauerit hæredi dari, cæterisque successoribus, item aduersus hæredes, cæterosque successores, non iure successionis, sed eo iure, quo domini sunt, competit, d.l. prima, §. fin.

Hæc actio non solum domino, sed etiam ei, cuius interest, competit: veluti ei, cui res commodata est. item fulloni, qui eo, quod tenetur, damnum videtur pati. si quis aliquem euitans (magistratum fortè) in tabernam proximam se immisisset, ibique à cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine, quidam putãt. at si solutus fuisset: contra, ff. eo. l. secunda.

Ex hac lege, iam non dubitatur, etiam personarum nomine agi posse: fortè si patremfamilias, aut filiumfamilias vulnerauerit, quadrupes: scilicet, ut non deformitatis ratio habeatur (cum corpus æstimationem non recipiat) sed impensarum in curationem factarum, & operarum amissarum, quasque amissurus, quis esset, inutilis factus, ff. eod. l. tertia.

Hæc actio utilis competit, & si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit, ff. eod. l. quarta.

AGASO cum in tabernam equum deduceret, mulam equus offecit. mula calcem reiecit, & crus Agasoni fregit. consulebatur, possetne cum domino mulæ agi;

quod

quod ea pauperiem fecisset: Respondit Alphenus posse. ff. eo. l. fina.
Hæc quidem ad noxalem actionem pertinent. Inst. eod. in fine principii.
Quicunq; per terram transiens equum suum pabulare uoluerit, quantum propinquius secundum uiam stans in loco amplecti potuerit ad refectionem, & reparationem equi sui, impunè ipsi equo porrigat. licitum sit etiam ipsi uti herba, & viridi sylua, & sine uastatione aliqua quilibet vtatur pro sua commoditate, & vsu necessario in libro secundo feudorum, titulo, xxvii. in fine.

DE AEDILITIO EDICTO, ET REDHIBITIONE, ET quanto minoris, Tit. II.

AEDILES aiunt, QVI IVMENTA VENDVNT, PALAM RECTE DICVNTO, QVID IN VNO QVOQVE EORVM MORBI VICIIVE SIT: VTQVE OPTIME ORNATA VENDENDI CAVSA FVERINT, ITA EMPTORIBVS TRADVNTVR, SI QVID ITA FACTVM NON ERIT, DE ORNAMENTIS RESTITVENDIS IVMENTISVE ORNAMENTORVM NOMINE REDHIBENDIS IN DIEBVS SEXAGINTA, MORBI AVTEM VICIIVE CAVSA IN EMPTIS FACIENDIS IN SEX MENSIBVS VEL QVANTO MINORIS, CVM VENIERINT, FVERINT, IN ANNO IVDICIVM DABIMVS, SI IVMENTA SIMVL PARIA VENIERINT, ET ALTERVM IN EA CAVSA FVERIT, VT REDHIBERI DEBEAT, IVDICIVM DABIMVS, QVO VTRVNQVE REDHIBEATVR. ff. de ædilit. edicto. l. ædiles aiunt, 38. in prin.

Loquuntur ædiles in hoc edicto de iumentis redhibendis. causa autem huius edicti est, ut occurratur fallaciis vendentium: & emptoribus succurratur, quicunque decepti, à venditoribus fuerint dummodo sciamus uenditorem etiam si ignorauerit ea, quæ præstari iubentur, tamen teneri debere. nec est hoc iniquum. potuit enim ea nota habere venditor. neque enim interest emptoris, cur fallamur ignorantia venditoris, an calliditate. Illud sciendum est edictum hoc non pertinere ad uenditiones fiscales. si tamen respub. aliquã faciat uenditionem, edictum hoc locum habebit. In pupillaribus quoque venditionibus erit edicto locus, d. l. ædiles, §. loquuntur, & l. prima, §. causa huius edicti.

Iumentorum autem appellatione, an oẽ pecus contineatur, uideamus. & difficile est, vt contineatur. nam aliud significant iumenta, aliud significatur pecoris appellatione, idcirco elogium huic edicto subiectum est, cuius verba hæc sunt. QVAE DE IVMENTORVM SANITATE DIXIMVS DE CAETERO QVOQVE PECORE OMNI VENDITORES FACIVNTO. vnde dubitari desiit, an hoc edicto boues quoque continerentur. etenim iumentorum appellatione non contineri eos, verius est. sed pecoris appellatione continebuntur, d. l. ædiles, §. iumentorum.

Si mulus castratus est, neque morbi, neque uicii, quid habere uidetur: quia neque de fortitudine, quid eius detrahitur, neque de utilitate, cum ad generandum nunquam sit habilis, d. l. ædiles, §. sed enim.

Celsus quoque scribit, non omnia animalia castrata ob idipsum viciosa esse, nisi propter ipsam castrationem facta sint imbecilliora, & ideo mullum non esse uiciosum. idem refert. O filium existimasse equum castratum sanum esse. sed si emptor ignorauerit, venditor scit: ex empto esse actionem, d. l. ædiles, §. Celsus.

Quæsitum

Quæsitum est. si mula talis sit, vt transiungi non possit, an sana sit? & ait Pomponius, sanam esse. plerasq; deniq; carrucharias tales esse, vt non possint transiungi. idem ait si nata sit eo ingenio, aut corpore, vt alterum iugum non patiatur: sanam non esse, d.l. ædiles, 38. §. quæsitum est.

Non tantum autem ob morbum viciumve redhibitio locum habebit in iumentis, verumetiam si contra dictum promissumve sit, erit locus redhibitioni, d.l. ædiles, §. non tantum.

Vendendi autem causa ornatum iumentum videri Cælius ait: non si sub tempus venditionis, hoc est biduo ante venditionem, sed si in ipsa venditione ornatum sit, aut ideo (inquit) vt venale cum esset, sic ornatum inspiceretur, semperque cum de ornamentis agitur in actione, & in edicto, adiiciendum est, VENDENDI CAVSA ORNATA DVCTA ESSE. poterit enim ornatum iumentum itineris causa duci deinde venire. si plura iumenta venierint, non omnia erunt redhibenda propter unius ornamentum. nam si uiciosum sit vnum iugum: non tamen propter hæc cætera iuga redhibebuntur, d.l. ædiles, §. vendendi.

Si fortè iugum mularum sit, quarum altera uiciosa sit: non ex precio tantum vicio sę, sed ex vtriusq; componendum, quanto minoris sit. Cum enim vno precio vtræque venierint non est separandum precium, sed quanto minoris, cum veniret utrumque fuit, non alterum, quod erat uiciosum, d.l. ædiles, §. si fortę iugum mularum.

Cum autem iumenta paria veneunt, edicto expressum est, vt cum alterum in ea causa sit, vt redhiberi debeat, vtrumque redhibeatur, in qua re, tam emptori, quàm venditori consulitur, dum iumenta non separantur, si mihi modo, & si triga venierit: redhibenda erit tota. sed, & si quadriga: redhibeatur, sed si duo paria mularum sint, & una mula uiciosa sit, vel par: solum par redhibebitur, alterum non: si tamen nondum sint paria constituta, sed simpliciter quatuor mulæ uno precio venierint, verius erit mulæ redhibitio, non omnium, nam & si polia venierit: dicemus vnum equum, qui viciosus est, non omnem poliam redhiberi oportere, d.l. ædiles, §. cum autem iumenta.

Cæterum sciendum est, ædilicio edicto prohiberi non canem uerrem, vrsum, aprum, leonem ibi habere, qua vulgo iter fit: & si aduersus ea factum erit, & nocitum homini esse dicatur, quod bonum, & æquum iudici uidetur, tanti dominus condemnetur. cæterarum vero rerum, quanti damnum datum sit, dupli. præter has autem ædilicias actiones & de pauperie locum habebit, nunquam enim actiones, & de pauperie locum habebit. nunquam enim actiones; præsertim pęnales de eadem re concurrentes, alia aliam consumit. Inst. si quadrupes. paup. fec. dic. § finali.

Aiunt AEdiles, NE QVIS CANEM, VERREM, VEL MINOREM, APRVM, LVPVM, VRSVM, PANTERAM, LEONEM, Et generaliter aliudve, quod nocens animal, siue soluta sint, siue alligata; (siue contineri vinculis, quod minus damnum inferant, non possint.) QVA VVLGO ITER FIET, ITA HABVISSE VELIT, VT CVIQVAM NOCERE, DAMNVMVE DARE POSSIT, SI ADVERSVS EA FACTVM ERIT, ET HOMO EX EA RE PERIERIT, SOLIDIS DVCENTIS, SI NOCITVM HOMINI, ESSE DICETVR: QVANTI BONVM, ET AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, CONDEMNETVR. CAETERARVM RERVM,

QVANTVM DAMNVM DATVM, FACTVMVE SIT, DVPLI, ff. de ædilit. edict. l. hi enim, 40. cum duabus seq.

Bouem, qui cornu petit, viciosum esse pleriq; dicunt, itē multas, quæ cessim eunt: ea quoque iumenta, quæ sine causa turbantur, & semetipsa eripiunt viciosa esse dicuntur, ff. eo. l. bouem, 43. in prin.

Causa huius edicti proponendi est, vt occurratur fallaciis vendentium, & emptori bus succurratur, quicunque decepti à venditoribus fuerint. dummodo sciamus venditorem, etiam si ignorauit ea, quæ ædiles præstari iubent, tamen teneri debere, nec est hoc iniquum: potuit enim ea notata habere venditor, neque enim interest emptoris, cur fallatur: ignorantia venditoris, an calliditate, de edil. edic. l. prima, §. causa huius.

Illud sciendum est, edictum hoc non pertinere ad uenditiones fiscales. si tamen resp. aliqua faciat venditionem: edictum hoc locum habebit. In pupillaribus quoque venditionibus erit edicto locus, d. l. prima, §. illud sciendum.

Si intelligatur vicium morbumve animalis (vt plerunque signis quibusdam demonstrari solent vicia) potest dici edictum cessare, hoc enim tantum intuendum est, ne emptor decipiatur, d. l. prima, §. si intelligatur.

Si venditor nominatim exceperit de aliquo morbo, & de cætero sannum esse dixerit, aut promiserit: standum est eo, quod conuenit. remittentibus enim actiones suas non est regressus dandus: nisi sciens venditor morbum consulto reticuit. tunc enim dandam esse de dolo malo replicationem, ff. eo, l. quærit, 14. §. si venditor nominatim.

Si nominatim morbus exceptus non sit, talis tamen morbus sit, qui omnibus potuerit adparere (vtputa si cæcus equus veniebat, aut qui cicatricem euidentem & periculosam habebat, vel in capite, vel in alia parte corporis) perinde eius nomine non teneri, Cælius ait, ac si nominatim morbus exceptus fuisset. ad eos enim morbos viciaque pertinere edictum ædilium probandum est, quæ, quis ignorauit, vel ignorare potuit, d. l. quæritur, §. si nominatim.

Dictum à promisso sic discernitur. dictum accipimus, quod uerbotènus pronunciatum est, nudoq; sermone finitur. promissum autem potest referri, & ad nudā promisionem, siue pollicitationem, vel ad sponsionem. secundum quod incipiet is, qui de huiusmodi causa stipulanti spopondit: & ex stipulatu posse conueniri, & redhibitoriis actionibus, nec nouum. nam qui ex empto potest conueniri, idem etiam redhibitoriis actionibus cōueniri potest. ea autem sola edicta, siue promissa admittenda sunt, quæcunque sic dicuntur, vt præstentur, non ut iactentur, ff. eo. l. secunda, 19. §. dictum.

De redhibitoria.

Deinde aiunt ædiles, EMPTORI OMNIBVSQVE, AD QVOS EA RES PERTINET, IVDICIVM DABIMVS. pollicentur emptori actionem, & successoribus eius, qui in uniuersum ius succedunt. Emptorem eum accipere debemus, qui precio emit. Sed si permutatum erit: dicendum est, utrumque emptoris, & uenditoris loco haberi: & utrumquè posse ex hoc edicto experiri, ff. de edilit. edict. lege sciendum, decimanona, §. denique.

Tempus

Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet, si autem animal non redhibeatur, sed quanto minoris agatur, annus vtilis est. sed tempus redhibitionis ex die venditionis currit, at si dictum promissumve, quid est: ex eo, ex quo dictum promissumve est. Si vero ante venditionis tempus dictum intercesserit, deinde post aliquot dies interposita fuerit stipulatio. Cælius Sabinus scribit ex priore causa, quæ statim (inquit) ut uenit id animal, cæpit: eo nomine posse agere, d. l. sciendum, §. fin. cum l. seq.

Redhibere est facere, vt rursus habeat venditor, q̃ habuerat, & q̃a id reddendo fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio, ff. eo. l. redhibere, 21. ĩ prĩ.

Cum redditur ab emptore animal venditori; de dolo malo promitti oportere ei, Pomponius ait, & ideo cautiones necessarias esse: ne fortè aut pignori datus sit equus ab emptore, aut iussu eius damnum alicui datum, furtumve factum sit, d. l. redhibere. §. cum redditur.

Iubent ædiles restitui, & quod venditioni accessit, & si q̃d ipse præstitit: ut utrinquè resoluta emptione, nihilo plus consequatur, quàm si non haberet, si uenditio facta non esset, ff. eo. l. cum autem, 23. §. iubent.

Hæ actiones, quæ ex hoc edicto oriuntur, etiam aduersus hæredes omnes competunt, d. l. cum autem, §. hæ actiones.

Iulianus ait iudicium redhibitoriæ actionis, vtrunq;, & emptorem, & venditorem quodammodo in integrum restituere debere, d. l. cum autem, §. Iulianus ait.

AEdiles etiam hoc præstare emptorẽ uolunt, si in aliquo deterior factus sit equus: sed ita demum, si post venditionem; traditionemq; factus sit. cæterum non pertinet ad hoc iudicium, quod ante factum est. siue ergo ipse deteriorem eum fecit, siue procurator: tenebitur actio, ff. eod. l. ædiles, 25. in prin.

Procuratoris quoque fit mentio in hac actione. sed Neratius procuratorem hic accipiendum ait, non quemlibet, sed cui vniuersa negocia, aut idipsum propter quod deterius factum sit, mandatum est, d. l. ædiles, § procuratoris.

Item sciendum est: hæc omnia, quæ exprimuntur edicto ædilium præstare eum debere, si ante iudicium acceptum facta sint. idcirco. n. necesse fuisse ea numerari, vt si q̃d eorũ ante litẽ contestat. cõtigisset p̃staretur. d. l. ædiles. §. item sciendũ.

Præterea in edicto dicitur sic. ET QVANTA PECVNIA PRO EO EQVO SOLVTA, ACCESSIONISVE NOMINE DATA ERIT, NON REDDETVR: CVIVSVE PECVNIAE, QVIS EO NOMINE OBLIGATVS ERIT, NON LIBERABITVR. Ordine fecerunt ædiles, ut ante uenditori emptor omnia, quæ suprascripta sunt, præstet, sic deinde precium consequatur d. l. ædiles, §. finali.

Videamus tamẽ, ne iniquum sit emptorem compelli dimittere corpus, & ad actionem iudicati mitti, si interdum nihil præstatur propter inopiam venditoris, potiusque res ita ordinanda sit, ut emptor caueat, si intra certum tempus pecunia tibi soluta sit se animal præstaturum, ff. eo. l. videamus, 26.

Debet autem recipere pecuniam, quam dedit pro eo equo, vel si quid accessionis nomine. dari autem non id solum accipimus, quod numeratur uenditori (vtputa precium) sed & si quid emptionis causa erogatum est. hoc autem ita demum deducitur, si ex uoluntate uenditoris datur. cæterum si quid sua sponte datum esse proponatur: non imputabitur. neq;. n. debet, quod quis suo arbitrio dedit à venditore exigere, quid ergo si fortè uectigalis nomine datum est, quod emptorem fortè sequeretur? dicemus hoc quoque restituendum. indemnis enim emptor discedere debet, ff. eo. l. debet, 27.

Si venditor de his, quæ edicto ædilium continentur non caueat: pollicentur aduersus eum iudicium redhibitorium intra duos menses, vel quanti emptoris intersit intra sex menses, ff. eo. l. si venditor, 28.

Illud sciendum est. Si emptor venditori hæc non præstat, quæ desiderantur in hac actione: non posse ei venditorem condemnari. item emptori præstandum est, vt cuius pecuniæ nomine obligatus erit, liberetur: siue ipsi venditori obligatus sit, siue etiam alii. condemnatio autem fit, quanti ea res erit. ergo excedat precium, an non videamus, & quidem continet condemnatio precium, accessionesq; consequatur, quasi quod sua intersit debeat accipere: maximè cum fructus ipse restituat: & placet consecuturum. si quid tamen damni sensit, vel si quid pro equo impendit: consequetur arbitrio iudicis. sic tamen, non ut et horum nomine venditor condemnetur. (ut ait Iulianus) sed ne alias compellatur equum vendituri restituere, quàm si eum indemnem præstet, ff. eod. l. illud, 29.

Qui impensas necessariò in curandum equum post litem contestatam emptor fecerit, officio iudicis imputabit. præcedentes autem impensas nominatim comprehendendas, ff. eo. l. item, 30. §. fina.

Si plures hæredes sint emptoris: an omnes ad redhibendum consentire debeant, videamus & ait Pomponius, omnes consentire debere ad redhibendũ, dareq; vnum procuratorem: nè fortè venditor iniuriam patiatur, dum ab alio partem recipit equi, alii in partem precii condemnatur, quanto minoris is equus sit, ff. eo. l. quod si nolit, 31. §. si plures.

In factum actio competit ad precium recuperãdum, si animal redhibitum fuerit, in qua non hoc quæritur, an animal in causa redhibitionis fuerit: sed hoc tantũ an sit redhibitum. nec immeritò. iniquum est enim postea, quam vẽditor agnouit, recipiendo animal esse, id in causa redhibitionis: quæri, vtrum debuerit redhiberi, an non debuerit. nec de tempore quæritur, an intra tempora redhibitus esse videatur, d. l. quod si nolit, §. in factum.

Illud planè hæc actio exigit, vt sit redhibitus. cæterum nisi fuerit redhibitus, deficit ista actio, etiam si nudo consensu placuerit, vel redhibeatur. conuentio ergo de redhibendo non facit locum huic actioni, sed ipsa redhibitio, d. l. quod si nolit, §. illud planè.

Quia assidua est duplæ stipulatio: idcirco placuit etiam ex empto agi posse, si duplæ venditor equi non caueat. ea enim quæ sunt moris, & consuetudinis in bonæ fidei iudiciis debent venire, d. l. quod si nolit, §. quia assidua.

Si quid ita venierit, vt nisi placuerit, intra præfinitum tempus redhibeatur, ea conuentio rata habetur, si autem de tempore nihil conuenerit: in factum actio intra sexaginta dies vtiles accommodatur emptori ad redhibendum, vltra non: si vero conuenerit, vt in perpetuum redhibitio fiat, hæc conuentio valebit, d. l. quod si nolit, §. si quid.

Item si tempus sexaginta dierum præfinitum redhibitioni præterierit: causa cognita iudicium dabitur, in causæ autem cognitione hoc versabitur: si aut mora fuit per venditorem, aut non fuit præsens, cui redderetur, aut alia iusta causa intercessit, cur intra diem redhibitum equum non sit, quod magis displicuerat, d. l. quod si nolit, §. item si tempus.

In his autem actionibus eadem erunt obseruanda, quæ de fœtu fructibus, accessionibusq; quæq; de mortuo redhibendo dicta sunt, d. l. quòd si nolit §. fin.

Proinde Pomponius ait, iustam causam esse, vt quod in venditione accessurum esse, dictum est: tam integrum præstetur, q̃ aliud præstari debuit, quod principaliter

liter venit. nam iure ciuili, vt integra sint, quæ accessura esse dicta fuerunt, ex empto actio est: veluti si dolia accessura fundo dictum fuerit, sed hoc ita, si certum corpus accessurum fuerit dictum, idem probatur si fundus cum instrumento venierit, & in instrumento animalia sint: nisi si aliud specialiter actum esse proponatur, ff. eo. l. proinde, 34.

Cum eiusdem generis plures res simul veneunt (veluti quadrigæ) refert in vniuersos, an in singulos precium constituatur: vt scilicet interdum vna interdum plures venditiones contractæ intelligantur. quod vel eo pertinet, vt si quis eorum fortè morbosus, vel viciosus sit, omnes simul redhibeantur, interdum, & si in singula capita precium constitutum sit, tamen una emptio est, vt propter vnius vicium omnes redhiberi debeant: scilicet, cum manifestum erit, non nisi omnes, quem empturum, vel venditurum fuisse: vt plerunque circa quadrigas, vel mulas pares accidere solet, vt neutri, nisi omnes, habere expediat, ff. eodem, l. cum eiusdem, 34.

Si plura animalia vno precio venierint, & de vno eorum ædilicia actione vtamur, ita demum pro bonitate eius æstimatio fiet, si confusè vniuersis animalibus cõstitutum precium fuerit. Quod si singulorum animalium constituto precio vniuersa tanti venierunt, quantum ex consumatione singulorum fiebat: tunc cuiuscunque animalis precium (seu pluris, seu minoris, id est) consequi debebit, ff. eod. l. si plura, 36.

Proponitur actio ex hoc edicto in eum, cuius maxima pars in venditione fuit: quia plerunque venaliciarii, ita societatem coeunt, vt quidquid agunt in commune videantur agere. æquum. n. ædilibus visum est, vel in vnum ex his, cuius maior pars, aut nulla parte minor esset ædilitias actiones cõpetere: ne cogeretur emptor cum multis litigare: quamuis actio ex empto cum singulis sit pro portione, qua socii fuerunt. nam id genus hominum ad lucrum, vel potius turpiter faciendum proprius est, ff. eo. l. iustissimæ, 44. §. proponitur.

Redhibitoria actio duplicem habet condemnationem. modo. n. in duplum, modo in simplum condemnatur venditor. nam si neq; precium, neq; accessionem soluat: dupli precii, & accessionis condemnari iubetur, si vero reddat precium, & accessiones simpli, ff. eo. l. redhibitoria. 45.

AEdiliciæ actiones, & hæredi, & in hæredem competunt: vt tantum facta hæredum, quæ postea accesserunt, & quod expedire potuerunt, quærantur, ff. eo. l. si tamen, 48. §. ædiliciæ.

De omni animali hæ actiones competunt, d. l. si tamen, §. non solum.

Cum redhibitoria actione de sanitate agitur: permittendum est, vt de vno vicio agere, & prædicere, vt si quid aliud postea apparuisset de eo iterum ageretur, d. l. si tamen, §. cum redhibitoria.

Simplariarum venditionum causa ne sit redhibitio in vsu est, d. l. si tamen, §. fin.

Etiam in fundo vendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum est, veluti si pestilens fundus distractus sit, nam redhibendus erit, & benignius est dicere, vectigalis exactionem futuri temporis post redhibitionem aduersus emptorem cessare, ff. eo. l. etiam, 49.

Si prædium quis sub ea lege comparauit, vt si displicuerit, inemptum sit: id, vtpotè sub condicione venditum, resolui, & redhibitoriam actionem aduersus venditorem competere, palàm est, idem obseruatur, & si pestibilis fundus, idest pestibiles herbas, vel letiferas hñs, ignorãte emptore distractus sit, nã in hoc ẽt casu per eandẽ actionem, eũ quoq; redhibendũ esse cõstat, C. de ædiliciis acti. l. pen.

Circa procuratoris personam, cum quidem ipse scierit morbosum, vel viciosum esse: non dubitandum, quin quamuis ipse domino mandati, vel negociorum gestorum actione sit obstrictus, nihilo magis eo nomine agere possit. at cum ipse ignorans esse uiciosum, mandatu domini, qui id sciret, emerit, & redhibitoria agat: ex persona domini utilem exceptionem ei non putatur opponendum, ff. eo. l. cum mancipium, 51. §. si procuratoris.

Latinus largus quæsiit, an fideiussori emptionis redhiberi animal possit. Paulus respondit, si in uniuersam causam fideiussor sit acceptus, putat Marcellus posse, & fideiussori redhiberi, ff. eo. l. latinus, 56.

Cum in ea causa est venditum animal, ut redhiberi debeat: iniquum est, venditorem precium redhibendæ rei consequi, ff. eo. l. cum in ea. 59. in prin.

Si quis duos equos uno precio emerit, & alter in ea causa sit, ut redhibeatur: dein de petatur precium totum: exceptio erit obiicienda. si tamen pars precii petatur, magis dicetur, non nocere exceptionem: nisi forte ea sit causa, in qua propter alterius uicium vtrunq; equum redhibendum sit, d. l. cum in ea, §. si quis.

Facta redhibitione omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neq; emptio, neque venditio intercessisset, ff. eo. l. facta.

Ad res donatas ædictum ædilium curulium non pertinere, dicendum est. quid enim se restiturum donator repromittat, quando nullum precium interuenerit? quid ergo, si res ab eo, cui donata est, melior facta sit? nunquid quanti eius, qui meliorem fecit, interest, donator conueniatur? quod minime dicendum est, ne eo casu liberalitatis suæ donator pœnam patiatur, itaq; si qua res donetur, necesse non erit in ea re promittere, quæ in rebus uenalibus ædiles repromitti iubent. sane de dolo donator obligare se, & debet, & solet, ne quod benigne contulerit, fraudis consilio reuocet, ff. eo. l. ad res, 62.

Sciendum est, ad uenditiones solas, hoc edictum pertinere omnium rerum, cum autem de locationibus nil edicatur, mirum uidebatur, hæc tamen ratio redditur, vel quia nunquam istorum de hac re fuerat iurisdictio, vel quia non similiter locationes, vt venditiones fiunt. ff. eo. l. sciendum, 63.

Labeo scribit, si uno precio plures equos emisti, & de uno agere uelis, æstimationem æquorum perinde fieri debere, atque fieret in æstimatione bonitatis agri, cum ob euictam partem fundi ageretur. idem ait, si uno precio plures equos vendidisti, sanosque esse promisisti, & pars duntaxat eorum minus sana sit, de omnibus aduersus dictum promissum recte agi, ff. eo. l. pen.

Finis Libri Quarti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quintus.

DE IIS, PER QVOS AGERE POSSVMVS, & de procuratoribus. Titulus I.

NVnc admonendi sumus agere posse, quemlibet hominem aut suo nomine, aut alieno. Alieno veluti procuratorio, tutorio, curatorio, cum olim in vsu fuisset alterius nomine agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hostilia permissum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reip. causa abessent, quive eorũ in cuius tutela essent, sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat, cæperunt homines per procuratores litigare. nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itemque aliæ multæ causæ sæpe hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi possint. Insti. de iis, per quos ag. poss. in princ.

Procurator neque certis uerbis, neque præsente semper aduersario, imo plerunq; eo ignorante constituitur. cuicunque enim permiseris rem tuam agere, is tuus procurator intelligitur. Inst. eo. §. procurator.

Procurator est, qui aliena negocia mandatu domini administrat. Procurator autem, vel omnium rerum, uel unius rei esse potest: constitutus uel coram, vel per nuncium, uel per epistolam. quamuis quidam (vt Pomponius libro vicesimo quarto scribit) non putent vnius rei mandatum suscipientem, procuratorem esse: sicuti nec is quidem, qui rem perferendam, vel epistolam, vel nuncium perferendum suscepit, propriè procurator appelletur. sed verius est, eum quoque procuratorem esse, qui ad vnam rem datus sit. Vsus autem procuratoris per q̃ necessarius est, vt qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel nõ possunt, saltem per alios possint, uel agere, vel conueniri, ff. de procuratoribus. l. prima, in prin.

Dari

Dari autem procurator etiam absens potest. Dummodo certus sit, qui datus intelligitur, & is ratum habuerit. furiosus non est habendus absentis loco: quia in eo animus deest, ut ratum habere non possit, d. l. prima, §. si. cum l. seq.

Nihil interest, utrum ab initio, an cæpta iam lite negocium ad personam procuratoris translatum fuerit, C. eo. l. nihil. 20.

Item ad litem futuram, & in diem, & sub conditione, & vsq; ad diem dari potest. Et in perpetuum, ff. eo. l. tertia, & quarta.

Præsens habetur, & qui in ortis est. Et qui in foro, & qui in vrbe & qui in continentibus ædificiis. Et ideo procurator ei præsenti esse videtur, ff. eo. l. quinta, sexta, & septima.

Filiusfamil. & ad agendum dare procuratorem potest, si qua sit ei actio, qua ipse experiri potest non solum si castrense peculium habeat. sed & vim, aut (puta) iniuriam passus, procuratorem dabit ad iniuriarum actionem: si fortè neq; pater præsens sit, nec patris procurator velit experiri: & erit iure ab ipso filiofam. procurator datus. Hoc amplius Iulianus scribit, & si filiofamil. patri, per filium eius in eadem potestate manentem, fiat iniuria, neq; auus præsens sit: posse patrem procuratorem dare ad vlciscendam iniuriam, quam nepos absentis passus est. Ad defendendum quoque poterit filiusfam. procuratorem dare, ff. eod. l. filiusfamil. 8. in princip.

Sed, & filiafam. poterit dare procuratorem ad iniuriarum actionem. Nam ad dotis exactionem cum patre dari procuratorem, superuacuum esse Valerius Seuerus scribit: cum sufficiat patrem dare ex filiæ voluntate. sed si forte pater absens sit, uel suspectæ vitæ (quo casu solet filiæ competere de dote actio) potest ea procuratorem dare, d. l. filiusfamilias. §. sed, & si.

Ipse quoq; filiusfamilias procurator dari poterit, & ad agendum, & ad defendendum, d. l. filiusfamilias, §. ipse quoque filius.

Inuitus procurator non solet dari. inuitum accipere debemus, non eum tantum, qui contradicit, uerum eum quoq; qui consensisse non probatur, d. l. filiusfamilias, §. inuitus.

Inuitus procurationem suscipere nemo cogitur, nec eandem ultra, nisi prouocationis causa extendent, sed nec defensionem absentis subire compellitur, cum fidem susceptam implere sufficiat, C. eo. l. inuitus, 17.

Veterani procuratori fieri possunt. Milites autem, nec si uelit aduersarius procuratores dari possunt: nisi hoc tempore litis contestate, quocunque casu prætermissum est. excepto eo, qui in rem suam. procurator datus est: uel qui communem causam omni sui numeri prosequatur uel suscipit. quia talis procuratio concessa est, d. l. filiusfamilias, §. ueterani.

Militem nec pro patre, uel matre, uel etiam uxore, nec ex sacro rescripto, procuratorio nomine experiri oportet: cum neque defensionem alienam suscipere, vel redimere negocia, uel quasi suffragator accedere utilitate publica permittatur. C. eod. l. septima.

Qui stipendia merentur suis negociis superesse sine offensa disciplinæ possunt, nec potest dici, eum, qui honesta, & verecunda præcedente causa mandatas sibi actiones exercuerit, alieno negocio fungi, cum licet contentio ex persona alterius bona fide sumatur. hunc tamen rem suam agere, non ambigitur, quod militibus interdici non modo absurdum, verum etiam iniquum est, C. eod. l. qui stipendia, ix.

Procuratorem ad litem suscipiendam datum pro quo consentiente, dominus iudicatum

dicatum solui exposuit, prætor ait, IVDICIVM ACCIPERE COGAM. Verum ex causa non debebit compelli. ut puta si inimicitiæ capitales interuenerint inter ipsum procuratorem, & dominum scribit Iulianus debere in procuratorem denegari actionem. Item si dignitas accesserit procuratori, uel Reipublicæ caussa abfuturus sit. Aut si valetudinem, uel necessariam peregrinationem alleget. Vel hæreditas superueniens eum occupet, uel alia iusta causa. Hoc amplius, & si habeat presentem dominum: non debere compelli procuratorem. Si tamen dominus cogi possit. Sed etiam ex his causis dicitur aliquando cogendum procuratorem iudicium accipere. Veluti si dominus presens non sit, & actor adfirmet tractu temporis futurum, ut res pereat. Sed hæc neque passim admittenda sunt, neque districtè deneganda: sed a prætore causa cognita temperanda. d. l. filiusfamilias. §. final. cum quinque. ll. sequentibus.

Si post datum procuratorem capitales inimicitiæ intercesserint: non cogitur procurator accipere iudicium, nec stipulationem ob rem non defensam committitur quoniam noua causa sit. ff. de procuratoribus. l. si post, xiiii.

Si defunctus sit dominus ante litem contestatem, IVDICATVM SOLVI stipulatione pro suo procuratore data: procurator compellendus est ad iudiciciũ accipiendum: ita tamen, si hoc dominus sciente procuratore, & non contra dicente fecit. Quod si aliter actum est: inscium quidem procuratorem teneri, satis inciuile est. committitur autem ob rem non defensam stipulationis clausula. Qui ad communi diuidundo iudicium datus est agendum: idem, & ad defendendum uidebitur datus, duplici cautela interponenda. ff. eo. l. si defunctus. xv.

Ante litem contestatam libera potestas est, vel mutandi procuratoris, uel ipsi domino iudicium accipiendi. ff. eod. l. ante litem, xvi.

Post litem autem cõtestatam reus, qui procuratorem dedit, mutare quidem eum, uel in se litem transferre, uiuo procuratore, uel in ciuitate manente potest: causa tamen prius cognita. non solum autem ipsi, qui dedit procuratorem hoc permittitur: sed etiam hæredi eius, & cæteris successoribus, in caussæ autem cognitione non solum hæc uersantur, quæ supra diximus, in procuratore non compellendo suscipere iudicium: uerum, & ætas. Et religionis beneficium. Item si suspectus sit procurator, aut in uinculis, aut hostium, prædonumve potestate. Vel iudicio publico, priuatove, uel ualetudine, uel maiore sua re distingatur. Vel exilio: vel si latitet, uel si inimicus postea fiat. aut adfinitate aliqua aduersario iungatur, uel hæres ei existat. Aut longa peregrinatio, & aliæ similes causæ impedimento ei sint Mutari debebit, uel ipso procuratore postulante. Quæ omnia non solum ex parte rei, sed etiam in persona actoris obseruabuntur. ff. de procuratoribus. l. post litem. xvii. cum septem seq. & vigesima quinta in princ.

Sed si aduersarius, uel ipse procurator dicat dominum mentiri, apud prætorem hoc finiri oportet. nec ferendus est procurator, qui sibi adserit procurationem. Nam hoc ipso suspectus est, quod operam suam ingerit inuito, nisi forte purgare magis conuicium, quam procurationem exsequi maluerit. & hactenus erit audiendus, si dicat se procuratione quidem carere uelle: sed ita, si id illæsa existimatione sui fiat. Cæterum ferendus est pudorem suum purgans. Planè si dicat in rem suam se procuratorem datum, & hoc probauerit non debet carere propria lite. Item si retentione aliqua procurator uti uelit non facile ab eo lis erit transferenda. Nisi dominus soluere paratus sit. ff. eod. l. quæ omnia, xxv. §. sed si aduersarius, cum l. sequen.

In causæ cognitione etiam hoc uersabitur: ut ita demum transferri a procuratorẽ

iudicium

iudiciū pmittat, si q̄s omnia iudicia ab eo transferre paratus sit. cæterū si nelit q̄dā transferre, q̄dam relinquere: iuste procurator hanc inconstantiā recusabit. sed hæc ita, si mandatu domini procurator egerit: cæterum si mandatum non est: cum nec in iudicio quidquam deduxit, nec tu ea comprobasti, quę inuito te acta sunt tibi non præiudicant. ideoq; translatio earum litium non est tibi necessaria ne alieno facto onereris, hæc autem cognitio procuratoris mutandi prætoris est, ff eo.l.in causæ, 27.in prin.

Si ex parte actoris translatio litis fiat: dicimus committi, IVDICATVM SOLVI, stipulationem à reo factam, idq; & Neratius, & Iulianus probant, & hoc iure vtimur: scilicet si dominus satis acceperit. Sed si procurator satis acceperit & transferatur iudicium in dominum: verius est, committi ex stipulatu actionem, & à procuratore in dominum transferri, sed & si à domino, vel à procuratore in procuratorem iudicium transferatur: non dubitat Marcellus, quin committatur stipulatio & hæc vera sunt. Et licet procuratori commissa sit stipulatio, tamen domino erit danda utilis ex stipulatu actio, directa pœnitus tollenda, d.l.in causæ, §.si ex parte.

Si pcurator meus IVDICATVM SOLVI satis accepit: mihi ex stipulatu actio vtilis est. sicuti iudicati actio mihi indulgetur. sed & si agat procurator meus ex ea stipulatione me inuito: nihilominus tamen mihi ex stipulatu actio tribuetur, quæ res facit, vt procurator meus ex stipulatu agendo exceptione debeat repelli: sicut eum agit iudicati non in rem suam datus, neq; ad eandem rem procurator meus. IVDICATVM SOLVI satisdederit, in me ex stipulatu actio non datur. Sed & si defensor meus satisdederit, in me ex stipulatu actio non datur, quia nec iudicati mecum agi potest, ff.eo.l.si procurator, 28.

Si actor malit dominum potius conuenire quam eum, qui in rem suam procurator est: dicendum est ei licere, ff eo.l.si actor, 29.

Actoris procurator non in rem suam datus propter impensas, quas in litem fecit: potest desiderare, vt sibi ex iudicatione satisfiat: si dominus litis soluendo non sit, ff.eo.l.actoris, 30.

Si quis cum procuratorio nomine condemnatus esset, hæres extiterit domino litis: iudicati actionem non rectè recusabit. hoc si ex asse. si autem ex parte hæres extiterit, & totum soluerit; si quidem ei mandatum est hoc quoque vt soluat: mandati actione aduersus cohæredes habebit. si non sit mandatum: negociorum gestorum actio dabitur, quod est, & si hæres procurator non extiterit, & soluerit, ff.eo.l.si quis, 31.in prin.

Vnius litis plurium personarum plures dari procuratores non est prohibitum. Iulianus ait: eum qui dedit diuersis temporibus procuratores duos: posteriorem dando, priorem prohibuisse videri, d.l.si quis, §.unius litis.

Pluribus procuratoribus insolidum simul datis occupantis melior conditio erit: vt posterior non sit in eo, quod prior petit, procurator, ff.eo.l.pluribus, 32.

Publicè utile est, absentes à quibuscunque defendi. Nam, & in capitalibus iudiciis defensio datur, vbicunq; itaq; absens, quis damnari potest, ibi quem uis verba pro eo facientem, & innocentiam excusantem audiri æquum est, & ordinariam admittere, ff.eo.l.seruum, 33.§.publicè utile est.

Ait prætor, CVIUS NOMINE QVIS ACTIONEM SIBI DARI POSTVLAVERIT, IS EVM VIRI BONI ARBITRATV DEFENDAT, ET EI, QVO NOMINE AGET, ID RATVM HABERE EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, VIRI BONI ARBITRATV SATISDET, AE-

quum

quum visum est prætori eum, qui alicuius nomine, vt procurator experitur, eandem etiam defensionem suscipere. si quis in rem suam procurator interueniat: adhuc erit dicendum, debere eum defendere, nisi fortè ex necessitate fuerit factus, d.l, seruum, §. ait prætor.

Si quis in rem suam procuratorio nomine agat, veluti emptor hæreditatis: an debeat inuicem uenditorem defendere? & placet: si bona fide, & non in fraudem eorum, qui inuicem agere uellent, gestum sit negocium non oportere eum inuicem defendere, ff. eo. l. si quis, 34.

Sed & eæ personæ procuratorum debebunt defendere, quibus sine mandato agere licet: utputa liberi, licet sint in potestate. item parentes, fratres, & adfines, ff. eod. l. sed & eæ, 35. in prin.

Non solum autem si actio postuletur à procuratore, sed etiam si præiudicium, uel interdictum, uel si stipulatione legatorum, uel damni infecti uelit caueri debebit absentem defendere in competenti tribunali, & eadem prouincia. Cęterum cogi eum in prouinciam de Roma abire, uel è contrario, uel à prouincia, in aliam prouinciam, & defendere: durum est, d.l. sed & eæ, §. non solum autem.

Defendere autem est id facere, quod dominus in litem faceret, & cauere idoneè. nec debebit durior conditio procuratoris fieri, quàm est domini, præterquam in satisdando, d.l. sed, & eæ, §. defendere.

Præter satisdationem procurator, ita se defendere uidetur, si iudicium accipiet. Vnde quæsitum est, apud Iulianum, an compellatur: an uero sufficiat, ob rem non defensam stipulationem committi? & Iulianus scribit, compellendum accipere iudicium, nisi & agendum causa cognita recusauerit, uel ex iusta causa remotus fuerit, d.l. sed & eæ, §. prætor.

Defendere uidetur procurator, & si in possessionem uenire patiatur: cum quis dáni infecti satisdari, uel legatorum desideret. Vel in operis noui nunciatione, d. l. sed & eæ, §. fin. cum l. seq.

Omnium autem actionum nomine debet defendere, etiam earum, quæ in hæredem non dantur. Vnde est quæsitum, si aduersarius plures intendat actiones, & in singulas singuli existant defensionem suscipere parati, an absens defendi uideatur? & uideri eum rectè defendi Iulianus ait: quo iure, nos uti Pomponius scribit, ff. eod. l. omnium, 37.

Non tamen eo usque procedendum erit, ut si decem petantur, & existant duo defensores parati in quina defendere audiantur, ff. eo. l. non tamen, 38.

Non solum autem in actionibus, & interdictis, & postulationibus debet dominũ defendere, uerum in interrogationibus quoque: ut in iure interrogatus, ex omnibus causis respondeat, ex quibus dominus. an hæres ergo sit absens, responderе debebit: & si responderit, uel tacuerit, tenebitur, ff. eo. l. non solũ, 39. in prin.

Qui alieno nomine agit quacunque actione. id ratum habiturum eum, ad quem ea res pertinebit cauere debet. Sed interdum licet suo nomine procurator experiatur: tamen de rato debebit cauere, ut Pomponius scribit, utputa iusiurandum procuratori retulit, iurauitque absenti dari oportere. agit hoc iudicio suo nomine propter suum iusiurandum. (nec enim hæc actio competere domino potuit) sed debebit de rato caueri. Sed & si procuratori cõstitutum est, & ex ea causa agat: dubitandum non est, quin locus sit de rato cautioni, idque Pomponius scribit, d.l. non solum, §. qui alieno.

Quæritur apud Iulianum, utrum dominum solum ratam rem habere debet satisdare, an etiam cæteros creditores? & ait dumtaxat de domino cauendum, nec il

lis uer-

lis uerbis AD QVEM EA RES PERTINET, creditores contineri, nam nec ipsi domino hæc incumbebat cautio, d.l. non solum. §. quæritur.

Si de dote agat pater, cauere debet ratam rem filiam habituram. Sed & defendere eam debet, vt & Marcellus scribit, d.l. non solum. §. si de dote.

Si pater filii nomine iniuriarum agat: cum duæ sint actiones, una patris, altera filii: cessat de rato cautio. d.l. non solum, §. si pater.

Est & casus, quo quis eiusdem actionis nomine, & de rato caueat, & iudicatum solui: vtputa, postulata est cognitio de in integrum restitutione, cum minor circunscriptus in venditione diceretur, alterius procurator existit, debet cauere hic procurator ratam rem dominum habiturum, nè fortè dominus reuersus, velit quid petere, item iudicatum solui, vt si quid forte propter hanc restitutionem in integrum præstari adolescenti debeat, hoc præstetur, & hæc ita Pomponius scribit, d.l. non solum, §. est & casus.

Item ait, & si suspectus tutor postuletur, defensorem eius oportere etiam de rato cauere, ne reuersus ille velit retractare, quod actum est. Sed non facilè per procuratorem quis suspectus excusabitur: Quoniam famæ causa est, nisi constet ei à tutore mandatum nominatim: aut si etiam absente tutore, quasi non defenderetur prætor erat cogniturus, d.l. non solum, §. item ait.

Cautio ratihabitionis tunc exigitur à procuratore, quoties incertum est, an ei negocium mandatum sit, C. eo. l. prima.

Pomponius scribit, non omnes actiones per procuratorem posse quem instituere. Denique ut liberi, qui in potestate absentis dicuntur, ducantur interdictũ non posse desiderare: nisi (ut Iulianus ait) causa cognita. id est si nominatim ei mandatum sit, & pater valetudine, vel alia iusta causa impediatur, ff. de procuratorib. l. Pomponius. 40. in prin.

Si stipuletur procurator damni infecti, vel legatorum: debebit de rato cauere, d.l. Pomponius, §. si stipuletur procurator.

Sed & is, qui quasi defensor in rem actione conuenietur: præter solitam satisdationem IVDICATVM SOLVI etiam de rato debet cauere. Quid. n. si in hoc iudicio rem meam esse pronuncietur: & reuersus ille, cuius defensor extitit, velit fundum vendicare nonne ratum non videbitur habere, quod iudicatum est? Deniq; si uerus procurator extitisset, vel ipse præsens causam suam egisset, & victus esset, si à me uindicaret, exceptione rei iudicatæ submoueretur. & ita Iulianus scribit. Nam cum iudicatur rem meam esse, simul iudicatur illius non esse, d.l. Pomponius. §. sed & is qui.

Ratihabitionis autem satisdatio ante litis contestationem à procuratore exigitur: cæterum semel lite contestata, non compelletur ad cautionem, d.l. Pomponius, §. ratihabitionis autem.

In his personis, in quibus mandatum non exigimus, dicendum est, si fortè euidés sit contra uoluntatem eos experiri eorum, pro quibus interueniunt: debere eos repelli. Ergo non exigimus, vt habeant uoluntatem, vel mandatum, sed ne contraria voluntas probetur, quamuis de rato offerant actionem, d.l. Pomponius, §. finali.

Alienam suscipere defensionem virile est officium, & vltra sexum muliebrem esse constat. Maior itaq; filio suo, si pupillus est, tutorem petet, C. eod. l. alienam, 18.

Fœminis pro parentibus agere interdum permittetur causa cognita, si fortè parentes morbus, aut ætas impediat, nec quemquam, qui agat, habeant, ff. de procuratoribus, l. fœminis, 41.

Licet

Licet in popularibus actionibus procurator dari non possit, tamen dicendum est, merito eum, qui de via publica agit, & priuato damno ex prohibitione adficitur: quasi priuatæ actionis dari posse procuratorem. ff. eo. l. licet. 42. in prin.

In popularibus actionibus, vbi quis, quasi vnus ex populo agit: defensionem, vt procurator, præstare cogendus non est. ff. eod. l. mutus. 43. §. in popularibus.

Ad actionem iniuriarum ex lege Cornelia procurator dari potest, nam & si pro publica vtilitate exercetur, priuata est tamen. ff. eod. l. licet. 42. §. ad actionem.

Ea obligatio, quæ inter dominum, & procuratorem consistere solet, mandati actionem parit. Aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati: sicut euenit, cum in rem suam procuratorem præstamus, eoque nomine iudicatum solui promittimus: nam si ex ea promissione aliquid præstiterimus: non mandati, sed ex vendito, si hæreditatem vendidimus: vel ex pristina causa mandati agere debemus, vt fit, cum fideiussor reum procuratorē dedit. d. l. licet, §. ea obliga.

Is, cui hæreditas ex trebelliano Senatusconsulto restituta est, hæredem iure dabit procuratorem. Sed, & dominum pignoris creditor recte dabit procuratorem ad SERVIANAM. d. l. licet, §. is, cui.

Porro si vni ex reis credendi constitutum sit, isque alium in constitutam pecuniā det: non negabimus posse dare. Sed, & ex duobus reis promittendi alter alterum ad defendendum procuratorem dabit. d. l. licet. §. sed, & dominum.

Si plures hæredes sint, & FAMILIAE ERCISCVNDAE, aut COMMVNI DIVIDVNDO agatur, pluribus eundem procuratorem non est permittendum dare: quoniam explicari res non potest citra adiudicationes, & condemnationes. Planè permittendum est dare, si vni cohæredi plures hæredes existāt. d. l. licet, §. si plures.

Reo latitante, post litem contestatam ita demum fideiussores eum defendere videbuntur: si vel vnus ex his eum pro solido defendat: vel omnes, uel quidam ex his vnum procuratorem dederint, in quē iudiciū transferatur. d. l. licet, §. fi.

Mutus, & surdus, per eum modum, qui procedere potest, procuratorem dare non prohibentur forsitan, & ipsi dantur: non quidem ad agendum, sed ad administrandum. ff. eod. l. mutus. 43. in princ.

Cum quæritur, an alicui procuratorem cum habere liceat, inspiciendum erit, an non prohibeatur procuratorem dare, quia hoc edictum prohibitorium est. d. l. mutus, §. cum quæritur.

Is, qui curatorē alicui pſenti petit, non aliter audietur, nisi adulto cōsentiēte. Qđ si absenti, ratā rē eum habiturum, necesse habebit satisdare. d. l. mutus. §. is, qui.

Qui non cogitur defendere absentem, tamen si iudicatū solui satisdedit, defendendi absentis Gratia. Cogendus est iudiciū accipere, ne decipiatur is, qui satis accepit. eos tamen, qui nō coguntur rem defendere, post satisdationem cogi, Labeo causa cognita temperandum ait, & si captio actoris sit propter temporis tractum, iudicium eum accipere cogendum. Quod si aut adfinitas dirempta sit, aut inimicitiæ intercesserint, aut bona absentis possideri cœperint. Vel si longinquo sit absuturus, vel alia iusta causa interuenerit. Non cogendum. d. l. Mutos. §. fi. cum l. sequenti, vel si 44. & 45. in princ.

Sabinus ait, nullas prætoris esse partes ad compellendū defendere, sed ex stipulatu ob rem non defensam agere posse, at si iustam causam habeat, cur iudicium accipere nolit, nec fideiussores teneri, quia vir bonus arbitraturus non fuit, ꝗ iustā excusationē adferret, defendere cogeretur. Sed & si satis nō dedit, sed ei repromittendi creditū est, idē statuēdū est. Qui ita de publico agūt, vt & pri

uatum commodum defendant, causa cognita permittuntur prcuratorē dare; & postea alius agens exceptione repellitur. d. l. non cogendum, §. sabinus ait.

Si procuratori opus nouum nunciatum sit, isq; interdicto vtatur. NE EI VIS FIAT AEDIFICANTI: defensoris partes eum sustinere nec compelli cauere, ratam rem dominum habiturum Iulianus ait: Et si satisdederit: non animaduerto: (inquit Iulianus.) quo casu stipulatio committatur. d. l. non cogendus. §. si procuratori.

Qui proprio nomine iudicium accepit, si velit procuratorem dare, in quem actor transferat iudicium audiri debet, solenniterque pro eo IVDICATVM SOLVI satisdatione cauere. Et, qui defendit eum, cuius nomine ipse non agit: liberum est, vel in vnum rem defendere. ff. eod. l. qui proprio. 46. in fine.

Qui alium defendit satisdare cogitur. nemo. n. alienæ litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur. d. l. qui proprio §. qui alium.

Item quæritur, si iudicium acceperit defensor, & actor in integrum restitutus sit: an cogendus sit restitutorium iudicium accipere? & magis placet cogendum d. l. qui proprio §. item quæritur.

Procurator, vt in cæteris negociit gerendis ita, & in litibus bona fide rationem reddere debet. itaque quod ex lite consecutus erit: siue principaliter ipsius rei nomine, siue extrinsecus ob eam rem: debet mandati iudicio restituere, vsq; adeo, vt si per errorem, aut per iniuriam iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat item contra, quod ob rem iudicatam procurator soluit: contrario mandati iudicio recuperare debet. Pœnam autem, quam ex suo delicto præstitit, recuperare non debet. d. l. qui proprio. §. procurator.

Si duobus mandata administratione eorum, alter debitor sit mandatoris: an alterum eo rectè acturus sit? & vtique rectè, non enim ob id minus procurator intelligitur: quod is, quoq;, cum quo agit procurator sit. d. l. qui proprio. §. duob.

Qui duos procuratores omnibus rerum suarum reliquit: nisi nominatim præceperit, ut alter ab altero pecuniam petat: non videtur mandatum vti libet eorum dedisse. Itaque si hoc specialiter mandatum est: tunc excipiente eo, cum quo agitur. SI NON MIHI MANDATVM SIT, VT à CREDITORIBVS PETEREM: actorem ita debere replicare placet. AT SI MITTI MANDATVM EST, VT à TE PETEREM. ff. eod. l. Qui duos. 47. cum. l. seq.

Ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri si non debet. ff. eo. l. ignorantis. 49.

Quacunque ratione procurator tuus à me liberatus est, id tibi prodesse debet. ff. eod. l. Quacunque ratione. 50.

Minor viginti quinque annis si defensor existat, in quibus causis in integrum restitui potest, defensor idoneus non est. Quia & ipsi, & fideiussoribus eius per in integrum restitutionem succurritur. Quoniam tamen defendere est eandem vicem, quam reus subire, defensor mariti in amplius quam maritus facere possit, non est condemnandus is qui suscepit defensionem, & si locupletissimus sit. aut si consulatis sit. Non videtur defendere, nisi satisdare fuerit paratus. ff. eod. l. Minor, cum l. sequenti.

Cum rem pecuniariam esse dicam, potes per maritum tuum solennibus impletis appellationi aduersariæ tuæ respondere: cum appellationes pecuniariæ, etiam per procuratores exerceri, ab vtraq; parte litigantium posint. C. eo. l. secunda.

Quia absente te iudicatū dicis, æquū est tibi restitui causæ defensionē, nec oberit tibi, ꝙ vxor tua interfuit iudicio, aut ēt ad quieuit sñiæ, cū aliena negocia per

mulieres

mulieres non aliter agi possunt, nisi in rem suam, & proprium lucrum mandatæ sint ei actiones, C. eo.l.quarta.

Non eo minus sententia aduersus te lata iuris ratione substituit. Quod aduersaria tua minor vigintiquinque annis constituta, causam suam marito siue curatore agendam mandauit. Minoribus etenim ætas in damnis subuenire, non in rebus prosperè gestis obesse consueuit, C. eo.l.non eo.14.

Maritus citra mandatum in rebus uxoris cum solenni satisdatione, & alia obseruatione intercedendi habeat liberam facultatem: ne fœminæ persequendæ litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreuerenter irruant, nec conuentibus virorum, vel iudiciis interesse cogantur. sinautem mandatum susceperit, licet maritus sit, id solum exequi debet, quod procuratio emissa præscripserit, C. eo.l.Maritus, 21.

Neque fœminæ, neque miles, neque qui reipublicæ causa absuturus est, aut morbo perpetuo tenetur, aut magistratum inuiturus est, aut inuitus iudicium pati non potest: idoneus defensor intelligitur, ff. eodem.l. neque fœminæ, 54. in principio.

Procuratore in rem suam dato: præferendus non est dominus procuratori in litē mouendam, vel pecuniam suscipiendam. Qui enim suo nomine utiles actiones habet, ritè eas intendit, ff. eo.l.procurator in rem suam, 55.

Ad rem mobilem petendam datus procurator, ad exhibendum rectè aget, ff. eod. l.ad rem, 56.

Qui procurato rem dat, ut confestim agat: is intelligendus est permittere procuratori, & postea litem peragere. ff. eodem. l. qui procuratorem dat, 57. in principio.

Si quis remisit exceptionem procuratoriam, non poterit ex pœnitentia eam opponere, d.l.qui procuratorem.§.final.

Procurator cui generaliter libera administratio rerum commissa est, potest exigere, aliud pro alio permutare. Sed & id, quoque ei mandari uidetur, ut soluat creditoribus, ff. eod.l. procurator. 58. & l.seq.

Procuratorem, uel actorem prædii, si non specialiter distrahendi mandatum accepit, ius rerum domini vendendi non habere, certum ac manifestum est. Vnde si non ex uoluntate domini vendentibus his fundum comparasti prauides improbum desiderium tuum, dominum ex huiusmodi emptione tibi concedi desiderantis. C. eod.l.procuratorem, 16.

Mandato generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam. & ideo si postea is, qui mandauit transactionem ratam non habuit non posse eum repelli ab exercendis actionibus, ff. eo.l.mandatu.lx.

Procurator totorum bonorum, cui res administrandæ commissæ sunt: res domini neque mobiles, neque immobiles, sine speciale patris mandatu alienare potest: nisi fructus, aut alias res, quæ facilè corrumpi possunt, ff. eod.l. procurator, 63.

Plautius ait, procuratorem damnatum non debere conueniri, nisi si, aut in rem suam datus esset, aut obtulisset se, cum sciret cautum non esse, omnibus placuit idem erit obseruandum, & si defensoris loco cum satisdatione se liti obtulerit. ff. eo.l.plautius, 61.

Ad legatum petendum procurator datus, si interdicto utatur aduersus hæredem, DE TABVLIS EXHIBENDIS: procuratoria exceptio, quasi non, & hoc ei Mandatum esset, non obstat, ff. eo.l.ad legatum, 62.

Is, cuius nomine defensor extitit, si ante litem contestatam in præsentia fuerit, & postulet suo nomine litē suscipere: cā cognita audiēdus est, ff. eo. l. is cuius, 64.

Si p̄curatorem absentem dominus satisdatione releuare velit, literas suas ad aduersarium dirigere debebit, quibus significet quem aduersus eum procuratorem, & in qua causa fecerit: ratumq; se habiturum, quod cum eo actum sit. hoc enim casu, literis eius adprobatis, velut præsentes procuratorem interuenire intelligendum est, itaq; & si postea mutata voluntate procuratorem esse noluerit: tamen iudicium, quo procurator expertus est, ratum esse debet, ff. eod. l. si procuratorem, 65.

Si is, qui equum, aut bouem, vtrum eorum ipse vellet, stipulatus est: ratum habeat quod alterum procuratorio nomine Titius petit: facit, ut res in iudicium deducta uideatur, & stipulationem consumit, ff. eo. l. si is, 66.

Procurator, qui pro euictione prædiorum, quæ vendidit, fidem suam adstrinxit, & si negocia gerere desierit obligationis tamen onere prætoris auxilio non leuabitur. nam procurator, qui pro domino vinculum obligationis suscepit, onus eius frustra recusat, ff. eo. l. procurator, 67.

Quod procurator ex re domini, mandato non refragante, stipulatur: inuito procuratore dominus petere potest. Paulus respondit: etiam eum, qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, causæ suæ adesse non prohiberi, ff. eo. l. quod procurator, 68. cum l. seq.

Pater filio suo pupillo tutorem dedit Sempronium creditorem suum. is administrata tutela, reliquit fratrem suum hæredem, qui & ipse decessit, & per fideicommissum nomen debitoris Titio reliquit. eiq; mandatæ sunt actiones ab hæredibus. Quærit Scæuola, cum tam tutelæ actio, quàm pecuniæ creditæ ex hæreditate Sempronii descendant, an non aliter mādata ei actio detur, quam si defendat hæredes à quibus ei actiones mandatæ sunt? respondit, debere defendere, ff. eo. l. pater, 70.

Absens reus causas absentiæ per procuratorem reddere potest, ff. eo. l. absens, 71.

Per procuratorem non semper adquirimus actiones, sed retinemus, veluti si reum conueniat intra legitimum tempus, vel si prohibeat opus nouum fieri, ut interdictum nobis vtile sit, QVOD VI, AVT CLAM, nam & hic pristinum ius nobis conseruat, ff. eo. l. per procuratorem, 72.

Si reus paratus sit ante litem contestatam pecuniam soluere procuratore agente, quid fieri oportet? nam iniquum est cogi eum iudicium accipere, propter quod suspectus uideri potest, qui præsente domino non obtulerit pecuniam. quid. n. si tunc facultatem pecuniæ non habuit? nunquid cogi debet iudicium accipere? quid si, & famosa sit actio? sed hoc constat, ut ante litem contestatam præses iubeat in æde sacra pecuniam deponi. hoc enim fit, & in pupillaribus pecuniis. Quod si lis contestata est, hoc oē officio iudicis dirimendū est, ff. eo. l. si reus, 73.

Qui absentem emptorem, eundemq; possessorem fundi defendebat, & iudicium nomine eius accipiebat, postulabat à venditore fundi, ut ab eo defenderetur. Venditor desiderabat caueri sibi, ratam rem emptorem habiturum. is, venditori de rato satisdare debet. Quia si fundum agenti restituerit, nihil prohibet dominum repetere, & cogi uenditorem rursus defendere, ff. eo. l. q. absentem, 75.

Titius cum absentem defenderet, satisdedit, & priusquam iudicium acciperet, desiit reus soluendo esse, quam ob causam defensor recusauit iudicium in se reddi oportere. Iulianus quærit, an id ei concedi oporteat? ipse r̄ndit, defensor, cū satisdedit dn̄i loco hn̄dus est. nec multum ei p̄stiturus est p̄tor, si eū nō coegerit iu-

rit iudicium accipere: cum ad fideiussores eius actor ire posſit, & ii quidquid præſtiterint à defenſore conſecuturi ſint, ff. eo. l. Titius cum abſentem, 76.

Actionem ei, qui abſentis nomine agere vult, ſi non eum defendat, denegari oportere: iam edicto perpetuo expreſſum eſt, C. eo. l. quinta.

Omnis, qui defenditur, boni viri arbitratu defendendus eſt. Et ideo non poteſt videri boni viri arbitratu litem defendere is, qui actorem fruſtrando efficiat, ne ad exitum controuerſia deducatur. Ad duas res petendas procurator datus, ſi vnam rem petat: exceptione non excluditur, & rem in iudicium deducit, ff. eo. l. penul. & fina.

Litis impendia bona fide facta, vel ab actoris procuratore, vel rei, debere ei reſtitui, æquitas ſuadet, ff. eo. l. proprio, 46. §. pen.

Pœna non defendentis procuratoris hæc eſt, vt denegetur ei actio, ff. eo. l. mutus, 43. §. pœna.

Eum qui res agit hæredum, à quibus tibi deberi fideicommiſſum dicis, euoca ad prætorem virum clariſsimum: qui aut tibi reſpondere cogetur: aut ab adminiſtratione negociorum ſecundum formam iuriſdictionis prohibebitur. Deliberabit autem prætor, ſi non defendentur hæredes, an mittere te in poſſeſsionem debeat, ſecutus iuriſdictionem, quæ exerceri aduerſus indefenſos ſolet, C. eod. l. tertia.

Reum criminis conſtitutum defenſionem cauſæ ſuſcipere non poſſe, antequam purget innocentiam ſuam incognitum non eſt, C. eo. l. ſexta.

Quod quis ſibi debitum exigere tibi mandauit ante litis conteſtationem, tu alii petendum mandare non potes, C. eo. l. octaua.

Si procurator ad unam ſpeciem conſtitutus, officium mandati egreſſus eſt, id, qđ geſsit, nullum domino facere præiudicium potuit. Quod ſi plenam poteſtatem agendi habuit res iudicatas reſcindi non oportet: cum ſi quid fraude vel dolo egit, conuenire eum more iudiciorum non prohibearis, C. eo. l. ſi procurator. x.

Neq; tutores, neq; curatores ex ſua perſona in re pupilli uel adoleſcentis procuratorem facere poſſunt: ſed actorem conſtituere debent. pupillus autem, vel pupilla, adultus uel adulta, tàm ad agendum, quàm ad defendendum, tutore, ſeu curatore interueniente, procuratorem ordinare poſſunt. Ipſi etiam tutores, & curatores poſt litis conteſtationem à ſe factam ad exemplum procuratorum, qui litē conteſtati ſunt, dare ꝓcuratores non prohibent̄, C. eo. l. neq; tutores. 11.

Exigendi à filio tuo mandati, qui ſe defenſioni tuæ offerebat, duplici ratione neceſsitas non fuit, aut quod defendere quis (ſiue ſit filius, ſiue extraneus) ſine mandato poteſt. tamen ſatiſdatione per defenſione præſtita, & alia proculdubio obſeruatione ſubiecta: aut quod filius etiam ſi ultro actionem patris nomine dirigat, mandatum probare non cogitur. ſanè quod nec dum legitimam ætatem idem filius tuus compleuerit: ob hoc quidem depellere procuratoris officio eum iudex non iniuſtè potuit. ſed multo iuſtius fuit huiuſmodi defenſorem audire, quàm abſentem quaſi contumacem, & indefenſum graui condemnatione afficere, C. eo. l. exigendi, 12.

Ita demum ſuper lite perſequenda, quam tibi mater mandauit, actionem intentare potes: ſi cum primo litem conteſtareris, non eſt tibi eo nomine oppoſita præſcriptio militiæ. Quod nec cum appellatio agitur, tibi obiici poteſt. nam ſi integra eſt res: ratio perpetui edicti acceptam tibi non permittit alieno nomine actionem intendere, C. eo. l. ita demum. 13.

Litem te redemiſſe cōtra bonos mores precibus manifeſtè profeſſus es: cum pro-

curationē quidē suscipere (q officiū gratuitū esse debet) non sit res illicita, huiusmodi autem officia non sine reprehensione suscipiunt, C. eod. l. litem, 15.

Si primum quidem actoribus alienis fundum citra mandatum tibi distrahentibus dedisti, & neq; præcessisse, neq; secuta contractum domini declaretur uoluntas. in rem autem eius id precium processisse prouinciæ præses causa cognita perspexerit. hoc tibi restitui iubebit, C. eo. l. si precium, 19.

Procuratoribus institutis: & post contestatam litem dominis effectis: ii, qui mandauerant, non habeant facultatem negocia præsequendi, nisi capitales inimicitiæ, vel morbus, vel alia necessaria causa intercesserit. tunc. n. inuitis his transferri lis potest, C. eo. l. procuratoribus, 22.

Nulla dubitatio est post causam in iudicio agitatam, vtpote dominum litis procuratorem effectum, etiam post excessum eius, qui agendam, vel defendendam litem mandauerat, posse inchoatam causam, iurgiumq; finire: quippe cum & procuratorem posse eum instituere veteres iuris uoluerint conditores, C. eodem, l. nulla, 23.

Licet in principio quæstionis persona debet inquiri procuratoris, an ad agendū negocium mandatum à domino litis habeat: si tamen falsus procurator interueniatur: nec dici controuersiæ solent, nec potest esse iudiciū, C. eo. l. licet, 24.

In non nullis constitutionibus dicitur ne cui clarissimo liceat per se causam agere, per procuratores semper liceat, quod quidem vetustas ad honorem dignitatis descripsit. At pleriq; tametsi dignitates nacti, & inter clariss. aut comites, aut tribunos, aut si qui præterea alii eius generis existunt, adscripti sint: ita tamen exigua re familiari sunt, vt ad constituendum procuratorem, perferendosque in eam rem necessarios sumptus, pœnitus nullam facultatem habeant. Sancitū igitur est, vt inter Magnificentiss. quidem Illustres hoc ualeat. ipsiq; omnimodo per procuratorem pecuniarias causas agant, sed & actionem iniuriarum criminaliter intentatā æquè per procuratorem moueant, secundum priuilegium super hoc ipsis concessum: ne cogantur, aut assidere cum magistratibus, quo ipsi loco iudicant, aut rursum adstare, tanquam litigatores. Vtrinq;. n. res cum periculo fit, siue dignitates afficiantur contumelia, siue iudiciarius ordo præter dignitatem procedat. Alioquin post Magnificentiss. Illustres omnibus, qui uolunt, licentia esto, & procuratores in litem constituere, & per se causam agere: nulla exinde prohibitione, aut læsione, aut pœna eis inferenda. nouell. constit. vt illustres, in prin. per proc. 71. siue collat. 5. const. 18. in prin.

In pecuniariis controuersiis, & si specialiter hoc præcepti, vel sententiæ minimè designat authoritas passim vnicuique (si tamen ita maluerit) per procuratorem respondendi tribuitur facultas: nisi fortè quosdam, iustiores nonnunquā ob causas, vehementiores maximi iudicis uocabit authoritas, C. eo. l. fin.

QVOD CVIVSQVE VNIVERSITATIS NOMINE, VEL contra eam agatur. Tit. II.

NEque societatem, neque collegium, neq; huiusmodi corpus passim omnibus habere conceditur. nam & legibus, & senatusconsultis, & principalibus constitutionibus ea res coercetur. Paucis admodum in causis concesse sunt huiusmodi corpora, vt ecce vectigalium publicorum sociis permissum est corpus habere: vel auri fodinorum, vel argenti fodinorum, & salinarum. item collegia Romæ certa sunt, quorum

corpus

corpus ſenatuſconſultis, atque conſtitutionibus principalibus cõfirmatum eſt: veluti piſtorum, & quorundam aliorum, & nauiculariorum qui & in prouinciis ſunt, ff. quod cuiuſque vni. l. prima in prin.

Quibus autem permiſſum eſt corpus habere, collegii ſocietatis, ſiue cuiuſque alterius nomine: eorum proprium eſt, ad exemplum Reip. habere res communes, arcam communem, & actorem, ſiue ſyndicum: per quem tanquam in Rem pub. quod communiter agi fieri oporteat, agatur fiat, d. l. prima, §. quibus autẽ.

Quod ſi nemo eos defendat: quod eorum commune erit, poſsideri: & ſi moniti, non excitentur ad defenſionem ſui, venire ſe iuſſurum proconſul ait. Et quidẽ non eſſe actorem, vel ſyndicum, tunc quoque intelligimus: cum is abſit, aut ualetudine impediatur, aut inhabilis ſit ad agendum. Et ſi extraneus velit defendere vniuerſitatem, permittit proconſul, ſicut in priuatorum quoque defenſionibus obſeruat: q̃a eo melior conditio vniuerſitatis ſit, d. l. prima, §. ꝙ ſi nemo.

Si Municipes, vel aliqua uniuerſitas ad agendum det actorem: non erit hic dicendum, quaſi à pluribus datum, ſic haberi. hic enim pro rep. vel vniuerſitate interuenit non pro ſingulis, ff. eo. l. ſecunda.

Nulli permittitur nomine ciuitatis, vel curiæ experiri, niſi ei, cui lex permittit, aut lege ceſſante, ordo dedit: cum duæ partes adeſſent, aut amplius quam duæ. Planè, vt duæ partes decurionum adfuerint, is quoque quem decernunt, adnumerari poteſt. Illud notandum Pomponius ait. quod, & patris ſuffragium filio proderit, & filii patri. Item eorum, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt. quaſi decurio enim hoc dedit, non quaſi domeſtica perſona. Quod & in honorum petitione erit ſeruandum: niſi lex municipii, vel perpetua conſuetudo prohibeat, ff. eo. l. tertia, quarta, quinta, & ſexta, in princ.

Nomen Decurionum relinquitur, q̃a Decurior eſt Senator, & quilibet poteſt mutare hoc nomine & ponere uſitatum in ſua patria.

Si decuriones decreuerunt actionem per eum mouendam, quem duum uiri elegerunt: is uidetur ab ordine electus, & experiri poteſt. parui enim refert, ipſe ordo eligat, an is, cui ordo negocium dedit. ſed ſi ita decreuerint, ut quæcunque incidiſſet controuerſia eius petendæ negocium Titius haberet: ipſo iure id decretũ nullius momenti eſſe videtur: quia non poſsit videri de ea re, quæ adhuc in controuerſia non ſit, decreto datam perſecutionem. ſed hodie hæc omnia per ſyndicos ſolent ſecundum locorum conſuetudinem, explicari, ff. eo. l. ſexta, §. ſi decuriones.

Quod ſi actor datus poſtea decreto decurionum prohibitus ſit: an exceptio ei noceat? & ſic hoc eſt accipiendum: vt ei promiſſa uideantur, quæ, & præmiſſa durant, d. l. ſexta, §. quod ſi actor.

Actor vniuerſitatis ſi agat, compellitur etiam defendere: non autem compellitur de rato cauere, ſed interdum ſi de decreto dubitetur, interponenda de rato cautio eſt. Actorque iſte procuratoris partibus fungitur: & iudicati actio ei ex edicto non datur, niſi in rem ſuam datus ſit, & conſtitui ei poteſt. Ex iiſdem cauſis mutandi actoris poteſtas erit, ex quibus etiam procuratoris. actor etiam filiusfamilias dari poteſt, d. l. ſexta, §. actor.

Sicut municipum nomine actionem prætor dedit, ita, & aduerſus eos edicendũ iuſtiſsimè putauit, ſed & legato, qui in negocio publico ſumptum fecit, danda eſt actio in municipes. ſi quid vniuerſitati debetur, ſingulis non debetur: nec ꝙ debet uniuerſitas, ſinguli debent. In decurionibus uel aliis uniuerſitatibus, nihil refert: utrum oẽs iidem maneãt, an pars maneat, uel oẽs immutati ſint. ſed ſi uniuerſitas ad unum recidit: magis admittĩ poſſe eum cõuenire, & conueniri: cũ ius omniũ in unũ reciderit, & extet nomen uniuerſitatis, ff. eo. l. ſeptima.

Ciuitates

Ciuitates, si per eos, qui res earum administrant non defendũtur: nec quidquam est corporale Reip. quod possideatur: per actiones debitorum ciuitatis, agentibus satisfieri oportet, ff. eo. l. octaua.

Si tibi cum municipibus hæreditas communis erit: familiæ ercifcundæ iudicium inter uos redditur. idemque dicendum est in finium regundorum, & aquæ pluuiæ arcendæ iudicio, ff. eo. l. pen.

Constitui potest actor, & ad operis noui nunciationem, & ad stipulationes interponendas, veluti legatorum damni infecti iudicatum solui, quamuis seruo publico potius ciuitatis caueri debeat. Sed, & si actori cautum fuerit: utilis actio administratori rerum ciuitatis dabitur. ff. eod. l. fi.

Nec ciuitatis actor negocium publicum per procuratorem agere potest, ff. de procuratoribus, l. nec ciuitatis. 74.

DE SATISDATIONIBVS, ET QVI SATISDARE COGANtur, vel iurato promittant, vel suæ promissioni committantur. Titulus III.

Satisdationum alius antiquitati placuit, alium nouitas per vsum amplexa est: nam si quis in rem actione conuenitur, siue personali suo nomine, nullam satisdationem, pro litis æstimatione dare compellitur, sed pro sua tantum persona, quod in iudicio permaneat, vsq; ad terminum litis, vel committitur suæ promissioni cum iureiurando: (quam iuratoriam cautionem vocant) vel nudam promissionem, vel satisdationem pro qualitate personæ suæ dare compellitur. Institut. de satisdationibus, in princ.

Satisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio nam, ut satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus: ita satisdare dicimur aduersario nostro, cum pro eo, quod à nobis petit, ita cauemus, ut eum hoc nomine securum faciamus, datis fideiussoribus, ff. qui satisd. da. cog. l. prima.

Fideiussor iudicio sistendi causa, locuples iubetur dari non tantum in facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate, ff. eod. l. secunda, in princ.

Si quis iis personis, quæ agere non potuerunt, fideiussorem iudicio sistendi causa dederit: frustra erit datio, d. l. secunda. §. si quis iis.

Prætor ait. SI QVIS PARENTEM EVMVE, QVEM IN POTESTATE HABEBIT, VEL VXOREM, VEL NVRVM IN IVDICIVM VOCABIT: QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR IVDICIO SISTENDI CAVSA ACCIPIATVR. Quod ait prætor, LIBEROSVE SVOS: accipimus, & ex fœmineo sexu descendentes liberos. Parenti quidem dabimus hoc beneficium, non solum si sui iuris, sed etiam si in potestate sit alterius. hoc enim Pomponius scribit. Et filius fideiussor pro patre fieri potest, etiam si in alterius potestate sit, NVRVM: & pronurum, & deinceps accipere debemus Quod ait prætor: QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR ACCIPIATVR: hac quantum ad facultates, idest etiam non locuples, d. l. secunda. §. prætor ait.

In fideiussorem, qui aliquem iudicio sisti promiserit tanti, quanti ea res erit, actionem dat prætor. Quod vtrum veritatem contineat, an uero quantitatem uideamus. & melius est, ut in ueram quantitatem fideiussor teneatur: nisi pro certa quantitate accesit. d. l. secunda. §. finali.

Siue in duplum est actio, siue tripli, siue quadrupli: tanti eundem fideiussorem om

nimodo

nimodo teneri dicemus, quanti res esse intelligemus, ff.eo.l.tertia.

Si decesserit, qui fideiussorem dedit iudicio sistendi causa: non debebit prætor iubere exhiberi eum. Quod si ignorans iusserit exhiberi, vel post decretum eius ante diem exhibitionis decesserit: deneganda erit actio. Si autem post diem exhibitionis decesserit, aut amiserit ciuitatẽ: vtiliter agi potest, ff.eo.l. quarta.

Si vero pro condemnato fideiusserit, & condemnatus decesserit, aut ciuitatem Romanam amiserit: rectè nihilominus cum fideiussore eius agetur, ff.eod.l.quinta, in princip.

Qui pro rei qualitate euidentissimè locupletem, vel (si dubitetur) adprobatum fideiussorem iudicio sistendi causa non accepit: aduersus eum iniuriarum actio esse potest. quia sanè non quælibet iniuria est, duci in ius eum, qui satis idoneum fideiussorem det. Sed, & ipse fideiussor, qui non sit acceptus, tanquam de iniuria sibi facta quæri poterit, d.l.quinta, §. qui pro.

Quoties viciosè cautum, vel satisdatum est, non videtur cautum, ff.eo.l.sexta.

Si fideiussor non negetur idoneus, sed dicatur habere fori præscriptionem: & metuat petitor, ne iure fori vtatur: Videnæum, quid iuris sit. Et diuus Pius rescripsit, & Papinianus, merito petitorem recusare talem fideiussorem. sed si alias caueri non possit: prædicendum ei, non usurum eum priuilegio, si conueniatur, ff.eo.l.septima.in prin.

Si necessaria satisdatio fuerit, & non facilè possit reus eam ibi præstare, vbi conuenitur: potest audiri, si in alia eius prouinciæ ciuitate satisdationem præstare paratus sit. si autem satisdatio voluntaria est, non in alium locum remittitur. nec enim meretur, qui ipse sibi necessitatem satisdationis imposuit, d.l. septima, §. si necessaria.

Si satisdatum pro re mobili non sit, & persona suspecta sit, ex qua datio desideratur apud officium deponi debebit (si hoc iudici sederit) donec vel satisdetur, vel lis finem accipiat, d.l.septima, §.fin.

De die ponenda in stipulationem, solet inter litigatores conuenire. si non conueniat: Pedius putat in potestate stipulatoris esse, moderato spacio de hoc à iudice statuendo, ff.eo.l.de die, 8. in prin.

Qui mulierem adhibet ad satisdandum, non uidetur cauere. sed nec miles, neque minor vigintiquinque annis probandi sunt: nisi hæ personæ in rem suam fideiubeatur, vt pro suo procuratore. Quidam etiam aiunt, si à marito fundus dotalis petatur in rem suam fideiussuram mulierem, d.l.de die, §. qui mulierem.

Minori vigintiquinque annis succurrendum est: fortasse, & mulieri propter imperitiam: vt ex integro caueatur, d.l.de die, §.minori.

Tutor, & curator, vt rem saluam fore pupillo caueant, mittendi sunt in municipium, quia necessaria est satisdatio. item de restituenda domino proprietate, is, cui vsusfructus datus est. item legatarius, vt caueat, euicta hæreditate legata reddi, & quod amplius, quam per legem falcidiam cæpit. Hæres quoque, ut legatorum satisdet, audiendus est, vt in municipium remittatur. Planè si misso iam legatario in possessionem, cum per hæredem stetisset, quominus caueret, hæres postulet, ut de possessione decedat, paratumque se dicat in municipio cauere: impetrare non debebit. Diuersum, si sine culpa, aut dolo hæredis missus sit in possessionem, d.l. de die, §.tutor.

Iubetur iurari de calumnia nequis vexandi magis aduersarii causa forsitam cum possit Romę satisdare, in municipium euocet: sed quibusdam hoc iusiurandum de calumnia remittitur: veluti parentibus, sic autem iurare debet, qui in muni-

cipium

cipium remittitur. Romæ se satisdare non posse, & ibi posse, quo postulat remitti; idque se non calumniæ causa facere. Nam sic non est compellendus iurare: alibi se, quam eo loco, satisdare non posse: quia si Romæ non posset, pluribus autem locis posset: cogeretur peierare. Hoc autem impetrabitur, cum iusta causa esse videbitur. quid enim si cum erat in municipio, noluit cauere? hoc casu non debet impetrare: cum per eum steterit, quominus, vbi desiderat, satisdaret, d.l. de die, §. iubetur.

Arbitro ad fideiussores probandos constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo, atque à iudicibus appellare licet, ff. eodem. l. arbitro, 9.

Si ab arbitro probati sunt fideiussores, pro locupletibus habendi sunt: cum potuerit querela apud competentem iudicem deferri. Qui ex causa improbat ab arbitro probatos, alias improbatos probat. Multoque magis, si sua uoluntate accipit fideiussores, contentus iis esse debet. Quod si medio tempore calamitas fideiussoribus insignis, vel magna inopia acciderit, causa cognita, ex integro satisdandum erit, ff. eo. l. si ab arbitro, x.

Iulianus ait: si antequam mandarem tibi, ut fundum peteres, satis acceperis, petiturus fundum, & postea mandatu meo agere institueris: fideiussores teneri, ff. eo. l. Iulianus, 11.

Inter omnes conuenit, hæredem sub conditione possidentem hæreditatem, substituto cauere debere de hæreditate: & si defecerit conditio, hæreditatem adeuntem substitutum, & petere hæreditatem posse, & si obtinuerit, committi stipulationem, & plerunq; ipse prætor, & ante conditionem existentem, & ante diem petitionis venientem, ex causa iubere solet stipulationem interponi. Sed & si plures substituti sint, singulis cauendum est, ff. eo. l. inter omnes, 12. cũ l. seq.

Sciendum est possessores immobilium rerum satisdare non compelli. Possessor autem is accipiendus est, qui in agro, vel ciuitate rem soli possidet, aut ex asse, aut pro parte. sed & qui vectigalem, vel emphyteuticum agrum possidet possessor intelligitur. item qui solam proprietatem habet, possessor intelligendus est. Eum uero, qui tantum vsumfructum habet, possessorem non esse. Vlpianus scripsit. creditor, qui pignus accepit, possessor non est, tàm, & si possessionem habeat, aut sibi traditam, aut præcario debitori concessam. si fundus in dotem datus sit: tàm uxor, quàm maritus propter possessionem eius fundi, possessores intelliguntur. Diuersa est causa eius, qui fundi petitionem personalem habet tutores, siue pupilli eorum, siue ipsi possideant, possessorum loco habentur. sed & si vnus ex tutoribus possessor fuerit, idem dicendum erit, ff. eo. l. fi. in prin.

Si fundum, quem possidebam, à me petieris, deinde cum secundum te esset iudicatum, appellauerim, an possessor eiusdem fundi sim? & rectè dicetur, me possessorem esse, quia nihilominus possideo. nec enim ad rem pertinet, quod euinci ea possessio possit. Possessor autem quis, nec ne sit: tempus cautionis spectandum est. nam sicut ei, qui post cautionem vendidit, nihil obest: ita nec prodest ei, qui post cautionem possidere cæpit, ff. eo. l. pen.

Qui iurato promisit iudicio sisti: non videtur peierasse, si ex concessa causa hoc deseruerit, ff. eo. l. fin.

Eum, qui absentem defendit, etiam si filius, vel pater sit: satisdare petitori ex forma edicti debet, ff. eo. l. filius fam, 14.

Si per procuratorem lis, vel infertur, vel suscipitur, in actoris quidem persona, si non mandatum actis insinuatum est, vel præsens dominus litis in iudicio procuratoris

curatoris sui personam confirmauerit, ratam rem dominum habiturum satisda tionem, procurator dare compellitur, eadem obseruādo, & si tutor, vel curator, uel aliæ tales personæ, quę alienarum rerum gubernationem receperunt: litem quibusdam per alium inferunt. Inst. de satisd. §. fin autem.

Si vero aliquis conuenitur, si quidem præsens procuratorem dare paratus est, potest, vel ipse in iudicium venire, & sui procuratoris personam per iudicatum sol ui satisdationem solemni stipulatione firmare; vel extra iudicium satisdationē exponere, per quam ipse sui procuratoris fideiussor existat pro omnibus, iudicatum solui satisdationis clausulis, vbi de hypotheca suarum rerum conuenire compellitur, siue in iudicio promiserit, siue extra iudicium cauerit, ut tàm ipse, quàm hæredes eius obligentur. Alia insuper cautela, vel satisdatione propter personam ipsius exponenda, quod tempore sententiæ recitandæ in iudicium ueniet, vel si non uenerit, omnia dabit fideiussor, quæ in condemnatione continentur, nisi fuerit prouocatum. Inst. eo. §. si vero.

Si vero reus præsto, ex quacunq; causa non fuerit, & alius velit defensionem eius subire (nulla differentia inter actiones in rem, vel personales introducenda) potest hoc facere, ita tamen, vt satisdationem iudicatum solui, pro litis præstet æstimatione. Nemo enim secūdum veterem regulam, (ut iam dictum est) alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur. Quæ omnia apertius, & perfectius, quotidiano iudiciorum vsu in ipsis rerum documentis apparent. Instit. eod. §. fin.

Non est incerti iuris eum, qui apud acta factus est agentis procurator, non compelli ratam rem dominum habiturum satisdare. hoc enim casu ueluti præsentis procuratorem interuenire intelligendum est. itaque & si postea mutata uoluntate, procuratorem esse noluerit, tamen iudicium, quo quasi procurator expertus est, iudex ratum habere, debebit. sin autem ei ab aduersario suo opposita fuerit in ipso litis exordio defensionis allegatio: etiam ipse, quasi absentis in hac parte procurator satisdationem super excipienda lite præstare cogitur, qua nō præcedente lis, quę ei data est, vlterius procedere à iudice non conceditur. Rei autem procurator, vel defensor, etiam sub gestorum testificatione factus, in ipso litis limine iudicatum solui satisdationem in omnibus causis præstare cogitur, C. de satisdando. l. unica.

DE PERPETVIS, ET TEMPORALIBVS ACTIONIBVS: & quæ ad hæredes, & in hæredes transeunt. Tit. IIII.

HOc loco admonendi sumus, quod eæ quidem actiones, quæ ex legibus proficiscuntur, perpetuo solebant competere. Donec Imperatores statuerunt omnes actiones personales vltra triginta annorum spacium non extendi, solam autem hypothecariam actionem decē annorum spacio concludi. Quod tempus etiam conceditur personalibus, quæ in iudicium deductæ sunt, quadraginta anni expectantur, ex quo nouissima processit cognitio, post, quam utraque pars cessauit. sed actiones, quæ ex propria prætoris iurisdictione processerunt plerunq; intra annum viuunt. Inst. de perpetuis, & temp. actionib. in princ.

Non autem omnes actiones, quæ in aliquem aut ipso iure competunt, aut à prætorē dantur, & in hæredem æquè competunt, aut dari solent. Est enim certissi

ma iuris

ma iuris regula ex maleficiis pœnales actiones in hęredem rei non competere, veluti furti, vel bonorum raptorum, iniuriarum, damni iniuriæ, sed hæredibus huiusmodi actionibus competunt, nec denegantur excepta iniuriarum actione, & si qua alia similis inueniatur aliquando tamen, ex contractu actio contra hæredem non competit ueluti, cum testator dolosè versatus sit, & ad hæredem eius nihil ex eo dolo peruenit. Pœnales autem actiones, quas supra diximus, si ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, & hæredibus dantur, & contra hæredes transeunt. Inst. eo. §. non autem.

Superest, vt admoneamus, quod si ante rem iudicatam is, cum quo actum est, satisfaciat actori officio iudicis conuenit eum absoluere, licet in ea causa fuisset iudici accipiendi tempore, vt damnari deberet, & hoc est, quod vulgo antea dicebatur, omnia iudicia absolutoria esse. Inst. eo. §. fin.

Finis Libri Quinti.

COM-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Sextus.

DE EXCEPTIONIBVS. Titulus I.

Sequitur ut de exceptionibus diſpiciamus,Inſtit. de exceptionibus,in princ.

Agere etiam is uidetur,qui exceptione utitur.nam reus in exceptione actor eſt,ff.de exceptionibus,l.prima.

Exceptio dicta eſt,quaſi quædam excluſio,quæ interponi actioni cuiuſq; rei ſolet ad excludendum id,quod in intentionē, condemnationemve deductum eſt,ff.eo.l.ſecunda, in princ.

Exceptio eſt conditio, quæ modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem,ff.eo.l.exceptio.22.in princ.

Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti,q̃uis diuerſæ ſint,ff. eo.l. nemo,8.

Non utique exiſtimatur confiteri de intentione aduerſarius,cum quo agitur, qui exceptione utitur,ff.eo.l.non vtique.9.

Exceptiones opponuntur,aut quia factum ſit,quod fieri oportuit:aut quia factum ſit,quod fieri non oportuit:aut quia non ſit factum,quod fieri debuerat. quia factum eſt,quod fieri oportuit:datur exceptio rei uenditæ,& traditæ,& rei iudicatæ.quia factum eſt,quod fieri non oportuit.datur exceptio doli mali,quia nō factum eſt,quod fieri oportuit.ff.eo.l.exceptiones,20.

In pupillo,cui ſoluta eſt debita pecunia, ſine tutoris authoritate, ſi quæratur, an doli exceptione ſubmoueri debeat: illud tempus inſpicitur, an pecuniam, vel ex ea aliquid habeat,quo petit,ff.eo.l.quarta.

Is,qui dicit ſe iuraſſe, poteſt & aliis exceptionibus uti cum exceptione iuriſiurandi,vel aliis ſolis.pluribus.n.defenſionibus uti permittitur,ff.eo.l.quinta.

Si rem legatum petat legatarius:de dolo teſtatoris excipitur.nam ſicut hæres, qui in uniuerſum ius ſuccedit,ſubmouetur exceptione,ita & legatarius debet ſubmoueri,quaſi unius rei ſucceſſor,ff.eo.l.ſexta.

Exceptiones,quæ perſonæ cuiuſque cohærent,non tranſeunt ad alios,veluti ea,q̃

socius habet in id, quod facere possit, vel parens, non competit fideiussori. sic mariti fideiussor post solutum matrimonium datus, insolidum dotis nomine condemnatur. Rei autem cohærentes exceptiones etiam fideiussoribus competunt, vt rei iudicatæ, doli mali iurisiurandi, quod metus causa factum est. igitur & si reus pactus sit in rem, omnimodo competit. exceptio fideiussori intercessionis, quoque exceptio, etiam fideiussori competit. idem dicitur, & si pro filiofamil. contra senatuscõsultum quis fideiusserit, aut pro minore vigintiquinque annis circumscripto. Quod si deceptus sit in re, tunc nec ipse antè habet auxiliũ, q̃ restitutus fuerit, nec fideiussori dãda est exceptio, ff. e. l. exceptiones. 7.

Omnes exceptiones, quæ reo competunt, fideiussori quoq; etiam inuito reo competunt, ff. eo. l. omnes, 19.

Defensiones, siue exceptiones ad intercessores extendi, quibus reus principalis integro manente statu munitus est, constat, C. eo. l. defensiones, xi.

Si post litem de hæreditat contestatam res singulæ petantur: placet, non obstare exceptionem, quod præiudicium hæreditati non fiat. futuri enim iudicii in facti nomine huiusmodi exceptiones comparatæ sunt, ff. eo. l. si post, 13.

Fundum Titianum possides, de cuius proprietate, inter me, & te controuersia est, & dico præterea viam ad eum per fundum Sempronianum, quem tuum esse cõstat, deberi, si uiam petam: exceptionem, QVOD PRAEIVDICIVM PRAEDIO NON FIAT, vtilem tibi fore putatur, videlicet quod non aliter mihi viam deberi probaturus sim, quàm prius probauerim, fundum Titianum meum esse. sed si ante uiam, deinde fundum Titianum petam, quia & diuersa corpora sunt, & cãæ restõnũ dispares: nõ nocebit exceptio, ff. eo. l. fundũ, 16. cum l. seq.

Fundum, quem tu proprium tuum esse dicis, partem à te peto, & uolo simul iudicio. quoq; communi diuidundo agere sub eodem iudice. item si eiusdem fundi, quem tu possideas, & ego proprium meum esse dicam, fructus condicere tibi uelim: quæsitum est, an exceptio, QVOD PRAEIVDICIVM FVNDVM PARTIVE EIVS NON FIAT. obest: an deneganda sit? & vtrobiq; interuenire prætor debet: nec permittere petitori prius, quam de proprietate constet huiusmodi iudiciis experiri, ff. eo. l. fundum, 18.

Rei maioris pecuniæ præiudicium fieri uidetur, cum ea quæstio in iudicium deducitur, quę vel tota, vel ex aliqua parte cõis est qõni de re maiori, ff. eo. l. rei, 21.

Paulus ait, si quis statuam in municipio ea mente posuit, vt ea municipii esset, & eam petere vult excludi eum oportet præscriptione in factum data, ff. eo. l. pen.

Vindicantem uenditorem rem, quam ipse vendidit, exceptione doli posse summoueri, nemini dubium est: Quamuis alio iure dominium quæsierit. Improbè enim rem à se distractam euincere conatur. eligere autem emptor potest, vtrũ rem velit retinere, intentione per exceptionem elisa, an potius re ablata, ex causa stipulationis duplum consequi. sed & si exceptio omissa sit, aut opposita ea, nihilominus euictus sit, ex duplè quoque stipulatione, uel ex empto potest conueniri. sed & si stipulatio nulla fuisset interposita, de ex empto actione, idem dicemus, ff. de euictionibus, l. uindicantem, 17. cum duabus seq.

Fundum meum obligaui: deinde alienaui tibi. vt eo nomine non obligaueris, si eum postea abs te emam, & satis pro euictione mihi des, excipiendum cautione, quod pro me obligatus sit: quia etiam non excepto eo, agendo eo nomine contra te, doli mali exceptione possim submoueri, ff. eo. l. fundum, 20.

Hoc iure vtimur, ut exceptiones ex ꝑsona emptoris obiectæ, si obstant, vẽditor ei non teneat. si uero ad ꝑsonã uenditoris respicient, contra. certè, nec ex empto, nec ex

empto, nec ex stipulatione duplæ, nec simplæ, actio competit emptori, si exceptio ei ex facto ipsius opposita obstiterit. Sed si ex utriusque persona, & auctoris, & emptoris, exceptiones obiicientur, intererit propter quam exceptionem iudex contra iudicauerit, & sic aut committetur, aut non committetur stipulatio. ff. eod. l. hoc iure, xxvii. cum l. sequen.

DE DOLI MALI, ET METVS EXCEPTIONE. Titulus II.

Comparatæ sunt exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. sæpe enim accidit, vt licet ipsa persecutio, qua actor experitur iusta sit: tamen iniqua sit aduersus eum cum quo agitur. Verbi gratia, si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus, stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palàm est iure ciuili te obligatum esse, & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax est, sed iniquum est te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali, aut in factum composita ad impugnandam actionem, Institut. de except. in princ.

Quo lucidius intelligi possit hæc exceptio, prius de causa uideamus, quare proposita sit, deinde quemadmodum dolo fiat per quæ intelligemus, quando obstet exceptio. deinde aduersus quas personas locum habeat. nouissimæ inspiciemus intra quę tempora competit exceptio. Ideo autem hanc exceptionem prætor proposuit, nè cui dolus suus per occasionem iuris ciuilis contra naturalem æquitatem prosit. Sed an dolo, quid factum sit, ex facto intelligitur, & quidem dolo fit, tàm in contractibus, quàm in testamentis, quàm in legibus, ff. de doli mali, & metus ecep. l. prima.

Palàm est autem hanc exceptionem ex eadem causa propositam, ex qua causa proposita est de dolo malo actio. ff. eo. l. secunda, in prin.

Sequitur ut uideamus in quibus causis locum habeat exceptio, & quibus personis obiiciatur. & quidem illud adnotandum est, quod specialiter exprimendum est de cuius dolo, quis quæratur, non in rem, SI IN EA RE DOLO MALO FACTVM EST, sed sic, SI IN EA RE NIHIL DOLO MALO ACTORIS FACTVM EST. docere igitur debet is, qui obiicit exceptionem, de dolo malo actoris factum nec sufficiet ei ostendere in re esse dolum, aut si alterius dicat dolo factum eorum personas specialiter debebit enumerare. dummodo hæ sint, quarum dolus noceat. Planè ex persona eius, qui exceptionem obiicit in rem opponitur exceptio. neq;. n. quæritur aduersus quem commissus sit dolus, sed an in ea re dolo malo factum sit à patre actoris, d. l. secunda, §. sequitur.

Circa primam speciem quibus ex causis exceptio hæc locũ habeat, hæc sunt, quæ tractari pn̄t, si quis sine causa ab alio fuerit stipulatus, deinde ex ea stipulatione experiatur, exceptio vtiq; doli mali ei nocebit. licet. n. eo t.pe, quo stipulabatur nihil dolo malo admiserit: tñ dicendum est eum, cum litem contestatur dolo facere, qui perseueret ex ea stipulatione petere, & si cum interponeretur iustam cām habuit, tñ nunc nullam idoneam cām hr̄e vr̄. proinde & si crediturus pecuniā stipulatus est, neq; crediderit. & si certa fuit cā stipulationis, quæ tñ, aut nõ est secuta, aut finita est dicendũ erit nocere exceptionẽ, d. l. scd̄a, §. circa primā.

Item quæritur, si quis purè stipulatus sit certam quantitatem, quia hoc actum sit: sed post stipulationem interpositam pactum sit, ne interim pecunia,

vſque ad certum diem petatur, an noceat exceptio doli? & quidem de pacto conuento excipi poſſe, nequaquam ambigendum eſt. ſed & ſi hac quis exceptione uti uelit, nihilominus poterit. dolo enim facere eum, qui contra pactum petat negari non poteſt, d.l. ſecunda, §. item quæritur.

Et generaliter ſciendum eſt ex omnibus in factum exceptionibus doli oriri exceptionem, quia dolo facit, quicunque id, quod quaqua exceptione elidi poteſt, petit. Nam & ſi inter initia nihil dolo malo fecit, attamen nunc petendo facit dolosè: niſi ſi talis ſit ignorantia in eo, vt dolo careat, d.l. ſecunda, §. & generaliter ſciendum.

Non male dictum eſt, ſi creditor intereſſe pecuniæ in futurum acceperit, deinde pecuniam nihilominus petat, antequam id tempus prætereat, cuius temporis intereſſe accepit: an doli exceptione repellatur? & poteſt dici dolo eum facere, accipiendo enim intereſſe, diſtuliſſe videtur petitionem in id tempus, quod eſt poſt diem intereſſe præſtitutum, & tacitè conueniſſe, interim ſe non petiturum, d.l. ſecunda, §. non male.

Item ſi ob id, quod antequam dominium ad me transferatur, venditori dederit decem, & agam ex empto, vt decem recipiam, ita competit mihi actio, ſi paratus ſim ex duplæ ſtipulatione eum liberare, ff. eo. l. tertia.

Apud Celſum quæritur: ſi cum Titio mandaſſent creditores hæreditarii, ut adiret hæreditatem vnus non mandaſſet decipiendi eius cauſa, mandaturus alioquin ſi non foret hic aditurus, deinde agat, an exceptione repellatur. & ait Celſus doli eum exceptione repellendum. Iulianus ſcribit, ſi quis cum æger eſſet centum aureos uxoris ſuæ conſobrino ſpopondiſſet, uolens ſcilicet eam pecuniam ad mulierem peruenire, deinde conualuerit, an exceptione uti poſsit, ſi conueniatur. & refert Labeoni placuiſſe doli exceptione uti eum poſſe, ff. eod. l. quarta, in princ.

Si in arbitrum compromiſerimus, deinde cum non ſtetiſſem ob aduerſam ualetudinem pœna commiſſa ſit: an uti poſsim doli exceptione? & ait Pomponius prodeſſe mihi doli exceptionem, d. l. quarta, §. ſi in arbitrum.

Item quæritur ſi cum eo, à quo tibi ſexaginta deberentur compromiſeris: deinde per imprudentiam pœnam centum ſtipulatus fueris, Labeo putat, conueniri officio arbitri, iubere tantum tibi dari, quantum re vera debeatur. & ſi non fiat: non uetare, ne quid amplius petatur, ſed etiam ſi id omiſſum fuerit: peti poſſe, quod debetur Labeo dicit, & ſi fortè pœna petatur. doli mali exceptionem profuturam, d.l. quarta, §. item quæritur.

Si quis pupillo ſoluerit, ſine tutoris authoritate id, quod debuit, exque ea ſolutione locupletior factus ſit pupillus: rectiſsimè dicetur: exceptionem petentibus nocere. nam, & ſi mutuam acceperit pecuniam, vel ex quo alio contractu locupletior factus ſit, danda erit exceptio, idemque & in cæteris erit dicendum, quibus non rectè ſoluitur, nam ſi facti ſint locupletiores, exceptio locum habebit, d.l quarta, §. ſi quis.

Quod ſi is, cui debebatur pecunia, cum debitore decidit, & nomen eius uendidit Seio, cui debitor mandauerat, ut nomen emeret: deque ea re emptor ſtipulatus eſt: deinde creditor eam pecuniam retinet, quam per iudicem abſtulit, an emptor ex ſtipulatu poſsit experiri? & Offilius putat, ſi uenditor nominis paratus non ſit reddere, quantum ab emptore acceperit. non nocituram exceptionem doli mali, & ſententia Offilii uera eſt, d.l. quarta, §. quod ſi is.

Item quæritur ſi vniones tibi pignori dedero, & conuenerit, ut ſoluta pecunia vniones

vniones redderentur, & hi uniones culpa tua perierint, & pecuniam petas, & ex stato Neruæ & Atilicini sententia dicentium, ita esse excipiendum. SI INTER ME, ET TE NON CONVENIT, VT SOLVTA PECVNIA VNIONES MIHI REDDANTVR. sed est verius, exceptionem doli mali nocere debere, d.l. quarta, §. item quæritur.

Si minor mihi equum donauerit: deinde eum uindicet: exceptione doli mali repellendus est, nisi alimenta reddat, & si quis alius sumptus probabilis in eum factus sit, d.l. quarta, §. si minor.

Præterea sciendum est, si quis quid ex testamento contra voluntatem petat: exceptione eum doli repelli solere. Et ideo hæres, qui non habet uoluntatem per exceptionem doli repellitur, d.l. quarta, §. præterea.

Si quis ex uncia hæres sit scriptus, ex qua ducenta consequi potuit: deinde propter hoc legatum, in quo centum erant, prætulit, nè molestiis hæreditariis implicaretur: an si legatum petat. exceptione doli mali submoueatur? & ait Iulianus non esse eum submouendum, quod si à substituto precium accepit, vel quod precii loco haberi possit, ne adeat hæreditatem: petens legatum dolo (inquit) facere intelligetur, ac per hoc doli exceptione repelletur, d.l. quarta, §. si quis.

Quæsitum est: si cum fundi vsumfructum haberem, eum fundum volente me uendideris, an uindicanti mihi vsumfructum, exceptio sit obiicienda? & hoc iure vtimur, ut exceptio doli mali noceat. Marcellus ait aduersus doli exceptionem non dare replicationem doli, d.l. quarta, §. quæsitum est.

Labeo quoque in eadem opinione est. ait enim iniquum esse, communem malitiam petitori quidem præmio esse, ei uero cum quo agatur, pœnæ esse: cum longè æquius sit ex eo, quod perfidè gestum est actorem nihil consequi. Contra senatusconsulti quoque Macedoniani exceptionem de dolo dandam replicationem, ambigendum non esse, eamque nocere debere, etiam constitutionibus, & sententiis authorum cauetur, d.l. quarta, §. Labeo quoque.

Labeo, & si ex stipulatu actio competat, propter doli clausulam, tamen nocere doli exceptionem ait, si aduersus ea, quid factum erit. posse enim petitorem, ante quam stipulatio committatur nihil dolo malo fecisse, & tunc facere, cum petat, propter quod exceptionem esse necessariam, d.l. quarta, §. Labeo.

Aduersus parentes neque doli exceptio, neque alia quidem, quæ parentis, opinionem apud bonos mores suggillet, competere potest. in factum tamen erit excipiendum, ut si fortè pecunia non numerata dicatur, & obiiciatur exceptio pecuniæ non numeratæ. nihil autem interest vtrum pater ex suo contractu, an vero alieno conueniatur. semper enim reuerentia ei exhibenda est, tàm uiuo, quàm mortuo patre, d.l. quarta, §. aduersus.

In stipulatione planè doli clausula non erit detrahenda: quia ex doli clausula, non de dolo actio intenditur, sed ex stipulatu, d.l. quarta, §. in stipulatione.

In hac exceptione, & de dolo filii, vel alterius personæ iuri nostro subiectæ excipere possumus: & de eorum dolo, quibus adquiritur, sed & de filiorum dolo si quidem ex peculiari eorum negocio actio intendatur infinitum exceptio obiicienda est. si autem non ex peculiari causa, tunc de eo duntaxat excipi oportet, qui admissus sit in ipso negocio, quod geritur, non etiam si postea aliquis dolus interuenisset, d.l. quarta, §. in hac exceptione.

Quæsitum est, an de procuratoribus dolo, qui ad agendum tm̃ datus est excipi possit. & rectè defenditur. si quidem in rem suam procurator datus sit, etiam

de præterito eius dolo, hoc est si ante acceptum iudicium dolo, quid fecerit esse excipiendum. si vero non in rem suam: dolum præsentem, in exceptionem conferendum, si autem is procurator sit, cui omnium rerum administratio concessa est: tunc de omni dolo eius excipi posse Neratius scribit, d.l. quarta, §. quæsitum est.

Mandaui Titio, vt à te stipularetur, deinde Titio Seio, & stipulatus à te Seius est, & iudicium edidit, ait Labeo, excipiendum esse, tàm de meo, quàm & Seii dolo, d.l. quarta, §. mandaui.

Item quæritur si debitor meus te circumuenerit, teq; mihi reum dederit, egoque absente stipulatus fuero, deinde petam, an doli mali exceptio mihi obstet? & magis est, vt non tibi permittatur de dolo debitoris mei aduersus me excipere, cum non ego te circumuenerim: aduersus ipsum autem debitorem meum poteris experiri. sed, & si mulier post admissum dolum debitorem suum marito in dotem delegauerit: idem probandum erit, de dolo mulieris non esse permittendum excipere ne indotata fiat, d.l. quarta, §. item quæritur.

Apud Iulianum quæsitum est, si hæres soceri à quo dos peteretur, exciperet de dolo mariti, & mulieris, cui pecunia quæreretur: an ob statura esset exceptio ex persona mulieris? & ait Iulianus si maritus ex promissione dotis ab hærede soceri petat, & hæres excipiat de filiæ dolo, cui ea pecunia adquireretur exceptionem obstare. dos enim quam maritus ab hærede soceri petit, intelligitur, (inquit) filiæ adquiri cum per hoc dotem sit habitura, non explicat Iulianus; an de dolo malo excipi possit, sed putatur eum hoc sentire, ut etiam de dolo mariti exceptio noceat, licet uideatur nulla dos filiæ (ut ait) adquiri, d.l. quarta, §. apud Iulianum.

Illa etiam quæstio ventilata est, apud plerosq;, an de dolo tutoris exceptio pupillo experienti nocere debeat? & est utilius, & si per eas personas pupillo fauetur, tamen dicendum esse, siue quis emerit à tutore rem pupilli, siue contractum sit cum eo in rem pupilli, si dolo, quid tutor fecerit, & ex eo pupillus locupletior est factus, pupillo nocere debere, nec illud distinguendum est cautum sit ei, an non: soluendo sit, an non tutor, dummodo rem administret. unde enim diuinat is, qui cum tutore contrahit: planè si mihi proponas collusisse aliquem cũ tutore factum suum ei nocebit, d.l. quarta, §. illa etiam.

Si quis non tutor, sed pro tutore negocia gerat: dolus ipsius pupillo, non nocebit. nam & si is, qui pro tutore negocia gerat, rem vendiderit, & usucapta sit: exceptio non nocet pupillo rem suam persequenti, etiam si ei cautum sit: quia huic rerum pupilli, administratio concessa non fuerit. secundum hoc magis de dolo tutoris exceptio pupillo est obiicienda, d.l. quarta, §. si quis non tutor.

Quæ in tutore diximus, eadem in curatore, quoque furiosi dicenda erunt, sed & in prodigi, vel minoris, vigintiquinque annis, de dolo autem ipsius minoris vigintiquinque annis exceptio, vtique locum habebit. Nam & de pupilli dolo interdum excipiendum esse, nequaquam ambigendum est, ex ea scilicet ætate, quæ dolo non careat. Denique Iulianus quoque sæpissime scribit, doli pupillos, qui propè pubertatem sunt, capaces esse. Quid enim, si debitor ex delegatione pupilli pecuniam creditori eius soluatur, fingendus est (inquit) pubes esse? ne propter malitiæ ignorantiam bis eandem pecuniam consequatur, idem seruandum in furioso ait. si cum existimaretur compos mentis esse iusserit debitorem creditori soluere: vel si, quod exigit domi habeat. d. l. quarta. §. quæ tutore.

De au-

De autoris dolo exceptio emptori non obiicietur: si autem auctoris accesione vtitur, æquissimum visum est, eum qui ex persona auctoris vtitur accessione, pati dolum auctoris, & per hoc æquem traditur, rei quidem cohærentem exceptionem etiam emptoris nocere: eam autem quæ ex delicto personæ oriatur nocere non oportere. d. l. quæsita. §. De auctoris.

Si cum legitima hæreditas Caii Seii, ad te pertineret, & ego essem hæres institutus, persuaseris mihi per dolum malum, ne adeam hæreditatem, & posteaque ego repudiauerim hæreditatem, tu ea Sempronio cesseris pretio accepto, isq; à me petat hæreditatem, exceptionem doli mali eius, qui ei cessit, non potest pati. d. l. quarta. §. si cum.

Si quis autem ex causa legati vindicet: autem is, cui ex causa donationis res præstita est, vindicet: an de dolo exceptionem patiatur ex causa eius, in cuius locū successerit? & magis est exceptione eos esse repellendos, cum lucratiuam causam sint nacti, aliud enim est emere, aliud ex his causis succedere. d. l. quarta. §. si quis autem.

Idem tractat Pomponius, & in eum qui pignori acceperit, si seruiana vel hypothecaria actione experiatur, nam & hunc putat Pomponius sommouendum: quia res ad eum, qui dolo fecerit reuersura est. d. l. quarta. §. idem tractat.

Auctoris autem dolus (sicuti diximus) emptori non obiicitur, sed hoc in emptore solo seruabimus, item in eo, qui permutauerit vel insolutum acceperit: item in similibus, qui vicem emptorum obtinent, proinde ex quacunque alia causa, quæ prope lucratiuam habet adquisitionem, quæsisse quis videatur patietur exceptionem doli ex persona eius, in cuius locum succesit, sufficit enim si is, qui precium dederit, vel vicem precii (cum sit bonæ fidei emptor) vt non patiatur doli exceptionem, ex persona auctoris vtique si ipse dolo caret, cæterum si ipse dolo non caret præuenietur ad doli exceptionem. d. l. quarta. §. auctoris.

Si à Titio fundum emeris, qui sempronii erat, isque tibi traditus fuerit precio soluto: Deinde Titius sempronio hæres extiterit, & eundem fundum Mæuio vē diderit & tradiderit: Iulianus ait, æquum esse prætorem te tueri: quia & si ipse Titius fundum à te peteret, exceptione in factum comparata vel doli mali submoueretur, & si ipse eum possideret; & publiciana peteres aduersus excipientem, SI NON SVVS ESSET, replicatione vtereris, ac per hoc intelligeret cum fundū rursus vendidisse, quem in bonis non hr̄et. d. l. quarta. §. si à Titio.

Metus causa, exceptionem Cassius non proposuerat, Contentus doli exceptione, quæ est generalis, sed vtilius visum est, etiam de metu opponere exceptionem, etenim distat aliquid à doli exceptione, quod exceptio doli personam cō plectitur eius, qui dolo fecit, enimuero metus causa exceptio in rem scripta est. SI IN EA RE NIHIL METVS CAVSA FACTVM EST, vt non inspiciamus, an is, qui agit, metus causa fecerit aliquid. Sed an omnino metus causa factum sit in hac re à quocunque, non tantum ab eo, qui agit, Et quamuis de dolo auctoris exceptio doli non obiiciatur: veruntamen hoc iure vtimur, vt de metu non tantum ab auctore, verum à quocunque adhibito, exceptio obiici possit. ff. eod. l. quarta. §. metus.

Illud sciendum est hanc exceptionem de metu eum obiicere debere, qui metum non à parente passus est, in cuius potestate fuerit. Cæterum parenti licere deteriorem conditionem liberorum ī rebus peculiaribus facere, sed si se abstinuerit de hæreditate fraterna, succurrendum ei erit, ut alioquin succurritur, d. l. quarta. §. finali.

Pure mihi decem debes, ea tibi sub conditione legaui interim hæres, si petat; doli exceptione non est submouendus, cum posit etiam deficere conditio, itaque legatorum stipulationem interponere debebit. Sed si non caueat hæres: doli exceptione submouebitur, expedit.n.legatario retinere summam, quam mitti in possesionem rerum hæreditarum.ff.eod.l.quinta in prin.

Si cui legata sit uia & is lege falcidia locum habente, totam eam uindicet, non oblata æstimatione quartæ partis, submoueri eum doli exceptione Marcellus ait, quoniam suo commodo hæres consuluit. d.l.quinta.§.si cui.

Si donaui alicui rem, nec tradidero: & ille, cui donaui, non tradita possesione in eo loco ædificauerit me sciente: & cum ædificauerit, natus sum ego eam possesionem, & petit à me rem donatam, & ego excipiam, quod supra legitimum modum facta est: de dolo replicandum est, dolo enim feci, quia passus sum eum ædificare, & non reddo impensas. d.l.quinta.§.si donaui.

Si eum, qui uolebat, mihi donare supra legitimum modum delegauero creditori meo: non poterit aduersus petentem uti exceptione, quoniam creditor suum repetit: in eadem causa est maritus nec hic enim debet exceptione subueniri qui suo nomine agit, nunquid ergo nec dolo mulieris excipiendum sit aduersus maritum, qui dotem petit: non ducturus uxorem nisi dotem accepisset itaque condictione tenetur debitor qui delegauit, uel mulier: ut uel liberet debitorem, uel si soluit, ut pecunia ei reddatur. d.l.quinta.§.si eum qui.

Si opera creditoris acciderit, ut debitor pecuniam, quam soluturus erat, perderet exceptione doli mali creditor remouebitur idem est, & si creditori eius numeratam pecuniam ratam creditor non habeat.ff.eod.l.sexta.

Iulianus ait, si pecuniam, quam me tibi debere existimabam iussu tuo spoponderim ei, cui donare uolebas, exceptione doli mali potero me tueri, & præterea condictio mihi aduersus stipulatorem competit, ut me liberet. ff.eod.l.septima in princ.

Idem Iulianus ait si ei quem creditorem putabas iussu tuo pecuniam, quam me tibi debere æstimabam promisero: petentem doli mali exceptione submoueri debere & amplius agendo cum stipulatore consequar, vt mihi acceptam faciat stipulationem, & habet hæc sententia Iuliani humanitatem: ut etiam aduersus hunc uxor exceptione, & condictione, cui sum obligatus. d.l.septima.§.idem Iulianus.

Dolo facit, qui petit, quod redditurus est. Sic si hæres damnatus sit non petere à debitore: potest vti exceptione doli mali debitor & agere ex testamento. ff. eod.l.octaua.

Si procurator rei pecuniaria accepta damnari se passus sit, & cum domino iudicati agatur, tuebitur se doli mali exceptione, nec non, quod accepit procurator auferri ab eo potest nam turpiter accepta pecunia iustius pœnes eum est, qui deceptus est, quam qui decepit.ff.eod.l.si procurator.ix.

Procurator agit de dolo eius excipi non debet, quia aliena lis est, isque rei extraneus, neque alienus dolus nocere alteri debet. Si post litem contestatam dolo quid fecerit, an exceptio eo nomine in iudicium obiicienda sit, dubitari potest. quia litis contestatione res procuratoris fit, eamque suo iam quodammodo nomine exsequitur, & placet de procuratoris dolo excipiendum esse, idem de tutore, qui pupilli nomine agit, dicendum est.ff.eod.l.procurator.xi. in princip.

Cum uir, aut uxor in area sibi donata aliquid ædificasset, plerisque placet doli

mali

mali exceptione posita rem seruari posite. ff. eod. l. cum uir. x.

Paulus respondit eum, qui in alieno solo ædificium extruserit, non aliàs sumptus consequi posse, quàm si possideat, & ab eo dominum, soli rem uindicet, scilicet opposita doli mali exceptione. ff. eod. l. Paulus. 14.

Fideiussor euictionis nomine condemnatus, id prædium quod euictum est, & omnia præstare paratus est, quæ iure empti continentur quæsitum est, an agentem emptorem ex causa iudicati exceptione doli mali submouere potest? responsum est exceptionem quidem opponi posse iudicem autem æstimaturum, ut pro damnis emptoris satisfaciat. ff. eod. l. fideiussor. 15.

Si debitor à furioso delegatus conditori eius soluat, quem compotem mentis esse existimabat, & ita cum eo agatur: exceptione doli in id, quod in rem furiosi processit, defenditur. ff. eod. l. si debitor. xvi.

Pater pro filia dotem promiserat, & pactos erat, vt ipse aleret filiam suam, eiusque omnes idem homo rusticanus genere scripsit, quasi interesse præteritum ex dotis promissione quæsitum est, cum ipse filiam suam exhibuerit, & maritus nullam impensam fecerit: an ex chirographo, ex stipulata agenti genere exceptio obstare debeat? respondit Scæuola si (vt proponitur) pater cum exhiberet per errorem promisisset, locum fore doli mali exceptioni. ff. eod. l. finali. in ptin.

Auus nepotibus ex filia legauit singulis cētena & adiecit hæc verba IGNOSCITE. NAM POTVERAM VOBIS AMPLIVS RELINQVERE NISI ME FRONTO PATER VESTER MALE ACCEPISSET CVI DEDERAM MVTVAM QVINDECIM, QVAE AB EO RECIPERE NON POTVI. POSTREMO QVI MIHI FERE OMNEM SVBSTANTIAM ABSTVLERVNT, quæsitum est an si aui hæres ab his temporibus patris sui hæredibus petat quindecim: contra voluntatem defuncti facere videatur, & doli mali, exceptione submoueatur? respondit Scæuola eceptionem obstaturam. d. l. final. §. auus.

Ex quadrante hæres scriptus à cohærede ex dodrāte instituto emit portionē certę quantitate, ex qua aliquam summam in nominibus ex Kalendario vti daret, stipulanti spopondit defuncto venditore hæreditatis, testamentum falsum septitius accusare cœpit, & hæreditatem ab emptore petiit, & ne quid ex ea minueret, impetrauit quæsitum est cognitione falsi pendente, an hæredes ex stipulatu petentes doli exceptione submoueantur? Respondit Scæuola hæredes venditoris, si ante euentum cognitionis pergant petere, exceptione doli mali posse submoueri. d. l. finali. §. ex quadrante.

Marito, & filio communi ex parte dimidia scriptis hæredibus, filiā suam ex priore matrimonio ita hæredem instituit. ME VIA FILIA EX SEX VNCIIS MIHI HAERES ESTO, SI CVM COHAEREDIBVS TVIS PAREM RATIONEM FECERIS PRO MEA PORTIONE IN DIEM MORTIS MEAE EIVS ACTVS, QVI PENDET EX TVTELA TVA, QVAM TITIVS PATER MEVS AVVS TVVS ADMINISTRAVERIT, quæsitum est, an quia sub conditione instituta filia esset: si omitteret hæreditatem, vti saluam tutelæ actionem haberet: legata sibi à matre data consequi possit? respondit Scæuola eam, de qua quæreretur, contra voluntatem petere, & ideo exceptionem doli obstaturam. d. l. finali. §. finali.

Non sicut de dolo actio certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est, nam hæc perpetuo competit, cum actor quidem in sua potestate habeat, quando vtatur suo iure is autem, cum quo agitur, non habeat pote-

statem

ſtatem, quando conueniatur vt.ff.eod.l.quinta.§.finali.

In vniuerſum autem hæc in ea regula ſequenda eſt, vt dolus omnino puniatur, & ſi non alicui, ſed ipſi qui eum admiſit, damnoſus futurus erit.ff.eod.l.procurator.11.§.finali.

Qui æquitate defenſionis infringere actionem poteſt, doli exceptione tutus eſt. ff.eod.l.qui æquitate.12.

Liberis exhæredatis, qui nihil ex patris iudicio meruerunt, rupto teſtamento iuſſum conſeruandum eſt, nec opponetur doli mali exceptio quod non ſolum in perſona eorum, ſed in hæredibus, & in perſona quoque liberorum eorum obtinendum eſt.ff.eod.l.liberis.13.

Ex inſtitutionibus titulo de actionibus ita habetur.

Si quis quaſi credendi cauſa pecuniam à te ſtipulatus fuerit, neque numerauerit Palam eſt iure ciuili te obligatum eſſe nam eam pecuniam à te petere poſſe eum certum eſt, dare.n.te oportet, cum ex ſtipulatione tenearis. Sed quia iniquum eſt, eo nomine te condemnari, placet exceptione pecuniæ non numeratæ defendi debere, cuius tempora ſecundum quod ſuperioribus libris ſcriptũ eſt, coarctata ſunt inſt.de except.§.idem iuris eſt.

DE NON NVMERATA PECVNIA EXCEPTIONE. Titulus III.

SI pecuniam tibi non eſſe numeratam, atque ideo fruſtra cautionem emiſſam adſeris, & pignus datum probaturus es: in rem experiri potes. nam intentio dati pignoris, neque numeratæ pecuniæ non aliter tenebit, quam ſi de fide debiti conſtiterit, eademque ratione veritas ſeruetur, ſi te poſsidente pignus aduerſarius tuus agere cœperit. C.de non numerata pecunia.l.prima.

Minorem pecuniam te accepiſſe, & maiorem cautionem interpoſuiſſe, ſi apud eum, qui ſuper ea re cogniturus eſt, conſtiterit: nihil vltra quam accepiſti, cum intereſſe in ſtipulatum deducto reſtituere te iubebit. C.eod.l.ſecunda.

Si ex cautione tua, licet hypotheca data, conueniri cœperis: exceptione oppoſita ſeu doli, ſeu non numeratæ pecuniæ compellitur petitor probare pecuniam tibi eſſe numeratam, quo non impleto, abſolutio ſequetur. C.eod.l.tertia.

Cum fidem cautionis agnoſcens, etiam ſolutionem portionis debiti, vel intereſſe feceris: intelligis de non numerata pecunia nimium tardè querelam te deferre. C.eod.l.quarta.

Aduerſus petitores aduerſarii, ſi quid iuris habes, vti eo potes. ignorare autem non debes, non numeratæ pecuniæ exceptionem ibi locum habere, vbi quaſi credita pecunia petitur, cum autem ex præcedente cauſa debiti in chyrographum quantitas redigitur, non requiritur, an tunc cum cauebatur, numerata ſit: ſed an iuſta cauſa debiti præceſſerit. C.eod.l.quinta.

Fruſtra opinaris, exceptione non numeratæ pecuniæ te eſſe munitum, quando (vt fateris) in eius vicem, qui erat obligatus, ſuſtitueris te debitorem. C. eod. l.ſexta.

Si quaſi accepturi mutuam pecuniam aduerſario cauiſtis, quæ numerata non eſt, per condictionem obligationem repetere, & ſi actorum petat: vel exceptione non numeratæ pecuniæ aduerſus agentem vti poteſtis. C.eod.l.ſeptima.

Si intra legibus definitum tempus, qui cautionem expoſuit, nulla quærimonia

vſus

vsus defunctus est: residuum tempus eius heres habebit, tam aduersus creditorem quam aduersus eius hæredem sin autem quæstus est, exceptio non numeratæ pecuniæ hæredi, & aduersus hæredem eius perpetuo competit, sin vero legitimum tempus excesit, in quærimoniam creditore minime deducto omnimodo hæres eius, etiam si pupillos sit, debitum soluere compellitur. C. eod. l. si intra legibus. 8.

Cum vltra hoc, quod accepit, re obligari neminem posse constet: & si stipulatione interposita placita, creditor non dederit, in fructum esse dandam exceptionem conuenit, si nec dum tempus, infra quod huius rei querela deferri debet, transiit, vel si intra hoc intestando iuri paritum sit, nihil vltra hoc, quod accepisti, sortis à te nomine rector prouinciæ exigi patietur. C. eod. l. cum vltra. 9.

Adseueratio debitum solutum contendentis, temporis diuturnitate non excluditur, nec huic ob loquitur quod exceptio non numeratæ pecuniæ, certa die non delata querela prius euanescat: cum inter eum, qui factum ad seueras onus subiit probationis, & negantem numerationem cuius naturali ratione probatio nulla est, & ob hoc ad petitorem eius rei necesitatem transferentem magna sit differentia. C. eod. l. adseueratio. x.

Si transactionis causa dare Palladio pecuniam stipulanti spopondisti, exceptione non numeratæ pecuniæ defendi non potes. C. eod. l. si transactionis. xi.

Tam mandatori, quam fideiussori non numeratæ pecuniæ exceptio, exemplo rei principalis competit. C. eod. l. tam mandatori, 12.

Generaliter sancitum est, vt si quid scripturis cautum fuerit, pro quibuscunque pecuniis ex antecedente causa descendentibus, eamque causam specialiter promissor edixerit, non iam ei licentia sit causæ probatione stipulatorem exigere cum suis confesionibus adquiescere debeat: nisi certè ipse è contraria per apertisima rerum argumenta scriptis inserta religionem iudicis posit instruere, quod in alium quemquam modum, & non in eum, quem cautio perhibeat, negocium subsecutum sit nimis. n. indignum esse iudicatum est, vt quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. C. eod. l. Generaliter. 13.

In contractibus, in quibus pecuniæ, vel aliæ res numeratæ, vel datæ esse conscribuntur. non intra quinquennium, quod antea constitutum erat, non numeratæ pecuniæ exceptionem obiicere potest, hui accepisse pecunias, vel alias res scriptus sit, vel successor eius: sed intra solum biennium continuum, vt eo lapso, nullo modo querela non numeratæ pecuniæ introduci posit his scilicet, qui propter aliquas causas specialiter legibus expressas, etiam lapso quinquénio in præteritis temporibus adiuuabantur, etiam in posterum, licet bienniũ pro quinquennio statutum est, eodem auxilio potituris. C. eod. l. in contractibus. 14. in prin.

Sed quoniam securitatibus, & instrumentis depositarum rerum, vel pecuniarum talem exceptionem opponere litigatores conantur: iustum est huiusmodi potestatem in certis quidem casibus prorsus amputare, in aliis vero breui tempore concludere. ideoque sancitum est instrumento quidem depositionis certarum rerum, vel certæ pecuniæ, securitatibusque publicarum functionum (siue insolidum, siue pro parte solutæ esse conscribantur,) illis etiam securitatibus, quæ post confectionem dotalium instrumentorum desoluta dote, ex parte vel in solidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi. d. l. in contractibus. §. sed quoniam.

Super

Super cæteris vero securitatibus, quæ super priuatis debitis à creditore conscribuntur, partem debiti sortis, vel interesse nomine solutum esse significantes, vel adhuc cautione apud creditorem manente, solidi tamen debiti solutionẽ factam esse demonstrantes, vel etiam futuram esse redhibitionem instrumenti promittentes vel (si qua alterius cuiuscunque contractus gratia, in quo numeratio pecuniarum, vel datio certarum specierum scripta est securitas similiter data sit) depensas esse pecunias, vel alias res, uel partem earum significantes: intra triginta tantummodo dies post huiusmodi securitatis ex positionem cõnumerandos exceptionem non numeratæ pecuniæ posse obiici, vt si hi transacti fuerint, eadem securitas à iudicantibus omnibus modis admittatur: nec ei liceat, qui securitatem exposuit, post excessum memoratorum triginta dierum non esse sibi solutas pecunias, uel alias res dicere. d. l. in contractibus. §. super cæteris.

Illud uidelicet semper obseruando, ut in quibus non permittitur exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere, uel ab initio, uel post taxatum tempus elapsum: in his nec iusiurandum offerre liceat. In omni. n. tempore, quod memorate exceptioni taxatum est, ei licebit, cui tales exceptio competit, uel denunciationibus scripto missis quærelam non numeratæ pecuniæ manifestare ei, qui numerasse eam, uel alias res dedisse instrumento scriptus est, uel si abesse eum his locis in quibus contractus factus est contigerit: in alma urbe apud quemlibet ordinarium iudicem, in prouinciis uero apud uiros clarissimos rectores earum, uel defensores locorum eandem querelam manifestare, eoque modo perpetuam sibi exceptionem efficere. Sed si presens quidem sit, qui pecunias numerasse, uel alias res dedisse scriptus est, aliquam uero administrationem in alma urbe, uel in prouinciis gerat, ut difficile esse uideatur denunciationem ei mittere licentia datur ei, qui memorata exceptione uti uelit, alios iudices adire, uel in alma Vrbe, uel in prouinciis, uel per eos ei *manifestare*, cui exceptionem huiusmodi obiicit factam à se super non numerata pecunia querelam esse. Quod si in prouinciis, uel non sit alius administrator ciuilis uel militaris, uel per aliquam causam difficile sit ei, qui memoratam querelam opponit adire eum, & ea, quæ dicta sunt facere: licentia ei datur per virum Reuerendissimum Episcopum eandem suam exceptionem creditori manifestare & ita tempus statutum interrumpere. Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere, certum est. d. l. in contractibus. §. ille videlicet.

Si cui non numeratæ pecuniæ competere posit exceptio etiam eo supersedentẽ tali auxilio vti vel præsente, vel absente creditores eius (siue ipsi conueniantur: vt pote res eius detinentes ab iis, qui debita eius exigunt, cui competit huiusmodi exceptio vel dotis, vel alterius causæ nomine: siue contra alios possidentes aliquam actionem ipsi moueant) posint in examinandis negociis suis aduersariis eandem non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere nec eo prohibeantur, quod principalis debitor ea nunquam vsus sit. ita tamen ut neque principali debitori, neque fideiussori eius aliquod præiudicium Generetur. si is, qui eam exceptionem exposuerit, victus fuerit: sed posint illi postea, si conueniantur intra statuta scilicet tempora, ea se exceptione tueri. C. de non nume. pecu. l. penel.

Indubitati iuris est, non numeratæ pecuniæ exceptionem locum habere, & in talibus nominibus, uel aliis cautionibus, quæ etiam sacramenti habent mentionem. quæ enim differentia est in huiusmodi exceptione, siue ius-

iurandum

iurandum positum est, siue non etiam in fœneraticiis, quam in aliis instrumentis, quæ talem exceptionem recipiunt. C. eod. l. finali.

Si quis proferat alicuius syngrapham, quam qui scripsit, inficietur, comprobat, sancitum est, vt condemnatio in vtroque casu aduersus ipsum procedat in duplum, non quod acerbis delectemur legibus, sed vt lites ea re, ad minorem numerum redigamus, & metu pœnæ cicius aiant, quod confiteri conueniens est. prorsus igitur in talibus condemnationem hoc modo procedere volumus. & si iudex hæc contra quid faciat, mouerit, quod si legem transgrediatur, ipse iis tenebitur pœnis, quæ lege comprehensæ sunt. Hęc autem dicimus, si non actor, probationibus ab renuncians, rei sacramento inficiationem purgari uelit. Nam si tale quid egerit, siquidem statim initio post inficiationem iusiurandum deferat, & ille statim confiteatur, quod prius inficiatus erat, impune erit, quantum ad duplum. si vero in longum protracta lite, denuo actor iusiurandum deferat, & ille tandem id cuius causa deferebatur confessus fuerit, quamuis dupli is pœna eximatur, omnes tamen expensas, quas ad illum usque diem in proferendis probationibus iurando in litem actor se fecisse enumerauerit, iubetur exsoluere, qui cum initio inficiatus sit, postea confiteatur. Nouel. const. de trient. ex semis. xviii. § studium,

Præterea si quis cum negasset pecuniam sibi numeratam esse. post deinde in defensionem sui vtatur solutionibus à se factis, ne illi aliquam re uera soluta vtilitatem adferant, sancitum est, vt integra ab eo sors denuo exigatur, eamque solam inficiationis pœnam sustineat, id quod etiam ab aliis decessoribus constitutum est, nullo iudice, ne in hoc quidem casu aliquid à recto declinante, sed per omnia exquisitam legis voluntatem perficiente. Sed & si reus protulerit literas actoris, deinde actor eas inficietur, ille comprobet non solum illud reputetur, cuius causa inficias iuit, sed etiam alterum tantum insuper soluat. consimiliter autem, & in hoc casu dandi ab actore iusiurandi ratio introducatur. si vero causa agitetur per curatores, ut puta ad eos pertinens personas, quæ curatoribus indigent, eiusmodi inficiationum pœnæ, cum de propriis curatorum literis institutæ fuerint non contra eos, qui sub illorum cura sunt, sed contra ipsos, qui tam inhoneste tamque indecenter inficiationem facere non dubitarunt, inferantur. Si quod uero aliud in condemnatione augmentum, vel dupli, uel tripli, vel quadrupli ab antiquis legibus, vel imperialibus introductum est constitutionibus, maneat, & illud quidem in propria forma, quemadmodum id in institutionibus simul & digestis, neque non constitutionum Codice sancitum est, quod uero in præsentia decretum fuit hoc additamenti loco sit prioribus. d. Nouel. const. xviii. §. Præterea.

Si quis enim rerum alterius detentator in rem actione conuentus neget res eius esse, de quo actor dicat is vero qui actionem instituit, vt ostendat res illius esse cogatur uel instrumentis, uel testibus, uel aliis uti laboribus, post deinde qui usque ad id temporis semper res illius non fuisse iurat inficias, uti aliquo exinde iure, dicatque ratione hypothecarum aliarumve causarum, quæ originem suam ad illius personam referrent, potiorem se esse eo, qui litem moueat, oẽs quidem aliæ sententiæ, quæ maioribus nostris placuerunt, vacent, inficiãbus autẽ mediocris querelã & humana, neq; ab ipsius rei scopo aberrans pœna inferatur. Pro eo. n. quod inficias ierit, proq; actoris laboribus, ẽt dũ lis apud

iudicem agitur, rerum, quibus de quæstio mota est possesio ad auctorem transferatur licentiam habente, eo qui hanc restituit, ut si quæ ex illa persona pro qua prius inficiatus fuerat, iura ad se pœnitentia habeat, ea proponat, ex legis, ac iuris beneficium obtineat, pœna in sola translatione possessionis consistente. d. Nouel. 18. §. Enimuero.

DE EXCEPTIONE PACTI DE NON PETENDO.

Titulus. IIII.

Debitor, si pactus fuerit cum creditore ne à se pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet, quia pacto conuento obligationes non omnimodo dissoluuntur, qua de causa efficax est aduersus eum actio, quam actor intendit, si apparet eum dare oportere. sed quia iniquum est contra pactionem eum condemnari, defenditur per exceptionem pacti conuenti. Institutio. de exceptio. §. Præterea.

Aduersus fructum tuum quodam tutorem legitimum tutelæ iudicio, si expertus non es: proposita actione consiste. nec timueris exceptionem pacti, si in ea fraudem, dolumque admissum probare potes, nam replicatio doli opposita bonæ fidei iudicium facit, & commentum fraudis repellit. C. de excep. l. tertia.

Si pactum intercesit in exceptione: sine temporis præfinitione de dolo replicare potes. C. eod. l. sexta.

Si ex maiore debiti quantitate minor tibi soluta est, nec liberationem debitori tuo præstitisti: petere, quod non probatur redditum, contra exceptionem placiti replicatione tuam adiuuans intentionem, minime prohiberis. C. eod. l. septima.

Quædam, actiones per pactum ipso iure tolluntur, vt iniuriarum, De pignore iure honorario nascitur ex pacto actio: tollitur autem per exceptionem, quoties paciscar, ne petam. ff. de pactis. l. si tibi. xvii. §. quædam, actiones per.

Naturalis obligatio, ut pecuniæ numeratione, ita iusto pacto, uel iureiurando ipso iure tollitur, quia uinculum æquitatis: quo solo sustinebatur, conuentionis æquitate dissoluitur. ideoque fideiussor, quem pupillus dedit, ex istis causis liberari dicitur. ff. de solutionibus. l. Stichum. xcv. §. naturalis.

QVARVM RERVM ACTIO NON DETVR: EI EXCEPTIONE IVRISIVRANDI.

Titulus. V.

SI debitor creditore deferente iurauerit nihil se dare oportere, adhuc obligatus permanet, sed quia iniquum est de periurio quare, defenditur per

pèr exceptionem iusiurandi ; in is quoque actionibus, quibus in rem agitur æquè necessariæ sunt exceptiones ; veluti si petitore deferente possessor iurauerit eam rem suam esse, & nihilominus petitor eandem rem vindicet licet. enim verum sit, quod intendit, idest rem eius esse, iniquum tamen est, possessorem condemnari. Institutio. de exceptio. §. æquè si debitor.

Iusiurandum uicem rei iudicatæ obtinet, non immeritò: cum ipse quis iudicem aduersarium suum de causa sua fecerit, deferendo ei iusiurandum. ff. quarum rerum actio non detur. l. prima in prin.

Si pupillus sine tutoris authoritate detulerit iusiurandum, dicemus non obstare exceptionem istam, nisi tutore authore in iudicio delatio facta sit si petitor fundi insiurandum detulerit aduersatio, si auctor eius iurasset suum fundum se tradidisse, ab ea controuersia discessurum se: exceptio possessori fundi dabitur. d. l. prima, §. si pupillus.

Si fideiussor iurauit, si quidem de persona sua tantum iurauit, quasi non esset ipse obligatus, nihil reo proderit, si uero in rem iurauerit: dabitur exceptio reo quoque. d. l. prima, §. si fideiussor.

Si filiofam. delatum sit iusiurandum, & iurauerit patrem suum dare non oportere, danda est patri exceptio. ff. eod. l. fin. in prin.

Filiusfamilias exceptionem iusiurandi patri quærit, si eum dare non oportere iurauerit. ff. de excep. l. fin.

Si in alea rem uendam, ut ludam, & euictare conueniar, exceptione submouebitur emptor. ff. quorum rerum actionum detur. l. fin. §. si in alea.

DE EXCEPTIONE REI IVDICATAE. Titulus. VI.

SI in iudicio tecum actum fuerit, siue in rem, siue in personam, nihilominus obligatio durat: & ideo ipso iure de eadem re postea aduersus te agi potest, sed debes per exceptionem rei iudicatæ adiuuari. Institu. de exceptionibus, §. item si in iudicio.

Iulianus respondit, exceptionem rei iudicatæ obstare, quotiens eadem quæstio inter easdem personas reuocatur. & ideo, & si singulis rebus petitis hæreditatem petat, vel contra: exceptione submouebitur. ff. de excep. rei iudi. l. tertia.

Rei iudicatæ exceptio tacitè continere videtur omnes personas, quæ rem in iudicium deducere solent. ff. eod. l. quarta.

De eadem re agere uidetur, & qui non eadem actione agit, qua ab initio agebat: sed etiam si alia experiatur de eadem re tamen, ut puta, si quis mandati acturus, cum aduersarius ei in iudicio sistendi causa promisisset propter eandem rem agat negociorum gestorum uel condicat, de eadem re agit, rectèque ita definietur, eum demum de re non agere, qui prorsus rem ipsam non persequitur. Cæterum cum quis actione, mutata experiatur: dummodo de eadem re experiatur (& si diuerso Genere actionis

quam instituit) uidetur de eadem re agere.ff.eod.l.quinta.

Singulis controuersiis singulas actiones, & unum iudicati finem sufficere, probabili ratione placuit: ne aliter modus litium multiplicatus, summam atque inexplicabilem: faciat difficultatem: maximè si diuersa pronunciarentur. parere ergo exceptionem rei iudicatæ frequens est. ff. eodem. l. sexta.

Si quis cum totum petisset, partem petat: exceptio rei iudicatæ nocet, nam pars, in toto est eadem.n. res accipitur, & si pars petatur eius, quod totum petitum est, nec interest, vtrum in corpore hoc quæratur, an in quantitate, vel in iure. perinde si quis fundum petierit, deinde partem petat, vel pro diuiso, vel pro indiuiso: dicendum erit, exceptionem obstare proinde & si proponas mihi certum locum me petere ex eo fundo, quem petii: obstabit exceptio idem erit probandum, & si duo corpora fuerunt petita, mox alterutrum corpus petatur, nam nocebit exceptio. Item si quis fundum petierit mox arbores excisas ex eo fundo petat: aut in solam petierit, deinde aream, vel tigna, vel lapides petat. Item si nauem petiero postea singulas tabulas uindicem. ff. eodem. l. septima in principio.

Si æquam prægnantem petiero, & post litem contestatam conceperit, & peperit, mox partum eius petam. vtrum idem petere videor, an aliud, magnæ quæstionis est. & quidem ita definiri potest: toties eandem rem agi, quoties apud iudicem posteriorem id quæritur, quod apud priorem quæsitum est in his igitur ferè omnibus exceptio nocet sed in cæmentis, & tignis diuersum est nam is, qui insulam petit, si cæmenta, vel tigna, vel quid aliud suum petat: in ea conditione est, vt uideatur aliud petere. Etenim cuius insula est, non vtique & cæmenta sunt, denique ea, quæ iuncta sunt ædibus alienis, separata dominus vindicare potest. d.l. septima. §. si ancillam.

De fructibus eadem quæstio est, & de fœtu hæc. n. nondum erant in rebus humanis: sed ex ea re sunt, quæ petita est, magisque est, vt ista exceptio petitori non noceat. Planè si in restitutionem vel fructus, vel etiam fœtus venerunt, æstimatique sunt: consequens erit dicere exceptionem obiiciendam. Et Generaliter (vt Iulianus definit) exceptio rei iudicatæ obstat. quoties inter easdem personas, eadem quæstio reuocatur, vel alio Genere iudicii. & ideo si hæreditate petita singulas res petat, vel singulis rebus petitis hæreditatem petat, exceptione submouebitur. d.l. septima, §. de fructibus.

Idem erit Probandum, & si quis debitum petierit à debitore hæreditario, deinde hæreditatem petat: vel contra, si ante hæreditatem petierit, & postea debitum petat. nam & hic obstabit exceptio, nam cum hæreditatem peto, & corpora, & actiones omnes, quæ in hæreditate sunt uidentur in petitionem deduci. d.l. septima. §. fin.

Item parte fundi petita, qui familiæ erciscundæ, vel communi diuidundo agit, æquè exceptione submouebitur. ff. eod. l. item. viii.

Si à te hæreditatem petam, cum nihil possideres, deinde vbi cæperis aliquid possidere hæreditatem petam, non nocebit exceptio ista: siue fuit iudicatum hæreditatem meam esse, siue aduersarius (quia nihil possidebat) absolutus est. ff. eod. l. si à te. ix. in prin.

Si quis fundum quem putabat se possidere defenderit, mox emerit: re secundum petitorem iudicata, an restituere cogatur? & ait Neratius, si actori iterum petenti obiiciatur exceptio rei iudicatæ: replicare eum oportere

dere

de re secundum se iudicata.d.l.si à te.§.si quis fundum.

Iulianus scribit, exceptionem rei iudicatæ à persona auctoris ad emptorem transire solere: retro autem ad auctorem ab emptore reuerti non debere. Quare si hæreditariam rem uendideris, egoque eandem ab emptore petiero,& uicero petenti tibi non opponam exceptionem. AT SI EA RES IVDICATA NON SIT INTER ME, ET EVM, CVI VENDIDISTI. Item si uictus fuero, tu aduersus me exceptionem non habebis,d.l.si à te.§.fin.cum l.seq.

Si Mater filii impuberis defuncti & senatusconsulto bona uindicauerit, idcirco, quia putabat rupto patris eius testamento neminem esse substitutum, uictaq; fuerit, quia testamentum patris ruptum non erat, postea autem apertis pupillaribus tabulis apparuit ei non esse substitutum, si peteret rursum hæreditatem obstaturam exceptionem rei iudicatæ, non dubitatur sed ex causa succurrendum erit ei, quæ unam tantum causam egit rupti testamenti.ff.eod.l.mater.xi. in princ.

Denique & Celsus scribit, si æquum petiero, quem ob eam rem meum esse existimaui, quod mihi traditus ab alio esset, scilicet, cum is ex hæreditaria causa esset meus rursus petenti mihi obstaturam exceptionem.d.l.Mater.§.Denique.

Item Iulianus scribit cum ego,& tu hęredes Titio exstitissemus, si tu partem fundi, quem totum hæreditarium dicebas à Sempronio petieris, & uictus fueris, mox eandem partem à Sempronio emero, agenti tibi mecum familiæ erciscũdæ obstabit exceptio, quia res iudicata sit inter te & venditorem meum nam & si ante eandem partem petissem & agerem familiæ erciscundæ, exceptio obstaret: QVOD RE IVDICATA SIT INTER ME ET TE. d.l. mater, §. item Iulianus.

Eandem causam facit etiam origo petitionis. Cæterum si forte petiero fundum, mox alia causa noua post petitionem mihi accesserit, quæ mihi dominium tribuat: non me repellet ista exceptio, item si forte sub conditione res mihi legata fuerit, deinde medio tempore adquisito dominio petam, mox existente conditione legati rursus petam, non obstabit exceptio alia.n.causa fuit prioris dominii, hæc noua nunc accessit itaque adquisitum quidem postea dominium aliam causam facit: mutata autem opinio petitoris non facit, ut puta opinabatur ex causa hæreditaria dominium habere, mutauit opinionem,& cœpit putare ex causa donationis.hæres non parit petitionem nouam. nam qualecunque & vndecunque dominium acquisitum habuit vindicatione prima in iudicium deduxit.d.l.mater.§.eandem.

Si quis iter petierit, deinde actum petat: fortius defendendũ, est aliud videri tunc petitum aliud nunc.atque ideo exceptionem rei iudicatæ cessare.d.l.mater.§. si quis.

Hoc iure vtimur, vt ex parte actoris in exceptione rei iudicatæ, hæ personæ contineantur, quæ rem in iudicium deducunt, inter hos erant, procurator, cui mandatum est, tutor curator furiosi, uel pupilli actor municipum ex personæ autem rei etiam defensor numerabitur: quia aduersus defensorem qui agit, litem in iudicium deducit.d.l.mater.§.hoc iure.

Si quis æquum a filiofam.petierit, deinde eundem à patre petat: locum habet hæc exceptio.d.l.matre,§.si quis.

Si egero cum uicino aquæ pluuiæ arcendæ, deinde alter nostrum prædium uendiderit,& agat emptor, uel cũ eo agatur hæc exceptio nocet, sed de eo opere, quod iam erat factum, cum iudicium acciperetur. Item si rem, quam à te petierat, Ti-

tius pignori Seio dederit, deinde Seius pignoraticia aduersus te vtatur: distinguendum erit, quando pignori dederit Titius, & si quidem antequam peteret, non oportet ei nocere exceptionem nam & ille petere debuit, & ego saluam habere debeo pignoraticiam actionem, sed si posteaquam petiit pignori dederit magis est, vt noceat exceptio rei iudicatæ. d. l. mater. §. fin.

Cum q̃ritur, an hæc exceptio noceat necne: inspiciendum est, an idem corpus sit. Quantitasque eadem, & idem ius. Et an eadem causa petendi, & eadem conditio personarum, quæ nisi omnia concurrunt: alia res est, idem corpus in hac exceptione non vtique omni pristina qualitate, vel qnantitate seruata, nulla adiectione deminutioneve facta, sed pinguius pro communi vtilitate accipitur. ff. eod. l. cum quæritur. xii. xiii. xiv. in prin.

Cum de hoc, an eadem res sit, quæritur: hæc spectanda sunt personæ id ipsum, de quo agitur, causa proxima actionis, nec iam interest, qua ratione quis eam causam actionis competere sibi existimasset perinde: ac si q̃s postea quam contra eum iudicatum esset, noua instrumenta causæ suæ reperisset. ff. eod. l. cum de hoc. 27.

Qui cum partem usus fructus haberet, totum petit: si postea partem adcrescentem petat: non submouebitur exceptione, quia vsus fructus non portioni, sed homini adcrescit. ff. eod. l. & an eadem. 14. §. qui cum partem.

Actiones in personam ab actionibus in rem hoc differunt: quod cum eadem res ab eodem mihi debeatur, singulas obligationes singulæ causæ sequantur nec vlla earum alterius petitione vitiatur. at cum in rem ego non expressa causa ex qua rem meam esse dico: omnes causæ una petitione adpræhenduntur. neque. n. amplius, quam semel res mea esse potest: sæpius autem deberi potest. d. l. & an eadem. §. penul.

Si quis interdicto egerit de possessione, postea in rem agens non repellitur per exceptionem: quoniam in interdicto possessio in actione proprietas vertitur. d. l. & an eadem. §. fi.

Si inter me & te controuersia de hæreditate sit, ex quosdam res ex eadem tu possideas, quosdam ego, nihil uetat & me à te, & inuicem te à me hæreditatem petere. Quod si post rem iudicatam à me, petere cœperis interest, utrum meam esse hæreditatem pronunciatum sit, an contra nam si meam esse, nocebit tibi rei iudicatæ exceptio: quia eo ipso, quo meam esse pronunciatum est, ex diuerso pronunciatum videtur tuam non esse, si uero meam non esse: nihil de iure tuo iudicatum intelligitur: quia poterit nec mea hæreditas esse, nec tua. Euidenter. n. iniquissimum est proficere rei iudicatæ exceptionem ei contra quem iudicatum est. ff. eod. l. si inter. xv. & l. seq.

Si is, qui hæres non erat, hæreditatem petierit, & postea hæres factus eandem hæreditatem petat: exceptione rei iudicatæ non submouebitur. ff. eod. l. si is, qui, 25. in prin.

Res inter alios iudicatas aliis non obesse: nec si is, contra quem iudicatum est, hæres extiterit ei, contra quem nihil pronunciatum est, hæreditariam ei litem inferenti præscribi ex ea sententia posse, quam proprio nomine disceptans, antequam hæres extiterit, excepit, ff. de exceptit, l. Modestinus, x.

Si rem meam à te petiero, tu autem ideo fueris absolutus, quod probaueris sine dolo malo te desiisse possidere: deinde postea cœperis possidere, & ego à te petam, non nocebit mihi exceptio rei iudicatæ, ff. de excep. rei iudi. l. si rem, xvii.

Si ad exhibendum quis egerit, deinde absolutus fuerit aduersarius, quia non pos

sidebat,

ſidebat, & dominus iterum agat nacto eo poſſeſſeſsionem: rei iudicatæ exceptio locum non habebit, quia alia res eſt, ff. eo. l. ſi ad exhibendum, xviii.

Duobus diuerſis temporibus eandem rem pignori dedit. egit poſterior cum priore pignoraticia, & obtinuit, mox ille agere ſimili actione inſtituit, quæſitum eſt, an exceptio rei iudicatæ obſtaret: reſpondit Marcellus, ſi oppoſuerit exceptionem rei ſibi ante pignoratæ, & nihil aliud nouũ, & ualidum adiecerit: ſine dubio obſtabit. eandem enim quæſtionem reuocat in iudicium, ff. eo. l. duob. xix.

Si debitor de dominio rei, quam pignori dedit, non admonito creditore cauſam egerit, & contrariam ſententiam acceperit: creditor in locum uicti ſucceſsiſſe non videbitur, cum pignoris conuentio ſententiam præceſſerit, ff. eo. l. iudicatæ, xxix. § finali.

Si ex teſtamento actum ſit cum hærede ab eo, qui cum totum argentum ei legatum erat, menſas duntaxat ſibi legatas putaret, earumque duntaxat æſtimationem in iudicio feciſſet: poſtea eundem petiturum de argento, quoque legato Trebatius ait, nec obſtaturam ei exceptionem, quoniam non ſit petitum, quod nec actor petere putaſſet, nec iudex ĩ iudicio ſenſiſſet, ff. eo. l. ſi ex teſtamẽto. xx.

Si cum teſtamento argentum mihi legatum eſſet, egerim cum hærede, & poſtea codicillis prolatis veſtem quoque mihi legatam eſſe appareat: non eſt deducta in ſuperius iudicium veſtis cauſa: quia nec litigatores, nec iudex de alio, quàm de argento actum intelligant, ff. eo. l. ſi cum teſtamento, xxi. in prin.

Si petiero gregem, & vel aucto, vel minuto numero gregis, iterum eundem gregem petat: obſtabit mihi exceptio. ſed & ſi ſpeciale corpus ex grege petam: ſi adfuit in eo grege: obſtatura eſt exceptio, d. l. cum teſtamento, §. ſi petiero.

Si equum & bouem tuos eſſe petieris, & abſoluto aduerſario equum tuum eſſe petas ab eodem exceptionem tibi obſtare cõſtat, d. l. cum teſtamento, §. ſi ſticum.

Si fundum meum eſſe petiero, deinde poſtea vſumfructum eiuſdem fundi petam: quia ex illa cauſa, ex qua fundus meus erat, meus eſt: exceptio mihi obſtabit: quia qui fundum habet, vſumfructum ſuum vindicare non poteſt. ſed ſi vſumfructum, cum meus eſſet uindicaui, deinde proprietatem nactus, iterum de uſu fructu experiar: poteſt dici alia res eſſe: quoniam poſtquam nactus ſum ꝓprietatem fundi, deſinit meus eſſe prior vſusfructus, & iure proprietatis, quaſi ex cauſa noua rurſus meus eſſe cæpit, d. l. ſi cum teſtamento, §. ſi fundum.

Si cum uno hærede depoſiti actum ſit: tamen & cum cæteris hæredibus rectè agetur, nec exceptio rei iudicatæ eis proderit. nam & ſi eadem quæſtio in omnibus iudiciis uertitur. tamen perſonarum mutatio, cum quibus ſingulis ſuo nomine agitur, aliam, atque aliam facit rem, & ſi actum ſit cum hærede de dolo defuncti, deinde de dolo agetur hæredis: exceptio rei iudicatæ non nocebit, quia de alia re agitur, ff. eo. l. ſi cum uno, xxii.

Si in iudicio actum ſit, & intereſſe ſolum petitum ſit non eſt, verendum, ne noceat rei iudicatæ exceptio circa ſortis petitionem, quæ enim non competit, nec oppoſita nocet, eadem erunt, & ſi quis ex bonæ fidei iudicio uelit intereſſe tantũ perſequi. nam nihilominus intereſſe futuri temporis cedit. quandiù enim manet contractus bonæfidei, currit intereſſe, ff. eo. l. ſi in iudicio, xxiii.

Si quis rem à non domino emerit, mox petente domino abſolutus ſit, deinde poſſeſsionem amiſerit, & à domino petierit: aduerſus exceptionem, SI NON EIVS SIT RES, replicatione hac adiuuabitur, AT SI RES IVDICATA NON SIT, ff. eo. l. ſi quis, xxiiii.

Eſt in poteſtate emptoris intra ſex menſes redhibitoria agere mallet, an ea, quæ datur,

datur, QVANTO MINORIS EQVVS CVM VENIRET, FVERIT: nam posterior actio etiam redhibitionem continet, si tale uicium in equo est ut eum ob id actor empturus non fuerit. Quare verè dicetur, eum, qui alterutra earum egerit, si altera postea agat, exceptione rei iudicatæ submoueri, ff. eo. l. si is, qui. 25. §. est in potestate.

Si te negociis meis obtuleris, & fundum nomine meo petieris, deinde ego hanc petitionem tuam ratam non habuero, sed mandauero tibi, ut ex integro eundem fundum peteres: exceptio rei iudicatæ non obstabit. alia enim res est facta interueniente mandato. idem est, & si non in rem, sed in personam actum fuerit, d. l. si is, qui, §. fin.

Egi tecum, ius mihi esse ædes meas vsque ad decem pedes altius tollere, post ago, ius esse mihi vsque ad uiginti pedes altius tollere. exceptio rei iudicatæ obstabit, proculdubio. sed & si rursus ita agam, ius mihi esse altius ad alios decem pedes tollere, obstabit exceptio: cum aliter superior pars iure haberi non posit, quam si inferior quoque iure habeatur, ff. eo. l. egi tecum, 26. in prin.

Item si fundo petito, postea insula, quæ è regione eius in flumine nata erit, petatur: exceptio obstatura est, d. l. egi, §. item si fundo.

Exceptio rei iudicatæ nocebit ei, qui in dominium succesit eius, qui iudicio expertus est, ff. eo. l. exceptio. 28.

Iudicatæ quidem rei præscriptio cohæredi, qui non litigauit, obstare non potest: ff. eo. l. iudicatæ, 29. in prin.

Ex sextante hæres institutus, qui intestato legitimus hæres esse potest, cum de iure testamenti faceret quæstionem, ab uno ex institutis dimidiam partem hæreditatis petiit, nec obtinuit. videtur in illa petitione etiam partem sextantis uindicasse, & ideo si cæperit ab eodem ex testamento eandem portionem petere: obstabit ei rei iudicatæ exceptio, ff. eo. l. pen. in princ.

Latinus largius, cum de hæreditate inter Mæuium, ad quem pertinebat & Titium qui controuersiam mouebat, transigeretur: traditio rerum hæreditariarum Mæuio hæredi à Titio facta est: in qua traditione etiam fundum ei suum propriũ, quem ante multos annos auo eiusdem Mæuii hæredis obligauerat, quemq; alii postea in obligationem deduxerat, ex causa pacti tradidit. his gestis posterior Titii creditor ius suum persecutus est, & obtinuit, post hoc iudicium Mæuius hæres reperit in bonis auitis chyrographum eiusdem Titii ante multos annos conscriptum: per quod apparuit eum fundum, qui in causa transactionis uenerat, etiam auo suo ab eodem Titio fuisse obligatum, cum ergo cõstet prius auo Mæuii hæredis in obligationem eundem fundum datum, de quo Mæuius superatus est: quæritur: an ius aui sui, quod tunc cum de eo fundo ageretur, ignorabat: nulla exceptione opposita exequi posit, responsum est, si de proprietate fundi litigatum, & secundum actorem pronunciatum fuisset: diceremus petenti ei, qui in priore iudicio victus est, obstaturam rei iudicatæ exceptionem: quoniam de eius quoq; iure quæsitum uidetur, cum actor petitionem implet. quod si possessor absolutus amissa possesione eundem ab eodem, qui prius non obtinuit, peteret: non obesset ei exceptio. nihil enim in suo iudicio de iure eius statutum uidetur. cum autem pignoraticia actum est aduersus priorem creditorem: potest fieri, ut de iure possesionis non sit quæsitum: quia non sit in proprietatis quæstione, quod meum est, alterius non est, ita in obligatione utique consequens est, vt non sit aliis obligatum, quod hic comprobauit teneri, & probabilius dicitur non obstare exceptionem: quoniam de iure possessoris quæsitum

tum non est, sed de sola obligatione. in proposita autem quæstione magis illud mouet, nunquid pignoris ius extinctum sit dominio adquisito. neque enim potest pignus perseuerare domino constituto creditore. actio tamen pignoraticia competit. Verum est enim & pignori datam, & satisfactum non esse, quare non obstabit rei iudicatæ exceptio. Item Paulus respondit, ei, qui ĩ rem egisset, nec tenuisset, postea condicenti non obstare exceptionem rei iudicatæ, d.l. penul. §. latinus, & l. fina.

Qui agnitis instrumentis: quasi vera essent, soluit post sententiam iudicis: quæritur, si postea cognita rei veritate, & repertis falsis instrumentis, accusare uelit, & probare falsa esse instrumenta, ex quibus conueniebatur cum instrumentis subscripserat ex præcepto, siue interlocutione iudicis: an præscriptio ei opponi posit, cum principalibus constitutionibus manifestè caueatur, si res iudicata esset ex falsis instrumentis, & postea falsa inueniantur, nec rei iudicatæ præscriptionem opponi? Modestinus respondit, ob hoc, quod per errorem solutio facta est, vel cautio de soluendo interposita proponitur ex his instrumentis, quæ nunc falsa dicuntur, præscriptioni locum non esse, ff. de exceptionibus. l. qui agnitis, xi.

Pro portione tua, qua domum ad te pertinere dicis, si iudicatum nõ est, actionem dirrigere potes. nam evceptio rei iudicatæ ei demum obstat, vel successoribus eius, inter quos cognitum super ea re, & pronunciatum est, C. de exceptionibus, l. secunda.

DE EXCEPTIONE REI VENDITAE, ET TRADITAE. Titulus VII.

MArcellus scribit, si alienum fundum vendideris, & tuum postea factũ petas: hac te exceptione rectè repellendum. sed & si dominus fundi hæres venditori existat: idem erit dicendum, ff. de excep. rei vendi. l. prima, in prin.

Si quis rem meam mandatu meo vendidit: vindicanti mihi rem venditam nocebit hæc exceptio, nisi probetur me mandasse, ne traderetur, antequam precium soluatur, d.l. prima, §. si quis.

Celsus ait, si quis rem meam vendiderit minoris, quam ei mandaui, non videtur alienata: & si petam eam, non obstabit mihi hæc exceptio, Quod verum est, d. l. prima, §. Celsus.

Si quis rem emerit non autem ei fuerit tradita, sed possesionem sine uicio fuerit nactus: habet exceptionem contra uenditorem: nisi fortè venditor iustam causam habeat, ut rem vindicet. nam tradiderit possesionem, fuerit autem ei iusta causa vindicandi: replicatione aduersus exceptionẽ vtetur, d.l. prima, §. fin.

Si à Titio fundum emeris, qui Sempronii erat, isque traditus sibi fuerit: precio autem soluto Titius Sempronio hæres extiterit, & eundem fundum Mæuio vendiderit, & tradiderit: Iulianus ait, æquius esse priorem te tueri, quia & si ipse Titius fundum à te peteret exceptione submoueretur: & si ipse Titius eum posideret Publiciana peteres, ff. eo. l. secunda.

Exceptio rei uenditæ, & traditæ, non tantum ei, cui res tradita est, sed & successoribus eius, & emptori secundo (& si res eius non fuerit tradita) proderit. interest enim emptoris primi, secundo rem non euinci. pari ratione venditoris,

etiam

etiam successoribus nocebit: siue in uniuersum ius, siue in eam duntaxat rem successerint, ff. eod. l. fina.

Ex confessionibus oritur exceptio contra confessum, ideo Titulus de confessis sequitur.

DE CONFESSIS. Tit. VIII.

Confessus pro iudicato est: quia quodammodo sua sententia damnatur, ff. de confess. l. prima.

Non fatetur, qui errat, nisi ius ignorauit, ff. eo. l. secunda.

Iulianus ait, confessum certum se debere legatum, omnimodo damnandum, etiam si in rerum natura non sit, aut iam à natura recesserit, ita tamen: ut in æstimatione eius damnetur, quia confessus pro iudicato habetur, ff. eod. l. tut.

Si is cum quo lege Aquilia agitur, confessus est equum occidisse: licet non occiderit: si tamen occisus sit equus, ex confesso tenetur, ff. eo. l. quarta.

Qui equum debere se confessus est: siue mortuus iam equus erat, siue post litis contestationem decesit: condemnandus est, ff. eo. l. quinta.

Certum confessus pro iudicato erit, si incertum non erit. Si quis incertum confiteatur: ueluti si corpus sit confessus, si bouem, vel fundum dare se oportere: urgeri debet, ut certum confiteatur. item si is, qui rem confessus est, ut certam quantitatem fateatur, ff. eo. l. sexta, in prin.

Sed & si fundum uindicem meum esse tuque confessus sit: perinde teneberis, atq; si dominii mei fundum esse pronunciatum esset, d. l. sexta, §. sed & si fundum.

Si alia quacunque actione ciuili, vel honoraria, vel interdictio exhibitorio, vel restitutorio, vel prohibitorio, cum quis conuenitur, confiteatur: dici potest *in his* omnibus subsequi prætorem uoluntatem orationis Diui Martii debere: & omne omnino, quod quis confessus est, pro iudicato habere. dabitur igitur ex his actionibus, ex quibus dies datur ad restituendam rem, confesso tempus, ad restitutionem: & si non restituat, lis æstimabitur, d. l. sexta, §. si alia.

Si quis absente aduersario confessus sit: videndum, nunquid non debeat pro iudicato haberi; quia nec qui iurat de operis, obligetur, nec soluat quis absenti condemnari. certè procuratorem, tutorem, curatoremve præsentem, esse sufficit, d. l. sexta, §. si quis.

Sed an, & ipsos procuratores, vel tutores, vel curatores fateri sufficiat, uideamus, & non sufficit. In pupillo tutoris authoritas exigitur. Minorem à confessione sua restituemus, confessi vtique post confessionem tempora, quasi ex causa iudicati habebunt, d. l. sexta, §. fin.

Cum fideicommissum peteretur hæres confessus est debere, arbiter ad restituendum datus comperit nihil deberi: Quæsitum est, an posit absoluere? Respondit posse. interesse tamen qua ex causa nihil debeatur. nam si ob id, quod nullum fideicommissum fuerit: non debere eum absoluere. si uero quia testator soluendo non erat, aut quia hæres omne solutum esse apud prætorem dixerat, & cum controuersia, & computatio difficiliori esset, arbiter datos fuerit, saluo officio eum absoluturum. has enim partes eius esse, ut si in computatione nihil inueniatur posit absoluere, sed ex superiore casu ad prætorem remittere debet, ut absoluatur, ff. eo. l. pen.

Non

Non omnimodo confessus condemnari debet eius rei nomine, quæ an in rerum natura, esset incertum sit, ff. eo. l. fina.

Qui allegat ignorantiam iuris, uel facti proponit quandam exceptionem, imo tractatum de exceptionibus, titulus de iuris & facti ignoranti ponitur.

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA. Titulus IX.

IGnorantia, vel iuris, vel facti est, ff. de iuris, & facti ignoran, l. prima, in principio.

Si quis nesciat se cognatum esse: interdũ in iure, interdum in facto errat: nã si sciat, ex quibus natus sit iura autem cognationis habere nesciat: in iure errat. at si fortè expositus, quorum parentũ sit, ignoret in facto magis, quam in iure errat: Idem dicendum si ex asse hæres institutus nõ putet se bonorum possesionem petere posse, ante apertas tabulas: quod si nesciat esse tabulas in facto errat, d. l. prima, §. si quis nesciat.

In omni parte error in iure non eodem loco, quo facti ignorantia, haberi debebit, cum ius finitum esse, & posit, & debeat facti interpretatio plerunq; etiam prudentisimos fallat, ff. eo. l. secunda.

Constitutiones principum, nec ignorare quemquam, nec disimulare permittitur, C. eod. l. penult.

Plurimum interest, vtram quis de alterius causa & facto non non sciat, an de iure suo ignoret. Sed Casius ignorantiam Sabinum, ita accipiendam existimasse refert, non deperditi, & nimium securi hominis, ff. eo. l. tertia.

Iuris ignorantia in vsucapione negatur prodesse, facti uero ignorantiam prodesse constat, ff. eo. l. quarta.

Iniquisimum uidetur cuiquam scienti am alterius, quam suam nocere, vel ignorantiam alterius prodesse, ff. eo. l. quinta.

Nec supina ignorantia ferenda, est factum ignorantis, nec scrupulosa inquisitio exigenda. scientia enim hoc modo æstimanda est; ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur, ff. eodem, l. sexta.

Iuris ignorantia non prodest adquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet, ff. eod. l. septima.

Error facti ne maribus, quidem in damnis, vel compendiis obest: iuris autem error, nec fœminis in compendiis prodest. cæterum omnibus iuris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet, ff. eo. l. error, viii.

Regula est iuris, quidem ignorantiam cuique nocere, facti uero ignorantiam nõ nocere. Videamus igitur in quibus speciebus locum habere posit: ante præmisso, quod minoribus vigintiquinque annis ignorare permissum est. quod & fœminis in quibusdam propter sexus infirmitatem datur, & ideo, sicubi non est debitum, sed iuris ignorantia non læduntur. Hæc ratione si minor vigintiquinque annis filiosfamilias crediderit: subuenitur ei, ut non videatur filiofamilias credidisse, ff. eo. l. pen. in prin.

Si filiusfamilias miles à commilitone hæres institutus, nesciat sibi etiam sine patre licere adire, per constitutiones principales ius ignorare potest. & ideo dies ei actionis cedit, d. l. pen. §. si filius familias.

Sed facti ignorantia, ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia obiiciatur.

obiiciatur. Quid enim si omnes in ciuitate sciant, quod ille solus ignorat: & rectè labeo definit scientiam (neque curiosissimi neque negligentissimi) hominis accipiendam, verum eius, qui eam rem diligenter inquirendo notam habere possit. d. l. penul. §. sed facti.

Sed iuris ignorantiam non prodesse, labeo ita accipiendum existimat si iurisconsulti copiam habeat vel sua prudentia instructus sit: vt cui facile sit scire ei detrimento sit iuris ignorantia quod raro accipiendum est. d. l. penul. §. sed iuris.

Qui ignorauit venditorem rei dominum esse: plus in re est quam in existimatione mentis, & ideo tamet & si existimet se non à domino emere tamen si à domino ei tradatur, dominus efficitur. d. l. penul. §. qui ignorauit.

Si quis ius ignorans, lege falcidia vsus non sit: nocere ei, dicit epistola diui Pii. d. l. penul. §. si quis ignorans.

Quæ ex causa fideicommissi indebitum datum est, si non per errorem solutum est, repeti non potest. Quamobrem Cargiliani hæredes, qui cum ex testamento eius pecuniam ad opus aquæ ductus reipublice Cyrenentium relictam soluerint: non solum cautiones non exegerunt quæ interponi solent vt quod amplius cepissent municipes, quàm per legem falcidiam licuisset, redderent verum etiam stipulati sunt, ne ea summa in alios vsus conuerteretur; & scientes prudentesque passi sunt eam pecuniam in opus aquæ ductus impendi: frustra postulant reddi sibi à republica Cyrenensium, quasi plus debito dederint: cum sit vtrunque iniquum, & pecuniam, quæ ad opus aqueductus data est, repeti: & rempublicam ex corpore patrimonii sui impendere in id opus, quod totum aliene liberalitatis gloriam representet. Quod si ideo repetitionem se eius pecuniæ habere dicunt, quod imperitia lapsi, legi falcidiæ beneficio vsi non sint: sciant ignorantiam facti, non iuris prodesse: nec stultis soluere succurri sed errantibus. Et licet municipum mentio fiat: attamen & in qualibet persona idem obseruabitur. Sed nec quod in opere aquæductus relicta esse pecunia proponitur, in hunc solum casum cessare repetitionem dicendum est. d. l. penul. §. quod ex causa usque ad finem.

Impuberes sine tutore agentes, nihil posse de facto vel de iure scire intelliguntur. ff. eod. l. finali.

Quamuis cum causam tuam ageres, ignorantia iuris propter simplicitatem armatæ militiæ allegationes competentes omiseris: tamen si nondum satisfecisti: permittitur tibi. Si ceperis ex sententia conueniri defensionibus tuis vti. C. eod. l. prima.

Cum ignorantia iuris excusari facile non posis, si maior annis vigintiquinque hæreditati matris tuæ renuntiasti: sera prece subueniri tibi desideras. C. eod. l. secunda.

Si post diuisionem factam testamẽti vicium in lucẽ emerserit: ex his, quæ per ignorantiam confecta sunt præiudicium tibi non comparabitur. C. eod. l. quarta.

Cum falsa demonstratione mutari substantia veritatis minmei posit: respondendo id, quod paternum erat, ex maternis esse bonis, nihil egisti. C. eodem. l. quinta.

Si non transactionis caussa, sed indebitam errore facti olei materiam uos Archontico stipulanti respondisse rector prouinciæ animaduerterit: reddito, quod debetis, residui liberationem condicentes audiet. C. eod. l. sexta.

Error facti, necdum finito negocio, nemini nocet: nam causa decisa velamento tali non instauratur. C. eod. l. septima.

Cum

Cum quis ius ignorans, indebitam pecuniam soluerit: cessat repetitio, per ignorantiam enim facti repetitionem tantum indebiti soluti competere, tibi notum est, C. eod. l. cum quis, x.

Quamuis in lucro nec fœminis ius ignorantibus subueniri soleat: tamen contra ætatem adhuc imperfectam locum hæc non habere, retro principum statuta declarant, C. eod, l. quamuis, xi.

Ne passim liceat mulieribus omnes suos contractus retractaræ in iis, quæ prætermiserint, uel ignorauerint: statuitur, si per ignorantiam iuris damnum aliquod circa ius, vel substantiam suam patiantur: in iis tantum casibus, in quibus præteritarum legum authoritas eis suffragatur subueniri, C. eo. l. fin.

Ex institutionibus titulo de exceptionibus, ita habetur.

Hæc exempli causa retulisse sufficiat alioquin ex quam multis uariisque causis exceptiones necessariæ sunt. Ex latioribus digestorum, seu pandectarum libris intelligi potest, quarum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis uicem obtinent, vel ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt. Instit. de except. §. hæc exempli causa.

Appellantur autem exceptiones aliæ perpetuæ, & peremptoriæ, aliæ temporales, & dilatoriæ. Perpetuę, & peremptoriæ sunt, quæ semp agentibus obstant, & semper rem de qua agitur, perimunt, qualis est exceptio doli mali, & quod metus causa factum est, & pacti conuenti, cum ita conuenerint, ne omnino pecunia peteretur temporales, atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus noceat, & temporis dilationem tribuunt, qualis est pacti conuenti, cum ita conuenerit, ne intra certum tempus ageretur, veluti intra quinquennium, nam finito eo tempore, non impeditur actor rem exequi. Ergo ii, quibus intra certum tempus, agere uolentibus obiicitur, exceptio, aut pacti conuenti, aut alia similis differre debent actionem, & post tempus agere. Nam is, qui ante tempus pactionis, vel obligationis litem inferre ausus est, Zenonianæ constitutioni subiacet, quę est, vt inducias, quas ipse actor spontè indulserit, vel quas natura actionis continet, si contempserit, in duplum habeant ii, qui talem iniuriam passi sunt, & post eas finitas non aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis antea acceperint, ut actores tali pœna perterriti, tempora litium doceantur obseruare. Instit. de except. §. appellantur, & ff. de excep. l. tertia, in prin.

Cum nondum finitam sententia causam, sed dilatam allegatis: non est dubium, omnes integras defensiones esse, C. de except. l. quarta.

Præscriptionem perēptoriam, quàm ante contestari sufficit, omissam prius, quam sententia feratur, obiicere quandocunque licet, C. eo. l. octaua.

Si quis aduocatus inter exordia litis permissam dilatoriam præscriptionem postea uoluerit exercere, & ab huiusmodi stipulatione submotus, nihilominus perseueret, atque prępostceræ defensioni institerit: unius libræ auri condemnatione multetur, C. eod. l. si quis, 12.

Præterea etiam ex persona sunt dilatoriæ exceptiones, quales sunt procuratoriæ, veluti si per militem, aut mulierem agere quis velit. nam militibus, nec pro patre, vel matre, uel uxore, nec ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri conceditur, suis uero negociis superesse sine offensa militaris disciplinæ possunt. Inst. de excep. §. fina. & ff. de except. eo. l. tertia.

Sanè solemus dicere, quasdam exceptiones esse dilatorias, quasdā peremptorias, vtputa dilatoria est exceptio, q̄ differt actionē: veluti ꝓcuratoria exceptio dila

toria est. nam qui dicit non licere procuratorio nomine agi: non prorsus litem inficiatur, sed personam euitat, ff. eod. l. secunda, §. fin.

Præscriptiones fori in principio litis à litigatoribus opponendas esse, legum decreuit authoritas, C. de except. l. fin.

DE REPLICATIONIBVS.
Titulus X.

INterdum euenit, vt exceptio, quæ prima facie iusta videtur, tamen iniquè noceat, quod cum accidit alia allegatione opus est adiuuandi actoris gratia, quæ replicatio uocatur, quia per eam replicatur, atque resoluitur ius exceptionis veluti cum pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat, deinde postea in contrarium pacti sunt, idest ut creditori petere liceat, si creditor agat, & excipiat debitor, ut ita demum condemnetur, si non conuenerit, ne eam pecuniam creditor petat, nocet ei exceptio. conuenit enim ita namque nihilominus hoc verum manet, licet postea in contrarium pacti sint, sed quia iniquum est creditorem excludi replicatio ei dabitur, ex posteriore pacto conuento. Rursus interdum euenit, vt replicatio, quæ prima facie iusta est iniquè noceat, quod cum accidit alia allegatione opus est adiuuandi rei gratia, quæ duplicatio vocatur, & si rursus ea prima facie iusta videatur, sed propter aliquam causam actori inique noceat, rursus alia allegatione opus est, qua actor adiuuetur, quæ dicitur replicatio, quarum omnium exceptionum vsum interdum vlterius, ut diximus varietas negociorum introduxit, quas omnes apertius ex digestorum latiore volumine facile est cognoscere, Inst. de repl. in prin.

Replicationes nihil aliud sunt, quam exceptiones, & à parte actoris ueniunt, quæ quidem ideo necessariæ sunt, vt exceptiones excludant. semper enim replicatio idcirco obiicitur, ut exceptionem opougnet. Illud tenendum est, omnem exceptionem, vel replicationem exclusoriam esse, exceptio actorem excludit, replicatio reum, sed & contra replicationem duplicatio, & contra duplicationem solet dari triplicatio, & contra triplicationem rursus quadruplicatio, & ita deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor obiicit, ff. de exceptionibus. l. secunda, §. replicationes, & l. except. vigesimasecunda, §. replicatio.

Aduersus exceptionem iusiurandi replicatio doli mali non debet dari cum prætor id agere debeat, ne de iureiurando cuiusquam quæratur, ff. eodem, lege aduersus. xv.

Non exceptionibus actores, ex quibus reis auxilium tribuitur certis ex causis, sed replicationibus suam intentionem, si quam habent muniunt, C. de except. l. non except. x.

In titulo de minoribus, vigintiquinque annis tractatur de quadam exceptione propter minorem ætatem. Ideo hæc materia cum dependentibus ab ea ponitur post exceptiones.

DE MINORIBVS XXV. ANNIS.
Titulus XL.

HOc edictum prætor naturalem æquitatem secutus proposuit: quo tutelam minorum suscepit. Nam cum inter omnes constet fragile esse, & infirmum huiusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum: auxilium eis prętor hoc edicto pollicitus est, & aduersus captiones opitulationem, ff. de minoribus, l. prima, in prin.

Prætor edicit: QVOD CVM MINORE, QVAM VIGINTIQVINQVE ANNORVM NATV GESTVM ESSE DICETVR: VTI QVAEQVE RES ERIT: ANIMADVERTAM: Apparet minoribus annis vigintiquinque eum opem polliceri. nam post hoc tempus compleri virilem uigorem constat. Et ideo hodie in hanc vsque ætatem adolescentes curatorum auxilio reguntur: nec ante rei suæ administratio eis committi debet: quamuis bene rem suam gerentibus. Nec per liberos suos rem suam maturius à curatoribus recipiant. Quod enim legibus cauetur, ut singuli anni per singulos liberos remittantur: ad honores Diuus Seuerus pertinere ait: non ad rem suam recipiendam, dicta lege prima, §. prætor ait, cum l. sequenti.

Denique Diuus Seuerus, & Imperator Alexander huiusmodi consulum, vel præsidum decreta, quasi ambitiosa esse interpretati sunt. ipsi autem per raro minoribus rerum suarum administrationem extra ordinem indulserunt: & eo iure vtimur, ff. eo. l. tertia. in prin.

Si quis cum minore contraxerit, & contractus inciderit in id tempus, quo maior efficitur: vtrum initium spectamus, an finem? & placet (ut est constitutum) si quis maior factus comprobauerit, quod minor gesserat, restitutionem cessare. Vnde illud non ineleganter Celsus tractat ex facto à Fuluio Respecto prætore consultus. Minor annis vigintiquinque annos fortè viginti quattuor agens, iudicium tutelæ hæredi tutoris dictauerat. mox factum, ut non finito iudicio, iam eo maiore effecto vigintiquinque annis tutoris hæres absolutus proponeretur, in integrum restitutio desiderabatur. Celsus igitur respecto suasit non facilè hunc quondam minorem in integrum restitui: sed si ei probaretur calliditate aduersarii id actum, ut maiore eo facto liberaretur. neque enim extremo (inquit) iudicii die uidetur solum deceptus hic minor, sed totum obstructum: ut maiore eo facto liberaretur. idem tamen confitetur: si leuior sit suspicio aduersarii, quasi dolosè uersati: non debere hunc in integrum restitui, d. l. tertia, §. si quis.

Item illud aliquando incidit, minor uigintiquinque annis miscuerat se paternæ hæreditati maiorque factus exegerat, aliquid à debitoribus paternis. mox desiderabat in integrum restitui, quò magis abstineret se paterna hæreditate, contradicebatur ei, quasi factus maior comprobasset, quod minori sibi placuisset. putauimus tamen restituendum in integrum initio inspecto. idem erit, & si alienam adiit hæreditatem, dicta lege tertia, §. scio etiam.

Minorem vigintiquinque annis natu, videndum est, an etiam diem natalis sui ad hoc ducimus: an horam, in qua natus est: vt si captus sit, cum nondum compleuerit, restituatur, & ita erit dicendum: vt à momento in momentum tempus spectetur. Proinde & si bissesto natus est (siue priore, siue posteriore die) Celsus scribit, nihil referre. nam id biduum pro uno die habetur, & posterior dies Kalendarum intercalatur, d.l. tertia, §. minore.

Sed vtrum solis patribus familiarum, an etiam filiisfamiliarum succurri debeat, videndum. Mouet dubitationem, quod si quis dixerit, etiam filiisfamil. in re peculiari subueniendum efficiet, ut per eos etiam maioribus subueniatur, idest patribus eorum: quod nequaquam fuit prætoris propositum. prætor enim minoribus auxilium promisit, non maioribus. Vlpianus arbitratur verissimam esse sententiam existimantium, filiumfamilias minorem annis in integrum restitui posse ex his solum causis, quæ ipsius intersunt, puta si sit obligatus. proinde si iussu patris obligatus sit: pater vtique poterit insolidum conueniri. filius autem cum & ipse possit, vel in potestate manens, vel etiam emancipatus, vel exhæredatus in id, quod facere potest (& quidem, & in potestate manens inuito patre) ex condemnatione conueniri. auxilium impetrare debebit, si ipse conueniatur. Sed an hoc auxilium patri quoque prosit, ut solet interdum fideiussori eius prodesse. Si igitur filius conueniatur, postulat auxilium: si patrem conueniat creditor, auxilium cessat, excepta mutui datione. in hac enim si iussu patris mutuam pecuniam acceperit non adiuuatur. Proinde & si sine iussu patris contraxit, & captus est: si quidem pater de peculio conuetur, filius non erit restituendus, si filius conueniatur: poterit restitui. nec eo mouemur, quasi intersit filii peculium habere. magis etenim patris, quam filii interest: licet aliquo casu peculium ad filium spectet, vtputa si patris eius bona à fisco propter debitum pecuniarium occupata sunt. nam peculium eius ex constitutione diui Claudii separatur. Ergo etiam filiamfamilias in dote captam: dum patri consentit, non statim dotem stipulanti, quam dedit, vel adhibenti aliquem, qui dotem stipularetur: est restituenda: quoniam dos ipsius filiæ proprium patrimonium est, dicta lege tertia, §. sed utrum.

Si quis minor vigintiquinque annis adrogandam se dederit, & in ipsa adrogatione se circunuentum dicat. (finge enim à prædone eum hominem locupletem adrogatum.) dico debere eum audiri, in integrum se restituentem, d.l. tertia, §. si quis.

Si quid minori filiofamil. legatum fuerit, post mortem patris, vel fideicommissum relictum, & captus est (fortè dum consensit patri paciscenti ne legatum peteretur) potest dici in integrum restituendum. quoniam ipsius interest, propter spem legati, quod ei post mortem patris competit. sed & si ei legatum sit aliquid, quod personæ eius cohæret (puta ius militiæ) dicendum est, posse eum restitui in integrum. interfuit enim eius non capi: cum hanc patri adquireret, sed ipse haberet, dicta lege tertia, §. si quid minori filiofamil.

Et si hæres sit institutus, si à patre in diebus centum emancipatus sit: moxque patrem debuerit certiorare, nec fecerit: cum posset qui eum emancipasset, si cognouisset: dicendum erit posse eum in integrum restitui, parato patre eum emancipare, d.l. tertia, §. & si hæres.

Pompo-

Pomponius adiicit: ex his causis, ex quibus in re peculiari filiifamiliarum restituuntur posse, & patrem, quasi hæredem nomine filii post obitum eius impetrare cognitionem, si autem filiusfamil. sit, qui castrense peculium habeat: proculdubio ex his, quæ ad castrense peculium spectant, in integrum restituendus erit, quasi in proprio patrimonio captus, d. l. tertia, §. Pomponius.

Filiusfamil. si minor quinque & viginti annis pro extraneo fideiussit, in integrũ restitutionem implorare non prohibetur, sed & si pro patre suo extitit fideiussor, eique diem suum functo non successit: in integrum restitutionem postulare non potest, C. de filifam. minore. l. prima.

Si filius cum mutuam pecuniam acciperet in patris fuit potestate, nec iussu eius, nec contra senatusconsultum contractum est, propter lubricum ætatis aduersus eam cautionem in integrum restitutionem potuit postulare, C. eod. l. secunda, seu finali.

Minoribus vigintiquinque annis subuenitur per integrum restitutionem, non solum cum de bonis eorum aliquid minuitur: sed etiam, cum intersit ipsorum litibus & sumptibus non vexari, ff. eod. l. sexta.

Ait prætor, GESTVM ESSE DICETVR. GESTVM sic accipitur, qualiter siue contractum sit, siue quid aliud contigerit proinde, & si emit aliquid, si vendidit, si societatem coiit, si mutuam pecuniam accepit, & captus est: ei succurretur, ff. de min. l. septima, in prin.

Sed & si ei pecunia a debitore paterno, vel proprio soluta sit, & hanc perdidit: dicendum est ei subueniri, quasi gestum sit cum eo. Et ideo si minor conueniat debitorem: adhibere debet curatorem, ut ei soluatur pecunia. Cæterum non ei compellitur soluere. sed hodie solet pecunia in ædem deponi (ut Pomponius scribit) ne vel debitor ultra interesse debitum oneretur, vel creditor minor perdat pecuniam: aut curatoribus solui, si sunt, dicta lege septima, §. sed & si ei pecunia.

Permittitur etiam ex constitutione principum debitori compellere adolescentes ad petendos sibi curatores. Quid tamen, si prætor decernat soluendam pecuniam minori sine curatoribus, & soluerit? an posset esse securus, dubitari potest. At si allegans minorem esse, compulsus sit ad solutionem: nihil ei imputabitur, nisi fortè, quasi aduersus iniuriam appellandum quis ei putet. sed prætor hunc minorem in integrum restitui nolentem non autem, d. l. septima, §. Permittitur.

Non solum autem in his ei succurritur, sed etiam in interuentionibus: vtputa, si fideiussorio nomine se, vel rem suam obligauit. Pomponius autem uidetur adquiescere distinguentibus: an arbiter ad fideiussores probandos constitutus cum probauerit, an vero ipse aduersarius. Sed verum est, semper succurrendum esse si minor sit, & se circunuentum doceat, dicta lege septima, §. non solum autem.

Sed & in iudiciis subuenitur, siue dum agit, siue dum conuenitur, captus sit. Sed & si hæreditatem minor adit minus lucrosam, succurritur ei, ut se possit abstinere, nam & hic captus est, d. l. septima, §. sed & si.

Hodie certo iure vtimur, ut & in lucro minoribus succurratur, & Pomponius scribit, si sine dolo cuiusquam legatum repudiauerit, vel in optionis legato captus sit, dum elegit deteriorem, vel si duas res promiserit illam, aut illam, & preciosiorem dederit debere subueniri, dicta lege septima, §. hodie certo iure vtimur.

Quæsitum est ex eo, quod in lucro minoribus subueniendum dicitur: si res eius venierit, & existat, qui plus liceatur: an in integrum propter lucrum restituendus sit? & quotidie prætores eos restituunt, vt rursum admittatur licitatio. idē faciunt, & in his rebus, quæ seruari eis debent. Quod circunspectè erit faciendum. cæterum nemo accedat: ad emptionem rerum pupillarum, nec si bona fide distrahantur. Et districtè probandū est: in rebus, q̄ fortuitis casibus subiectæ sunt, non esse minori aduersus emptorem succurendum: nisi aut sordes, aut euidens gratia tutorum, siue curatorum doceatur. Restitutus autem, ut se hæreditati misceat: vel ut eam adeat, quam repudiauit: rursus restitui poterit, ut se abstineat: & hoc rescriptum, & responsum est, d. l. septima, §. quæsitum est.

Item in eremodiciis eis subuenitur: constat autem omnis ætatis hominibus restaurationem eremodicii præstari, si se doceant ex iusta causa abfuisse. d. l. septima. §. finali.

Minor etiam, si quasi contumax condemnatus sit in integrum restitutionis auxilium implorabit. ff. de minoribus. l. minor, vi i.

Si ex causa iudicati pignora minoris capta sint, & distracta: mox restitutus sit aduersus sententiam præsidis, uel procuratoris Cæsaris: uidēdum an ea, quæ sunt distracta, reuocari debeant: nam illud certum est pecuniam ex causa iudicati solutam, ei restituendam. sed si interest ipsius, corpora potius habere, interdum permittendum est, idest, si grande damnum sit minoris. in dotis quoque modo mulieri subuenietur: si ultra vires patrimonii, uel totum patrimonium circumscripta in dotem dederit, ff. eod. l. si ex causa. ix. in princ.

Nunc uidendum, vtrum minoribus in contractibus captis duntaxat subueniatur, an etiam delinquentibus. vtputa si dolo aliquid minor fecit in re deposita, vel commodata, vel alias in contractu: an ei subueniatur, si nihil ad eum peruenit. & placet in delictis minoribus non subueniri, nec hic itaque subuenietur. nam & si furtum fecit, vel damnum iniuria dedit: non subuenietur ei. sed si cum ex damno dato confiteri posset, ne dupli teneatur, maluit negare: in hoc solum restituendus est, ut pro confesso habeatur. Item si mulier cum culpa diuortisset, velit sibi subueniri: vel si maritus, restitutio non habenda est. enim non modicum delictum. nam si adulterium minor commisit ei non subuenitur. d. l. si ex causa. §. nunc videndum.

Sciendum est non passim minoribus subueniri, sed causa cognita, si capti esse proponantur, item non restituetur, qui sobriè rem suam administrans occasione damni non inconsultè accidentis, sed facto velit restitui. Nec. n. euētus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas, & ita Pomponius scripsit. Vnde Marcellus apud Iulianum notat. si minor equum tibi necessarium comparauerit, mox decesserit: non debere eum restitui. neque enim captus est emendo sibi rem necessariam, licet mortalem. ff. eod. l. virum, xi. §. sciendum est autem.

Si locupleti hæres exstiterit, & subito hæreditas lapsa sit. (puta prædia fuerunt, quæ chasmate perierint, insulæ exustæ sunt, boues decesserunt) Iulianus quidē libro vicesimosexto sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud Iulianum notat cessare in integrum restitutionem. neque. n. ætatis lubrico captum esse adeundo locupletem hæreditatem: & quod fatò contingit, cui uis patrifam. (quamuis diligentissimo) posse contingere. sed hæc res adferre potest restitutionem minori: si adiit hæreditatem, in qua res erant multæ mortales, uel prædia vrbana, ruinosa, æs autem alienum graue: quod nō prospexit posse euenire, ut demoriantur animalia, prædia ruant: vel quod non

citò

citò distraxerit hæc, quæ multi casibus obnoxia sunt. d.l. verum. §. si locupleti.

Item quæritur, si minor aduersus minorem restitui desiderat, an sit audiendus? & Pomponius simpliciter scribit non restituendum. Sed inspiciendum est à prætore, quis captus sit. proinde si ambo capti sunt (verbi gratia minor minori pecuniam dedit, & ille perdidit) melior est causa secundum Pomponium eius, qui accepit, & dilapidauit, vel perdidit. Planè si minor annis cum filiofamilias maiore contraxerit: & Iulianus, & Marcellus scribunt posse in integrum restitui: ut magis ætatis ratio, q̃ senatusconsulti habeatur, d.l. verum, §. si locupleti.

Si minor xxv. annis filiofamilias minori pecuniam credidit, melior est causa consumentis: nisi locupletior ex hoc inueniatur litis contestatæ tempore is qui accepit, ff. eo. l. si minor, 34. in princ.

Si apud minorem mulier pro alio intercesserit: non est ei actio in mulierem dandam, sed perinde, atq; cæteri per exceptionem submoueri debet: scilicet quia communi iure in priorem debitorem ei actio restituitur. hæc si soluendo sit prior debitor: alioquin mulier non utetur senatusconsulti auxilio, ff. eod. l. si apud minorem, xii.

In causę cognitione versabitur, vtrum soli ei succurrendum sit: an etiam his, qui pro eo obligati sunt, vtputa fideiussoribus. itaque si cum scirem minorem, & ei fidem non haberem, tu fideiusseris pro eo: non est æquum fideiussori in necem meam subueniri. sed potius ipsi deneganda erit mandati actio, in summa perpendendum erit prætori, cui potius subueniat: utrum creditori, an fideiussori. nam minor captus neutri tenebitur, facilius in mandatore dicendum erit, non debere ei subueniri. licet enim velut adfirmator fuit, & suasor, ut cum minore contraheretur. Vnde tractari potest, vtrum minor in integrum restitutionem aduersus creditorem, aut aduersus fideiussorem implorare debeat, & Tutius est aduersus utrunque causa autem cognita, & præsentibus aduersariis, vel si per contumaciam desint, in integrum restitutiones perpendendæ sunt, ff. eod. l. in causæ, xiii. in princ.

Interdum autem restitutio, & in rem datur minori, idest, aduersus rei eius possessorem, licet cum eo non sit contractu, vtputa rem à minore emisti, & alii vendidisti. potest desiderare interdum aduersus possessorem restitui, ne rem suam perdat, vel re sua careat: & hoc, vel cognitione prætoria, vel rescissa alienatione dato in rem iudicio. Pomponius quoque scribit Labeonem existimasse, si minor annis, xxv. fundum uendiderit, & tradiderit, & emptor rursus eum alienauerit: si quidem emptor sequens scit rem ita gestum: restitutionem aduersus eum faciendam, si ignorauit, & prior emptor soluendo est, non esse faciendam. si uero non est soluendo, æquius esse, minori succurri etiam aduersus ignorantem, quamuis bonafide emptor est, d.l. in causæ, §. interdum.

Planè quandiù is, qui à minore rem accepit, aut hæres eius, idoneus sit, nihil noui constituendum est in eum, qui rem bonafide emit, idemque, & Pomponius scripsit. sed ubi restitutio datur, posterior emptor reuerti ad auctorem suum poterit. Per plures quoque personas si emptio ambulauerit, idem iuris erit, ff. eod. l. planè, 14. cum l. seq.

In causæ cognitione etiam hoc versabitur. num fortè aliqua actio possit, competere, citra in integrum restitutionem. nam si communi auxilio, & mero iure munitus sit, non debet ei tribui extra ordinarium auxilium, vtputa cum pupillo contractum est sine tutoris authoritate, nec locupletior factus est. item relatũ est apud Labeonem, si minor circunscriptus societatem coierit, uel etiam do-

nationis

nationis causa: nullam esse societatem, ne inter maiores quidem: & ideo cessare partes prætoris. idem & Ofilius respondit. satis. n. ipso iure munitus est: Pomponius quoque refert. Cum quidam hæres rogatus esset, fratris filiæ compluires res dare ea condictione, vt si sine liberis decessisset, restitueret eas hæredi: & hæc defuncto hærede, hæredi eius cauisset se restituturam. Aristonem putasse in integrũ restituendam. Sed & illud Pomponius adiecit, quod potuit incerti condici hæc cautio etiam à minore non. n. ipso iure, sed per condictionem munita est. & Generaliter probandum est: ubi contractus non volet, pro certo prætorem se non debere interponere. Idem Pomponius ait: in precio emptionis, & venditionis, naturaliter licere contrahentibus se circumuenire. ff. eod. l. in causæ cognitione. xv. in prin.

Papinianus libro secundo Responsorum ait: exuli reuerso non debere propagari tempus in integrum restitutionis statutum, quia abfuit: cum potuerit adire prętorem per procuratorem, nec dixit, vel præsidem, vbi erat. Sed quod idem dicit, & indignum esse propter irrogatam pœnam, non rectè: quid. n. commune habet delictum cum venia ætatis: si quis tamen maior. xxv. annis intra tempus restitutioni statutum litem contestatus postea destiterit: nihil ei proficiet ad in integrum restitutionem contestatio, vt est sæpissimè rescriptum. Destitisse autem is videtur, non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum. ff. eod. l. Papinianus. xx. cum. l. seq.

Cum mandata patris filiusfam. res patris administrat, non habet beneficium restitutionis nam, & si alius ei mandasset, non succurreretur, cum eo modo potius maiori consuleretur, cuius damno res sit cessura. Sed si in euentu damnum minor passurus sit quia quod præstitit, seruari ab eo, cuius negocia gessit, non potest: (quia is non erit soluendo) sine dubio prætor interueniet si autem ipse dominus minor sit. procurator vero maioris ætatis: non potest facilè dominus audiri: nisi mandata eius gestum erit, nec à procuratore seruari res possit. Ergo & si procuratorio nomine minor circumscriptus sit: imputari debet hoc domino, qui tali commisit sua negocia idque & Marcello placet. ff. eo. l. cum mandata. 23.

Quod si minor sua sponte negociis maioris interuenerit: restituendus erit, ne maiori damnum accidat. Quod si hoc facere recusauerit: tunc si conuentus fuerit, NEGOCIORVM GESTORVM aduersus hanc actionem non restituitur: sed compellendus est, sic cedere auxilio in integrum restitutionis, ut procuratorem eum in rem suam faciat, vt possit per hunc modum damnum sibi propter minorem contingens resarcire. ff. eod. l. quod si. 24. in prin.

Non semper autem ea, quæ cum minoribus geruntur rescindenda sunt, sed ad bonum, & æquum redigenda: ne magno incommodo huius ætatis homines adficiantur, & nemine cum his contrahente quodammodo commercio eis interdicatur. itaque nisi aut manifesta circunscriptio sit, aut tam negligenter in ea causa sint uersati, prætor interponere se non debet. d. l. quod si. §. non semper.

Si filiusfam. minorem circumscripserit: pater quod ad eum peruenit, restituere iubendus est. quod si non perueniet, ex peculio eius præstare, sed & filius, ob dolum suum condemnabitur. d. l. quod si minor, §. si seruus.

Restitutio autem ita facienda est, vt unusquisque in integrum ius suum recipiat. itaque si in uendendo fundo circumscriptus restituetur: iubebit prætor emptorem fundum cum fructibus reddere, & precium recipere. nisi si tunc dederit, cũ eum perditurum non ignoraret, sicuti facit in ea pecunia, quæ in consumpturo cre-

sto crederetur. Sed parcius in venditione, quia æs alienum ei soluetur, quod facere necesse est, credere autem non est necesse. Nam & si origo contractus ita constitit, vt infirmanda sit, si tamen necesse fuit precium solui, non omnimodo emptor damno adficiendus est. d.l. quod si minor. §. restitutio.

Si pecuniam, quàm mutuum minor accepit, dissipauit: denegare debet proconsul creditori aduersus eum actionem. Quod si egenti minor eam credidit, vlterius procedendum non est, quàm vt iubeatur iuuenis actionibus suis, quas habet aduersus eum, cui ipse credidisset, cedere creditori suo. Prædium quoque si ex ea pecunia pluris quam oportet, emerit ita temperanda res erit, ut iubeatur venditor reddito precio recipere prædium, ita vt sine alterius damno etiam creditor à iuuene suum consequatur. Ex quo scilicet simul intelligimus, quid obseruari oporteat, si sua pecunia pluris quam oportet, emerit, vt tamen hoc, & superiore casu venditor, qui precium reddidit: etiam interesse, quod ex ea pecunia percepit, aut percipere potuit, reddat, & fructus, quibus locupletior est factus iuuenis, recipiat, item ex diuerso, si minore precio, quam oportuit vendiderit adolescens: emptor quidem iuberi debebit, prædia cum fructibus restituere iuuenis autẽ eatenus ex precio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est. ff. eod. l. patri, 27. §. si pecuniam.

Si minor annis. xxv. sine causa debitori acceptum tulerit: non solum in ipsum, sed & in fideiussorem, & in pignora actio restitui debet. Et si ex duobus reis alteri acceptum tulerit in vtrunque restituenda est actio. Ex hoc intelligimus, si damnosum sibi nouationem fecerit (forte si ab idoneo debitore ad inopem nouandi caussa transtulerit obligationem) oportere eum in priorem debitorem restitui. ff. eod. l. patri, §. si minor.

Memor xxv. annis nouandi animo intercessit pro eo qui temporali actione tenebatur, tunc cum adhuc supererant decem dies, & postea in integrum restitutus est quæritur vtrum restitutio quæ creditori aduersus priorem debitorem datur, decem dierum sit an plenior? respondit Pomponius tantundem temporis præstandum quantum supererat ideoque & pignus quod dederat prior debitor manet obligatum. ff. eod. l. finali.

Minores si in iudicem compromiserunt, & tutore auctore stipulati sunt: integri restitutionem aduersus talem obligationem iure desiderant. ff. eod. l. si minor, 34. § final.

Non omnia, quæ minores xxv. annis gerunt, irrita sunt: sed ea tantum, quæ causa cognita eiusmodi deprehensa sunt: vt ab aliis circumuenti vel sua facilitate decepti, aut quod habuerunt, amiserint, aut quod adquirere emolumentum potuerunt, omiserint, aut oneri, quod non suscipere licuit, se obligauerint. ff. eod. l. non omnia. 44.

Eum, qui ex sua voluntate minorem annis in iudicio defendit, & condemnatus est, ex causa iudicati posse conueniri: nec eius, quem defendit ætatem ad restitutionem impetrandam ei prodesse: cum causam iudicati recusare non posit. Ex quo apparet: nec eum, cuius nomine condemnatus est, auxilium restitutionis propter eam sententiam implorare posse. ff. eod. l. eum, qui. 46.

Si minorem te. xxv. annis fuisse cum contraheres, ostenderis, & tempora restitutioni præstituta excesisse ab aduersario tuo comprobatum non fuerit, præses prouincia in integrum restitutionis dare tibi auxilium debet. C. de in integrũ resti. min. l. quarta.

Minoribus integrum restitutio in quibus se captos probare possunt, & si dolus

aduersarii

aduersarii non probetur competit. ante impletum etiam quintum & vicesimũ annum de iis, in quibus se captos existimant minores posse in integrum restitutionem implorare certissimi iuris est. C. eod. l. quinta.

Si intra ætatem, cui succurri solet, in integrum restitutionis lis inchoata, nec ei à te renunciatum est mors eius, contra quem hæc fuerit implorata fraudi tibi esse non potest. C. eod. l. sexta.

De tutela auunculi, eiusdemque tutoris, cui falsò ætate probata prȩstitisti liberationem: quem ignarum ætatis tuæ non fuisse tam officium tutelæ, quam sanguinis proximitas arguit si necdum statutum tempus excessit, ex causa in integrũ restitutionis hæredes eius conuenire potes. C. eod. l. septima.

Minoribus in his, quæ uel prætermiserunt, uel ignorauerunt, innumeris authoritatibus constat esse consultum. C. eod. l. penul.

Non videtur circumscriptus esse minor, qui iure sit usus communi. C. eod. l. fin.

Ex hoc edicto nulla propria actio uel cautio proficiscitur, totum.n. hoc pendet ex prætoris cognitione. Illud nullam habet dubitationem, quin minor si indebitum soluerit ex ea causa ex qua iure ciuili repetitio non est danda, fit ei vtilis actio ad repetendum, cum & maioribus xxv. annis iustis ex causis dari solet repetitio. ff. de minoribus. l. quod si minor. 24. §. fin. cum l. seq. in prin.

Aduersus eos quoque restitutio præstanda est, quorum de dolo agere non permittitur, nisi quædam personæ speciali lege exceptæ sint. ff. eod. l. patri. 27. §. fin.

Cum minor quàm quinque & viginti annis aduersus eum cum quo tutelæ agit restituitur, non ideò tutori contrarium tutelæ iudicium restituendum est. ff. de minor. l. cum minor. xxviii.

Minor xxv. annis omissam allegationem per in integrum restitutionis auxilium repetere potest. ff. eod. l. minor. 36.

Aemilius Larianus ab obuinio fundum Rutilianum lege commissoria emerat data parte pecuniæ, ita ut si intra duos menses ab emptione reliqui precii partem dimidiam non soluisset inemptus esset. Item si intra alios duos menses reliquum precium non numerasset, similiter esset inemptus. Intra priores duos menses Larianos defuncto Rutiliana pupilaris ætatis successerat: cuius tutores in solutione cessauerunt. Venditor denunciationibus tutoribus sæpe datis, post annum eandem, possessionem Claudio Felemaco vendiderat pupilla in integrum restitui desiderabat. Victa tam apud prætorem quam ad apud præfectum vrbi prouocauerat. Imperator quia hoc commissoria displicebat ei pronunciauit in integrum restituendam. Ac mouit etiam illud Imperatorem, quod priores tutores qui non restitui desiderassent, suspecti pronunciati erant. ff. eod. l. Aemilius. 38.

Quod dicitur non solere filiisfamilias post emancipationem adhuc minoribus succurri in his quæ omisissent manentes in potestate, tunc rectè dicitur cum patri acquirere possint. d. l. Aemilius. §. finali.

Minor annis. xxv. cui fideicommissum solui pronunciatum erat, cauerat id se accepisse: & cautionem eidem debitor quasi credite pecuniæ fecerat. In integrum restitui potest: quia pacta ex causa iudicati persecutionem nouo contractu ad initium alterius petitionis redegerat. ff. eod. l. Minor. xl. in prin.

Prædia patris sui minor annis. xxv. ob debita rationis tutelæ aliorum quam pater administrauerat, in solutum inconsulte dedit. ad sua æquitatem per in integrũ restitutionẽ reuocanda res est interesse pecuniæ quam constiterit ex tutela, deberi reputato. & cũ quãtitate fructuũ perceptorũ cõpensato. d. l. Minor. §. pdia.

Minor

Minor se in id quod fideiusit, uel mandauit in integro restituendo, reum principale non liberat. ff. eod. l. minor. xlviii. in prin.

Res publica minorum iure vti solet ideoque auxilium restitutionis implorare potest. C. ex quibus causis maiores. l. quarta.

DE FIDEIVSSORIBVS MINORVM. Titulus. XII.

POstquam in integrum ętatis beneficio restitutus, cui periculum euictionis emptori, cui prædium ex bonis paternis vendidisti præstare non cogeris. Sed ea res fideiussores qui pro te interuenerunt, excusare non potest. Quare mandati iudicio, si pecuniam soluerint, aut condemnati fuerint, conuenieris: modo si eo quoque nemine restitutionis auxilio non iuuaberis. C. de fideiussoribus min. l. prima.

Si ea, quæ tibi vendidit possessiones, interposito decreto præsidis, ætatis tantummodo auxilio adiuuatur: non est dubium, fideiussorem ex persona sua obnoxium esse contractui. Verum si dolo malo apparuerit contractum interpositum esse: manifesti iuris est, vtrique personæ, tam uenditricis, quam fideiussoris cōsulendum esse. C. eod. l. finali.

SI TVTOR VEL CVRATOR INTERVENIAT. Titulus. XIII.

EX facto quæsitum est, Adolescentes quidam acceperant curatorem salicianum quendam nomine. hic cum curam administrasset, & beneficio principis vrbicam procurationem esset adeptus: apud prætorem se à cura adolescentium excusauerant, absentibus eis. adolescentes adierant prætorem, desiderantes in integrum aduersus eum restitui, eo quod esset contra constitutiones excusatus: cum susceptam tutelam non alii soleant deponere, quam qui trans mare reip. causa absint, uel hi, qui circa principem sunt occupati, vt in consiliarii Menandri Arrii persona esset indultum. Arrius seuerus, quia dubitabat ad Imperatorem seuerum retulit, ad quam consultationem successori eius Ventidio Quieto rescripsit nullas partes esse prætoris (neq; enim contractum proponi, cum minore annis xxv.) sed principem interuenire & reducere hunc ad administrationem, qui perperam esset per pretorem excusatus. ff. de minoribus. l. verum. xi. §. ex facto.

Si iam puberes vtriusque sexus parentum hæreditatem adiistis: si etiam nunc in ea ætate estis, vt eo, quod paternæ hæreditati vos obligastis in integrum restitutionis auxilium debeatis accipere: per procuratores vestros adite præsidem prouinciæ. Quod si legitimam ætatem implestis, idque tempus qui in integrū restitui positis, excesistis: curatores vestros, si aduersus eos nondum experti æstis, iudicio secundum formam iuris cōuenite. C. si tutor, vel curator. l. prima.

Minoribus annis vigintiquinque etiam in his, quæ præsentibus tutoribus, vel curatoribus, in iudicium, vel extra iudicium gestat fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumuenti, sunt, placuit. C. eod. l. secunda.

Etiam in iis, quæ minorem tutores, uel curatores male gesisse probari possunt, licet personali actione à tutore, vel à curatore suum consequi possunt, in integrū restitutionis auxilium eisdē minoribus dari iā pridē placuit. C. eo. l. tertia.

Si creditor non vestram personam sed curatorem secutus, cum ipsis contractum habuit, & ab ipsis stipulatus est: nullam ei prorsus aduersus vos actionem competere, manifestum est. C. eod. l. penul.

Etiam tutoribus, vel curatoribus distrahentibus minores tam restitui rebus propriis, quam tutorum, vel curatorum damna sequi, nullo eis præiudicio per electionem generando, placuit. C. eod. l. finali.

Si curatorem habens minor xxv. annis post pupillarem ætatem res vendidisti: hũc contractum seruari non oportet: cum non absimilis ei habeatur minor curatorem habens cui à prætore curatore, dato bonis interdictum est. Si uero sine curatore constitutus, contractum fecisti: implorare in integrum restitutionem, si necdum tempora præfinita excesserint causa cognita non prohiberis. C. de in integrum restitut. min. l. tertia.

Etiam si patre, eodemque tutore authore pupillus captus probari posit: curatorem postea ei datum, nomine ipsius in integrum restitutionem postulare non prohiberi placuit. Ex causa curationis condemnata pupilla, aduersus vnum caput sententiæ restitui volebat: quia videbatur in cæteris litis speciebus releuata fuisse, actor maior ętate, qui adquieuit tunc temporis sententiæ, dicebat: totum debere litem restaurari. Herennius Modestinus respondit, si species, in qua pupilla in integrum restitui desiderat cæteris speciebus non cohæret: nihil proponi, cur à tota sententia recedi actor postulans, audiendus sit. ff. eod. l. etiam. 24. in prin.

Tutor vrgentibus creditoribus rem pupillarem bona fide vendit, denunciante tamen matre, emptoribus quæritur cum vrgentibus creditoribus distracta sit, nec de sordibus tutoris merito quippiam dici posit, an pupillus restitui posit. Respondit Scæuola causa cognita, æstimandum: nec idcirco si iustum sit restitui denegandum id auxilium, quod tutor delicto caret. ff. eod. l. Tutor. xlvii. in prin.

Curator adolescentium prædia communia sibi & his quorum curã administrabat vendidit. Quæritur si decrato Prætoris adolescentes in integrum restituti fuerint, an eatenus venditio rescindenda sit quatenus adolescentium pro parte fundus cõmunis fuit. Responsum est eatenus rescindi nisi si emptor à toto contractu uelit discedi, quod parte empturum non esset. Item Quæritur vtrum emptor à Sæio, & Sempronio pupillis precium cum interesse recipere deberet, an vero ab hærede curatoris. Respondit Scæuola hæredes quidem curatoris teneri, verum in Seium, & Sempronium pro parte qua eorum fundus fuit actiones dandas vtique si ad eos accepta pecunia pro eadem parte peruenisset. d. l. Tutor. §. Curator.

SI MINOR AB HAEREDITATE ADDITA SE ABSTINEAT. Titulus. XIIII.

SI Vos paternæ hæreditati non immiscuistis, non ob eam rem testificatio necessaria non fuit, cum fides ueritatis uerborum adminicula non desideret. Quod si pro hærede gesistis, propter ætatem cui subueniri solet in integrumrestitutionis auxilium accipere debetis. C. si minor ab hæreditate. l. prima.

Si cum aui tui testamento te hæredem reliquissent hæreditates eorum non adisti. liberum tibi est repudiata paterna succesione per in integrum restitutionis

auxilium

auxilium,quo te ætatis iure dicis esse munitam, hæreditatem parentum tuorum (licet antea non adiisti) nunc obtinere.C.eod.l.finali.

In integrum vero restitutione postulata aduersus aditionem à minore factam: si quid legatis expensum est, a minore refundendum non est, quemadmodum per contrarium,cum minorum restituitur ad adeundam hæreditatem, quæ ante gesta erant per curatorem bonorum, decreto prætoris ad distrahenda bona secundum iuris formam constitutum: rata esse habenda. Calphurnio Flacco seuerus,& Antoninus rescripserunt. ff.de Minori.l.in integrum.22.

Si hæreditate patris,ætatis beneficio in integrum restitutus abstinuit, se nemine de creditoribus paternis præsente, vel ad agendum a præside euocato: an ea restitutio rectè facta videatur,quæritur? Herennius Modestinus respondit: cum non euocatis creditoribus in integrum restitutionis decretum interpositum proponatur minimè id creditoribus præiudicasse. ff. eodem. l. etiam. si. 24. §.finali.

Si minores contingat desistere velle ab ea hæreditate, quæ ad ipsos deuoluta, & ab ipsis agnita fuit, & omnes creditores præsentes inueniantur in illis locis, in quibus petitur restitutio in integrum: creditores vocentur, a magistratu, & omnibus iis in præsentia constitutis, minores ab huiusmodi hæreditate desistant.Nouell.const.vt Don.propter nupt.cxix.§.ad hæc sancimus alias Coll.ix. const.secunda.

SI MINOR RESTITVITVR OMISSA HAEREDITATE. Titulus XV.

MINORES xxv.annis non tantum in his, quæ ex bonis propriis amiserunt,verumetiam si hæreditatem sibi delatam non adierint, posse in integrum restitutionem postulare iam dudum placuit.C. si ut omissa hæres.l.prima.

Scæuola noster aiebat: si quis iuuenili leuitate ductus omiserit, uel repudiauerit hæreditatem, si quidem omnia integra sint, omnimodo audiendum esse: si vero iam distracta hæreditate & negociis finitis ad paratam pecuniam laboribus substituti veniat, repellendum,multoque parcius ex hac causa hæredem minoris restituendum esse. ff. de minoribus.l. quod si 24.§. Scæuola.

SI IN COMMVNI, EADEMQVE CAVSA IN INTEGRVM RESTITVTIO POSTVLETVR. Titulus XVI.

NEC si maior quinque ex viginti annis soror vestra fuit, vobis non mandantibus, nec ratam transactionem habentibus de iure uestro quidque minuere potuit. Nam si cognitis,quæ gessit his consensum post.25. annos ætatis commodatis: quamuis illa minor proportione sua restitutionis auxilium implorare possit: uobis tamen ad communicandum edicti perpetui beneficium eius ætas patrocinari non potest.C.si in communi.l.unica.

SI ADVERSVS REM IVDICATAM RESTITVTIO POSTVLETVR.

Titulus. XVII.

Minus ex tutelæ iudicio consecuti de superfluo habere actionem ita potestis, si tempore iudicii minores annis fuistis, & nunc beneficium ætatis vobis largitur. Cæterum si post legitimam ætatem sententia prolata est: iterato eandem actionem de iisdem speciebus inferre non potestis. C. si aduersus rem iud. l. prima.

Si cum pater tuus te in sua potestate esse minimeque emancipationem à se factam valere diceret, proconsul super causa cognoscens te eius potestati subiectam pronunciauerit, cum aduersus eam sententiam in integrum restitui postules, is, qui pronunciam regit, in impertienda cognitione suas partes secundum leges exhibebit. C. eod. l. secunda.

Aduersus sententiam eius, qui tunc uice principis iudicauit, in integrum restitutionis auxilium apud prætorem seu præsidem prouinciæ Clarissimum uirum flagitare nequaquam poteris, nam aduersus eius sententiam, qui vice principis cognouit, solus princeps restituet. C. eod. l. tertia.

Cum & minores vos esse adfirmetis, & in defensos: nullum fieri vobis præiudicium, præses prouinciæ pro sua Grauitate curabit, nam si iusta defensione tutorum uel curatorum vobis assistente, aliquid statutum est: intelligitis in integrum restitutionis auxilium vobis esse necessarium: eodem obtinente etiam, si per procuratorem uestrum legitime ordinatum lis agitata est. C. eodem. l. penul.

In rem pupilli, uel adulti contra tutores, uel curatores à præside lata sententia, restitutionis auxilium non minus, quam si quid aduersus eos fuisset statutum implorare minores posse constat. C. eod. l. finali.

SI ADVERSVS VENDITIONEM.

Titulus. XVIII.

Si minor annis. xxv. emptori prædii cauisti nullam de cætero te esse controuersiam facturum, idque etiam iureiurando corporaliter præstito seruare confirmasti, neque perfidiæ, neque periurii iudicem authorem futurum sperare tibi debuisti. C. si aduers. uend. l. prima.

Sacramenta puberum (inquit Fridericus Imp.) sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis inuiolabiliter custodiantur. Per uim aut uel per iustum metum extorta etiam à maioribus (maximè ne quærimoniam maleficiorum commissorum faciant) nullius esse momenti iubemus. Nona constitutione. C. eod. siue in lib. feud. secundo. Tit. 53. §. item sacramenta puberum.

In integrum restitutione minoribus aduersus commenticias uenditiones, & aduersus tutorum seu curatorum insidias sanctionum præsidio cautum esse, non dubium est. C. eod. l. finali.

Si in emptionem pœnes se collocatum minor adiectione ab alio superetur: implorans in integrum restitutionem audietur, si eius interesse emptam

ab eo

ab eo rem fuisse, ad probatur veluti quod maiorem eius fuisset. ita tamen, ut id quod ex licitatione accessit, ipse offerat uenditori. ff. de minoribus. l. si in emptione. xxxv.

Si iudex circumuentio in uenditione adolescenti, iussit fundum restitui, cumque precium emptori reddere, & hic nolit uti hac in integrum restitutione, pœnitentia acta, exceptionem utilem aduersus petentem precium quasi ex causa iudicati adolescens habere poterit, quia unicuique licet contemnere hæc quæ pro se introducta sunt. nec quæri poterit uenditor, si restitutus fuerit in eandem causam, in quam se ipse constituerat, & quam mutare non potuisset, si minor auxilium prætoris non implorasset. ff. eod. l. si iudex. 41.

Si res pupillaris, uel adolescentis distracta fuerit, quam lex distrahi non prohibet uenditio quidem ualet uerumtamen si grande damnum pupilli, uel adolescentis uersatur (etiam si collusio non intercessit) distractio per in integrum restitutionem reuocatur. ff. eod. l. penultima.

SI ADVERSVS VENDITIONEM PIGNORVM ETC. Titulus XIX.

ETiam aduersus uenditiones pignorum, an à creditoribus fiunt minoribus subueniri, (si tamen magno detrimento afficiantur) iam pridem placuit. Si igitur captis prædiis pignori, ac distractis enorme damnum ex huiusmodi uenditione passos uos ostenderitis, præsertim, cum hodieque minores vos esse affirmetis: auxilium restitutionis uobis impertietur. C. si aduersus uend. pig. l. prima.

Rem, quam à patre vestro quondam creditor eius obligatam sibi distraxit per ætatem uestram postulantium reuocari desiderium non habet rationem. Quod iuris est, & si extraneo successistis. Nam si creditor non bona fide uersatus est: ipsum magis, uel tutores, siue curatores vestros, qui hanc uenundari passi sunt, conuenite. C. eod. l. fin.

SI ADVERSVS DONATIONEM. ETC. Titulus XX.

SI quæ res ante nuptias congluenti moderatione à minore annis marito sponsaliorum tempore etiam curatore præsente, tibi donatæ sunt: obtentu ætatis non reuocabuntur. C. si aduersus donat. l. prima.

Si in te, ac in fratrem tuum emancipatos pater uester donationem fecit: in alium postea transferendo portionem eius, nihil abstulit uobis. nec si frater tuus sibi quæsiti prædii rustici patrem donanti patri consensit, dominium ab eo discedere potuit, propter Senatusconsulti authoritatem, nec auxilium in integrum restitutionis in hac re necessarium est. in aliis uero rebus, quæ etiam sine decreti recitatione alienari possunt: si postquã sibi donatæ fuerint postea alii donanti eandem patri uoluntatem in minore ætate commo-

dauit, nec præstituta tempora restitutionis excessit: hoc auxilium implorare potest. C. eod. l. finali.

SI ADVERSVS TRANSACTIONEM, VEL DIVISIONEM IN INTEGRVM MINOR RESTITVI VELIT. Titulus XXI.

CVM in integrum pupilla restituta rescindi transactionem, vel diuisionem placuit: tu quoque actionibus, quas pridem habuisti, uteris. C. si aduersus transact. lege prima.

Si ex persona minorum in integrum restitutio aduersus transactum propter ætatis auxilium imploretur, tibi quoque agenti ex integro, uel replicatione contra exceptionem pacti, uel si peremptam constet pristinam obligationem, ex instauratione negocii tributa tibi actione consulendum est. C. eod. l. fin.

SI ADVERSVS SOLVTIONEM A TVTORE VEL A SE factam &c. Titulus XXII.

EXemplo cæterorum debitorum tutores etiam, quæ ex administratione tutelæ debent, curatoribus soluentes, liberantur. sed ante tempus in integrum restitutionis præstitutum edicto perpetuo permissum beneficium implorari: & an sit tribuendum per causæ cognitionem existimari potest. C. si aduers. solution. à tut. l. primæ.

Indebito legato, licet per errorem iuris à minore soluto repeticionem ei decerni: si nec dum tempus, quo restitutionis tribuitur auxilium excesserit: rationis est. C. eod. l. finali.

SI ADVERSVS DOTEM RESTITVTIO POSTVLETVR. Titulus XXIII.

QVoniam circunuentam dicis sororem tuam omnia bona in dotem dedisse: an veritas allegationi adsistat: si ad te hæreditas sororis tuæ, vel bonorum possessio pertinuit, & tempora nondum præterierint, intra quæ legibus conceditur ex persona defuncti postulare in integrum restitutionem: præses prouinciæ præsente diuersa parte examinabit, C. si aduersus dotem, l. vnica.

Mulier minor xxv. annis si pactione dotis deterior condictio eius fiat: & tale pactum inierit quod nunquam maioris ætatis constituta paciscerctur, atq; ideo reuocare velit: audienda est; ff. de min. 48. §. fin.

SI ADVERSVS DELICTVM SVVM, &c. Titulus XXIIII.

IN criminib. qdem ætatis suffragio minores non iuuant. etenim malorũ mores infirmitas animi non excusat, sed cũ delictũ nõ ex aĩo, sed ex cõtractu uenit, noxa non cõmittat, et si pœnæ cã pecuniæ dãnũ irroget, & ideo minoribus, & in

hac causa

hac causa in integrum restitutionis auxilium competit. C. si aduers. delict. l. prima.

Licet in delictis ætate neminem excusari constet: tamen matri, quæ filiis tutorem ætatis lubrico lapsu non petiit, eorum nomine denegari successionem conuenit: cum hoc in maioribus tractibus tantum obtineat. C. eod. l. finali.

Auxilium in integrum restitutionis in exemptionibus pœnarum paratum non est. ideoque iniuriarum iudicium semel omissum repeti non potest, & in sexaginta diebus præteritis, in quibus iure mariti sine calumnia uir accusare mulierem adulterii potest, denegatur ei in integrum restitutio, quia ius omissum si si nunc repetere uult quid aliud quam delicti ueniam, id est calumniæ deprecatur: & cum neque in delictis, nec calumniatoribus prætorem succurrere oportere certi iuris est, cessabit in integrum restitutio. in delictis autem minor annis xxv. non meretur in integrum restitutionem (utique in atrocioribus, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem produxerit. Sed ut ad legis Iuliæ de adulteriis coercendis præcepta ueniamus) utique nulla deprecatio adulterii pœnæ est, si se minor annis adulterium fateatur commisisse quia non fit ætatis beneficio excusatio aduersus præcepta legum, qui dum leges inuocat contra leges committit. ff. de minor. l. auxilium. 37. eos committit.

SI ADVERSVS VSVCAPIONEM ETC. Titulus. XXIIII.

Contra eos, qui res minorum tenent, si usucapione dominium adquisierint, restitutionis auxilium eis decerni debet. C. Si aduer. usu cap. l. Vnica.

Etiam ei, qui prius, quàm nasceretur vsucaptum amisit restituendam actionem, labeo scribit. ff. de minorib. l. etiam. 45. in prin.

SI ADVERSVS FISCVM. ETC. Titulus. XXV.

SI Probus in minore ætate constitutus circumuentus à Ruffino dispensatore principis venditionem rei præcipiti animo precio longe minore contrahere festinauit: iuris publici fiscus in integrum restitutionis sequetur authoritatem. C. si aduer. fiscum. l. prima. 36.

Si aduersus priuatos in integrum restitutionem tam tu, quàm fratres tui desideratis, præsidis prouinciæ viri charissimi notio est: isque causa cognita æstimabit, an auxilium, quod imploratis, conferri vobis debeat. Quod si aduersus fiscum id postulatis, intelligitis procuratorem fisci adire uos debere. C. eod. l. secunda.

Edicto quidem diui Marci res minorum ex emptæ, nihil tuum adiuuant desiderium: si quidem debiti causa patris minoris uel etiam ipsius prędia venundata quinquennii præscriptionis nullum admittunt quæstionem. Sed quoniam per collusionem siue fraudem, tunc temporis procuratoris fisci nimis exiguo precio fundum tuum uenundatum ad seueras: si aditus rationalis fisci tuis allegationibus fidem adesse, nec seruatam solennitatem

hastarum animaduerterit fisco te satisfaciente, reuocata venditione fundum ti bi restitui iubebit. C. eod. l. fin.

SI ADVERSVS CREDITOREM RESTITVTIO POSTVLETVR. Titulus. XXVI.

CVm & ipse profitearis cum Zenodora minore xxv. annis te contraxisse, nec doceri potuisse prætorem, eam ex eo contractu locupletiorem esse factam. Intelligis eam merito in integrum restitutum. C. si aduer. credit. l. prima.

Si minor annis pecuniam accepit nec ea in rem suam uersa est aduersus cautionem per quam eo nomine se obligauit, in integrum restitutionis auxilium potest postulare. C. eod. l. fin.

VBI, ET APVD QVEM COGNITIO IN INTEGRVM RESTITVTIONIS AGENDA SIT. Titulus. XXVII.

NVnc videndum qui in integrum restituere possit, & tam præfectus vrbi, quàm alii magistratus pro iurisdictione sua restituere in integrum possunt: tam in aliis omnibus causis, quàm contra sententiam suam. Præfecti etiam prætorio ex sua sententia in integrum possunt restituere, quamuis appellari ab eis non possit. Hæc idcirco tam variè, quia appellatio quidem iniquitatis sententiæ querelam: in integrum vero restitutio erroris proprii veniæ petitionem, uel aduersarii circumuentionis allegationem continet. ff. de Minorib. l. in causæ. xv. §. fin. cum l. seq.

Minor autem magistratus contra sententiam maiorum non restituet. Si autē princeps sententiam dixit, perraro solet permittere restitutionem, & induci in adiutorium eum xum, qui per infirmitatem ætatis captum se dicat, dum ea, quæ pro causa sunt, non dicta allegat uel ab aduocatis præuaricatum quæratur. Denique Glabrionem Attilium Diuus seuerus, ex Imp. An. non audiuerunt in colorate restitui desiderantem aduersus fratrem post speciem in adiutorio eorum finitam. Rursus Pescennio Seuero contra res bis iudicatas in integrum restitui desideranti Diuus seuerus, & imperator Antoninus permiserunt in adiutorio suo examinari. Idem imperator Licinio Frontoni rescripsit: insolitum esse post sententiam vice sua ex appellatione dictam, alium in integrum restitutionem tribuere, nisi solum principem. Sed & si ab Imperatore iudex datus cognoscat: restitutio ab alio nisi à principe, qui iudicem destinauit, non fiet. ff. eod. l. minor. xviii.

Non solum autem minoribus, verum successoribus quoque minorum datur in integrum restitutio, & si sint ipsi maiores. d. l. Minor. 18. §. non solum.

Interdum tamen successori plus, quàm annum dabimus, vt edicto est expressum, si fortè ætas ipsius subueniat, nam post annum vicesimum quintum habebit legitimum tempus, hoc. n. ipso deceptus uidetur, quod cùm posset restitui intra tempus statutum ex persona defuncti, hoc non fecit: Planè si defunctus ad in integrum restitutionem, modicum tempus ex anno vtili habuit: huius hæredi minori post annum. xxv. completum si non totum statutum tempus dabimus ad in integrum restitutionem, sed id duntaxat tempus, quod habuit iis, cui hæ

res

res exſtitit.ff.eodem.l.interdum.19.

Si quid à procuratore meo iudicatum eſt,id per in integrum reſtitutionem præſidis ſententia non poteſt reſcindi.princeps enim ſolus contra ſententiam procuratorum ſuorum in integrum reſtituere ſolet.C.vbi,& apud quem.l.prima.

Quoniam ea,quę in tranſactione dari placuerat te tradidiſſe proponis:conſequẽs eſt,ſi de his repetendis per in integrum reſtitutionem, vel quarecunque aliam cauſam putaueris agendum: eius odire te prouinciæ præſidem in qua domicilium habent,quos conuenis. C.eod.l.ſecunda.

De reſtitutionibus,quæ in integrum poſtulantur, ſancitum eſt non ſolum apud iudices pro tribunali huiuſmodi cauſæ cognitionem proponi, ſed etiam apud eos iudices, quos Imperator dederit,aut Reip.adminiſtratores,vt uideat ipſe, qui iudicem deſtinauerit,vt pote pro tribunali cognoſcens in integrum dare reſtitutionem,& cauſas eius examinare. Sic etenim non difficilis erit cauſarum examinatio. Sed ne quis audeat intellectum huius conſtitutionis trahere etiã ad compromiſſarios iudices,uel arbitros ex communi ſententia electos, vel apud eos,qui dantur à iudicibus,qui propriam iuriſdictionem non habeant,ſed tantummodo iudicandi facultatem,vult Imp.hos tantum Generaliter tales cauſas dirimere,qui vel certæ adminiſtrationi,cui & iuriſdictio adhæret,præpoſiti ſunt,vel ab iis fuerint dati. C.eod.l.finali.

Minores ſi in iudicem compromiſerunt: licet tutore authore ſtipulati ſunt: integri reſtitutionem aduerſus talem obligationem iure deſiderant.ff. de minoribus.l.ſi minor.34.§.minores.

Præſes prouinciæ minorem in integrum reſtituere poteſt etiam contra ſuam, vel deceſſoris ſui ſententiam, quod. n. appellatio maioribus interpoſita præſtat, hoc beneficio ætatis conſequuntur minores.ff.de minoribus.l.præſens.42.

IN QVIBVS CAVSIS IN INTEGRVM RESTITVTIO NECESSARIA NON EST.
Titulus. XXVIII.

Minoribus xxv.annis præſertim qui per tutores, & curatores non defenduntur,non obeſſe ſi mortem defuncti parentis non ulciſcantur multis reſcriptis continetur.C. in quibus cauſis in integrum reſtit. neceſſ.non eſt.l.prima.

In minorum perſona re ipſa, & ex ſolo tempore tardæ precii ſolutionis recepto iure moram fieri creditum eſt, in iis videlicet quæ moram deſiderant ideſt in bona fidei contractibus,& fideicommiſsis,& legatis.C. eodem. l.tertia.

Si tutor qui pro tutelario officio non cauerat,iudicio expertus eſt: contra eum lata ſententia iuri pupilli officere non potuit: nec ea quæ ab eo geſta ſunt ullam firmitatem obtinent finita ergo in integrum reſtitutionis auxilium deſiderat: quando ea quæ ab eo geſta ſunt qui legitimi adminiſtratoris perſonam ſuſtinere non potuit ipſo iure irrita ſunt. C.eod.l.quarta.

Fauore imperfectè ætatis exceptio non numeratæ pecuniæ ab initio minorem non currit: ne dum in integrum reſtitutionem,expectamus, uel aliquot emergat obſtaculum,per quod huiuſmodi beneficium minor uti non poſsit, uel ſubſtantia eius ſubuertatur, ſed humanius eſt lacius legis interpretationem extendere in omnibus caſibus in quibus uetera iura curere quidem temporales præ-

ſcrptiones aduerſus minore: conceſſerunt. per integrum autem reſtitutionem eis ſubueniebant, eas ipſo iure non currere melius etenim eſt intacta corum iura ſeruari quam poſt cauſam vulneratam remedium quærere, videlicet exceptionibus triginta vel quadraginta annorum in ſuo ſtatu remanentibus. C. eo. l. fin.

DE REPVTATIONIBVS QVAE FACIVNT IN IVDICIO IN INTEGRVM RESTITVTIONIS. Titulus XXIX.

QVi reſtituitur in integrum, ſicut in damno morari non debet, ita nec in lucro: & ideo quicquid ad eum peruenit, vel ex emptione, uel ex uenditione, uel ex alio contractu hoc debet reſtituere. Sed & ſi interceſſor minor xxv. annis interuenerit, in veterem debitorem debet reſtitui actio. Sed & cum minor adiit hæreditatem, & reſtituitur mox quidquid ad eum ex hæreditate peruenit, debet præſtare verum & ſi quid dolo eius factum eſt, hoc eum præſtare conuenit. C. de reputatio. quæ fiunt in iud. reſt. l. Vnica.

IN INTEGRVM RESTITVTIONE POSTVLATA NE QVID NOVI FIAT. Titulus XXX.

POſtulata in integrum reſtitutione omnia in ſuo ſtatu eſſe debere donec re finiatur, perſpicui iuris eſt: idque curabit is ad cuius partes ea res pertinet. C. in inte. reſt. poſt. ne quid Noui. l. vnica.

QVI ET ADVERSVS QVOS IN INTEGRVM RESTITVI NON POSSVNT. Titulus XXXI.

IN conſilio quidem cognoſcens de reſtitutione in integrũ eſſe oportet non is, qui ſe minorem annis læſum eſſe dicit, diligens paterfamilias, fuerit actibusq; publicis induſtrium ſe docuerit, ut lapſum eum per ætatem ueriſimile non ſit, uerum ſi cauſa cognita circumuentus deprehendatur: propter hoc ſolum uelut præſcriptione à ſolito auxilio remoueri non debet, ſcilicet quod urgentibus patriæ neceſsitatibus decurio minor annis creatus ſit, uel propagandæ ſoboli liberorum educatione proſpexerit. C. qui, & aduerſ. quos. l. prima.

Vt maneat in omnibus honor parentum illibatus, atque intactus, ſancitum eſt nullo modo aduerſus parentes utriuſque ſexus dari reſtitutionem. Nam perſonarum reuerentia omnes eis excludit reſtitutionem, cum proculdubio ſit, etiã ipſas perſonas cauere, ne quid ſuæ opinioni contrarium exiſtat. C. eod. l. finali.

SI MINOR SE MAIORE DIXERIT VEL MAIOR PROBATVS FVERIT. Tit. XXXII.

SI minor xxv. annis adito præſide ex adſpectu corporis falsò probauit perfectam ætatem curatores cum intellexiſſent eſſe minorem, perſeuerauerunt in admini

ſtratione

stratione, medio tempore post probatam ætatem, ante impletum uigesimum quintum annum soluta sunt adolescenti pecuniæ debitæ, easque male consumpsit, quærit Paulus, cuius sit periculum, & quid si curatores quoque eo modo in eodem errore perseuerassent, curationem etiam restituissent, an periculum temporis quod post probatam ætatem intercessit, ad eos pertineat? responsum est, hi qui debiti exsoluerunt liberati iure ipso non debent iterum conueniri. Planè curatores, qui scientes eum minorem esse perseuerauerunt in eodem officio, nō debuerent eum pati accipere pecunias debitas, & debebunt hoc nomine conueniri. Quod si & ipsi decreto præsidis crediderunt, & administrare cessauerunt, uel etiam rationem reddiderunt: similes sunt cæteris debitoribus, ideoque non conueniuntur. ff. de minoribus. l. minor. 32.

De ætate eius, qui se maiorem annis xxv. dicit causa cognita probandum est: quia per eam probationem in integrum restitutioni eiusdem adolescentis in aliis causis præiudicatur. ff. eod. l. de ætate. 43.

Si cum minor annis xxv. esses, tabulis, quæ sunt tuorum professionum oblatis tibi ætatem, quasi maior annis xxv. decepta probasti in integrum restitutionem intra statutum legibus tempus etiam post impletam ætatem de omnibus intra ætatem aduersus te gestis postulare apud eum, cui de ea re iurisdictio est, potes. C. si minor. se maiorem dix. l. prima.

Si is, qui nunc minorem se adseuerat, fallaci maioris ætatis mendacio te deceperit, cum, iuxta statuta iuris errantibus non etiam fallentibus minoribus publica iura subueniant in integrum restitui non debet. C. eod. l. secunda.

Si alterius circumueniendi causa minor ætate maiorem te aspectu probare laboraueris, cum maliciam suppleat ætatem, restitutionis auxilium tam sacris constitutionibus, quam scriptorum auctoritate denegari statutum est; quod si per iniuriam, uel circumuentionem aduersarii hoc fuerit factum: durat beneficiū, quod minoribus causa cognita subuenire solet, aditus itaque præses prouinciæ probationis ætatis examinata causa, si tuum dolum non repererit interuenisse, ac te minorem tunc fuisse probaueris: causa cognita in integrum restitui prouidebit. Si tamen in instrumento per sacramenti religionem maiorem te esse adseuerasti: non ignorare debes exclusum tibi esse in integrum restitutionis beneficium, nisi palam & euidenter ex instrumentorum probatione non per testium depositiones te fuisse minorem ostenderis, huiusmodi autem sacramento corporaliter præstito, nullum tibi superesse auxilium perspicui iuris est. C. eod. l. penul.

Cum circa probandum annorum numerum apud rectorem prouinciæ erratum esse proponas, & in huiusmodi causis, etiam filiisfamiliarum minoribus subueniri admissum sit, ea, quæ in præce contulisti, præsidem prouinciæ examinare conuenit. Qui si æstimata ætate tua maiorem annis falsa opinione te præsumpsisse ex probationum luce cognouerit, erga minoris personam fidem ueri sequetur. C. eod. l. fin.

SI SAEPIVS IN INTEGRVM RESTITVTIO POSTVLETVR. Titulus. XXXIIII.

Post sententiam proconsulis contra uos latam si desiderastis in integrum restitui, nec obtinuistis: frustra rursus, vt ea quæstio in integrum restitutionis agitetur, desideratis appellare, n. debuistis, si vobis sententia displicebat. Sed fradhuc

huc in ea ætate eſtis, cui ſubueniri ſolet: appellandi ius reſtituitur, C. ſi ſæpius in integ. l. primâ.

Quanquam curatores pupillæ victi ſunt, cum in integrum reſtitui pupillam deſiderabant: cum tamen nouis defenſionibus cauſam inſtrui poſſe dicas: adeant curatores uxoris tuæ iudicem, & petant, & cauſas in integrum reſtitutionis agant, C. eod. l. ſecunda.

In vna, eademque cauſa iteratum in integrum reſtitutionis auxilium non iure (niſi nouæ defenſiones prætenduntur) poſci, ſæpè reſcriptum eſt, C. eo. l. fin.

DE HIS, QVI VENIAM AETATIS IMPETRAVERVNT. Titulus XXXIIII.

Eos, qui veniam ætatis impetrauerunt, etiam ſi minus idoneè rem ſuam adminiſtrare videantur, in integrum reſtitutionis auxilium impetrare non poſſe, manifeſtiſsimum eſt: ne qui cum eis contraheret, principali auctoritate circunſcriptus eſſe videatur, C. de his, qui veniam, l. prima.

Omnes adoleſcentes, qui honeſtate morum præditi paternam frugem, vel auorũ patrimonia gubernare cupiunt, ſuper hoc Imperiali auxilio indigere cæperint ita demum ætatis veniam impetrare audeant ætatis veniam ſidem ipſi pro ſe principale beneficium allegantes, non ſolum pro ſcripturam annorum numerum probent, ſed etiam teſtibus idoneis aduocatis, morum ſuorum inſtituta, probitatemque animi, & teſtimonium vitæ honeſtioris edoceant. Fœminas quoque, quas morum honeſtas mentisque ſolertia commendat, cum octauum, & decimum annum egreſſæ fuerint, veniam ætatis impetrare ſancitum eſt. Verum propter pudorem & verecundiam fœminarum cætui publico ſe demonſtrare non coguntur. ſed percepta ætatis venia, annos tantum probare teſtibus, vel inſtrumentis miſſo curatore conceditur. vt etiam ipſe in omnibus negociis tale ius habeant, quale mares habent: ita tamen ut prædia ſine decreto non aliẽnent. Hi verò, qui contra memoratam diſpoſitionem ueniam ætatis impetrauẽrint: ſciant eam nullas uires obtinere, C. eo. l. ſecunda.

Eos, qui veniam ætatis impetrauerunt, vel impetrauerint, non ſolum alienationẽ, ſed etiam hypothecam minimè poſſe ſiue decreti interpoſitione rerum ſuarum immobilium facere iubetur, in quarum alienatione, vel hypotheca decretum illis neceſſariũ eſt, qui nec dum veniã ętatis meruerũt: ut ſimilis ſit in ea parte cõditio minorum omniũ, ſiue petita, ſiue non petita ſit ætatis venia, C. eo. l. tertia.

Si quis aliquid dari, vel fieri uoluerit, & legitimæ ætatis fecerit mentionem, vel ſic abſolutè dixerit PERFECTAE AETATIS, illa tantummodo ætas intellecta eſſe uidetur, quæ & xxv. annorum curriculis completur, non quæ ab Imperiali beneficio ſuppletur, & præcipuè quidem in ſubſtitutionibus, vel in reſtitutionibus hoc intelligitur, nihilominus autem, & in aliis, niſi ſpecialiter quiſquam addiderit ex venia ætatis velle aliquid procedere, C. eo. l. fi.

SI MAIOR FACTVS RATVM HABVERIT. Titulus XXXV.

SI inter minores quinque & viginti annis, vel ſcriptura interpoſita, vel ſine ſcriptura facta, ſine dolo diuiſio eſt eamq; poſt legitimam ætatem ratam fecerint,

manere

manere integrum debere conuenit.C.si maior fact.l.prima.

Qui post vicesimum quintum annum ætatis ea, quæ in minore ætate sunt gesta, rata habuerint: frustra rescisionem eorum postulant.C.eod.l.fin.

ETIAM PER PROCVRATOREM CAVSAM IN INTEGRVM RESTITVTIONIS AGI POSSE. Titulus. XXXVI.

CAusam in integrum restitutionis, si qua competit etiam per procuratorem agi posse placet, C. etiam per procurat. & circa. l. vnica. Si talis interueniat iuuenis, cui præstanda sit restitutio: ipso postulante præstari debet, aut procuratori eius, cui idipsum nominatim mandatum sit. Qui uero generale mandatum de vniuersis negociis gerendis alleget, non debet audiri. Quod si de speciali mandato dubitetur, cum restitutio postulant: interposita stipulatione, RATAM REM DOMINVM HABITVRVM, rei poterit mederi. Quod si is, qui circumscripsisse dicetur, absit defensor eius satis IVDICATVM SOLVI dare debebit.ff. de Minor.l.illud.25.§.si talis,&l.seq.

Patri pro filio omnimodo præstanda restitutio est, licet filius restitui nolit: quia patris periculum agitur qui de peculio tenetur. Ex quo apparet cæteros cognatos, uel adfines alterius esse conditionis: nec aliter audiri oportere, quam si ex uoluntate adolescentis postulent: aut eius uitæ sit iste adolescens, ut meritò etiam bonis ei interdici debeat.ff.eod.l.patri.27.in prin.

DE RESTITVTIONE MILITVM ET EORVM, QVI REIP. CAVSA ABSVNT. Titulus. XXXVII.

SI cum militaribus laboribus operam dares creditoris tui hæredes possessiones sibi obligatas distraxerunt: poteris adito præside prouinciæ in integrum restitutionem impetrare retractaque uenditione recipies possessionem oblato à te debito vel precio, si minus debito fuisset. C. de restitut.mil.l.sexta.

Quæ à patre geruntur, non decet pro disciplina militari a filiis ad irritum reuocari: præsertim, cum nec patrem tuum in rebus humanis agentem adfirmes conquæstum fuisse super huiusmodi contractu.C.eod.l.septima.

Sancitum est iis solis, qui in expeditionibus occupati sunt ea tantummodo tempora, quæ in eadem expeditione percurrunt, tam in exceptionibus declinandis, quam in petendis in integrum restitutionibus eis opitularii, illis temporibus, per quæ citra expeditionis necessitatem in aliis locis, uel in suis sedibus degunt, minimè eos ad uindicanda memorata priuilegia adiuuantibus. C. eodem, l.fin.

Si quid de bonis eorum, qui Reip.causa absentes sunt, deminutum est, actioneve, qua competente eis aliquis liberatus fuit: in integrum restitutio perpetua iurisdictione intra annum vtilem permittitur.C.eod.l.tertia.

Quod tempore militiæ de bonis alicuius possessum ab aliquo est: posteaquam is reip.causa abesse desiit, intra annum vtilem, amota præscriptione temporis medii possessionem uindicare permissum est. Vltra autem ius possessoris lædere contra eum institutum non oportet. C.eod.l.secunda.

Ignorare non debes eorum, qui Reip. causa sine dolo malo absunt, si absentes boni viri arbitratu non defenduntur, bona tantum possideri: venditionem autem in id tempus differri, euo Reip. causa abesse desierint. C. eod. l. quarta.

Neque Reip. causa absentis, nec aliis maioribus ad titulum in integrum restitutionis pertinentibus præscriptionem quinquennii post factam à fisco venditionem obesse posse, manifestum est. C. eod. l. quinta.

DE VXORIBVS MILITVM ET EORVM, QVI REIP. CAVSA ABSVNT. Titulus XXXVIII.

Temporalibus actionibus exclusis mulieribus, quæ cum maritis reip. caussa absentibus peregrinatæ sunt ad exemplum militum subueniri solere non est ignotum. C. de vxoribus mil. &c. l. prima.

Ei, quæ diutissimè fuit cum marito, qui militiæ operam daret, non officit præscriptio longi temporis. Sed quia huiusmodi diutinæ absentiæ commenta callide adhibita, atque composita obesse omnino non debent: decernitur, vt si talis mulier domum ad se pertinere monstrauerit, quæ in absentia eius vendita est, refuso precio, quod reuera solutum est, eandem recipiat. C. eod. l. finali.

DE TEMPORIBVS IN INTEGRVM RESTITVTIONIS TAM MINORVM ALIARVMQVE PERSONARVM, QVAE RESTITVI POSSVNT, QVAM HAEREDVM EORVM. Titulus XXXIX.

IN iis, in quibus læsus es, cum minor annis xxv. esses toto militaris expeditionis tempore, auxilium restitutionis postulare potes tempus etenim post impletam minorem ætatem præstitutum ex die missionis iuxta rationem iuris computari debet. C. de temporib. in integ. restitut. & circa. l. prima.

Si intra legitimam ætatem, vel ea impleta nondum exacto tempore præstituto pater tuus in facta concessit, tuque ei hæres extisti & intra. xxv. annos, vel post eam ætatem intra id tempus quod ad in integrum restitutionem defuncto superserat, nomen militiæ dedisti, præses prouinciæ causa cognita per in integrũ restitutionem ex persona defuncti subueniri tibi prouidebit. C. eod. l. secunda.

Si intra annos, quibus in integrum restitutionis auxilium indulgetur, constitutus es, vel eo tempore nomen militiæ dedisti & expeditione occupatus es: continuato beneficio restitutionis per vsucapionem, licet ante militiam suppleta sit, tu dispendio rei familiaris non affligeris. C. eod. l. tertia.

Ex persona fratrum, si tibi eorum quæsita est successio potes, contra quem supplicas, agere: non ignorans, quod si minores quinque & xx. annis militauerint fratres tui, atque in militia diem functi sunt, in integrum restitutionis eis tempus non cesserit, sed omne ad successorem transmiserint. C. eod. l. quarta.

Ea, quæ de temporibus in integrum restitutionum legibus cauta sunt, custodiri conuenit & si fortè quis beneficio principis ætatis veniam fuerit consecutus: ex eo die, quo indulgentia in iudicio competenti fuerit intimata, eique administratio rei proprie permissa: ad persequenda in integrum restitutionem finiendasque

niendasque causas iure tempus habent præstitutum: ita tamen, ut nunquam minoribus xxv. annis cōstitutis de iis, quæ ante impetratam veniam ætatis gesserunt, auxilium in integrum restitutionis denegetur, C. eo. l. quinta, in princ.

Si quando sanè in minoris iura successerit minor, minimè prohibetur, cum quintum & vicesimum ætatis suæ annum transierit in integrum restitutionis beneficio, vti tempore illibato, quod si maioris fuerit minor iura nactus: quantum ad eas pertinet causas: quas ex persona maioris fuerit consecutus, tantum temporis ad exponendas in integrum restitutionis, decidendasq; causas accipere debebit, quantum defuncto, cuius hæres docebitur, extitisse reliquum fuerat, d. l. quinta, §. si quando.

Cum uero maior succesionem fuerit adeptus minoris, siquidem ab intestato vel ex testamento successerit, mox cum fuerit adita hæreditas examinando, ac terminando in integrum restitutionis negocio solida sine ulla deminutione tempora supputentur, d. l. quinta, §. finali.

Petendæ in integrum restitutionis temporibus obseruatis, si dilatio ab actore petatur, quæ intra metus restitutionis valet artari: eandem quocunq; flagitante causis cognitis tribui oportebit. Sin uero eiusmodi postulantur curricula, quæ intra spacium receptum angustari non quæunt (quippè si in confinio legitimi temporis petuntur & eius terminos prorogabunt) dilationem petitori denegari conueniet. in eius enim arbitrio fuerat, tunc inferre litigium, cum petitæ dilationis mora spacio superstite posset includi. Quod si defensio rei dilationis suffragium postulauerit: eandem ad certa causa citra obstaculum temporis deferri sancitum est, quia nequaquam steterat in ipsius potestate, quando litigio pulsaretur, dari igitur debet, & si impetrata dimensio, sese vltra temporis definitionem proferat, qua dilatione, si à reo impetratur, etiam actor in requirendis probationibus, vti minimè prohibebitur, C. eo. l. pen.

Intra utile tempus restitutionis apud præsidem petierunt in integrum restitutionem minores, de ætate sua probauerunt, dicta pro ætate sententia aduersarii, ut impedirent cognitionem præsidis, appellauerunt ad Imperatorem. præses in euentum appellationis cætera cognitionis distulit. Quæsitum est, si finita appellationis apud Imperatorem cognitione, & iniusta appellatione pronunciata egressi ætatem de prehendantur, an cętera negocia implere posint, cum per eos non steterit, quominus res finem accipiat? Responsum est: secundum ea, quæ proponerentur, perinde cognosci, atq; si nunc intra ætatem essent, ff. de minoribus, l. intra utile, 39. in prin.

Vendentibus curatoribus minoris fundum, emptor extitit Lucius Titius: & sex ferrè annis possedit, ac longè, lateq; rem meliorem fecit. quæritur, cum sint idonei curatores: an minor aduersus Titium emptorem in integrum restitui posit, responsum est, ex omnibus, quæ proponerentur, vix eum esse restituendum nisi maluerit omnes impensas, quas bonafide emptor fecisse adprobauerit ei præstare: maximè cum sit ei paratum auxilium, curatoribus eius idoneis constitutis, d. l. intra vtile, §. uendentibus.

Tempus restitutionis in integrum quadriennium continuum datur. Non solum in minorū restitutionibus, & incipit currere à die, quo vicesimisexti anni dies illuxerit. sed etiam in maiorum idem obseruatur: & memorata continuatio temporis obseruatur ad interponendam contestationem, finiendamq; litem, & quemadmodum omnis minor ætas excipitur in minorum restitutionibus, ita & in maiorum tempus, in quo Reip. causa abfuerint, uel aliis legitimis causis,

quæ veteribus legibus conumeratæ sunt fuerint occupati, omne excipiatur: & sit non absimilis in hac parte minorũ, & maiorũ restit. C. de tẽp. in int. rest. l. fi.

Si ab infidelibus filius cum patre, ac matre captus, postea his ibi defunctis, legis corneliæ beneficio reuersus successiones eorum, quæsiuit: exemplo utilis actionis, quæ in integrum restitutis datur, cum exceptionis annuæ (quæ huic obiici solet) obiectu res uindicare non prohibetur, C. quib. ex cau. maio. l. fi.

Si quis duobus tantummodo annis cum uxore cohabitauerit, aut etiam minore tempore, & dotem non perceperit, nullam iniuriam silentio suo maritus experitur, neq; ipse, neq; hæredes eius, & si ille tacuerit, sed querela ea de re intra alterum annum mouetur. Si quidem ad hoc breuitas matrimonii inuitat nou. const. de temp. non minut. dot. 100. §. si quis igitur.

Si vero in longius tempus, quam biennium, in breuius, quam decennium, matrimonium extendatur, præbetur marito, ut conqueratur, & dicat dotem sibi pro parte, aut insolidũ oblatã non esse, atq; hoc si fecerit transmittat querelã semel de hoc q̃rente marito, neq; vxore, ꝗ dederit, cõprobante; d. nou. cõst. §. si uero.

Si intra decem annos non conqueratur: silentio mariti querela tollitur: post decennium, neq; ipsum hoc facere conceditur, neque vlterius annus præbetur eius hæredibus, d. nouel. const. §. si intra decem.

Si minor annis maritus sit, neq; conqueratur: tantum illi temporis ad restitutionem illi attribuitur, ut ne à tempore contracti matrimonii duodecim annorũ spacium excedat. siquidem compertum est eos, qui quàm celerrimè nuptias contrahunt, ad illas non minores quindecim annis accedere. Vnde, & vicesimũ quintum ætatis annum excedet, & intra annum porrò vicesimum septimum de dote non numerata quæri poterit. Mortuo uero ipso intra prædictum tempus hæredes ad proponendam querelã annũ hñto, d. nou. const. §. enimuero si.

Si minores sint hæredes eius, qui querelam non proposuit ad querelam de dote non numerata mouẽdam duntaxat quinquennium habento suffecturo eo tempore, neq; ꝑstolaturo exitum omnium minorũ tp̃rũ, d. nou. const. §. si minores.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS. Titulus XL.

VTilitas huius tituli non eget commendatione. ipse enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam prętor hominibus uel lapsis, vel circumscriptis subuenit: siue metu, siue calliditate, siue etate, siue absentia inciderunt in captionem. siue per status mutationem, aut iustum errorem, ff. de in integ. rest. l. prima, & secunda.

Omnes in integrum restitutiones causa cognita à prætore permittuntur, s. ut iustitiam earum causarum examinet, an veræ sint, quarum nomine singulis subuenitur, ff. eo. l. tertia.

Illud à quibusdam obseruatum est, ne propter minimam sanè rem, vel summam (si maiori rei, vel summæ præiudicetur) audiatur is, qui in integrum restitui postulat, ff. eo. l. quarta.

Nemo uidetur re exclusus, quem prætor in integrum restituturum se pollicetur, ff. eo. l. quinta.

Non solum minoris, verum eorum quoque, qui Reipublicæ causa absfuerunt: item omnium, qui ipsi potuerunt restitui in integrum: successores in integrum restitui possunt, ut sæpissimè constitutum est, siue igitur

hæres

hæres sit, siue is, cui hæreditas restituta est, siue filiifamilias militis successor. in integrum restitui potest, ff. eod. l. sexta, in prin.

Diuus Antonius Marcio Auito prætori de succurrendo ei, qui absens rem amiserat in hanc sententiam rescripsit. ET SI NIHIL FACILE MVTANDVM EST EX SOLENNIBVS: TAMEN VBI EQVITAS EVIDENS POSCIT, SVBVENIENDVM EST. ITAQVE SI CITATVS NON RESPONDIT, ET OB HOC MORE SOLITO PRONVNCIATVM EST, CONFESTIM AVTEM PRO TRIBVNALI TE SEDENTEM ADIIT: EXISTIMARI POTEST NON SVA CVLPA, SED PARVM EXAVDITA VOCE PRAECONIS DEFVISSE: IDEOQVE RESTITVI POTEST, ff. eo. l. septima, in prin.

Nec intra has solummodo species consistet huius generis auxilium. Etenim, & deceptis, sine culpa (maxime si fraus ab aduersario interuenerit) succurri oportebat: quamuis etiam de dolo malo actio competere soleat, & boni prætoris, potius restituere litem, vt ratio, & æquitas postulabit, quam actionem famosam constituere: ad quam tunc demum descendendum est cum alio remedio locus esse non potest, d. l. septima, §. fina.

Inter minores vigintiquinque annis, & eos, qui Reip. causa absunt, hoc interest, quod minores annis, etiam si per tutores, curatoresve suos defensi sunt: nihilominus in integrum cõtra Rempublicam restituuntur, cognita scilicet causa. Ei vero, qui Reip. causa absit, cæterisq; qui in eadem causa habentur, si per procuratores suos defensi sunt, hactenus in integrum restitutione subueniri solet, vt appellare iis permittatur, ff. eo. l. fin.

Si propter officium legationis bonafide factæ absens & indefensus, condemnatus est aliquis: instaurationem iudicii iure desiderat, vt ex integro defensionibus suis utatur. Nam eos quoque qui legationis officio funguntur, in eo priuilegio esse in quo sunt, qui Reip. causa absunt receptum est, C. quibus ex cau. maio. l. prima.

Si idcirco apud arbitrum præsentiam tui facere non potuisti, quod sub custodia militari iussu præsidis detinebaris, idque in ueritate esse præsidi prouinciæ probaueris: accipies causæ instaurationem, C. eo. l. secunda.

In contractibus, qui bonæfidei sunt, etiam maioribus officio iudicis causa cognita, publica iura subueniunt, C. eod. l. tertia.

Quia in alienatione Iudicii mutanti causa facta datur in integrum restitutio. l. unica, C. eod. Ideo iste titulus positus est, post titulum de in integrum restitutionibus.

DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA. Titulus XL.

Omnibus modis procõsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto. Et cum intelligeret iudiciorum exitum interdum duriorem constitui, opposito nobis alio aduersario: in eam quoque rem prospexit, vt si quis alienando rem, alium nobis aduersarium suo loco substituerit, idq; data opera in fraudem nostram fecerit: tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra intersit, alium aduersarium nos non habuisse. itaque, & si alterius prouinciæ hominem, aut potentiorem nobis opposuerit aduersarium: tenebitur. Aut alium, qui vexaturus sit ad-

uersarium, ff. eodem, lege de aliena. Iudic. mutan. cæu. facta, l. prima, & secunda.

Quia etiam, si cum eo, qui alterius prouinciæ est, experiar: in illius prouincia experiri debeo. & potentioribus pares esse non possumus, ff. eo. l. tertia, in princ.

Item si locum, in quo opus fecerit, cuius nomine interdicto, QVOD VI, AVT CLAM, vel actione, AQVAE PLVVIAE ARCENDAE tenebaris, alienaueris: durior nostra condictio facta intelligitur: quia si tecum ageretur, tuis impensis, id opus tollere deberes: nunc vero, cum incipiat mihi aduersus aliũ actio esse, quam q. fecerit: compellor meis impensis id tollere, quia qui ab alio factum possidet: hactenus istis actionibus tenetur, vt patiatur id opus tolli, d. l. tertia, §. item si locum.

Opus quoq; nouum si tibi nunciauerim, tuq; eum locum alienaueris, & emptor opus fecerit: dicitur hoc te iudicio teneri, quasi neque tecum ex operis noui nunciatione agere possim, quia nihil feceris, neq; cum eo, cui id alienaueris, quia ei nunciatum non sit, d. l. tertia, §. opus.

Ex quibus apparet, quod proconsul in integrum restituturũ se pollicetur: ut hac actione tantum officio iudicis consequatur actor, quantum eius interfuit alium aduersarium non habuisse. fortè si quas impensam fecerit, aut si quam aliam incommoditatem passus erit, alio aduersario substituto, quid ergo, si is, aduersus quem talis actio competit, paratus sit utile iudicium pati, perinde ac si possideret? rectè dicitur, denegandam esse aduersus eum ex hoc edicto actionem, d. l. tertia, §. ex quibus.

Item si res fuerint usucaptæ ab eo, cui alienatæ sunt, nec peti ab eo posint: locum habet hoc edictum, ff. eo. l. quarta, in princip.

Itemque fieri potest, vt sine dolo quidem malo desierit possistere, verum iudicii mutandi causa id fiat. sunt & alia complura talia. Potest etiam aliquis dolo malo desinere, possidere, nec tamen iudicii mutandi causa id fecisse, nec hoc edicto teneri. neque enim alienat, qui duntaxat omittit possessionem. non tamen eius factum improbat prætor, qui tanti habuit re carere, ne propter eum sæpius litigaret. hæc enim verecundia, & cogitatio eius, qui lites execratur, non est vituperanda, sed eius duntaxat, qui cum rem habere vult, litem ad alium transfert, vt molestum aduersarium pro se subiiciat, d. l. quarta, §. itemq;.

Pedius libro nono non solum ad dominii translationem hoc edictum pertinere ait, verum ad possessionem quoq; alioquin, & is, cum quo in rem agebatur (inquit) si possessione cessit, non tenebitur, d. l. quarta, §. Pedius.

Si quis autem ob valetudinem, aut ætatem, aut occupationes necessarias litem in alium transtulerit, in ea causa non est, vt hoc edicto teneatur, cum in hoc edicto doli mali fiat mentio. Cæterum interdictum erit per procuratores litigare dominio in eos plerunque ex iusta causa translato ad iura etiam prædiorum hoc edictum pertinet: modo si dolo malo fiat alienatio, dicta lege quarta, §. si quis autem.

Hæc actio in id, quod interest, competit. proinde si res non fuit petitoris, aut si equus, qui alienatus est, sine culpa decessit: cessat iudicium, nisi q. d actoris præterea interfuit, d. l. quarta, §. hæc actio.

Hæc actio non est pœnalis, sed rei persecutionem arbitrio iudicis continet. quãre, & hæredi dabitur: in hæredem autem. Vel similem. Vel post annum non dabitur. Quia pertinet quidem ad rei persecutionem, videtur autem ex delicto dari, d. l. quarta, §. fin. cum tribus, lll. seq.

Ex hoc

Ex hoc edicto tenetur, etiam qui rem exhibet: si arbitratu iudicis pristinam causam iudicii non restituit. ff. eod. l. octaua. in prin.

Ait prætor, QVAEVE ALIENATIO IVDICII MVTANDI CAVSA FACTA FVERIT, id est futuri iudicii causa: non eius, quod iam sit ab alienare intelligitur, & qui alienam rem vendiderit. Sed hæredem instituendo, vel legãdo, si quis alienet: huic edicto locus non erit. Si quis alienauerit, deinde receperit: non tenebitur hoc edicto. d. l. octaua. §. Ait prætor.

Qui venditori suo redhibet, non videtur iudicii mutandi causa alienare. d. l. octaua. § finali.

Quia redhibito equo, omnia retro aguntur. & ideo non videtur iudicii mutandi causa alienare, qui redhibet: nisi forte propter hoc ipsum redhibet: non redhibiturus alias. Nam & si obligatus soluero, quod à me petere uelles: huic edicto locus non erit. Si tutor pupilli, vel adgnatus furiosi alienauerit: vtilis actio competit, quia consilium huius fraudis inire non possunt. ff. eod. l. quia. x. cum. l. sequenti.

Cum miles postulabat, suo nomine litigare de possessionibus, quas sibi donatas esse dicebat responsum est, si iudicii mutandi causa donatio facta fuerit, priorem dominum experiri oportere: vt rem magis, quam litem in militem transtulisse credatur. ff. eod. l. penul.

Si quis iudicii communi diuidundo euitandi causa rem alienauerit, ex lege licinia interdicitur ei ne communi diuidundo iudicio experiatur verbi gratia, vt potentior emptor, per licitationem uilius eam accipiat, & per hoc iterum ipse recipiat. Sed & ipse quidem, qui postea alienauit, communi diuidundo iudicio si agere velit, non audietur. is vero qui emit si experiri velit: ex illa parte edicti vetatur, qua cauetur, ne qua alienatio iudicii mutandi causa fiat. ff. eodem. l. finali.

Cum agere te cum communi diuidundo vellem partem tuam Titio tradidisti, mutandi iudicii causa: teneris mihi prætoria actione, quod fecisses, ne tecum cõmuni diuidundo ageretur. ff. communi diuidundo. l. communis. xxiii. §. finali.

Cum in rem actionem possessio pariat aduersario alienatione etiam iudicii mutandi causa celebrata, in integrum restitutio edicto perpetuo permittatur, intelligis si rem ne secum ageretur, qui possidebat venundedit, & emptori tradidit: quem elegeris conueniendi tibi tributam esse iure facultatem. C. de alienat. iud. mutand. l. Vnica.

Finis libri Sexti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omisis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Septimus.

DE INTERDICTIS SIVE EXTRAORDINARIIS ACTIONIBVS, quæ pro eis competunt. Titulus I.

SEQVITVR vt dispiciamus de interdictis seu actionibus quæ pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atq; conceptiones verborum, quibus prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tunc maximè fiebat cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. Inst. de interdictis. in prin.

Videamus de quibus rebus interdicta competunt. Et sciendum est interdicta, aut de diuinis rebus aut de humanis competere de diuinis, vt de locis sacris. de rebus hominum interdicta redduntur aut de his, quæ sunt alicuius, vel aut publica, aut singulorum publica sunt de locis publicis, de viis deque fluminibus publicis, quæ aut singulorum sunt, aut ad vniuersitatem pertineat, vt interdictum QVORVM BONORVM: aut ad singulas res. vt est interdictum VTI POSSIDETIS & DE ITINERE ACTVQVE. ff. de interdictis. l. prima. in prin.

Summa itaque diuisio interdictorum hæc est, quod aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Inst. ff. eod. §. summa itaque.

Interdictorum autem tres sunt species, exhibitoria, prohibitoria restitutoria, sunt tamen quædam interdicta & mista, & quæ prohibitoria sunt, & exhibitoria. ff. eod. l. prima. §. interdictorum.

Prohibitoria sunt, quibus prætor vetat aliquid fieri, veluti vim sine vitio possidenti uel in sacro loco ædificari, uel in flumine publico ripauè eius aliquid fieri, quo prius nauigetur.

Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid iubet, ueluti bonorum possessori possessionem

ſeſsionem eorum, quæ quis pro hærede aut pro poſſeſſore poſsidet ex ea hæreditate, aut cum iubet ei, qui ui de poſſeſsione fundi deiectus ſit, reſtitui poſſeſsionem. Exhibitoria ſunt, per quæ iubet exhiberi parenti liberos ſuos. Inſt. eod. §. Prohibitoriæ, & §. reſtitutoria. §. exhibitoria.

Sunt tamen qui putant, propriè interdicta ea vocari, quæ prohibitoria ſunt, quia interdicere ſit denunciare, & prohibere reſtitutoria autem, & exhibitoria propria decreta vocari ſed tamen obtinuit omnia interdicta appellari, quia inter duos dicuntur. Inſt. eod. §. ſunt tamen.

Interdictorum quædam annalia ſunt, quædam perpetua. ff. eo. l. prima. §. finali.

Sequens diuiſio interdictorũ hæc eſt, quod quædã adipiſcendæ poſſeſsionis cã cõparata ſunt, quędam retinendæ, quædã recuperandæ. Inſt. eo. §. ſequens diuiſio.

Adipiſcendæ poſſeſsionis cauſa interdictum accommodatur bonorum poſſeſſori quod appellatur. QVORVM BONORVM eiuſque vis, & poteſtas hæc eſt, vt quod ex his bonis quiſque, quorum poſſeſsio alicui data eſt pro hærede aut pro poſſeſſore poſsideat idei, cui bonorum poſſeſsio data eſt reſtituere debeat. Pro hęrede autem poſsidere videtur, qui putat ſe hæredem eſſe. Pro poſſeſſore is poſsidet, qui nullo iure rem hæreditariam, vel etiam totam hæreditatem ſciens ad ſe non pertinere, poſsidet, ideo autem adipiſcendæ poſſeſsionis vocatur interdictum, quia ei tantum vtile eſt, qui nunc primum conatur adipiſci rei poſſeſsionem, itaque ſi quis adeptus poſſeſsionem, amiſerit eum: Hoc interdictum ei inutile eſt. interdictum quoque quod appellator SALVIANVM adipiſcendæ poſſeſsionis cauſa comparatum eſt: eoque vtitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigiſſet. Inſt. eod. §. adipiſcendæ.

INTERDICTVM QVORVM BONORVM. Tit. II.

AIT PRAETOR QVORVM BONORVM EX EDICTO MEO ILLI POSSESSIO DATA EST: QVOD DE HIS BONIS PRO HAEREDE, AVT PRO POSSESSORE POSSIDES POSSIDERESVE, SI NIHIL VSVCAPTVM ESSET, QVOD QVIDEM DOLO MALO FECISTI, VT ID DESINERES POSSIDERE, ID ILLI RESTITVAS. Hoc interdictum reſtitutorium eſt & ad vniuerſitatem bonorum non ad ſingulas res pertinet, & appellatur QVORVM BONORVM & eſt adipiſcendæ poſſeſsionis vniuerſorum bonorum. ff. quorum bonorum. l. prima.

Interdicto QVORVM BONORVM debitores hæreditarii non tenentur, ſed tantum corporum poſſeſſores. ff. eod. l. finali.

Hæreditatem eius quem patrem tuum fuiſſe dicis Petiturus iudicibus, qui ſuper ea re cognituri erant. De fide intentionis allega. quãuis. n. bonorũ poſſeſsionẽ vt præteritus agnouiſti, tamen interdicto. QVORVM BONORVM non aliter poſſeſſor conſtitui poteris, quam ſi te filium defuncti eſſe, & ad hæreditatẽ admiſſum probaueris. C. eod. l. prima.

Si ex interdicto ſororis patruelis inteſtato ſine liberis defunctæ recte petita bonorum poſſeſsione. quæſiſti ſucceſsionem, ac negocium integrum eſt: quæ cum moreretur eius fuerunt ſecundum interdicti QVORVM BONORVM, tenorem ab iis. qui pro hærede, vel pro poſſeſſore poſsidẽt, dolove malo fecerint, quo magis deſierint poſsidere, tibi rector prouinciæ reſtitui efficiet. C. eodem. l. ſecunda.

Conſtat

Constat virum a bonis intestatæ vxoris superstitibus consanguineis esse extraneum: cum prudentium omnia responsa, & lex ipsa naturæ successores eos faciant Ergo iubetur vt omnibus frustrationibus amputatis, per interdictum. QVORVM BONORVM in petitorem corpora transferantur secunda actione proprietatis non exclusa. C. eod. l. finali.

QVORVM LEGATORVM. Titulus III.

HOC interdictum vulgo QVORVM LEGATORVM, appellatur est autem & ipsum adipiscendæ possessionis, & continet hanc causam, vt quod quis legatorum nomine, non ex voluntate hæredis occupauit, id restituat hæredi. Etenim æquissimum prætori visum est, vnumquemque non sibi ipsum ius dicere occupatis legatis sed hæc ab hærede petere. Redigit igitur ad hæredes per hoc interdictum ea quæ legatorum nomine possidentur, vt perinde legatarii possint eum conuenire. ff. eod. l. quorum legat. l. prima. in principio.

Hoc interdictum, & hæredem hæredis bonarumque possessoris habere, recte propter vtilitatem dicendum est: necnon cæteros quoque successores. d. l. prima. §. Hoc interdictum.

Quia autem nonnunquam incertum est, vtrum quis pro legato, an pro hærede vel pro possessore possideat: bellissime Arrianus scribit, & hæreditatis petitionem in eum instituendam, & hoc interdictum reddendum, & siue quis pro hærede, vel pro possessore, eius pro legato possideat hoc interdicto teneatur: quemadmodum solemus facere quoties incertum est, quæ potius actio teneat. nam duas dictamus protestari ex altera nos velle consequi. Quod nos contingat. d. l. prima. §. quia autem nonnunquam.

Si quis ex mortis causa donatione possideat: vtique cessabit hoc interdictum: quia portio legis falcidiæ apud hæredem ipso iure remanet, & si corporaliter res insolidum transactæ sunt. Qui vero ex causa præceptionis possidet, vtique tenetur hoc interdicto: sed pro ea scilicet parte quam iure legati habet, non etiam pro ea, quam quasi hæres habet. idemque erit dicendum, & si alio genere legati vni ex hæredibus legatum sit, nam & hic dicendum est pro ea parte, qua hæres est, cessare interdictum. d. l. prima. §. si quis.

QVOD autem ait Prętor, aut DOLO DESIIT POSSIDERE, sic accipere debemus, desiit habere facultatem restituendi, vnde quæsitum est si vsusfructus vel usus fuerit alicui relictus, eumque occupauerit, an hoc interdicto restituere sit compellendus? mouet quod neque vsusfructus, neque vsus possidetur, sed magis tenetur, potest tamen defendi competere interdictum. idem dicendum est, & in seruitute relicta. d. l. prima. §. quod autem.

Quæsitum est, si quis legatorum seruandorum causa missus sit in possessionem: an hoc interdicto teneatur ad restitutionem? mouet illud primum, quod non possidet is, qui missus est in possessionem legatorum causa, sed potius custodit, deinde quod prætorem habet huius rei authorem tutius tamen erit dicendum hoc interdictum competere: maximè si satisdactum sit iam legatorum nomine nec recedat tunc enim etiam possidere uidetur. d. l. prima. §. quæsitum est.

Legatorum nomine non tantum ipsum possidere dicimus, cui legatum est: verum hæredem quem eius, cæterosque successores. Quod ait prætor. voluntate eius ad quem ea res pertinet, ita erit interpretandum, vt si post aditam hæreditatem

tatem

tatem, agnitam, voluntas accommodata est, legatario, vt possideret: interdictum cesset, quod si ante aditam hæreditatem bonorumve possessionem agnitam hoc factum est. rectius dicetur, eam uoluntatemnon nocere debere. d.l. prima. §. legatorum.

Si duæ res legatæ sint, altera ex voluntate occupata, altera non ex voluntate: eueniet, vt altera reuocari possit, altera non possit: idemque erit probandum. & in vna re cuius pars ex voluntate, altera pars non ex uoluntate occupata est. nā pars sola per interdictum aufertur. d.l. prima. §. si duę.

Illud tenendum est siue à te siue ab eo, in cuius locum successisti, possideri aliquid cœptum est: interdicto huic locum fore. in locum successisse accipimus: siue per vniuersitatem, siue in rem sit successum. d.l. prima. §. illud.

Prodest autem possedisse, quoties voluntate eius, ad quem ea res pertinet, possideri cœptum est. Sed & si postea uoluntas accessit eius, ad quem ea res pertinebat, tamen prodesse possessori debere, Vnde si quis cœpit quidem ex uoluntate eius, ad quem ea res pertinet, possidere postea uerò uoluntas non perseuerat, nihil nocet: quia semel possideri cœpit eius uoluntate. d.l. prima, § prodest.

Si alter ex hæredibus, iisve ad quos ea res pertinet uoluerit rem à legatario possideri, alter non, ei qui noluit interdictum competere, ei qui noluit, non competere palam est. d.l. prima. §. si alter.

Quod ait Prætor NISI SATISDATVM SIT, accipere debemus, si perseueret satisdatum. s. ut si non perseueret cautum mittatur in possessionem legatorum seruandorum cā SATISDATVM sic arbitror, si sic satisdatum sit, uel legatario, uel ipso iure adquisita sit idonea cautio uel per mandati actionem, acquiri posit, & tunc interdicto locum fore. d.l. prima. §. quod ait.

Si quorundam rerum nomine satisdatum sit, quorundam non sit satisdatum: earum rerum nomine sine impedimento agi poterit, de quibus satisdatum est, cæterarum non poterit. Diuersum est si postea pars legato adcreuerit nam hoc nomine tenentur fideiussores in totum. d.l. prima. §. finali. cum l. seq. in prin.

Quod ait Prætor si PER BONORVM POSSESSOREM NON STAT VT SATISDETVR sic accipimus si paratus sit satisdare non ergo offerre debet satisdationem sed petentis satis moram non facere. ff. eod. l. secunda. §. quod ait Prætor.

Ex hoc interdicto qui non restituit, in id, quod interest, debet condemnari. d.l. secunda. §. Ex hoc interdicto.

Si legatarius repromissione contentus fuit, dandum est interdictum, idem dicendum est, si legatarius pignoribus voluit sibi caueri. si per legatarium factum sit, quo minus satisdetur: licet cautum non sit, tenetur interdicto, sed si fortè factum sit per legatarium, quo minus satisdetur: eo autem tempore, quo editur interdictum satis accipere paratus sit: non competit interdictum, nisi satisdatum sit. d.l. secunda. §. si legatarius.

Item si per bonorum possessorem stetit, quominus satisdaret, sed modo paratus est cauere, tenet interdictum illud enim tempus inspicitur, quo interdictum editur. d.l. secunda. §. finali.

Hæredi scripto satis idonee lege Falcidiæ, si exhausta legatis successio probetur, per quartæ retentionem, prospectum est. Vnde si legatarius, vel fideicommissarius, non consentiente fratre tuo quem adseueras testatori successisse, & bonorum possessionem accepisse, relicta sibi legata uel fideicommissa detinuit, secundum sententiam interdicti, quod aduersus legatarios scriptis hæredibus

propositum

propoſitum eſt, oblata ſatiſdatione, quam præſtari oportet, in poſſeſsione te conſtitui, vt ita retentione competenti utaris experiri potes. C. eod. l. Vnica.

NE VIS FIAT EI QVI IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT. Titulus. IIII.

AIT PRAETOR SI QVIS DOLO MALO FECERIT, QVO MINVS QVIS PERMISSV MEO EIVSVE CVIVS IVRISDICTIO DE EA RE FVERIT, IN POSSESSIONE BONORVM SIT: IN EVM IN FACTVM IVDICIVM. QVANTI EA RES FVIT OB QVAM IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT DABO. Hoc edictum ſumma prouidentia prætor propoſuit. fruſtra enim in poſſeſsionem mitteret rei ſeruandæ cauſa, niſi miſſos tueretur, & prohibentes venire in poſſeſsionem coerceret. ff. ne vis fiat ei qui in poſſ. miſ. erit. l. prima. in prin.

Eſt autem generale hoc ædictum, pertinet enim ad omnes qui in poſſeſsionem à prætore miſsi ſunt, conueniat. n. prætori, omnes quos in poſſeſsionem miſit tueri, ſed ſiue rei ſeruandæ cauſa, ſiue legatorum aut uentris nomine in poſſeſſionem miſi fuerint, habent ex hoc edicto in factum actionem, ſiue dominus, ſiue alter prohibuerit. d. l. prima. §. eſt autem.

Hæc actio non tantum reum tenet, qui prohibuit quem venire in poſſeſsionem: ſed etiam eum, qui in poſſeſsione pulſus eſt, cum veniſſet in poſſeſsionem: nec exigitur, vt uim fecerit qui prohibuit. d. l. prima. §. Hæc actio.

Si quis ideo poſſeſsione arcuerit quia rem ſuam putabat uel ſibi obnoxiam, vel certè non eſſe debitoris: conſequens eſt, vt hoc ædicto non teneatur. d. l. prima. §. ſi quis ideo.

Hæc uerba QVANTI EA RES FVIT OB QVAM IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT. continent utilitatem creditoris: vt quantum intereſt eius poſſeſsionem habere, in tantum, qui prohibuit condemnetur. Proinde ſi ob falſum creditum, vel ob falſam petitionem miſſus eſt in poſſeſsionem, vel ſi exceptione ſummoueri potuit: nihil ei debet prodeſſe hoc ædictum, quia propter nullam cauſam in poſſeſsionem miſſus eſt. d. l. prima. §. hæc uerba.

Hoc ædicto nec pupillum, nec furioſum teneri conſtat quia affectu carent. Sed pupillum eum debemus accipere, qui doli capax non eſt. Cæterum ſi iam doli capax ſit: contra erit dicendum. ergo & ſi tutor dolo fecerit, in pupillum dabimus actionem: ſi modo ſoluendo ſit tutor, ſed, & ipſum tutorem poſſe conueniri Iulianus ſcribit. d. l. prima. §. hoc ædicto.

Si patris voluntate prohibitus quis ſit à poſſeſsione in ipſum dabitur actio, quaſi per alias hoc fecerit. d. l. prima. §. ſi domini.

Hanc actionem excepta legatorum miſsione, intra annum competere, & nō poſtea, ſciendum eſt, cum ſcit pœnalis, nec in hæredes ſimileſque perſonas datur niſi in id, quod ad eas peruenit. ſed hæredi ſimilibuſque perſonis dabitur, nā cum prohibitus quis eſt legatum, vel fideicommiſſorum cauſa poſſeſsionem adipiſci: tunc actio, & perpetua eſt & in hæredem datur: quia eſt in poteſtate ſucceſsorum euitare interdictum, ſatiſdatione oblata. d. l. prima. §. finali.

Suo quis, an alieno nomine prohibitus ſit nihil intereſt. hæc. n. uerba QVANTI EA RES FVIT referenda ſunt ad perſonam domini. item tam is tenetur. qui ſuo nomine, quam qui alieno nomine prohibuit. ff. eod. l. ſecunda.

Si

Si quis missus fuerit in possessionem fideicommissi seruandi causa,& non admittatur,potestate eius inducendus est in possessionem,qui eum misit. At si quis volet vti interdicto consequens erit dicere interdictum locum habere sed melius esset dicere extra ordinem ipsos iure suæ potestatis exsequi oportere decretum suum,nonnunquam etiam per manum militarem.ff.eo.l.tertia,in prin.

Constitutum est ab Ant.vt etiam in bona hæredis quis admittatur certis modis. si quis igitur in his bonis non admittetur,dicendum est,actionem hanc vtilem competere.Cæterum poterit vti & extraordinaria executione.d.l.tertia.§.constitutum.

Prætor ventrem in possessionem mittit,& hoc interdictum restitutorium & prohibitorium est.sed si mulier uelit in factum actione uti, ad exemplum creditorum magis quam interdicto posse eam experiri sciendũ est.d.l.tertia.§.Prætor.

Si mulier dicatur calumniæ causa in possessionem venisse, eo quod non sit prægnans,uel non ex eo prægnans, Epistola diui Hadriani ad exemplum præsumptionis Carboniani edicti uentri prætor pollicetur possessionem. d.l.tertia. §.finali.

Per interdictum etiam ei subuenit prætor, qui damni infecti ab eo in possessionem missus est,ne ei uis fiat, Pœna autem eius,qui non promittit, uel satis non dat,hæc est,ut in possessionem mittatur aduersarius.siue ergo promittat, siue per eum non fiat, quo minus promittat: non tenebit interdictum, repulso per exceptionem eo qui experitur.ff.eod.l.finali.in prin.

Prætor in eum qui neque cauit,neque possidere passus est eum,qui missus est,iudicium pollicetur in tantum,quantum præstare eum oportet si de ea re cautum fuerat.sed & ex alia causa hoc iudicium proposuit,si eo tempore quo in possessionem mitti desiderabat,prætoris adeundi potestas non fuerit, scilicet vt si cũ potestas pretoris adeundi non esset:damnum interim datum est, haberet iudicium qui damnum passus est.d.l.finali.§.Prætor.

Item subiectum si ex alia causa, qui in possessionem missus est, prohibitus esse dicetur habere in factum actionem usum est,d.l.finali.§.finali.

DE TABVLIS EXHIBENDIS. Tit. V.

PRætor ait. QVAS TABVLAS LVCIVS TICIVS AD CAVSSAM TESTAMENTI SVI RETINENTES RELIQVISSE DICETVR SI SI AE POENES TE SVNT, AVT DOLO MALO TVO FACTVM EST, VT DESINERENTES SE: ITA EAS ILLI EXHIBEAS ITEM SI LIBELLVS ALIVDVE QVID RELICTVM ESSE DICETVR, DECRETO COMPREHENDAM. ff. de Tabulis exhib.l.prima.in princ.

Si quis fortè confiteatur penes se esse testamentum:iubendus est exhibere,& tempus ei dandum est,vt exibeat,si non potest in præsentiarum exibere. sed si neget se exibere posse,vel oportere:hoc interdictum competit.Hoc interdictum pertinet non tantum ad testamenti tabulas,uerum ad omnia,quę ad causam testamenti pertinent.d.l.prima.§.si quis forte.

Siue autem ualet testamentum,siue non, vel quod ab initio inutiliter factum est siue ruptum,uel in quo alio uicio sit,sed & si falsum esse dicatur,uel ab eo factũ, qui testamenti factionem non habuerit:dicendum est interdictum ualere.d.l. prima.§.siue autem.

Siue autem valet testamentum, siue non, vel quod ab initio inutiliter factum est si ue raptum, vel in quo alio vicio sit: sed & si falsum esse dicatur, vel ab eo factum qui testamenti factionem non habuerit: dicendum est interdictum valere. d.l. prima.§.siue autem.

Siue supremæ tabulæ sint, siue non sint, sed priores, dicendum interdictum hoc locum habere. itaque dicendum est ad omnem omnino scripturam testamenti, siue perfectam, siue imperfectam, hoc interdictum pertinere: Proinde si plures tabulæ sint testamenti eius, quia sæpius fecerat: dicendum est interdicto locum fore est enim, quod ad caussam testamenti pertineat, quicquid quoque tempore factum exhibere debeat sed & si de statu disceptetur, si testator fortè filiusfamilias uel seruus hoc fecisse dicatur: & hoc exhibebitur. irem si filius familias fecerit testamentum, qui castrensi periculo testabatur: habet locum interdictum idest, si is, qui testamētū fecerit, apud hostes decessit. d.l. prima.§. siue.

Hoc interdictum ad viui tabulas non pertinet: quia verba prætoris RELIQVERIT. fecerunt mentionem. Sed & si deletum sine dolo sit testamentum. Vel totum, uel pars eius. d.l. prima.§. fi. cum l. seq.

cum habet hoc interdictum: si tabulæ in pluribus codicibus scriptæ sint: omnes interdicto isto continentur: quia vnum testamentum est. ff. eodem. l. tertia. in prin.

Si tabulæ testamenti apud aliquem depositæ sint à Titio: hoc interdicto agēdum est & cum eo, qui detinet, & cum eo, qui deposuit. proinde & si custodiam tabularum edictuus vel tabularius suum tabulę fuerint: dominus interdicto tenebitur. d.l. tertia.§. si tabulæ.

Si ipse testator, dum uiuit, tabulas suas dicat esse, & exhiberi desideret: interdictū hoc non habebit: sed ad exhibendum erit agēdam, vt exhibitas vindicet. quod in omnibus, qui corpora sua esse dicunt instrumentorum, profundum est. d. l. §. si ipse.

Si quis dolo malo fecerit, quominus penes eum tabulæ essent: nihilominus hoc interdicto tenebitur: nec præiudicatur aliquid legi Corneliæ testamentariæ, quasi dolo malo testamentum suppreserit. nemo enim ideo impunæ retinet tabulas, quod maius facinus admisit: cum exhibitis tabulis admissū eius magis manifestetur. & posse, aliquem dolo malo facere, ut in eam legem non incidat ut puta si neque amouerit, neque celauerit tabulas, sed idcirco aliis tradiderit, ne eas interdicenti exiberet: hoc est, si non supprimendi animo, uel consilio fecit, sed ne huic exiberet. d.l. tertia.§. si quis.

Hoc interdictum exibitorium est. quid si exibere videamus exibere hoc est, materiæ ipsius adpræhendæ copiam facere exibere autem apud prætorem oportet: ut ex authoritate eius signatores admoniti veniant ad recognoscenda signa, & forte non obtemperent testes: labeo scribit, coerceri eos prætore debere: solēt autem exiberi tabulas desiderare omnes omnino, qui quid in testamento adscriptum habent. d.l. tertia.§ hoc interdictum.

Condemnatio autem huius iudicii, quanti interfuit, æstimari debet, quare si hæres scriptus hoc interdicto experiatur: ad hæreditatem referenda est æstimatio, & si legatum sit: tantum uenit æstimationem, quantum sit in legato, & si sub conditione legatum sit, quasi conditione existente, sic æstimandum est. nec compelli debebit, vt se restiturum, caueat quicquid consecutus est, si condicio defecerit, quia pœnæ contumacię præstatur ab eo qui non exibit: inde quæritur, si hinc consecutus est æstimationem legatarius, postea legatum petat, an sit audiendus?

audiendus:& uerum est, si hæres idem præstiterit. exceptione doli repellendum, si alius repelli non oportere. ideo & si hæres sit, qui interdicto usus æstimationem consecutus est, eadem arit æstimationis distinctio. d. l. tertia. §. condemnatio.

Interdictum hoc post annum competere constat. Sed & hæredi cæterisque successoribus competit. d.l. tertia. §. finali.

Si sint tabulæ apud pupillam, & dolo tutoris desierint esse in ipsum tutorem competit interdictum, æquum est enim, ipsum ex delicto suo teneri, non pupillum. ff. eod. l. quarta.

De tabulis proferendis interdictum competere non oportet si hæreditatis controuersia ex his pendet, aut si ad publicam quæstionem pertinent: itaque in æde sacra interim deponendę sunt, aut apud virum idoneum. ff. eodem. l. finali.

DE MIGRANDO. Titulus VI.

AIt Prętor, SI IS AEQVVS, DE QVO AGITVR NON EST EX HIS REBVS, DE QVIBVS INTER TE ET ACTOREM CONVENIT, VT QVAE IN EAM HABITATIONEM, QVA DE AGITVR INTRODVCTA, IMPORTATA IBI NATA, FACTAVE ESSENT, EA PIGNORI TIBI PRO MERCEDE EIVS HABITATIONIS ESSENT, SIVE EX HIS REBVS EST, ET EA MERCES TIBI SOLVTA, EOVE NOMINE SATISFACTVM EST, AVT PER TE STAT, QVOMINVS SOLVATVR: ITA QVOMINVS EI, QVI PIGNORIS NOMINE EVM INDVXIT, INDE ABDVCERE LICEAT VIM FIERI VETO. Hoc interdictum proponitur Inquilino, qui soluta pensione uult migrare, Nam colono non competit, cui rei etiam extra ordinem subueniri potest, ergo infrequens est hoc interdictum si tamen gratuitam quis habitationem habet, hoc interdictum utile ei competeret. ff. de Migrando. l. prima. in prin.

Si pensio nondum debeatur, ait Labeo interdictum hoc cessare, nisi paratus sit eam pensionem soluere. Proinde si semestrem soluerit, & semestris debeatur: inutiliter interdicet, nisi soluerit, ex sequentis semestris: ita tamen si conuentio specialis facta est in conductione domus, ut non liceat ante finitum annum uel certum tempus migrare idem est & si quis in plures annos conduxerit, & nondum præterierit tempus, nam cum in vniuersam condictionem pignora sunt obligata. consequens erit dicere, interdicto locum fore, nisi liberata fuerint. d. l. prima. §. si pensio.

Illud notandum est prætorem hoc non exegisse, vt in bonis fuerit conductoris, nec vt sit pignori res illata, sed vt pignoris nomine res inducta sit, Proinde & si aliena sint, & sint talia, quæ pignori teneri non potuerint, pignoris tamen nomine introducta sint interdicto huic locus erit, quod si nec pignoris nomine inducta sint nec retineri poterunt à locatore. d. l. prima. §. illud.

Hoc interdictum perpetuum est, & in successores, & successoribus dabitur. d. l. prima. §. finali.

Hoc interdictum Inquilino etiam de his rebus, quæ non ipsius sunt, sed fortè

commodatæ ei, vel locatæ, uel apud eum depositæ sunt vtile esse non dubitatur. ff. eod. l. finali.

DE SALVIANO INTERDICTO, ET PRAECARIO. Titulus VII.

SI Colonus æquam in fundo pignoris nomine induxerit, & eam vendiderit, quod apud emptorem ex ea natum est, eius adprehendendi gratia vtile interdictum reddi oportet. ff. salui interd. l. prima. in prin.

Si colonus res in fundum duorum pignoris nomine intulerit, ita vt vtrique in solidum obligatæ essent, singuli aduersus extraneos Saluiano interdicto rectè experientur inter ipsos uero si reddatur hoc interdictum possidentis condicio melior erit. At si id actum fuerit, ut pro partibus res obligaretur. vtilis actio & aduersus extraneos, & inter ipsos dari debebit, per quam dimidias partes possessionis singuli apprehendant, idem seruari conuenit, & si Colonus rem, quam cum alio communem habebat, pignoris nomine induxit: scilicet ut pro parte dimidia pignoris persecutio detur. d. l. prima. §. si Colonus.

In Saluiano interdicto si in fundum communem duorum pignora sunt ab aliquo in uecta possessor uincent, & erit eis discedendum ad seruianum iudicium. ff. eod. l. finali.

Si te non remittente pignus debitor tuus ea quæ tibi obnoxia sunt, uenundedit; integrum tibi ius est ea persequi, non interdicto Saluiano (id enim tantummodo aduersus conductorem debitoremve competit) sed Seruiana actione uel quæ ad exemplum eius instituitur utilis aduersus emptorem exercenda est. C. eod. l. De precario, & Sal. interd. l. prima.

Habitantis precario hæredes ad restituendum habitaculum teneri, contra eos interdicto proposito manifeste declaratur. ff. eod. l. finali.

DE INTERDICTO RETINENDAE POSSESSIONIS VTI possidetis. Titulus VIII.

REtinendæ possessionis causa comparata sunt interdicta. VTI POSSIDETIS ET VTROBI, cum ab utraque parte de proprietate alicuius rei controuersia sit, & ante quæratur, uter ex litigatoribus possidere, & vter petere debeat. Namque nisi ante exploratum fuerit, vtrius eorum possessio sit. non potest petitoria actio institui, quia & ciuilis, & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longè commodius est, potius possidere, quam petere: ideo plerumque, & ferè semper ingens existit contentio de ipsa possessione. commodum autem possidendi in eo est, quod etiam si eius res non sit qui possidet: si modo actor non potuerit, suam esse probare, remanet in suo loco possessio, propter quam causam cum obscura sunt utriusque iura contra petitorem iudicari solet. Inst. de interdictis. §. retinendæ.

Sed interdicto quidem VTI POSSIDETIS de fundi, vel ædiũ possessione contenditur. VTROBI uero interdicto de rerum mobilium possessione: & utriusque interdicti potestas, quantum ad possessionem pertinet, exequata est, ut ille uincat, & in re soli, & in re mobili, qui possessionem neque ui,

neque clam, neque præcario ab aduersario litis contestate tempore detinet. Inst. eod. §. Sed interdicto. & ff. de vtrobi. l. vnica.

Possidere autem videtur quisque, non solum si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit: licet is eius iuri subiectus non sit, qualis est Colonus, & inquilinus per eos quoque apud quos deposuerit quis, aut quibus commodauerit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur retinere possessionem, posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione. Quin etiam animo quoque solo retineri possessionem placet idest, vt quamuis nec ipse sit in possessione neque eius nomine alius, tamen si non relinquendæ possessionis animo. Sed postea reuersurus inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci vero possessionem per quos aliquis potest, secundo libro expositum est. Nec vlla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo possit sit. inst. eod. §. possidere autem.

Vti possidetis interdicto.

Ait Prætor. VTI EAS AEDES, DE QVIBVS AGITVR, NEC CLAM, NEC VI, NEC PRAECARIO ALTER AB ALTERO POSSIDETIS, QVOMINVS ITA POSSIDEATIS VIM FIERI VETO. DE GLOACIS HOC INTERDICTVM NON DABO: NEQVE PLVRIS, QVAM QVANTI EA RES ERIT INTRA ANNVM QVO PRIMVM EXPERIVNDI POTESTAS FVERIT AGERE PERMITTAM. ff. uti possidetis. l. prima. in prin.

Vti possidetis fundum de quo agitur, cum ab altero, nec vi, nec clam, nec præcario possidetis, rector prouincię uim fieri prohibebit: de satisdatioois, vel transferendæ possessionis edicti perpetui forma seruata de proprietate cognoscet. C. uti possidetis. l. vnica.

Hoc interdictum de soli possessore scriptum est, potiorem prætor in soli possessione habeat. & est prohibitorium ad retinendam possessionem. ff. eod. l. vti poss. l. prima §. hoc interdictum.

Huius autem interdicti proponendi causa hæc fuit quod separata debeat esse possessio à proprietate fieri etenim potest, vt alter possessor sit, dominus non sit: alter dominus quidem sit, possessor vero non sit, fieri etiam potest, vt & possessor idem & dominus sit. d. l. prima. §. huius autem.

Inter litigatores ergo si est proprietatis controuersia, aut conuenit inter possessor sit, vter petitor: aut non conuenit, si conuenerit, absolutum est: & ille possessoris commodo quem conuenit possidere, ille petitoris onere fungitur, sed & si inter ipsos contendatur, vtar possideat, quia alteruter se magis possidere adfirmat: tunc si res soli sit, de cuius possessione contenditur ad hoc interdictum remittentur. d. l. prima. §. inter litigatores.

Est igitur interdictum, quod vulgo VTI POSSIDETIS appellatur retinendæ possessionis. Nam huius rei causa redditur, ne uis fiat ei, qui possidet. d. l. prima, §. est igitur.

Restituendæ possessionis ordo, aut interdicto expeditur aut per actionem. Retinendæ itaque possessionis duples via est, aut exceptio, aut interdictum, exceptio datur ex multis causis ei, qui possidet. d. l. prima. §. retinendæ.

Perpetuo autem huic interdicto insunt hæc: quod neque vi, nec clam, nec præcario,

rio, ab illo poſsideas. d.l.prima.§.perpetuò.

Interdictum autem, quod eſt, VTI POSSIDETIS, poſſeſſorem prædii tuetur. actio.n.nunquam vltio poſſeſſori datur quippe cum ſufficiat ei quod poſsideat. d.l.prima.§.interdictum.

Hoc interdictum locum habet: ſiue quis totum fundum poſsidere ſe dicat, ſiue pro certa parte, ſiue pro indiuiſo. Hoc interdictum in omnibus etiam poſſeſsionibus, quæ ſunt ſoli, ſine dubio locum habebit: dummodo poſsideri poſsint. d.l.prima.§.hoc interdictum.

Quod ait prætor in interdicto, NEC VI CLAM, NEC PRAECARIO ALTER, AB ALTERO POSSIDETIS: hoc eo pertinet, ut ſi quis poſsidet ui, aut clam, aut præcario, ſi quidem ab alio, proſit ei poſſeſsio ſi uero ab aduerſario ſuo, non debeat eum propter hoc quod ab eo poſsidet. vincere. has.n. poſſeſsiones non debere proficere palam eſt. d.l.prima.§.finali.

Iuſta enim an, iniuſta aduerſus cæteros poſſeſsio ſit, in hoc interdicto nihil refert qualiſcunque enim poſſeſſor hoc ipſo, quod poſſeſſor eſt plus iuris habet quam ille qui non poſſedit. ff. eod. l. ſecunda.

Si duo quoque poſsideant inſolidum uideamus quid ſit faciendum. quod qualiter procedat tractemus, ſi quis proponeret poſſeſsionem iuſtam & iniuſtam, ego poſsideo ex iuſta cauſa, tu ui aut clam. ſi à me poſsides ſuperior ſum in interdicto, ſi uero non à me neuter noſtrum uincetur, Nam & tu poſsides, & ego. ff. eod. l. tertia. in prin.

Hoc interdictum duplex eſt, & hi quibus competit, & actores, & rei ſunt. Hoc interdictum ſufficit ei, qui ædificare in ſuo prohibetur. Etenim uideris mihi poſſeſsionis controuerſiam facere, qui prohibes me uti mea poſſeſsione. d.l.tertia §.hoc. interdictum.

Cum Inquilinus dominum ędes reficere volentem prohiberet, æque competere interdictum, VTI POSSIDETIS. Placuit teſtarique dominum non ſe prohibere inquilinum. ne habitaret, ſed ne poſsideret. item uideamus, ſi actor vicini tui ex fundo tuo vites in ſuas arbores tranſduxit, quid iuris ſit, & ait Pomponius poſſe te ei denunciare vites præcidere (idque & labeo ſcribit) aut vti eum debere interdicto, VTI POSSIDETIS, de eo loco, quo radices continentur uitium. Nam ſi tibi uim fecerit, quominus eas uites uel præſides uel tranſducas uim tibi facere uidetur, quominus poſsideas. Etenim qui colere fundum prohibetur poſsidere prohibetur, vt Pomponius inquit. d.l.tertia.§. cum inquilinus.

Item videamus ſi proiectum ſupra vicini ſolum non iure habere dicatur: an interdictum VTI POSSIDETIS. ſit utile alteri aduerſus altetum. & eſt apud Caſſium relatum, utrique eſſe inutile, quia alter ſolum poſsidet, alter cum ædibus ſuperficiem. d.l.tertia.§.item videamus.2.

Labeo quoq; ſcribit, ſi ex ædibus meis in ędes tuas proiectū habeo: interdicis mecū, ſi eum locū poſsideamus, qui proiecto tegeť, an quo facilius poſsim retinere poſſeſsionē ius proiectionis interdico tecum SICVTI NVNC POSSIDETIS EAS AEDES, EX QVIBVS PROIETVM EST: ſed ſi ſupra ædes, quas poſsideo, cænaculum ſit, in quo alium quaſi dn̄s moretur, interdicto, VTI POSSIDETIS, me uti poſſe Labeo ait, Non eum qui in cænaculo morareť. ſemper.n. ſuperficiē ſolo cedere. Planè ſi cænaculū ex publico aditū habeat: ait Labeo, uideri nō ab eo ædes poſsideri. q̄ refugia poſsidet ſed ab eo, cuius ædes ſupra refugia eſſent, & verū eſt hoc in eo, qui aditū ex publico habuerit. cæterū ſuꝑficiarii ꝓprio interdicto, & actionibus à ꝑtore vtētur. dn̄s aūt ſoli habuerit,

tam

tam aduersus alium, quam aduersus superficiarium potior erit in interdicto VTI POSSIDETIS, sed Prætor superficiarium tuebitur secundum legem locationis, & ita Pomponius quoque probat. d. l. Tertia. §. labeo quoque.

Creditores missos in possessionem rei seruandæ causa interdicto VTI POSSIDETIS, vti non posse, & meritò, quia non possident: idemque & in cæteris omnibus, qui custodiæ causa missi sunt in possessionem dicendum est. d. l. Tertia. §. creditores.

Si vicinus meus in parte mea tectoria habeat, & in parte sua: VTI POSSIDETIS interdictum mihi efficax est, vt ea tollere cópellat. Nó uideor vi possidere, si ab eo, quem scirem vi in possessione esse, fundum accipiam. d. l. tertia. §. vicinus.

In hoc interdicto condemnationis summa refertur ad æstimationem rei ipsius. QVANTI RES EST. Sic accipimus, quanti vniuscuiusque interest possessionem retinere. Seruii autem sententia est, existimantis tanti possessionem æstimandam, quanti ipsa res est. Sed hoc nequaquam opinandum: est longe enim aliud est rei precium aliud possessionis. d. l. Tertia. § finali.

In summa dicendum est, & interfructuarios hoc interdictum reddendum: & si alter usumfructum, alter possessionem sibi defendat, idem erit probandum, & si vsusfructus quis sibi possessionem defendat, & ita Pomponius scribit. Proinde & si alter usum, alter sibi fructum tueatur, & his interdictum erit dandum. ff. eod. l. finali.

DE SVPERFICIEBVS. Titulus. VIII.

Fit prætor VTI EX LEGE LOCATIONIS, SIVE CONDVCTIONIS SVPERFICIE, QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRAECARIO ALTER, AB ALTERO FRVEMINI QVOMINVS ITA FRVAMINI VIM FIERI VETO, SI QVA ALIA ACTIO DE SVPERFICIE POSTVLABITVR CAVSA COGNITA DABO. ff. de superficiebus. l. prima. in prin.

Qui superficiem in alieno solo habet ciuili actione subnixus est. nam si conduxit superficiem, ex conducto si emit ex empto agere cum domino soli potest. Etenim si ipse eum prohibeat, quod interest, agendo consequetur sin autem ab alio prohibeatur: præstare ei actiones suas dominus debet, & cedere. Sed longè utilius visum est, quia incertum erat, an locatio existeret: & quia melius est possidere potius, quam in personam experiri, hoc interdictum proponere, est quasi in rem actionem polliceri. d. l. prima. §. Qui superficiem.

Proponitur autem interdictum duplex, exemplo interdicti VTI POSSIDETIS, Tuetur itaque prætor eum, qui superficiem petit, veluti possidetis interdicto, neque exigit ab eo quam causam possidendi habeat unum tantum requirit, num forte ui clam, præcario ab aduersario possideat, d. l. prima. §. Proponitur.

Omnia quoque quæ in VTI POSSIDETIS interdicto seruantur, hic quoque seruabuntur. d. l. prima. §. omnia.

Quod ait prætor, SI QVA ALIA ACTIO DE SVPERFICIE POSTVLABITVR CAVSA COGNITA DABO, sic intelligendum est.

vt si ad tempus quis superficiem conduxerit, negetur ei in rem actio. Et sanè causa cognita ei, qui non admodicum tempus conduxit superficiem in rem actio competet. d. l. prima. §. quod ait.

Is autem in cuius solo superficies est, vtique non indiget vtili actione, sed habet in rem, qualem habet, de solo planè si aduersus superficiarium uelit uindicare, dicendum est, exceptione vtendum in factum data, nam cui damnus actionem, eidem exceptionem competere, multo magis quis dixerit. d. l. prima. §. is autem.

Si soli possessori superficies euincatur æquissimum erit subueniri ei, uel ex stipulatu de euictione, vel certe ex empto actione. d. l. prima. §. si soli.

Quia autem in rem actio de superficie dabitur petitori quoque in superficiem dari, & quasi usumfructum, siue vsum quendam inesse, & constitui posse per vtiles actiones credendum est. Sed & tradi posse intelligendum est, vt & legari, & donari possit: & si duobus sit communis, etiam vtile communi diuidundo iudicium dabimus. d. l. prima. §. quia autem.

Seruitutes quoque prætorio iure constituentur, & ipse ad exemplum earum, quæ ipso iure constitutæ sunt, utilibus actionibus petentur: sed & interdictum de his vtile competet. d. l. prima. finali.

Superficiarias ædes appellamus, quę in conducto solo positæ sunt, quarum proprietas, & ciuili & naturali iure eius est, cuius est, solum. ff. eod. l. finali.

EX QVIBVS CAVSIS IN POSSESSIONEM EATVR, Titulus IX.

TRES ferè causæ sunt ex quibus in possessionem mitti solet, rei seruandæ causa, item legatorum seruandorum gratia, & uentris nomine. damni enim infecti nomine si non caueatur, non uniuersorum nomine fit missio sed rei tantum, de qua damnum timetur. ff. eod. l. ex quibus causis in poss. l. prima.

Prætor ait IN BONA EIVS, QVI IVDICIO SISTENDI CAVSA FIDEIVSSOREM DEDIT, SI NEQVE POTESTATEM SVI FACIET, NEQVE DEFENDETVR IRI IVBEBO. ff. eod. l. secunda in prin.

Potestatem autem sui non facit, qui id agit, nec aduersarius eius copiam sui habeat, ergo latitantis bona iubet possideri, quid si non latitet? sed absens non defendatur: nonne uidetur potestatem sui non facere? Defendi autem uidetur, qui per absentiam suam in nullo deteriorem causam aduersarii faciat. d. l. secunda. §. potestatem.

Hæc verba NEQVE DEFENDETVR scripta sunt, ut neque sufficiat unquam defendisse, si non duret defensio, neque obsit, si nunc offeratur. d. l. secunda. §. finali.

Apud Iulianum quæritur si communem rem cum Titio pater pupilli habuerit, & in communi diuidundo iudicio pupillus non defendatur, nihilque erit, cuius nomine propter personam patris condemnatio fieri debeat. Vtrum uenire bona patris oporteat, an uero rei seruandæ causa possideantur? & ait, si quidem pater aliquos fructus percepit, aut rem deteriorem fecit, bona eius venire possunt. Si uero nihil sit, propter quod patris bona ueneant pupilli possideri. Marcellus autem notat, per quàm iniquum esse eum, qui nihil cum pupillo contraxit, expectare eius pubertatem, quæ sententia habet rationem ideoque cum

cum contractus ex persona patris descendat dicendum erit non esse expectandam pupilli pubertatem.ff.eod.l.Tertia in prin.

Si pupillus hæres extiterit alicui & ex ea causa legata debeat, videndum est an huic edicto locus sit, magisque est (vt Marcellus scribit) posse etiam pupilli bona posside ri esseque in arbitrio hæreditariorum creditorum, quid potius eligant. Etenim videtur impubes contrahere cum adiit hęreditatem. Sed & is, qui miscuit se, contrahere uidetur. d.l.tertia.§.finali cum l.seq.

Hæc autem locum habent, quoties pupillus non defendatur à quocunque siue à tutore, vel curatore, siue habeat tutorem pupillus, siue non habeat. Cæterum si existat aliquis, qui defendere sit paratus: cessabit rei seruandæ causa possessio. ff.eod.l.quinta in prin.

Non defendi pupillum constare debet liquereque prætori, vt sic permittat bonorum possessionem. Hoc autem constare debet sic, euocandi sunt ad prætorem tutores pupilli, vt defendant, si tutores non habeat, requirendi cognati, vel adfines, & si qui forte alii sunt, quos verisimile est defensionem pupilli pupillave non omissuros, uel propter necesitudinem uel propter charitatem, uel qua alia ratione si nautem negent se defendere aut non negent, sed taceant, tunc prætor possessionem tandiu scilicet, quoad defendatur, si defendi cœpit pupillus, vel pupilla: desinet possideri: idem est in furioso.d.l. quinta.§.non defendi.

Ait prætor SI IS PVPILLVS IN SVAM TVTELAM VENERIT, EAVE PVPILLA VIRI POTENS FVERIT, ET RECTE DEEFENDETVR: EOS QVI BONA POSSIDENT POSSESSIONE DECEDERE IVBEBO. Recte defendi quid sit uideamus: utrum tantum copiam sui facere, & ad scipiendum iudicium paratum esse: an uero & satisdare omnimodo, & quidem non solum ipsis se defendere uolentibus hoc edictum scriptum est, sed & in rem & sic recte defendetur, hoc est, uel à se, uel ab alio quocunque. sed si alius defendat erit necessaria satisdatio si ipse: non erit necessariam satisdatio ergo oblata defensione deiici poterit interdicto reddito.d.l.quinta.§.ait prætor.

Si pupillus præsens sit, tutorem autem non habeat pro absente habendus est. ff. eod.l.si pupillus.x.

In possessionem mitti solent creditores, & si sub conditione eis pecunia promissa sit.ff.eod.l.sexta. in prin.

Cum dicitur, ET EIVS CVIVS BONA POSSESSA SVNT à CREDITORIBVS VENEANT PRAETER QVAM PVPIL. ET EIVS, QVI REIP. CAVSSA SINE DOLO MALO ABFVERIT. Intelligimus eius, qui dolo malo abfuerit posse venire, sed & si ab hostibus quis captos sit: creditores eius in possessionem mittendi sunt; ut tamen non statim bonorum uenditio permittatur, sed interim bonis curator detur.d.l.sexta.§.cum dicitur.

Prætor ait QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITAVIT, SI BONI VIRI ARBITRATV NON DEFENDETVR EIVS BONA POSSIDERI VENDIQVE IVBEBO. Cum hoc ædictum locum habet, non sufficit latitare, sed & necesse est fraudationis causa id fieri: neque fraudationis causa, si sine latitatione fit satis est ad possessionem, rei uenditionem. Sed oportet fraudationis causa latitare, & est frequentissima hæc causa possessionis, Nam in vsu latitantium bona posside ntur.ff.eod.l.septima in prin.

Si quis posséderit bona alicuius quasi latitantis, qui non latitabat, & uendiderit, consequens erit dicere, uenditionem bonorum secutam nullius momenti esse. d.l.septima.§.si quis.

Quid

Quid sit autem LATITARE videamus, latitare est, non (vt Cicero definit) turpis occultatio sui. pōt.n. quis latitare non turpi de cā: veluti qui tyranni crudelitatē timet, aut vim hostiū, aut domesticas seditiones, d.l. septima. §. q̄d sit.

Sed is, qui fraudationis causa latitat non tamen propter creditores, & si hæc latitatio creditores fraudet, in ea tamen erit causa, ne hinc possideri bona eius possint, quia non hoc animo latitat, vt fraudet creditores. animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, vt fraudet, an alia ex causa, quid ergo si duas causas latitandi habuit, uel plures, inter quas etiam fraudandi creditores. an venditio rectè procedat, & est probandum si plures causæ sint latitationis, inter quas est, & fraudationis causa nocere debere, posseque hinc bona uendi. Quid si aduersus quosdam occultare se consilium non est, aduersus quosdam est? quid dicetur? & rectissimè Pomponius scribit, non aduersus omnes latitationem exigendam, sed aduersus eum, quem quis decipere, & fraudare latitatione destinat. Vtrum ergo omnes bona eius vendere possunt, quia latitat hoc est etiam hi, aduersus quos non latitat, quia uerum est eum latitare: an uero is solus aduersus quem latitat? & quidem verum est eum latitare, & fraudationis causa latitare, & si aduersus me latitet. sed illud spectandum Pomponius putat, an aduersus me, eumque solum posse hinc venditionem impetrare, aduersus quem latitetur. latitare autem est, cum tractu aliquo latitare. quemadmodum factitare, frequenter facere, d.l. septima, §. sed is, qui.

Adeo autem latitatio animum, & affectum occultantis se desiderat, ut rectè dictum sit, furiosum hinc venditionem pati non posse, quia non se occultat, qui suus non est planè si non defendatur furiosus: curatorem ei dandum, aut bona eius, vt possideantur nominatim permittendum, Labeo autem scribit, si non inueniatur curator, vel defensor furiosi, sed & si curator datus eum non defendat: tunc remouendum eum, & oportere prætorem dare curatorem aliquem ex creditoribus, ut non amplius, quam necesse est ex bonis furiosi ueneat, eaq; seruanda Labeo ait, quæ solent seruari, cum venter in possessionem mittitur, d.l. septima, §. adeo autem.

Planè interdum bona eius cognita causa vendenda erunt: si vrgeat æs alienum, & dilatio damnum sit allatura creditoribus. ita autem uendenda, vt quod supersit furioso detur: quia hominis eius status, & habitus à pupilli condicione non multum abhorret. quod quidem non est sine ratione, idemq; in prodigo dicendum est. cæterisq;, qui curatorum ope iuuantur. nec enim quisquam propriè latitare eos dixerit, d.l. septima, §. planè.

Illud sciendum est, posse quem in eadem ciuitate esse, & latitare: & in alia ciuitate esse, & non latitare. at enim qui alia ciuitate sit, copiamque sui faciat in publico, ibiq; pareat: an latitet, videamus. sed hodie hoc iure utimur: ut siue quis eodem loci agat, siue alio, siue peregrè: si tamen occursum creditoris euitet latitare videatur. Deniq; eum quoq;, qui in eodem foro agat, si circa columnas, aut stationes se occultet. videri latitare ueteres responderunt, & posse quem aduersus alterum latitare, aduersus alterum non. constat autem, vt ipse possit bona eius vendere, aduersus quem latitet, d.l. septima, §. illud.

Si in diem, vel sub conditione debitor latitet, antequam dies, vel conditio ueniat non possint bona eius venire. quid enim interest, debitor quis non sit, an nondum conueniri possit? nam & si non sit debitor idem dicetur: idem erit dicendum, & si quis habet quidem actionem, sed talem, quæ per exceptionem repellitur, d.l. septima, §. si in diem.

Si quis

Si quis actione de peculio filii nomine conueniri possit, latitet: eo iure vtimur, vt possint bona eius possideri, & venire, tametsi nihil in peculio fuerit, quia esse potest, & rei iudicatæ tempus spectamus, vtrum sit, an non sit: & quod teneat actio, etiamsi nihil in peculio fuerit, d.l.septima, §.si quis.

Item videamus, si quis aduersus in rem actionem latitet, an bona eius possideri venumque dari possint, & extat Neratii sententia, existimantis bona esse ven denda, & hoc rescripto Hadriani continetur, quo iure vtimur, d.l. septima, §. item videamus.

Celsus autem libro sexto respondit, si fundum, quem petere uolo Titius possideat, neque absens defendatur. commodius se existimare in fundi possessionē mittendum quam bona eius possideri. hic adnotandum est Celsum consultum non de latitante, sed de absente, d.l.septima, §.Celsus.

Idem Celsus existimat: si is, à quo hæreditatem petere velim, latitet: commodissimè fieri potest, vt in possessionem mittat rerum, quas pro hærede, vel pro possessore possidet. sed si dolo fecerit, quominus possideat, bona eius possidenda & vendenda sunt, d.l.septima, §.idem Celsus.

Diuus quoque pius in persona eius, qui hæreditatem possidens, copiam sui non faciebat, rescripsit in possessionem rerum hæreditariarum aduersarium inducendum, in quo rescripto, & fructum percipere iussit eum, qui per nimiam contumaciam possessoris hæreditatis (vt lucro eius cedat) in possessionem inductus est rerum hæreditariarum, d.l. septima, §.diuus.

Si diu incertum sit hæres exititurus, necne sit, causa cognita permitti oportebit bona rei seruandæ causa possideri, & si ita res vrgeat, vel conditio: bonum hoc etiam erit concedendum, vt curator constituatur, ff. eo.l.octaua.

Vnus ex creditoribus. si alter ex hæredibus intra tempora sibi præstituta deliberet adire hæreditatem, alter uero neget se aditurum: videndum est, quid creditoribus agendum sit, & placet interim eos in possessionem mittendos custodię causa, donec appareat is, qui deliberat, utrum agnoscat partem suam, an non agnoscat, ff.eo.l.vnus, ix.

Si filiofamilias legatum, vel fideicommissum sub conditione relictum sit: dicendum est, tâm ipsum, quàm patrem in possessionem mittendos esse, quia ambo spem commodi habent, ff. eo.l.si filiofamilias, xi.

Cum legati, vel fideicommissi seruandi causa, vel quia damni infecti nobis non caueatur, bona possidere prætor permittit, vel ventris nomine in possessionem nos mittit, non possidemus, sed magis custodiam rerum, & obseruationem nobis concedit, ff.eo.l.cum legati, vel xii.

Si quis creditorem prohibuit, bona debitoris ingreditur: datur in eū actio, quanti ea res est: sed & si quis legatorum seruādorum causa missus in possessionem, admissus non est, si legati conditio pendeat: licet possit deficere, æstimatur tamen id, quod legatum est, quia interest eius cautum habere. creditor autem cō dicionalis in possessionem non mittitur: quia is mittitur, qui potest bona ex edicto vendere, ff.eo.l.penul.

Is qui rem permutatam accepit, emptori similis est, item is, qui rem in solutum accepit, vel qui lite æstimata retinuit, vel ex causa stipulationis non ob liberalitatem consecutus est, ff.eo.l.fin.

DE RE-

DE REBVS IVDICIS AVTHORITATE POSSIDENDIS, seu vendendis. Tit. X.

VEnire ibi bona oportet, vbi quisq; defendi debet: Ideſt, vbi domicilium habet. Aut vbi quisq; contraxit. contractum autem non vtiq; eo loco intelligitur, quo negocium geſtum eſt, ſed quo ſoluenda eſt pecunia, ff. de rebus auth. iud. poſsid. l. prima, ſecunda, & tertia.

Si minor vigintiquinque annis, qui habet curatorem à curatore nō defendatur, nec alium defenſorem inueniat bonorum venditionem patitur, & ſi non latitet, licet non fraudationis cauſa latitare videatur, qui ſui non eſt idoneus defenſor, ff. eod. l. quinta.

Eum, qui circa columnas ſe occultat, vt creditorem euitet: latitare placet. nam, & eum, qui recedit, hoc eſt, qui ſubterfugit, vt ne ſecum aliqua actio moueatur, latitare placet. tam, & qui ab vrbe profugit, vtiq; fraudandi cauſa. nec enim intereſt, (quod attinet ad latitandum) vtrum quis profugerit, an uero Romæ agens, copiam ſui non faciat, ff. eo. l. eum qui, 36.

Si non expedierit pupillo hæreditatem parentis retinere: prætor bona defuncti permittit venire, vt quod ſuperauerit, pupillo reſtituatur, ff. eo. l. ſexta, in prin.

Si pupillus antequam abſtineret, aliquid geſſerit, ſeruandum eſt: vtiq;, ſi bona fide geſsit. quid ergo, ſi quibuſdam creditoribus ſoluerit, deinde bonauenierint? ſi quæratur an repetitio ſit: ex cauſa id ſtatuendum Iulianus ait, nè alterius, aut negligentia, aut cupiditas huic, qui diligens fuit, noceat. Quod ſi vtroque inſtante tibi gratificatus tutor ſoluerit: æquum eſt, aut prius eandem portionem tibi quæri, aut communicandum, quod accepiſti, & hoc Iulianus ait. apparet autem eſſe verum, ſi ex bonis paternis ſolutum ſit. quum ergo, ſi aliunde pupillos ſoluerit: reddi ei debebit necne? & vtrum à creditore, an ex hæreditatem? Scæuola noſter ait, ſi aliquid ſit in bonis: deducendum ex hæreditate ſolidum exemplo eius, qui geſsit negocia, ſed ſi nihil ſit in bonis: non eſſe iniquū, aduerſus creditorem dandam repetitionem, quaſi indebiti ſoluti, d. l. ſexta, §. ſi pupillus.

Paterfamilias impuberi filio, ſi ante pubertatem deceſsiſſet, ſubſtituit hæredem, is filius paterna hæreditate ſe abſtinuit, ideoq; bona patris uenierunt: poſtea filio hæreditas obuenit qua addita deceſsit. Quæſitum eſt, cum prætor in ipſum pupillum (quamuis poſtea hæreditas obueniſſet) creditoribus tamen patris actionem non daret, an in ſubſtitutum creditoribus patris danda ſit actio, cū ex bonis paternis, quæ ſcilicet ad creditores miſſos ad bona pertinent, nihil adquirat. & cum creditores nihil iuris in bonis pupilli habuerint, eorumq; nihil interfuerit, adiretur necnè, pupilli hæreditas, cum ea bona admiſſa à ſubſtituto hæreditate ad creditores non pertinerent? & maximè quia placet unum eſſe teſtamentum. Reſpondit Iabolenus, quod prætor filio, qui à paterna hæreditate ſe abſtinet; præſtat, ne bonis patris eius venditis in eum actio detur: & tametſi poſtea ei hæreditas obuenit, creditoribus non reddat. Idem in ſubſtituto filio hærede ſeruandum non eſt, quoniam filii pudori parcitur, vt potius patris, quam bona eius veneant. itaque in id, quod poſtea ei obueniat, actio creditoribus denegatur: quia id, quod ex aduentitio adquiſitum eſt, non per partem ad eum peruenit. At cum ſubſtitutus filio hæreditatem adiit, poſtquam pupillus ſe paternæ miſcuerit hæreditati. tunc hæreditas, & patris, & filii vna eſt, & in omni ære alieno, quod aut patris, aut filii fuerit, etiam inuitus hæres obligatur, & quem-

& quemadmodum liberum ei non est post obligationem, vt non omnimodo, si non defendatur, ipsius bona veneat: ita ne separare quidem æs alienum patris, & filii poterit, quo casu efficietur, vt creditoribus in eum actio dari debeat, qđ si substitutus hæres hæreditatem non adierit: creditoribus patris in id, quod pupillus reliquit actio dari non debet: quoniam neque pupilli bona venire debent propter æs alienum patris, neque in bonis patris est, quod pupillus adquisiit, ff. eo. l. paterfamilias, 28.

Hæreditariarum æs alienum intelligitur etiam id quoque, de quo cum defuncto agi non potuit, veluti quod is cum moreretur, daturum promisisset. item quod id, qui pro defuncto fideiussit, post mortem eius soluit, ff. eo. l. septima.

In uenditione bonorum etiam vsusfructus venit, quia appellatione domini fructuarius quoque continetur, ff. eod. l. in venditione, 8. in princ.

Si quis fructus ex prædio debitoris capi poterit, hunc creditor, qui in possessionem prædii missus est, vendere, vel locare debet. sed hoc ita demum, si ante neq; venierit, neq; locatus erit. nam si iam à debitore, vel locatus erat, vel uenierat: seruabit prætor venditionem, & locationem à debitore factam, & si minoris distractum est, vel locatum: nisi si in fraudem creditorum hoc fiat. tunc enim prætor arbitrium dat creditoribus, vt ex integro locationem, vel venditionem faciant. De cæterarum quoque rerum fructibus idem erit dicendum, ut si qui locari possint, locentur: puta mercedes iumentorum, cæterorumq; quæ possunt locari, d. l. de venditione, §. si quis.

De tempore locationis nihil prætor locutus est, & ideo liberum arbitrium creditoribus datum videtur, quanto tempore locetur: quemadmodum illud est in arbitrio eorum, vendant, vel locent, scilicet sine dolo malo. ex culpa autem rei non fiunt, d. l. in venditione. §. de tempore.

Si vnus sit, qui possideat bona: expeditum erit de locatione. quod si non unus, sed plures sint, quis eorum debeat locare, vel vendere quæritur. & si quidem conuenit inter eos: expeditissimum est. nam & omnes possunt locare, & vni hoc negocium dare, si uero non conuenerit: tunc dicendum est, prætorem causa cognita eligere debere, quis locet, vel vendat, d. l. in venditione, §. si.

Prætor ait, SI QVIS CVM IN POSSESSIONE BONORVM ESSET, QVOD EO NOMINE FRVCTVS CAEPERIT EI, AD QVEM, EA RES PERTINET, NON RESTITVAT, SIVE QVOD IMPENSAE, SINE DOLO MALO FECERIT, EI NON PRAESTABITVR, SIVE DOLO MALO EIVS DETERIOR CAVSA POSESSIONIS FACTA ESSE DICETVR DE EA RE IVDICIVM IN FACTVM DABO. Quod de fructibus ait, etiam de cæteris, quæcunque ex re debitoris peruenerint, intelligendum est, & sanè debuit, hoc ita esse. quid enim si ex compromisso, vel alio casu pœnam consecutus est? nam eam pœnam, quam consecutus est, præstare debet, ff. eo. l. prætor, ix. in prin.

Quod ait prætor, SIVE QVOD IMPENSAE SINE DOLO MALO FECERIT EI NON PRAESTABITVR, hoc eo spectat, vt si quid ipse erogauerit creditor (si modo sine dolo erogauit) hoc pstetur. sufficit igif sine dolo malo erogasse, et si nihil profuit erogatio eius rei debitori, d. l. ptor. §. quod ait.

His uerbis, AD QVEM EA RES PERTINET, etiam curator bonis distrahendis datus continebitur, & ipse debitor: si contigerit, ne bona eius ueneant: & ipsi itaque creditori aduersus hos dabitur actio, quos enumerauimus: siue quid in fructibus recipiendis erogauerit, siue in familia alenda, fucurandave,

siue

siue prædiis fulciendis, vel reficiendis, vel damni infecti promittendo. Generaliter etiam dicendum est: quidquid impēdit in rem (si modo sine dolo malo impēdit) repetere eum posse. nam negociorum gestorum agere non magis potest, quam si socius commune ædificium fulsit, quia hic quoque creditor commune, non alienum negocium gesisse uidetur, d.l. prætor, §. his uerbis.

Est præterea quæsitum: si deteriora prædia facta fuerunt sine dolo malo creditoris, vel iura eorum amissa, vel ædificia dirupta, vel exusta, item si pecorum cum non sit, aut possessio alii tradita, sine dolo malo tamen, an teneatur: & apparet eum non teneri, quia dolo malo caret: eritq; melior eius conditio, quam in pignore creditoris, qui non tantum dolum malum, verum culpam quoque debet. Eadem causa est curatoris bonorum. nam & iste tenetur, ut creditor, d.l. prætor, §. est præterea.

In eum quoque, qui neque locauit fructum prædii, neque vendidit, in factū actionem dat prætor: & in hoc condemnabitur, quanto minus propter hoc perceptū est, quia neque uendidit, neque locauit. Cæterum si tantū perceptum est, quantum perciperetur, si locatus, vel distractus fructus esset: nihil ei imputatur. præstat autem per id tantum temporis, quo in possessione fuerit, vel ipse, vel iussu eius alius, quoad inde de possessione discessum est. nam neque hoc imputabitur creditori, cur in possessionem non uenerit, neq; illud, cur de possessione discesserit: cum & uoluntarium, & suum pocius negocium creditor gerat, æstimatio autem fit, quanti interest eius, qui experitur, d.l. prætor, §. in eum quoq;.

Fulcinius refert statuas in publico positus bonis distractis eius, cuius in honorem positæ sunt, non esse emptoris bonorum eius: sed aut publicus, si ornandi municipii causa propositæ sint, aut eius, cuius in honorem positæ sunt, & nullo modo eas detrahi posse, ff. eo. l. fulcinius, 29.

Imperatores Antonius, & verus Augusti rescripserunt eos, qui bona sua negāt iure uenisse, præiudicio experiri debere, & frustra à Principe desiderare rescindi venditionem, ff. eo. l. Imperatores, 30.

Eius qui ab hostibus captus est, bona uenire non possunt, quàmdiu reuertatur, ff. eod. l. finali, §. finali.

Hæ actiones neque temporariæ sunt, & tam hæredibus, quàm in hæredes dabuntur, cæterosq; successores, ff. eo. l. prætor, ix.

Si possessionis causa deterior facta esse dicetur dolo eius, q in possessionem missus sit, actio in eum ex dolo datur, quæ neque post annum, neq; in hæredes, cæterosq; successores dabitur, cum ex delicto oriatur, pœneq; nomine concipiatur. Nisi quatenus ad eum peruenit, d.l. prætor, §. fi. cum l. seq.

Hæredi autem dabitur, quia, & rei continet persecutionem, ff. eo. l. hæredi. xi.

Cum unus ex creditoribus postulat in bona debitoris se mitti, quæritur: utrum solus is, qui petit, posidere posit, an cum unus petit, & prætor permiserit, omnibus creditoribus aditus sit: & commodius dicitur: cum prætor permisit, non tam personæ solius petentis, quam aliis creditoribus: & in rem permissum uideri, quod & Labeo putat. planè si is postulauerit, qui creditor non est: minimè dicendum est, vel eum, qui creditor est, posidere posse, quia nihil egit talis postulatio, aliter, atque si creditor, cui permissum est posidere, postea recepit debitum suum. cæteri enim poterunt peragere bonorum uenditionem, ff. eod. l. cum vnus, xii. in prin.

Is, qui posidere iubetur eo loco iussus videtur, cuius cura ad iubentem pertinet, d.l. cum unus, §. pen.

Si pro-

Si propter naturam rei, veluti ſi prædium inundatum ſit, aut propter latronum potentiam, non poteſt poſsideri; recte dicitur non eſſe, quod poſsideatur, d.l. cum vnus, §. fina.

Quamuis bona poſſeſſa non ſint: quia nihil forte fuerit, quod poſsideatur, aut ſine controuerſia non poſsideatur: creditor, qui in poſſeſsionem miſſus eſt, perinde habetur, ac ſi etiam poſſeſſa bona fuiſſent, ff. eo. l. quamuis, 13.

Creditore in poſſeſsionem rerum debitoris miſſo, curator conſtitui debet, ſi quædam actiones perituræ ſunt, datur in creditorem actio, qui in poſſeſsionem miſſus eſt, de eo, quod ex bonis debitoris ad eum peruenit, ſi nondum aliquid conſecutus ſit, actiones ſuas præſtabit. Datur autem actio, in factum aduerſus eum: & omne quod in actionem negociorum geſtorum veniret, ſi poſſet agi, reſtituendum à creditore, ff. eo. l. creditore, 14.

Cum plures creditores in poſſeſsionem rerum debitoris mittuntur: nec corrumpantur rationes, vni hoc negocium ei creditoribus eſt dandum, quem maior pars creditorum elegerit, qui creditoribus inſtrumentorum deſcriptionem faciet: non ut deſcribant ipſa corpora inſtrumentorum, ſed quot ſint, & de qua re ſint, ſubnotent ſibi, & quaſi inuentarium faciant. quod etiam vniuerſorum facere eis, erit permittendum. Præterea nonnunquam prætor cauſa cognita etiã deſcribere aliquid ex inſtrumentis creditoribus debebit permittere. ſi qua idonea cauſa interueniat: utrum ſemel, an etiam ſæpius recognitio, & diſpunctio concedenda ſit creditoribus, videamus, & ait Labeo amplius, quàm ſemel non eſſe concedendam. ſi quis tamen (inquit) iurauerit non calumniæ cauſa ſe poſtulare, neque habere, quę diſpunxerit: iterum ei faciendam poteſtatem ait, nec amplius quàm bis, ff. eo. l. cum plures, 15.

Si magiſtratus fideicommiſsi ſeruandi cauſa in poſſeſsionem miſerint: dare arbitrum poſſunt ad ea diſtrahenda, quæ mora deteriora futura ſunt: ita, ut preciũ ex his redactum apud fideicommiſſarium in cauſa depoſiti ſit, donec de fideicommiſſo, quod ei debetur, conſtet, ff. eo. l. ſi magiſtratus, 27.

Si creditores hæredem ſuſpectum putent: ſatiſdationem exigere poſſunt pro ſuo debito reddendo. cuius rei gratia cognoſcere prætorem oportet: nec ſtatim eũ ſatiſdationis neceſsitati ſubiicere debet: niſi cauſa cognita conſtiterit proſpici debere his, qui ſuſpectum eum poſtulauerunt: ſed ſuſpectus hæres non iiſdem modis, quibus ſuſpectus tutor, ęſtimatur: ſi quidem tutorem non facultates, ſed fraudulenta in rebus pupillaribus, vel callida conuerſatio ſuſpectum commendet: hæredem verò ſolæ facultates. planè in recenti adita hæreditate audiendi erunt, qui ſuſpectum poſtulant. cæterum ſi probentur paſsi eum in hæreditate morari, nec quicquam poſſunt obiicere criminis, quaſi dolosè eo verſato: non debebit poſt multum temporis ad hanc neceſsitatem compelli. Quod ſi quaſi ſuſpectus ſatiſdare iuſſus decreto prætoris non obtemperauerit: tunc bona hæreditatis poſsideri venunque dari ex edicto ſuo præmittere iubebit. Planè ſi doceatur nihil ex bonis alienaſſe, nec ſit, quod ei iuſtè præter paupertatem obiiciatur: contentus eſſe prætor debet, vt iubeat eum, nihil minuere, quod ſi nec inopia laborantem eum creditores oſtendere poterint: iniuriarum actione ei tenebuntur, ff. eo. l. ſi creditores, 31.

Si pupillus ex contractu ſuo non defendatur, ideoq; bona eius creditores poſsidere cæperint: diminutio ex his bonis fieri debet veſcendi pupilli cauſa, ff. eo. l. ſi pupillus, 33. in princ.

Pupillus ſi non defendatur in poſſeſsione creditoribus conſtitutis, minori ex his

vsq; ad pubertatem alimenta præstanda sunt.ff.eod.l.finali,in princ.

Defendere debitorem, sicut antea, quàm eius bona possiderentur, licet ita post bonorum quoque possessionem eius (siue ipse sui,siue alius defensionem eius suscipiat)debet satisdare:vt satisdatione interposita,iudicium accipiatur, & à possessione discedatur,ff.eo.l.si pupillus,33.§.fin.

Eum,qui in possessionem missus sit eius,qui Reip.causa abfuit: si apparuerit eum dolo malo Reip.causa abesse: iure in possessione esse placet,donec solidum soluatur.eum autem,qui rerum eius,qui sine dolo malo Reip.causa abfuit,in possessionem missus sit: pignus non contrahere,& ideo discedere oportere de possessione,ff.eo.l.eum qui,35.

Cum bona ueneunt debitoris,in comparatione extranei,& eius,qui creditor,cognatusve sit,potior habetur creditor: cognatusve:magis tamen creditor,quam cognatus,& inter creditores potior is,cui maior pecunia debetur,ff.eod.l.cum bona,xvi.

Quæsitum est,vtrum ita demum priuilegium habeat funeraria,si is,cuius bona veneunt,funeratus sit:an etiam,si proponas alium esse funeratum: & hoc iure vtimur,vt quicunq; sit funeratus:idest siue is,cuius de bonis agitur, siue quid is debuit,quod reddere eum,si uiueret,funeraria actione cogi oporteret: priuilegio locus sit,paruiq; referre dicamus,qua actione his sumptus repetatur,funeraria,an familiæ erciscundæ,an qua alia, dummodo sumptus funeris causa factus sit.quacunq; igitur actione ob funeris sumptum utatur, etiam funerariam ei competere,quare si in stipulatum funeris impensa deducta sit: dicendum est locum esse eriuilegio, si modo quis non abiiciendi priuilegii causa stipulatus sit,ff.eo.l.quæsitum,17.in prin.

Si sponsa dedit dotem,& nuptiis renunciatum est: tametsi ipsa dotem condicit, tamen æquum est hanc ad priuilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum est.idem dicendum est etiam si minor duodecim annis in domum,qua si uxor deducta sit,licet nondum uxor sit.interest enim Reipublicæ, & hanc solidum consequi,ut ætate permittente nubere posit. Dabimusque ex his causis ipsi mulieri priuilegium, d.l. quæsitum, §. final.& l.interest,xviii.& sequen.in principio.

Si quis cum tutor non esset,pro tutore negocia gesit:priuilegio locum esse manifestandum est.nec interest,ipse debeat, qui gesit, siue hæres eius cæterique successores.ipse autem pupillus habet priuilegium, sed eius successores non habent.sed æquisimum erit ad cæteros quoque,quibus curator quasi debilibus, vel prodigis datur. uel surdo vel muto. uel fatuo. Idem priuilegium competere,ff.eo.l.dabimusq;.19.§.fi.cum legibus seq.

Sed si bonis curator datus sit, vel absentis, vel ab hostibus capti, vel dum deliberant scripti hæredes de adeunda hæreditate, non oportere priuilegium dari. non enim in eadem causa est,ff.eo.l.idem,22.§.fin.

Si negocium impuberis aliquis ex officio amicitiæ gesserit: debet bonis eius venditis priuilegium pupillo conseruari,ff.eo.l.negocium,23.

Sed si uentri curator datus sit,nec partus editus: priuilegium cessabit, ff.eod.l.si ventri,24.

Creditor,qui ob restitutionem ædificiorum crediderit, in pecunia, quæ credita erat,priuilegium exigendi habebit,quod ad eum,quoque pertinet,qui redemptori domino mandante pecuniam subministrauit,d.l.si uentri,§.diuus.

In bonis mensularii vendundis, post priuilegia portio rem eorum causam esse

placuit,

placuit, qui pecunias apud mensam fidem publicam secuti deposuerunt. sed .n. qui depositis nūmis interesse à mensulanis acceperunt: à cæteris creditoribus non separantur, & meritò. aliud est enim credere, aliud deponere. si tamen nūmi extent: uindicari possunt à depositariis, & futurum eum, qui uindicat, ante priuilegia, d.l. si uentri, §. in bonis.

Eorum ratio creditorum prior est, quorum pecunia ad creditores priuilegiarios peruenit. Peruenisse autem, quemadmodum accipimus. utrum si statim profecta est ab inferioribus ad priuilegiarios: an verò, & si per debitoris personam: hoc est, si ei ante numerata sit, & sic debitoris facta creditori priuilegiario numerata: quod quidem potest benignè dici: si modo non post aliquod interuallum id factum sit, d.l. si ventri, §. eorum.

Qui in nauem extruendam, vel instruendam, vel etiam emendam, crediderit, priuilegium habet, ff. eo. l. qui in nauem, 26.

Quod quis nauis fabricandæ, vel instruendæ causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob nauem uenditam petat: habet priuilegium post fiscum, ff. eo. l. quod, 34.

Priuilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa, & si eiusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diuersitates temporis in his fuerint, ff. eo. l. priuilegia. 32.

Antiochensium cælæ syriæ ciuitati, quod de lege sua priuilegium in bonis defuncti debitoris accepit ius persequendi pignoris durare constitit, ff. eod. l. Antiochensium, 37.

Resp. creditrix omnibus chyrographariis creditoribus præfertur, ff. eo. l. pen. §. fi.

Ait prætor: QVOD POSTEA CONTRACTVM ERIT, QVAM IS, CVIVS BONA VENIERINT, CONSILIVM RECEPERIT FRAVDARE SCIENTE EO, QVI CONTRAXERIT, NE ACTIO EO NOMINE DETVR, ff. eod. l. ait prætor, 25.

DE SEPARATIONIBVS.
Tit. XI.

SCiendum est, separationem solere impetrari decreto prætoris. solet autem separatio permitti creditoribus ex his causis, vtputa debitorem, quis Seium habuit. hic decessit, hæres ei existit Titius. nō est hic soluendo: patitur bonorum venditionem. creditores Seii dicunt bona Seii sufficere sibi, & dicunt creditores Titii contentos esse debere bonis Titii, & sic quasi duorum fieri bonorum venditionem. fieri. n. potest, vt Seius quidem soluendo fuerit, potueritq; creditoribus suis, vel ita semel, & si non in assem, in aliquid tamen satisfacere. admissis autem commissisque creditoribus Titii, minus sunt consecuturi, quia ille non est soluendo: aut minus consequentur, quia plures sunt hi creditores: est igitur æquissimum, creditores Seii desiderantes separationem audiri impetrareque à prætore, ut separatim, quantuncumque creditoribus præstetur, ff. de separation. l. prima, in principio.

Ex contrario autem creditores Titii non impetrabunt separationem. nam licet alicui, adiiciendo sibi debitorem, creditoris sui conditionem facere deteriorem. at qui igitur adiit hæreditatem debitoris mei, non faciet condicionem meam deteriorem adeundo, quia licet mihi separationem impetrare suos uero creditores onerauit, dum adiit hæreditatem, quæ soluendo non est, nec poterunt creditores eius separationem impetrare, d. l. prima, §. ex contrario.

Sciendum est autem, etiam si res obligatas esse proponetur ab hærede pignoris iure, vel hypothecæ, attamen si hæreditaria fuit, iure separationis hypothecario creditore potiorem esse eum, qui separationem impetrauerit: & ita Seuerus, & Antoninus rescripserunt, sed etiam aduersus fiscum, & municipes impetratur separatio, d. l. prima, §. sciendum.

Quæsitum est, an interdum etiam hæredis creditores possint separationem impetrare, si forte ille in fraudem ipsorum adierit hæreditatem? sed nullum remedium est proditum. sibi enim imputent, qui cum talibus contraxerunt, nisi si extra ordinem putemus p̄torem aduersus calliditatem eius subuenire, qui talem fraudem commentus est, quod non facilè admissum est, d. l. prima, §. q̄situm est.

Item si quis hæres parenti extiterit, cum esset impubes, deinde intra pubertatem decesserit, & substituti bona veneunt, qui impuberis hæreditatem adiit, patris creditores poterunt separationem impetrare, d. l. prima, §. item.

Secundum hæc uideamus, si primus secundum hæredem scripserit, secundus tertium, & tertii bona veneant: qui creditores possint separationem impetrare, & si quidem primi creditores petant, vtique audiendi sunt, sed aduersus secundi, & aduersus tertii creditores. Si verò secundi creditores petant: aduersus tertii creditores, vtique ii impetrare possunt: aduersus primi autem non possunt ī summa, primi quidem creditores aduersus omnes impetrare possunt separationem, secundi creditores aduersus primi non possunt, aduersus tertii possunt, d. l. prima, §. secundum hæc.

Si filiusfamilias bona ueneant, qui Castrense peculium habet: an separatio fiat inter Castrenses, cæterosq; creditores, videamus. Simul ergo admittentur: dummodo si qui cum eo contraxerint, antequam militaret, fortè debeant separari, quod probandum est ergo, qui ante contraxerunt, si bona Castrensia distrahantur, non possunt uenire cum Castrensibus creditoribus, item si quid in rem patris versum est: fortasse poterit & creditori contradici, ne Castrense peculium inquietent, cum possit potius cum patre experiri, d. l. prima, §. si filiusfamilias.

Illud sciendum est, eos demum creditores posse impetrare separationem, qui non nouandi animo ab hærede stipulati sunt. Cæterum si eū hoc animo secuti sunt: amiserunt separationis commodum: quippe cum secuti sunt nomen hæredis, nec possunt iam se ab eo separare, qui quodammodo eum elegerunt. sed & si interesse ab eo ea mente, quasi eum eligendo exegerint: idem erit probandum, d. l. prima, §. illud.

Item si satis acceperunt ab eo, non impetrabunt separationem; hi. n. secuti sunt eū forte, quem nouerunt. quid ergo, si satis idoneū non acceperunt? sibi imputent, cur minus idoneum fideiussorem acceperint, præterea sciendum est, postea, q̄ bona hæreditaria bonis hæredis mista sunt, non posse impetrari separationem, confusis. n. bonis, & unitis separatio impetrari non potest. quid ergo, si prædia extent, vel animalia, vel pecora, vel aliud, quod separari poterit? hic utiq; poterit impetrari separatio, nec ferendus est, qui causatur bona contributa, cū prædia contribui non possint: nisi ita coniunctæ possessiones sint, & permixtę propriis, vt impossibilem separationem effecerint, quod quidem perraro contingere potest, d. l. prima, §. item.

Quod dicitur post multum temporis separationem impetrari non posse, ita erit accipiendum, vt ultra quinquennium post aditionem numerandum separatio non postuletur, d. l. prima, §. quod dicitur.

De his autem omnibus, an admittenda sit separatio, necnè: prætoris erit, vel præ-

sidis

fidis notio,& nullius alterius: hoc eſt eius,qui ſeparationem indulturus eſt,d.l. prima,§.de his autem.

Si quis pignus ab hærede acceperit,non eſt ei concedenda ſeparatio, quaſi eum ſecutus ſit.neq; enim ferendus eſt,qui qualiter,qualiter eligentis mente, tamen hæredis perſonam ſecutus eſt,d.l.prima,§.ſi quis.

Quæſitum eſt,ſi fortè plures ſint creditores,quidam ſecuti hæredem,quidam non ſecuti:& hi, qui hæredem ſecuti non ſunt impetrauerint ſeparationem, an eos ſecum admittant,qui ſecuti ſunt?Sed nihil eis proderit.his enim cum creditoribus hæredis numerantur,d.l.prima,§.quæſitum.

Item ſciendum eſt,vulgo placere, creditores quidem hæredis, ſi quid ſuperfuerit ex bonis teſtatoris,poſſe habere in ſuum debitum: creditores uero teſtatoris ex bonis hæredis,nihil cuius rei ratio illa eſt: quod qui impetrauit ſeparationem, ſibi debeat imputare ſuam facilitatem: ſi cum eſſent bona idonea hæredis, illi maluerint bona potius defuncti ſibi ſeparari hæredis autem creditoribus hoc imputari non poſsit. At ſi creditores defuncti deſiderent,ut etiam in bonis hæredis ſubſtituantur: non ſunt audiendi. ſeparatio enim quam ipſi petierunt, eos ab iſtis bonis ſeparabit, ſi tamen temerè ſeparationem petierint creditores defuncti: impetrare ueniam poſſunt,iuſtiſsima ſcilicet ignorantiæ cauſa allegata,d. l.prima,§.item ſciendum eſt.

Ab hærede vendita hæreditate ſeparatio fruſtra deſiderabitur: vtique ſi nulla fraudis incurrat ſuſpicio. nam quæ bona fide medio tempore per hæredem geſta ſunt rata conſeruari ſolent,ff.de ſepara. l.ſecunda.

Debitor fideiuſſori hæres extitit, eiuſque bona venierunt, quamuis obligatio fideiuſsionis extincta ſit,nihilominus ſeparatio impetrabitur, petente eo, cui fideiuſſor fuerat obligatus: ſiue ſolus ſit hæreditarius creditor,ſiue plures.neque enim ratio iuris,quæ cauſam fideiuſsionis propter principalem obligationem, quæ maior fuit,excluſit: damno debet afficere creditorem, qui ſibi diligenter proſpexerat.quid ergo ſi bonis fideiuſſoris ſeparatis, ſolidum ex hæreditate ſtipulator conſequi non poſsit? vtrum portio cum cæteris hæredis creditoribus ei, quærenda erit: an contentus eſſe debebit bonis, quæ ſeparari maluit? ſed cum ſtipulator iſte, non adita à reo fideiuſſoris hæreditate bonis fideiuſſoris venditis in reſiduum permiſceri debitoris creditoribus potuerit: ratio non patitur,eum in propoſito ſubmoueri.ſed in quolibet alio creditore, qui ſeparationem impetrauit,probari commodius eſt: vti ſi ſolidum ex hęreditate ſeruari nõ poſsit,ita demum aliquid ex bonis hæredis ferat, ſi proprii creditores hæredis fuerint dimiſsi,quod ſine dubio admittendum eſt circa creditores hæredis dimiſsis hæreditariis,ff.eo.l.tertia.

Creditoribus,quibus ex die,vel ſub conditione debetur, & propter hoc nondum pecuniam petere poſſunt, æquè ſeparatio dabitur: quoniam & ipſis cautione communi conſuletur: legatarios autem in ea tantum parte, quæ de bonis ſeruari potuit,habere pignoris cauſam conuenit,ff.eo.l.quarta.

Si creditores hæreditarii ſeparationem bonorum impetrauerint, & inueniatur non idonea hæreditas,hæres autem idoneus: non poterunt reuerti ad hæredẽ, ſed ei,quod ſemel poſtulauerunt, ſtare debebunt. ſed ſi poſt impetratam ſeparationem aliquid hæres adquiſierit: ſi quidem ex hæreditate: admitti debebunt ad id, quod adquiſitum eſt illi, qui ſeparationem impetrauerunt.Sed ſi illis ſatisfactum fuerit: quod ſupereſt, tribuetur propriis hæredis creditoribus. at ſi ex alia cauſa hæres adquiſierit: non admittentur hæreditarii creditores,

quod si proprii ad solidum peruenerunt id, quod supererit, tribuendum hæreditariis non est. cum.n. separationem petierunt: recesserunt à persona hæredis, & bona secuti sunt, & quasi defuncti bona vendiderunt, quæ augmenta nõ possunt recipere. idemque dicendum est etiam si circa separatio nem bonorum decepti, minus consecuti sunt, quam proprii hæredis creditores, proprii autem hæredis creditores habent propria eius bona, & personam, quæ potest, donec viuit, adquirere, ff. eo. l. quinta.

Quoties hæredis bona soluendo non sunt: non solum creditores testatoris, sed etiam eos, quibus legatum fuerit, impetrare bonorum separationem, æquum est: ita, vt cum creditoribus solidum adquisitum fuerit, legatariis vel solidum, vel portio quæratur, ff. eo. l. pen. in prin.

Qui iudicium dictauerunt hæredi, separationem quasi hæreditarii possunt impetrare, quia ex necessitate hoc fecerunt, ff. eo. l. fin.

DE CVRATORE BONIS DANDO. Titulus XII.

SI quis sub conditione hæres institutus est, cogendus est conditioni parere, si potest, aut si responderit se non aditurum, etiam si conditio extiterit, vendenda erunt bona defuncti. Quod si nihil facere potest: curator bonis constituendus erit, aut bona vendenda, sed & si graue æs alienum sit, quod ex pœna crescat: per curatorem soluendum æs alienum: sicuti cum uenter in possessione sit, aut pupillus hæres tutorem non habeat, decerni solet, ff. de curatore bonis dando, l. prima.

De curatore constituendo hoc iure utimur, ut prætor adeatur, isque curatorem, curatoresve constituat ex consensu maioris partis creditorum: vel præses prouinciæ, si bona distrahenda sunt in prouincia, quæque per eum, eosve, qui ita creatus, creative essent, acta facta, gestaque sunt rata habebuntur: eisque actiones, & in eos utiles competunt, & si quidem curatores mittent ad agendum, vel defendendum, uti ius esset: nec ab eo satis, neque de rato, neque iudicatum solui nomine eius, cuius bona veneunt, exigetur: sed nomine ipsius curatoris, qui eum misit, ff. eo. l. secunda, in prin.

Si plures autem constituantur curatores: Celsus ait insolidum eos, & agere, & conueniri, & non pro portionibus, quod si per regiones fuerint constituti curatores, vnus fortè rei Italicæ, alius in prouincia illi regiones suas conseruare debent, d. l. secunda, §. si plures.

Quæritur, an inuitus curator fieri possit? & Cassius scribit neminem inuitum cogendum fieri bonorum curatorem. quod verius est. Voluntarius itaque quærendus est, nisi, & magna necessitate, & Imperatoris arbitrio hoc procedat, ut & inuitus crearetur. nec omnimodo creditorem esse oportet eum, qui curator constituitur: sed possunt etiam non creditores, d. l. secunda, §. quæritur.

Si tres curatores fuerint, & unus ex his nihil tetigerit: an in eum, qui nihil tetigit, actio danda est? & Cassius existimat modum actori non debere constitui: posseque eum, cum quo vult, experiri. & Cassii sententia verior est, spectandũ enim quid redactum est ex bonis, quibus curator datus est, non quare ad curatorem vnum peruenerit, & ita vtimur, nisi inuictus factus est, nam si ita est, dicendum est non eum conueniendum. d. l. secunda. §. si tre s.

Si plures eiusdem bonorum curatores facti sunt: in quem eorum vult actor, insolidum

lidum datur ei actio,tanquam qui ius eorum inſolidum ageret.ff.eod.l.tertia.
Imperatores Antonius,& verus Auguſti reſcripſerunt bonis curatorem ex Senatuſconſulto diſtractis,nullam actionem ex ante geſto fraudatori competere.ff.eod.l.penul.
Si debitor foro ceſſerit,& creditores priuato conſilio coierint, & elegerint, vnũ, per quem bona diſtrahantur, & portio ipſis, quæ in redacto fieret, ſolueretur. Mox exſtiterit alius,qui ſe creditorem dicat:nullam quidem actionem aduerſus curatorem habebit,ſed bona debitoris vna cum curatore vendere poterit; ita vt quæ à curatore, & à creditore ex bonis contrahantur, omnibus pro portione præſtantur.ff.eod.l.finali.

RECVPERANDAE POSSESSIONIS. Titulus XIII.

Recuperandæ poſſeſsionis cauſa ſolet interdici, ſi quis ex poſſeſsione fundi,vel ædium vi deiectus fuerit.Nam proponitur ei interdictũ, vnde vi,per quod is,qui deiecit,cogitur ei reſtituere poſſeſsionem: licet is ab eo,qui vi deiecit;vi,vel Clam uel præcario poſsideat.Inſti.de interdict.§.recuperandæ.
Sed ex conſtitutionibus ſacris,ut ſupra dictum eſt,ſi quis rem per vim occupauerit,ſi quidem in bonis eius eſt, dominio eius priuatur ſi aliena,poſt eius reſtitutionem,etiam æſtimationem rei dare uim paſſo compellitur.Inſt.eod. §. ſed ex conſtitutionibus,& C.vnde ui,l.ſeptima.
Qui autem aliquem de poſſeſsione per uim deiecerit,tenetur lege Iulia de ui priuata,aut de ui publica. Sed de ui priuata, ſi ſine armis uim fecerit, ſinautem cum armis eum de poſſeſsione ui expulerit, de ui publica tenetur. Inſt. eod. §. qui autem.
Armorum autem appellatione,non ſolum ſcuta, & gladios,& galeas,ſed & fuſtes, & lapides ſignificari intelligendum eſt.Inſt.eod.armorum autem.
Si de poſſeſsione ui deiectus es, eum & lege Iulia uis priuatæ reum poſtulare, & ad inſtat interdicti VNDE VI conueniri potes cogereque eum cauſam omnem præſtare in qua fructus etiam quos uetus poſſeſſor percipere po tuit, non tantum quos prædo percepit,uenire non ambigitur. C.unde ui.l.quarta.
Si nulla iuſta ex cauſa ingreſſum agrum tuum ſiue uineas, eum cuius meminiſti præſes repererit,nec ulla præſcriptione tua interpellatur petitio reſtituere tibi poſſeſsionem cum omni cauſa non dubitabit.C.de acquir.poſ.l.ſexta.

DE VI, ET DE VI ARMATA. Titulus XIIII.

Prætor ait VNDE TV ILLVM VI DEIECISTI, AVT FAMILIA TVA DEIECIT: DE EO, QVOQVE ILLE TVNC IBI HABVIT, TANTVMMODO INTRA ANNVM: POST ANNVM VERO DE EO, QVOD AD EVM, QVI VI DEIECIT, PERVENERIT, IVDICIVM DABO. ff. de vi, & ui armata.l.prima.in prin.
Hoc interdictum proponitur ei,qui ui deiectus eſt.Etenim fuit æquiſsimum ui deiecto ſubueniri, propter quod ad recuperandam poſſeſsionem hoc interdictũ proponi-

proponitur. Ne quid autem per uim ammittatur, & legibus Iuliis publicorum, & priuatorum, prospicitur necnon & constitutionibus principum. d. l. prima. §. hoc interdictum.

Hoc interdictum non ad omnem vim pertinet, verum ad eos tantum, qui de possessione deiiciuntur ad solam autem atrocem vim pertinet hoc interdictum: & ad eos tantum, qui de solo deiiciuntur, vt puta de fundo, siue de ædificio, ad alium autem non pertinet, & si quis de area deiectus sit, sine dubio interdicto locus est. d. l. prima. §. hoc interdictum.

Et generaliter ad omnes hoc pertinet interdictum, qui de re solo cohærenti deiicientur, qualis qualis. n. fuerit locus, vnde quis vi deiectus est, interdicto locus erit. Proinde, & si superficiaria insula fuerit, qua quis deiectus est, apparet interdicto locum fore. d. l. prima. §. & generaliter.

Illud itaque in dubium non venit, interdictum hoc ad res mobiles non pertinere. Planè si quæ res sunt in fundo, vel in ædibus, vnde quis deiectus est earum etiam nomine interdictum competere, non est ambigendum. d. l. prima. §. Illud utique, & §. planè.

Si quis de naui, vi deiectus est, huic interdicto locus non est argumento eius, qui de uehiculo detractus est, quem nemo dixit interdicto hoc uti posse. Planè si quis de ligneis ædibus deiectus fuerit: nemo ambigit interdicto locum fore: quia quale quale sit, quod solo cohæreat, unde quis deiectus est ui, habet locũ interdictum. d. l. prima. §. si quis.

Deiecitur is, qui possidet, siue ciuiliter, siue naturaliter, possideat, nam & naturalis possessio ad hoc interdictum pertinet. Denique & si maritus vxori donauit, eaq; deiecta sit, poterit interdicto uti, non tñ si colonus sit. d. l. prima. §. deiecit.

Ait prætor DEIECISTI, aut familia tua DEIECIT, merito familiæ mentio habita nam cum DEIECISTI, verbum referatur ad personam eius, qui Deiecit, nec pertineat ad eum, cuius familia deiecit (nec enim ego videor deiecisse, si familia mea deiecerit) consequens fuit addere, AVT FAMILIA TVA DEIECIT. Deiecisse autem etiam is videtur, qui mandauit, vel iussit, vt aliquis deiiceretur. parui. n. referre visum est suis manibus quis deiiciat an verò per alium, quare si familia mea ex uolnntate mea deiecerit ego uideor deiecisse. d. l. prima. §. Ait prætor.

Quoties uero procurator deiecit: cum vtrolibet eorum, idest siue domino, siue procuratore, agi posse Sabinus ait. & alterius nomine alterum eximi: sic tamen si ab altero eorum litis æstimatio fuerit præstita. non enim excusatus est, qui iussu alicuius deiecit, non magis, quàm si iussu alicuius occidit. cum autem falsus est procurator: cum ipso tantum procuratore interdicti debere. Sabini sententia vera est. sedet si quod alium deiecit, ratum habuero: sunt qui putant secundum Sabinum, & Cassium, qui ratihabitionem mandato comparant: uideri me deiecisse, interdictoque isto teneri, & hoc verum est. rectius. n. dicitur ratihabitionem in maleficio mandato comparari. d. l. prima. §. quoties.

Quid igitur additur, AVT FAMILIA TVA DEIECIT: marito scriptum est in eum scilicet casum, in quem familia mea ui deiecit. Cæterum si iussit, Deiecit ipse, nec grauari debet dominus, qui non iussit suorum factum præstare, si non iussu eius deiecerunt. nam non grauabitur hoc nomine quippe si peruenerit ad eum aliquid restituet, d. l. prima. §. quod igitur.

Si filiusfamiliasve, mercenarius ui deiecerit, utile interdictum competit. d. l. prima. §. si filiusfamilias.

Quod

Quod procurator, vel Colõnus tenent, procurator videtur, & ideo his deiectis: ipse deiici de possessione uidetur, etiam si ignoret eos deiectos, per quos possidebat. Et si quis igitur alius per quem possidebat, deiectus fuerit: mihi competere interdictum, nemini dubium est. d. l. prima, §. quod seruus.

Si Colõnus tuus ui deiectus est: ages unde ui interdicto. idem est, si Inquilinus tuus ui deiectus fuerit, PAVLVS, idem dici potest de Colõni Colõno, item Inquilini, Inquilino. ff. eod. l. finali.

Interdictum autem hoc nulli competit nisi ei, qui tunc cum deiiceretur, possidebat: nec alius deiici visus est, quàm q possidet, siue autem corpore, siue animo possidens quis deiectus est: palam est eum ui deiectum uideri, idcircoque si quis de agro suo, uel de domo processisset nemine eorum relicto, mox reuertens prohibitus sit ingredi ad ipsum prædium, uel si quis eum in medio itinere detinuerit, & ipse possiderit: ui deiectus uidetur, ademisti enim ei possessionem, quam animo retinebat, & si non corpore. ff. eo. l. prima. §. interdictum.

Quod uulgo dicitur, æstiuorum hybernorumque saltuum nos possessiones animo retinere: id exempli causa didici dicere Proculum, nam ex omnibus prædiis, ex quibus non hac mente recedimus, ut omisisse possessionem uelimus, idem est. d. l. prima. §. quod uulgo.

Eum qui, neque animo, neque corpore possidebat ingredi autem, & incipere possidere prohibeatur, uerius est non uideri deiectum, deiicitur enim, qui amittit possessionem, non qui non accipit. d. l. prima. §. eum qui.

Rectè possidenti ad defendendam possessionem, quam sine uitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderatione illatam uim propulsare licet. C. unde ui. l. prima.

Vim ui repellere licere Cassius scribit, idque ius natura comparatur. Apparet autem (inquit) ex eo arma armis repellere licere. d. l. prima. §. uim ui.

Vi possidere eum definiendum est, qui expulso uetere possessore adquisitam per uim possessionem tenet: aut qui in hoc ipsum aptatus, & præparatus uenit, ut contra bonos mores ne auxilio prohiberi possit ingrediens in possessionem, faciat, sed qui per uim possessionem suam retinuit: Labeo ait non ui possidere. d. l. prima. §. ui possidere.

Idem Labeo ait, eum qui metu turbæ perterritus fugerit: ui uideri deiectum, sed Pomponius ait, uim sine corporali ui locum non habere ac etiam is, qui fugatus est superuenientibus, quibusdam si illi ui occupauerint, possessionem uidetur ui deiectus, qui etiam à me ui possidebat si ab alio ui deiiciatur, habet interdictum. d. l. prima. §. Idem labeo.

Qui vi deiectus est, quidquid damni senserit ob hoc, quod deiectus est, recuperare debet, pristina enim causa restitui debet, quam habiturus erat, si non fuisset deiectus. d. l. prima. §. qui ui.

Si fundus, à quo vi expulsus sum, mihi restitutus esset, cæteræ uero res, quæ ui ablatæ sunt, non restituerentur, hic dicendum est, interdictum nihilominus tenere, quia uerum est, me ui esse deiectum. Planè si quis uelit de possessione quidem rei soli per hoc interdictum experiri, de rebus uerò mobilibus ad exhibendum actione, potest habere hoc in suo arbitrio, & ita Iulianus scribit, idem scripsit, & si quis ui bonorum raptorum de huiusmodi rebus uelit experiri. d. l. prima. §. si fundus.

Quod autem ait Prætor QVAEQVE IBI HABVIT sic accipimus, ut omnes res continentur, non solum quæ propriæ ipsius fuerunt, uerum & si quæ apud eum depositæ, uel ei commodatæ, uel pignoratæ, quorumque usum, uel usumfru

ctum, uel custodiam habuit, vel si quæ ei locatæ sunt. cum.n. prætor dicat HABVIT: omnia. Hæc habendi uerbo continentur. d.l. prima. §. quod autem.

Rectissimè autem prætor addidit TVNC IBI HABVIT TVNC, sic accipimus, cum deiiceretur. & ideo si quid postea desiit illic esse, dicendum erit in interdictum venire sic fit, vt etiam si homines uel pecora demortua sint post deiectionem interdicto locus sit. Denique Iulianus scribit: eum; qui ui deiecit ex eo prædio, in quo Animalia fuerant, propius esse, vt etiam, sine culpa eius mortuis animalibus æstimationem eorum per interdictum restituere debeat, sicuti fur æqui etiam mortuo eo tenetur. huic consequens esse ait, vt uillæ quoque & ædium incendio consumptarum precium restituere cogatur. Vbi enim quis (inquit) deiecit vi, per eum stetisse uidetur, quo minus restitueret, & idcirco constare ait: eum qui ui deiecit, qui ve dolo malo desierit possidere interdicto teneri. d.l. prima. §. Rectissimè.

IBI autem ait prætor, vt ne quis, & quæ illic nō habuit, complectatur. Sanè quod ait prætor IBI quomodo accipimus? utrum in eo loco, vnde quis ui deiectus est, an uerò in omni possessione, & melius dicetur, non ad angulum vnum referendum, vel locum, in quo fuerit, uerum etiam ad omnem partem possessionis, qua quis caruit, cum deiiceretur. d.l. prima. §. ibi autem.

Annus in hoc interdicto utilis est, ex die, quo quis deiectus est, fructuum ratio habetur, quamuis in cæteris interdictis, ex quo ædita sunt, non retro computantur, idem est, & in rebus mobilibus, quæ ibi erant. Nam & eorum fructus computandi sunt, ex quo quis ui deiectus est. d.l. prima. §. Annus.

Vi pulsatos restituendos esse interdicti exemplo, si necdum annus vtilis excesit, certissimi iuris est: & hæredes teneri in tantum, quantum ad eos peruenit. C. eod. l. secunda.

Non solum autem fructuum in hoc interdicto ratio habetur, verum cæterarum etiam vtilitatum habenda est, Nam & Viuianus refert, in hoc interdicto omnia quæcumque habiturus, uel adsecuturus erat is, qui deiectus est, si ui deiectus non esset, restitui, autem eorum litem a iudice æstimari debere: eumque tantū consecuturum quanti sua interesset, si ui deiectus non esset. d. l. prima. §. non solum.

Ex interdicto unde vi, etiam is, qui non possidet, restituere cogetur. d. l. prima. §. ex interdicto.

Hoc interdictum, & hæredi, & cæteris successoribus competit. Non autem alii, quàm ei, qui possidet, interdictum, VNDE VI, competere, argumentum præbet, quod apud Viuianum relatum est, si quis me vi deiecerit, meos non deiecerit non posse me interdicto hoc experiri: quia per eos retineo possessionem, qui vi deiecti non sunt. d.l. prima. §. hoc interdictum.

Si aliquo possidente ego quoque ingressus sim in possessionem, & non deiiciam possessorem, sed vinctum opus facere cogam? quatenus (inquit) res esset, uerius est eum quoque deiectum videri, qui illinc vinctus esset. d.l. prima. §. penul.

Ex causa huius interdicti in hæredem, cæterosque successores in factum actio competit in id, quod ad eos peruenit. dolove malo eorum factum est, quominus perueniret. Quod quidem est, & si quis armis deiectus est, quia & ex facinoribus defunctorum de eo, quod ad hæredem peruenit, actio datur sufficit enim non in lucro versari eum hæredem, non etiam subire. d.l. prima. §. finali, & l. secunda, & tertia, in prin.

Si plures hæredes sunt, vnusquisque non amplius, quàm ad eum peruenerit, tenetur.

tur.qua de causa interdum insolidum tenebitur is,ad quem totum peruenerit: quamuis ex parte hæres sit.ff.eod.l.si plures.9.in prin.

In interdicto VNDE VI, si à filiofamilias deiectus es, dicendum est, vt & eius causa quod ad patrem peruenit,ipse teneatur. ff.eod.l.in interdicto.xvi.

Hæc actio,quæ aduersus hæredem,cæterosque successores pertinet, perpetuò cõpetit,quia in ea rei persecutio continetur.d.l.tertia.§.hæc actio.

Armis deiectum quomodo accipimus?arma sunt omnia tela:hoc est, & fustes, & lapides,non solum gladii,hastæ, & frameæ id est romphææ. Planè & si vnus vel alter,fustes vel gladium tenuit,armis possessor deiectus videtur.Plus dicitur,& si inermes venerunt,si in ipsa contrectatione.qui inermes venerant,eo processerunt,vt fustes,aut lapides sumerent,vis erit armata.d.l.tertia.§.armis.

Qui armati venerunt,& si non armis vsi sunt ad deiiciendum,si deiecerint:armata vis facta esse videtur,sufficit enim terror armorum, vt videantur armis deiecisse.d.l.tertia §.qui armati.

Si quis autem visis armatis, qui aliò tendebant metu hoc deteritus profugerit: non videtur ei deiectus,quia non hoc animo fuerunt,qui armati erant, sed aliò tendebant,proinde & si cum armatos audisset venire,metu possessione decesserit,siue uerum,siue falsum audisset: dicendum est, non armis eum esse deiectum,nisi possesio ab his fuerit occupata.d.l.tertia.§.si quis.

Si autem cum dominus veniret in possessionem , armati cum prohibuerunt, qui inuaserunt possessionem.uideri eum armis deiectum.d.l.tertia.§.si autem.

Eum igitur,qui cum armis uenit,possumus armis repellere, sed hoc confestim: non ex interuallo,dummodo sciamus, non solum resistere permissum, ne deiiciatur,sed & si deiectus quis fuerit, eundem deiicere non ex interuallo, sed ex continenti posse.d.l.tertia.§.eum igitur.

Cum procurator armatus uenit,& ipse dominus armis deiecisse uidetur: siue mandauit,siue (ut Iulianus ait) ratum habuit,hoc & in familia dicendum est.Nam cum familia sine me,armata uenit,ego non uideor uenisse,sed familia,nisi uel iussi uel ratum habui.d. l.tertia.§.Cum procurator.

Hoc interdictum etiam aduersus eum proponitur,qui dolo malo fecit, quo quis armis deiiceretur, & post annum reddetur in id, quod peruenit ad eum,qui prohibuit.d.l.tertia.§.Hoc interdictum.

Sed si vi armata deiectus est, sicut ipsum fundum recepisses etiam si vi, aut precario,aut clam eum posideres, ita res quoque mobiles omnimodo recipies.ff. eod.l. sed si ui.14.

VNDE VI, interdictum necessarium fuisse fructuario apparet, si prohibeatur uti frui usufructu fundi. Vti frui autem prohibuisse is uidetur, qui ui deiecit utentem,& fruentem, aut non admisit, cum ex fundo exisset, non vsusfructus deserendi causa. Cæterum si quis ab initio uolentem incipere uti frui prohibuit Hoc interdictum locum non habet. quid ergo est? Debet fructuarius vsumfructum uindicare.d.l.tertia.§.vnde ui.

Pertinet autem hoc interdictum ad eum,qui fundo vti frui prohibitus est,sed pertinebit etiam ad eum,qui ædificiis vti frui prohibetur. Consequenter autem dicemus ad res mobiles hoc interdictum non pertinere, si quis vti frui prohibitus sit re mobili: nisi rei soli accedebant res mobiles. Si igitur ibi fuerunt,dicendum est etiam ad eas res referri hoc interdictum debere. item si non usus fructus,sed usus sit relictus,competit hoc interdictum,ex quacumque enim causa constitutus est usus fructus , uel usus, hoc interdictum locum habebit. d. l. tertia.

tertia.§.pertinet autem hoc interdictum.

Qui vsusfructus nomine, qualiter qualiter fuerit, quasi ĩ possessione vtetur hoc interdicto. sed & si quis postea, q̃ prohibitus est, capite minutus sit, vel mortuus, recte dicitur, hæredibus & successoribus competere hoc interdictum, nõ vt in futurum vsusfructus sed vt præterita causa, & damnum præteritum sarciatur. Hæres quoque simili modo debebit in factum actionem suscipere in id, quod ad se peruenit. d.l.tertia.§.penultimo, & finali.

Deiectum ab vsufructu in eadem causa prætor restituere debet: idest in qua futurus esset, si deiectus non esset. itaque si tempore vsusfructus finitus fuerit, postquam deiectus est a domino, nihilominus cogendus erit restituere, id est usumfructum iterum constituere. ff. eod. l. si plures. 9. §. Deiectum.

Si de fundo proprietarium, vel fructuarium prædo expulerit, atque ob id fructuarius constituto tempore non vsus perdiderit ius suum: nemo dubitat, quin tunc dominus, (siue experiatur cum fructuario aduersus prædonem, siue non experiatur) retinere debeat reuersum ad se usumfructum, & quod fructuarius perdidit, id ad damnum eius pertineat, cuius facto periit. ff. eodem. l. si de fundo. x.

Si ui me deiecerit quis, nomine municipium, in municipes mihi interdictum reddendum Pomponius scribit; si quid ad eos peruenit. ff. eod. l. quarta.

Si rerum possessio ui tradita fuerit. Dicit Pomponius. VNDE VI interdictum cessare, quoniam non est ui deiectus, qui compulsus est in possessionem inducere, ff. eod. l. quinta.

In interdicto VNDE VI tanti condemnatio facienda est, quanti interfuit possidere. Et hoc iure nos uti Pomponius scribit: id est, tanti rem videri, & quanti actoris intersit, quod aliàs minus sit, aliàs plus. nam sæpe actoris pluris interesse æquum retinere, quàm quanti is est. ff. eod. l. sexta.

Si ui me deieceris, uel ui, aut clam feceris: quamuis sine dolo, & culpa amiseris possessionem: tamen damnandus es, quanti mea intersit, quia in eo ipso culpa tua precesserit, quod omnimodo ui deiecisti, aut ui, aut clam fecisti. ff. eodem. l. si ui. xv.

Cum à te ui deiectus sim, si Titius ui eandem rem possidere cœperit: non possum cum alio quàm tecum experiri interdicto. ff. eod. l. cum à te. vii.

Fulcinius dicebat ui possideri, quoties uel non dominus (cum tamen possideret) ui deiectus est. ff. eod. l. Fulcinius. viii.

Vim facit, qui non sinit possidentem eo, quod possidebat, uti arbitrio suo, siue inserendo, siue in fodiendo, siue in arando, siue quid ædificando, siue quid omnimodo faciendo, per quod liberam possessionem aduersarii non reliquit. ff. eo. l. uim facit. xi.

Colonus eum, cui locator fundum vendiderat, cum is in possessionem esset, non admisit, deinde Colonnus ui ab alio deiectus est, quærebatur, quis haberet interdictum VNDE VI? responsum est nihil interesse, Colonnus dominum ingredi uolentem prohibuisset: an emptorem, cui iussisset dominus tradi possessionem, non admisisset, igitur interdictum VNDE VI Colonno competiturum, ipsumque simili interdicto locatori obstrictum fore, quem deiecisse tunc videretur, cum emptori possessionem non tradidisset, nisi forte propter iustam, & probabilem causam id fecisset. ff. eod. l. Colonnus. xii.

Cum fundum, qui locauerat, uendidisset, iussit emptorem in uacuam possessionem ire, quem Colonnus intrare prohibuit, postea emptor ui Colonnum expulit,

pulit. DE INTERDICTIS VNDE VI, quæsitum est, placebat, colonnum interdicto venditori teneri: quia nihil interesset, ipsum, an alium ex voluntate eius missum intrare prohibuerit, neque enim, ante missam possessionem videri, quàm si tradita fuisset emptori, quia nemo eo animo esset, vt possessionem omitteret propter emptorem, quam emptor adeptus non fuisset, emptorem quoque, qui postea vim adhibuit, & ipsum interdicto colonno teneri, non enim ab ipso sed a uenditore per uim fundum esse possessum, cui possessio per uim esset ablata, quæsitum est, an emptori succurri debeat, si voluntate venditoris colonnum postea ui expulisset? dictum fuit non esse iuuandum, qui mandatum illicitum suscepit. ff. eodem. l. cum fundum. xviii. in princip.

Non ab re est, quemadmodum possessionis alienæ inuasores tàm vetus, quàm præsens sacra constitutio censuit esse puniendos: nec conductoribus, & possessionis alienæ detentatoribus impunè procedere, si locatoribus forte, uel possessionem rerum suarum, quam apud alios precario modo esse concesserant, recuperare secundum leges uolentibus (cum nulla sibimet cognita legibus allegatio competeret) duxerint restituendum, & non protinus, id est non expectato iudiciorum ordine, alienam possessionem rectè eam recuperantibus cedere patiantur, iis namque iubentur pro tanta suæ iniquitatis impudentia, si cognitionis iudicariæ euentu fuerit condemnati: rei cuius possessionem sponte restituere usque ad definitiuam minimè passi sunt, æstimationem uictrici parti una cum ipsa re præbere compelli. C. unde ui. l. penul.

Neque VNDE VI, neque aliud interdictum famosum est. ff. eod. l. NEQVE VNDE VI. xiii.

Qui possessionem ui ereptam ui in ipso congressu recipit in pristinam causam reuerti potius, quàm ui possidere intelligendus est. ideoque si te ui deiecero, illicò tu me, deinde ego te: VNDE VI. interdictum tibi vtile erit. ff. eod. l. qui possessionem. xvii.

Eum, qui fundum uindicauit ab eo, cum quo interdicto VNDE VI, potuit experiri pendente iudicio: nihilominus interdicto recte agere placuit. ff. eod. l. cum fundum. 18. §. eum qui.

Meritò Iulianus respondit, si me de fundo ui deieceris, in quo res mouentes fuerint, cum mihi interdicto VNDE VI restituere debeas, non solum possessionem soli, sed & ea, quę ibi fuerunt: quamquam ego moram fecero, quominus interdicto te conuenirem, subtractis tamen mortalitate pecoribus, aliisuè rebus casu intercidentibus, tuum onus in eis nihilominus restituendis esse, quia ex ipso tempore delicti plus, quàm frustrator debitor constitutus es. ff. eod. l. penul.

Authoritatem tenendæ possessionis per uiolentiam adeptæ nimis improbæ postulatur. C. unde vi. l. tertia.

Inuasor locorum pœna tenetur legitima: si tamen ui loca eadem inuasisse constiterit. nam si per errorem, aut incuriam domini, loca ab aliis possessa sunt, sine pœna possessio restitui debet. C. eod. l. quinta.

Meminerint cuncti in causis conueniendos dominos locorum esse, aut si forte defuerint, actores ad lites ad insinuandas sententias, procuratoresque quæ-

rendos: ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur: quod si præcepta legum implere neglexerint, omni negocio, de quo iurgare cæperant priuabuntur, sinautem habito plerumque colludio, curatores, vel tutores minorum his rem debitam ea occasione inuadant, ut pupillis, uel adultis iurgandi copia, & fructus adimatur: his eatenus subuenitur, ut eosdem non atterat damno culpa temeritatis alienæ: sed illico quidem possesio ei, a quo est ablata, reddatur, cura tores autem, uel tutores æterna deportatione punitos bonorum quoque pu blicatio consequatur. C. eod. l. sexta.

Momentariæ possessionis interdictum, quod non semper ad vim publicam pertinet, uel priuatam, mox audiri interdum etiam sine inscriptio ne meretur. C. eo. l. Momentariæ. viii.

Si quando uis in iudicio fuerit patefacta, deinde super rebus abreptis, uel inuasis, uel damno dato tempore impetus quæstio pruponatur, si non potuerit, qui uim sustinuit, quæ perdidit, singula comprobare, taxactione à iudice facta pro personarum, atque neg ocii qualitate, sacramento æstimationem rerum, quas perdidit manifestet, nec ei liceat ultra taxactionem à iudice factam iurare: & quod huiusmodi iusiurando dato fuerit declaratum, iudicem condemnare oportet. C. eod. l. si quando. ix.

Cum quærebatur quid fieri oporteret propter eos, qui uacuam possessionem absentium sine iudiciali sententia detinuerunt sancitum est, talem possessorem ut prædonem intelligi, & generali iurisdictione ea teneri, quæ pro restituenda possessione, contra huiusmodi personas ueteribus declarata sunt legibus, ridiculum etenim est dicere, uel audire, quod per ignorantiam alienam rem aliquis, quasi propriam occupauerit: omnes autem scire debent, quod non suũ est, hoc ad alios modis omnibus pertinere, cum talis dispositio iam dudum ueteribus legibus definita est, dicentibus, si quis alienam rem aduersus domini uoluntatem attigerit pro furto teneri, his uidelicet, quæ super recipienda possessione, disposita sunt, locum habentibus, si non ex die, ex quo possessio detenta est, triginta annorum excesserint curricula. C. eod. l. fi.

QVOD VI, AVT CLAM.

Titulus XV.

PRætor ait. QVOD VI, AVT CLAM FACTVM EST QVA DE RE AGITVR ID CVM EXPERIVNDI POTESTAS EST, RESTITVAS. Hoc interdictum restitutorium est, & per hoc occursum est, caliditati eorum, qui vi, aut clàm, quædam moliuntur iubentur enim restituere ea: & parui refert, vtrum ius faciendi habuit an non, siue enim ius habuit: siue non, tamen tenetur interdicto, propterea quod ui, aut clàm fecit. tueri enim ius suum debuit non iniuriam comminisci. ff. eod. l. quod vi, aut clàm. l. prima.

Denique est quæsitum, an hoc interdicto vtenti exceptionem posit quis obiicere.

re, SI EAM NON IVRE MEO RECEPERIM? magis est, ne posſit. nam aduerſus uim, vel quod clàm factum eſt, nulla iuſta exceptione ſe tueri poteſt. d. l. prima. §. Denique.

Hoc interdictum ad ea ſola pertinet, quæcunque in ſolo vi: aut clàm fiunt. Quid ſit vi, vel clàm factum, videndum eſt. vi factum uideri Quintus Mutius ſcripſit, ſi quis contra, quàm prohiberetur, fecerit. Sed & ſi quis iactu, vel minimi lapilli prohibitus facere perſeuerauit, hunc quoque uim feciſſe videri Pedius, & Pomponius ſcribunt: eoque iure vtimur. Sed & ſi contra teſtationem, denunciationemque fecerit: idem eſſe Caſcelius, & Trebatius putant: quod verum eſt. Sed & Ariſto ait eum quoque uim facere, qui, cum ſciret ſe prohiberi, per uim molitus eſt, ne prohiberi poſsit. d. l. prima. §. hoc interdictum.

Item Labeo dicit, ſi quem facientem prohibuero, iſque deſtiterit in præſentiarum rurſusque facere cœperit: poſtea vim eum videri feciſſe, niſi permiſſu meo facere cœperit, vel qua alia iuſta cauſa accedente. Si quis tantum imbecillitate impeditus, vel etiam ne offenderet vel te, vel eum, qui te magni faciebat, ideo non venerit ad prohibendum, non videbitur aduerſarius vim feciſſe: & ita Labeo ſcribit. d. l. prima. §. item Labeo.

Idem ait, & ſi te volentem ad prohibendum venire deteruerit aliquis (armis forte) ſine ullo dolo malo meo, ac propter hoc non ueneris: non uideri me uim feciſſe: ne in aliena poteſtate ſit conditionem meam nihil delinquentis deteriorem facere. d. l. prima. §. finali, cum l. ſeq.

Prohibere autem non utique per ſemetipſum neceſſe eſt, ſed & ſi quis per filium ſuum, uel procuratorem prohibuerit, rectè uidetur prohibuiſſe. idem etiam & ſi mercenarius meus prohibuerit: ne quem moueat, quod per liberam perſonam actio adquiri non ſolet. Nam prohibitio hæc demonſtrat uim te facere. Quid mirum, cum & ſi clàm, me uim feceris, habeam tamen actionem? ergo magis facto tuo delinquentis, quàm alieno adquiritur mihi actio. ff. eod. l. tertia, in prin.

Illud ſciendum non omnibus momentis uim eſſe faciendam, ſed ſemel inter initia facta perſeuerat. Sed ſi permiſerit aduerſus eum, qui utetur interdicto, exceptio erit neceſſaria. d. l. tertia. §. Illud.

Non tantum autem ſi ego permiſero, ſed & ſi procurator meus, vel tutor qui tutelam adminiſtrat, uel curator pupilli, furioſi, ſiue adoleſcentis, dicendum erit, exceptioni locum fore. Planè ſi præſes uel curator Reipub. permiſerit in publico facere: Nerua ſcribit, exceptionem locum non habere, quia & ſi ei, locorum, (inquit) publicorum procuratio data eſt, conceſsio tamen data non eſt. Hoc ita uerum eſt, ſi non lex municipalis curatori Reipub. amplius concedat. Sed & ſi à principe, vel ab eo, cui princeps hoc ius concedendi dederit, permiſſum ſit, idem erit probandum. dicta. l. tertia. §. non tantum.

Si quis paratus ſit ſe in iudicio defendere aduerſus eos, qui interdicendum putant, ne opus fiat: an videatur vim facere deſinere? & magis eſt, vt deſinat, ſi modo ſatis offerat, & defendere paratus ſit, ſi quis agat, & ita Sabinus ſcribit. d. l. tertia. §. ſi quis.

Sed & ſi quis damni infecti paratus ſit cauere, cum propter hoc tantum eſſet prohibitus, uel quia non defendebat, vel damni infecti non promitte-

bat, consequens est dicere, desinere eum uim facere, dicta. l. tertia. §. & si quis.

Clàm facere videri Cassius scribit eum, qui cælauit aduersarium, neque ei denunciauit: si modo timuit eius controuersiam, aut debuit timere. Item Aristo putat eum quoque clàm facere, qui cælandi animum habet: cum quem prohibiturum se intellexerit, & id existimat, aut existimare debet se prohibitum iri. d. l. tertia. §. finali.

Seruius etiam clàm facere eum ait, qui existimare debeat sibi controuersiam futuram: quia non opinionem eius, & resupinam existimationem sequi oporteat, ne melioris conditionis sint stulti, quàm periti. ff. eod. l. quarta.

Clàm facit, qui aliter fecit, quàm denunciauit: uel qui decepto eo facit, ad quem pertinuit non facere, uel consultò denunciauit aduersario, cum eum scit non posse prohibere, uel tàm serò denunciat, vt abire prohibiturus priusquàm fiat, non possit: & hęc ita Labeonem probare Aristo ait. ff. eodem. l. quinta, in princip.

Si quis se denunciauerit opus facturum: non semper non uidetur clàm fecisse, si post denunciationem fecerit: debebit enim (& ita Labeo) & diem, & horam denunciatione complecti, & vbi, & quod opus facturus sit, neque quidem persusoriè aut obscurè dicere: aut denuntiare, neque tàm arctare aduersarium, ut intra diem occurrere ad prohibendum non possit. Et si forte non sit, cui denuncietur, neque dolo malo factum sit, ne fit: amicis denique, aut procuratori, aut ad domum denunciandum est. Sed & Seruius rectè ait, sufficere fœminæ viro notum facere opus se facturam, vel denique sciente eo facere, quamquam etiam illud sufficiat, cælandi animum non habere item ait, si quis in publico uelit municipii facere, sufficere, si curatori reipublicæ denunciat. d. l. quinta. §. si quis.

Si quis dum putat locum tuum esse, qui est meus, cælandi tui, non mei causa fecerit, mihi interdictum competere. Idem dicitur si procuratoris mei cælandi causa factum sit, mihi interdictum competere. d. l. quinta. §. si quis dum.

Si quis cum non denunciasset opus se facturum, eique denunciatum esset, ne faceret, fecerit: utilius est probandum vi eum fecisse, d. l. quinta. §. si quis cum.

Hæc verba, QVOD VI, AVT CLAM, FACTVM EST, ait Mutius ita esse, quod tu, aut tuorum, quis fecit, aut tuo iussu factum est. Labeo autem ait, plures personas contineri his verbis. Nam ecce primùm hæredes eorum, quos enumerat Mutius, contineri his uerbis putat: idem ait, & aduersus procuratorem, tutorem, curatorem municipii vel syndicum alieno nomine interdici posse. d. l. quinta. §. Hæc verba.

Similiter quod iussu cuius factum erit, ob id non cum eo, sed cuius nomine iusserit hæc actio est. Nam si procurator, tutor, curator duumuir municipii, quid eius nomine, cuius negocium procuraret fieri iusserit, ob id agendum erit cum eo, cuius nomine factum quid erit, non cum eo, qui ita iusserit, & si tibi mandauero, vt opus fieri iuberes, & in ea re mihi parueris, mecum (inquit) non tecum erit actio. & cum interdictum sit sic scriptum, QVOD VI, AVT CLAM FACTVM EST, non ita, QVOD VI, AVT CLAM, FECISTI, latius porrigi id quàm ad has personas, quas supra numerauimus, habeo putat, & hoc iure utimur, vt siue ego fecissem, siue fieri iusissem interdicto, QVOD VI, AVT CLAM

tenear.

teneat.d.l,quinta.§.similiter vſque ad finem.

Si ego tibi mandauero opus nouum facere, tu alii: non poteſt videri meo iuſſu factum, teneberis ergo & tu, & ille: & an ego tenear, videamus, & magis eſt, & me, qui initium rei præſtiterim, teneri. Sed vno ex his ſatisfaciente, cæteri liberantur.ff.eod.l.ſexta.

Si alius fecerit me inuito tenebor ad hoc, vt patientiam præſtem.ff.eod.l.ſeptima in principio.

Ait Iulianus, qui ante nunciationis remiſsionem contra quàm prohibitus fuerit, opus fecerit: duobus interdictis tenebitur, vno quod ex operis noui nunciatione competit: altero QVOD VI aut clam, remiſsione autem facta intelligendus non erit ui, aut clàm facere. Licere enim debet ædificare ei, qui ſatiſdederit, cum poſſeſſor hoc ipſo conſtituatur, clamque facere (quamuis prohibeatur,) nec ante remiſsionem, nec poſtea exiſtimandus eſt, cum is, qui opus nouum nunciat, non poſsit uideri cælatus & præoccupatus, antequàm controuerſiam faceret.d.l.ſeptima.§.ait Iulianus.

Belliſsimè apud Iulianum quæritur, an hæc exceptio noceat in hoc interdicto, QVOD TV NON VI AVT CLAM FECERIS: ut puta vtor aduerſus te interdicto, QVOD VI, AVT CLAM feciſti, an poſsis obiicere mihi eandem exceptionem, QVOD NON VI, AVT CLAM FECISTI: & ait Iulianus æquiſsimum eſſe, hanc exceptionem dari. nam ſi tu (inquit) ædificaueris ui, aut clàm, ego idem demolitus fuero ui, aut clàm, & utaris aduerſus me interdicto, hanc exceptionem profuturam; quod non aliter procedere debet, niſi ex magna, & ſatis neceſſaria cauſa: alioquin hæc omnia officio iudicis celebrari oportet. dicta. l. ſeptima. §. Belliſsimè.

Eſt autem & alia exceptio, de qua Celſus dubitat, an ſit obiicienda, ut puta ſi incendii arcendi cauſa uicini ædes intercidi, & quo ui, aut clàm mecum agatur, aut damni iniuria. Gallus enim dubitat, an effici oporteat, quod incendii defendẽdi cauſa factum non ſit. Seruius autem ait, ſi id magiſtratus feciſſet dandam eſſe, priuato non eſſe idem concedendum, ſi quid tamen ui, aut clàm factum eſſet, neque ignis uſque eo perueniſſet, ſimpli litem æſtimandam, ſi per ueniſſet, abſolui eum oportere, idem ait eſſe, ſi damni iniuria actum foret, quoniam nullam iniuriam, aut damnum dare videretur, æquè perituris ædibus. Quod ſi nullo incendio id feceris, deinde poſtea incendium ortum fuerit, non idem erit dicendum, quia non ex poſt facto, ſed ex præſenti ſtatu damnum factum ſit necne æſtimari oportere labeo ait. dicta. l. ſeptima. §. eſt & alia exceptio.

Notauimus ſupra quod quamuis uerba interdicti latè pateant, tamen ad ea ſola opera pertinere interdictum placere, quæcumque fiant in ſolo, eum enim, qui fructum tangit: non teneri interdicto, quod VI, AVT CLAM. nullum enim opus in ſolo facit. At qui arbores ſuccidit: vtique tenebitur, ſed & qui arundinem, & qui ſalictum: terræ enim quodammodo ſolo ipſi corrumpendo manus infert, idem & in uineis, ſuccifis, cæterum qui fructum aufert, furti debet conueniri. itaque ſi quid operis in ſolo fiat, interdictum locum habet. in ſolo fieri accipimus, & ſi quid circa arbores fiat, non tamen ſi quid circa fructum arborum.d.l.ſeptima. §.Notauimus.

Si quis aceruum ſtercoris circa agrum pinguem deiiccerit: cum eo, quod ui, aut

clam factum eſt, agi poteſt. & hoc uerum eſt, qui ſolum uicium ſit adhibitum, planè ſi qnid agri colendi cauſa factum ſit, interdictum QVOD VI, AVT CLAM, locum non habet, ſi melior cauſa facta ſit agri: quamuis prohibitus quis ui, uel clam, fecerit. d. l. ſeptima. §. ſi quis aceruum.

Præterea, ſi foſſam feceris in ſylua publica, & bos meus in eam ceciderit, agere poſſum hoc interdicto, quia in publico factum eſt, d. l. ſeptima. §. Præterea.

Si quis ædificium demolitus fuerit, quamuis non uſque ad ſolum, quin interdicto teneatur, deſiit dubitari. Proinde &. ſi tegulas de ædificio ſuſtulerit, magis eſt, ut interdicto teneatur. Nam origo huius rei à ſolo proficiſcitur. Cæterum per ſe tegulæ non poſſidentur, ſed cum uniuerſitate ædificii, nec ad rem pertinet, adfixæ ſint, an tantum poſitæ. d. l. ſeptima. §. finali. cum l. ſeq.

Nam & ſi ramos, quis de arboribus abſtulerit ad hoc interdictum admittimus. hæc ita, ſi de ædificio tegulas ſuſtulerit. Cæterum ſi non de ædificio, ſed ſeorſum poſitas: ceſſat hoc interdictum. Si tamen ſera, uel clauis, uel ſpecularium uel cancellus ſit ablatus, QVOD VI, AVT CLAM, agi non poterit. Sed ſi quis aliquid ædibus adfixum euulſerit (ſtatuam forte uel quid aliud) quod ui, aut clam agrum inarauerit, uel foſſam fecerit: hoc interdicto tenebitur. Sed ſi aceruum ſuccenderit uel diſperſerit, ſicut non ad uſum agri conuertatur, interdicto locus non erit. Quia aceruus ſolo non cohæret, ſed à terra ſuſtinetur: ædificia autem ſolo cohærent. d. l. 9. nã & ſi, cum. l. ſeq.

Is, qui in puteum vicini aliquid effuderat, hoc facto aquam corrupit, ait Labeo interdicto QVOD VI, AVT CLAM: eum teneri, portio enim agri uidetur aqua uiua, quemadmodum ſi quid operis in ea feciſſet. ff. eod. l. is qui, 11. in prin.

Quæſitum eſt, ſi ſtatuam in municipio ex loco publico quis ſuſtulerit, uel ui, aut clam: an hoc interdicto teneatur? & extat Caſsii ſententia eum, cuius ſtatua in loco publico in municipio ſit poſita, QVOD VI, aut clam agere poſſe: quia interſit eius eam non tolli, municipes etiam, pro furto acturos: quia res eorum ſit, quaſi publicata, ſi tamen deciderit, ipſi eam detrahunt, & hęc ſententia uera eſt. d. l. is qui, §. quæſitum.

Si quis de monumento ſtatuam ſuſtulerit: an ei, ad quem ius ſepulchri pertinet agere permittatur? & placet, & in his interdicto locum eſſe. Et ſanè dicendum eſt, ſi qua ſepulchri ornandi cauſa adpoſita ſint, ſepulchri eſſe uideri. idem eſt, & ſi hoſtiuum euellat, uel effringat. dicta. l. is qui, §. ſi quis de.

Si quis in vineas uenerit, & inde radices abſtulerit, hoc interdicto tenebitur. d. l. is qui. §. ſi quis in vineam.

Quod ait prætor, QVOD VI, AVT CLAM factum eſt, ad quod tempus referatur, videamus: vtrum ad præteritum, an ad præſens. quæ ſpecies, & apud Iulianum expoſita eſt. Ait enim in hoc interdicto præſentis temporis ſignificationem accipi debere. ſi tamen (inquit) ex opere damnum datum fuerit: aut dominus, aut is, cuius fundo nocitum erit, ſua impenſa, id ſuſtulerit: vtilius probari, vt, & damnum ſarciatur, & impendia reſtituantur, d. l. is qui, xi. §. quod ait.

Interdictum complectitur, quodcunq; aut vi, aut clam factum eſt. ſed interdum euenit, vt quid, & vi, & clam fiat, partim ui, & partim clam in eodem opere, vt puta ſi prohiberem, fundamenta poſuiſti. poſtea cum conueniſſem nè reliquum opus fieret abſente, & ignorante me, reliquum opus perfeciſti. vel contra fundamen-

damenta clam iecisti, deinde cætera me prohibente ædificasti hoc iure utimur, vt, & si vi, & clàm factum sit interdictum hoc sufficiat, d.l.is, qui.§. interdictum.

Si tutoris iussu, aut curatoris factum sit: cum placeat, quod Cassius probat ex dolo tutoris, & curatoris pupillum, vel furiosum non teneri: eueniet, vt in ipsum tutorem, curatoremque, aut vtilis actio competat, aut etiam vtile interdictum. certè ad patientiam tollendi operis vtique tenebuntur pupillus, & furiosus, d. l.is qui.§. si tutoris.

Si postea, quàm vi, aut clam factum est, venierit fundus: an venditor nihilominus experiri possit hoc interdicto, videamus. & extat sententia existimantium nihilominus competere ei interdictum, nec finiri venditione, sed nec ex empto actione erit quicquam præstandum emptori ex eo opere, quod ante venditionem factum est. satis enim esse, quod vtiq; propter hoc opus viliori prædium distraxerit. certè, & si non viliori prædium vendidit: idem erit probandum. planè si post venditionem fundi opus factum est: & si ipse venditor experiatur, q̃a nondum traditio facta est, tamen ex empto actione emptori tenebitur. omne enim & commodum, & incommodum ad emptorem pertinere debet, d. l. is qui, §. si posteaquàm.

Si fundus in diem addictus sit, cui competet interdictum: & ait Iulianus interdictum, QVOD VI, AVT CLAM, ei competere, cuius interfuit opus non fieri. fundo enim in diem addicto, & commodum, & incommodum omne ad emptorem pertinet antequam venditio transferatur, & ideo si quid tunc ui, aut clàm factum est: quamuis melior conditio allata fuerit, ipse vtile interdictum habebit, sed eam actionem sicuti fructus medio tempore perceptos venditi iudicio præstare cogendum ait, d.l. is qui, xi. §. si fundus.

Aristo autem scribit, non possessori esse denunciandum, nam si quis (inquit) fundum mihi vendiderit, & necdum tradiderit: & vicinus, cum opus facere vellet, & sciret me emisse, & in fundo morari mihi denunciauerit: esse eum tutum futurum, quod ad suspicionem clàm facti operis pertineret, quod sanè verum est. Ergo si post in diem addictionem factam fundus precario traditus sit: emptor interdictum, QVOD VI, AVT CLAM, habebit, si uerò, aut nondum traditio facta sit, aut etiam facta sit precarii rogatio, non est dubitãdum, quin venditor interdictum habeat. ei enim competere debet, & si res ipsius periculo nõ sit, nec multum facit, quòd res emptoris periculo est. Nam & statim post venditionem contractam, periculum ad emptorem spectat: & tamen antequàm vlla traditio fiat, nemo dixerit interdictum ei competere, si tamen precario sit in possessione: videamusve (quia interest ipsius qualiter, qualiter possidet) iam interdicto uti possit, ergo, & si conduxit, multo magis, nam, & colonnum posse interdicto experiri, in dubium non venit. Planè si postea, quàm melior conditio allata est, aliquid operis vi, aut clam factum sit: nec Iulianus dubitat interdictum venditori competere. Nam inter Cassium, & Iulianum de illo, quod medio tempore accidit, quæstio est, non de eo opere, quod postea contigit, d. l. is qui, §. Aristo autem.

Si ita prædium venierit, vt si displicuisset inemptum esset: facilius admittimus interdictum emptorem habere, si modo est possessione, & si reicissio emptionis in alterius arbitrium conferatur, idem erit probandum. Idemque etsi ita venisset, vt si aliquid euenisset inemptum esset prædium. & si fortè commissoria venierit idem dicendum est, d. l. is qui, §. si ita.

Idem Iulianus scribit, interdictum hoc non solum domino prædii, sed etiam his,

quorum

quorum intereſt opus factum non eſſe, competere, d. l. is qui. §. idem Iulianus.

Quanquam autem colonus, & fructuarius fructuum nomine, ad hoc interdictum admittantur, tamen, & domino id competit, ſi quid præterea eius interſit, ff. eodem, l. quanquam, 12.

Denique ſi arbores in fundo, cuius vſusfructus ad Titium pertinet, ab extraneo, vel proprietario ſucciſæ fuerint: Titius & lege Aquilia, & interdicto, QVOD VI, AVT CLAM, cum utroque eorum rectè experietur, ff. eod. l. denique, 13. in princip.

Labeo ſcribit, ſi filio tuo prohibente opus factum eſt, & te habere interdictum. at ſi te prohibente opus factum ſit, & filium tuum nihilominus. idem ait aduerſus filiumfamilias in re peculiari neminem clàm videri feciſſe. namque ſi ſcit eum filiumfamilias eſſe: non uidetur eius cælandi gratia feciſſe, quem certum eſt nullam ſecum actionem habere, d. l. denique, §. Labeo.

Si ex ſociis communis fundi unus arbores ſucciderit: ſocius cum eo hoc interdicto experiri poteſt, cum ei competat, cuius intereſt, vnde apud Seruium amplius relatum eſt. ſi mihi conceſſeris, vt ex fundo tuo arbores cædam, deinde alius eas ui, aut clàm cæciderit: hoc interdictum mihi competere: quia ego ſum, cuius intereſt, quod facilius erit admittendum, ſi à te emerim, vel ex aliquo contractu hoc conſecutus ſim, vt mihi liceat cædere, d. l. deniq;. §. ſi ex ſociis.

Quæſitum eſt, ſi cum prædium interim nullius eſſet, aliquid ui, aut clàm factum ſit: an poſtea dominio ad aliquem deuoluto interdicto locus ſit? vtputa hæreditas iacebat, poſtea adiit hæreditatem Titius, an ei interdictum competat? & eſt apud Iulianum ſæpiſsimè relatum, hoc interdictum hæredi competere ius, quod ante aditam hereditatem factum ſit, nec referre Labeo ait, quòd non ſcierit, qui hæredes eſſent. hoc enim poſſe quem cauſari etiam poſt aditam hæreditatem. ne illud quidem obſtare Labeo ait, quod nemo eo tempore dominus fuerit. Nam & ſepulchri dominus nemo fuit: tamen, & ſi quid in eo fiat experiri poſſum, QVOD VI, AVT CLAM, d. l. deniq;. §. quæſitum eſt.

Accedit his, quod hæreditas domini locum obtineat, & rectè dicetur hæredi quoque competere, & cæteris ſucceſſoribus: ſiue antequam ſucceſſerit, ſiue poſtea ſit aliquid vi, aut clàm admiſſum, d. l. deniq;. §. accedit.

Si colonnus meus opus fecerit. ſi quidem me volente, vel ratum habente, perinde eſt, atque ſi procurator meus feciſſet, in quo placet, ſiue ex uoluntate mea fecerit, teneri me: ſiue ratum habuero, qđ procurator fecit, d. l. deniq;. §. ſi colonus.

Iulianus ait, ſi colonus arborem, de qua controuerſia erat, ſucciderit, vel quod aliud opus fecerit: ſi quidem iuſſu domini id factum ſit, ambo tenebuntur, non tantum, ut patientiam præſtent, ſed ut impenſam quoque ad reſtituendum præbeant. ſi autem dominus non iuſſerit: colonus quidem tenebitur, vt patientiã, & impenſam præſtet, dominus verò nihil amplius, quàm patientiam præſtare cogendus erit, d. l. tertia, §. Iulianus.

Semper aduerſus poſſeſſorem operis hoc interdictum competit, idcircoque ſi quilibet in ſuo, vel etiam inuito me, opus in fundo meo fecerit, interdicto locus erit, ff. eo. l. ſemper. in prin.

Is, cui fundum paſtinandum locaueras, lapides abſtulit, & in vicini prædium proiecit, ait Labeo te, quod ui, aut clam non teneri, niſi id tuo iuſſu factum ſit, arbitror conductorem teneri: locatorem autem non aliàs niſi, aut patientiam præſtare poſſit, aut aliquam actionem habeat, quam præſtet. cæterum teneri non oportet, d. l. ſemper, §. is, cui.

Hoc

Hoc interdictum in hæredem, cæterosq; successores datur in id, quod ad eos peruenit, & post annum non competit. Annus autem cædere incipit, ex quo id opus perfectum est, aut fieri desiit, licet perfectum non sit: alioquin si à principio operis cæpti annum quis numeret: necesse est cum his, qui opus tardissimè facerent, sæpius agi. sed si is sit locus, in quo opus factum est, qui facilè non adiretur, aut si sub terra fiat opus, vel sub aqua, vel sub cloaca aliquid factum sit, etiam post annum causa cognita competit interdicto de eo, quod factum est. nam causa cognita annua exceptio remittēda est, hoc est ex magna, & iusta causa ignorantiæ interueniente, d.l. semper, §. hoc.

Si quis Reip. causa abfuisset, deinde reuersus interdicto, QVOD VI, AVT CLAM, vti vellet: uerius est non excludi eum anno, sed reuersum annum habere. Nam & si minor annis uigintiquinque Reip. causa abesse cæperit. Deinde maior effectus sit, dum abest Reip. causa: futurum est, vt ex quo rediit annus ei computetur, non ex quo impleuit vigintiquinque annos: & ita diuus Pius, & deinceps omnes principes rescripserunt, d.l. semper, §. si quis.

Hoc interdicto tanti lis æstimatur, quanti actoris interest, id opus factum non esse. officio autem iudicis, ita oportere fieri restitutionem iudicandum est: vt in omni causa eadem condicio sit actoris, quæ futura esset, si id opus, de quo actū est, neq; vi, neq; clâm factum est. Ergo nonnunquam etiam dominii ratio habēda est, vtputa si propter hoc opus, quod factum est, seruitutes amittantur, aut vsusfructus intereat, quod non tantum tunc eueniet, cum quis opus ædificauerit: verum etiam si diruisse opus proponatur, & deteriorem condicionem fecisse, vel seruitutum, vel vsusfructus, vel ipsius proprietatis. sed quod interfuit, aut per iusiurandum, quod in litem actor iurauerit: aut si iurare non possit: iudicis officio æstimandum est, d.l. semper, 25. §. hoc interdicto.

Eum autem, qui dolo malo fecit, quominus possit restituere: perinde habendum ac si posset. culpam quoq; in hoc interdictum venire erit probandum, quæ tamen arbitrio iudicis æstimanda erit, d.l. semper, §. pen.

Quia autem hoc interdictum continet hoc, quod interest: si quis alia actione fuerit consecutus id, quod interfuit, opus non esse, non factum: consequens erit dicere ex interdicto nihil eum consequi oportere, d.l. semper, §. fin.

Competit hoc interdictum etiam his, qui non possident: si modo eorum interest, ff. eo. l. competit, 16. in prin.

Si quis vi, aut clâm arbores non frugiferas cęciderit, veluti cypressas, domino dun taxat competit interdictum. sed si amænitas quædam ex huiusmodi arboribus præstetur: & potest dici, & fructuarii interesse propter uoluptatem, & gestationem, & esse huic interdicto locum, d.l. competit, §. si quis.

In summa qui, aut ui, aut clâm fecit, si possidet, patientiam, & impensam tollendi operis, qui fecit, neq; possidet, impensam: qui possidet, nec fecit patientiam tantum debet, d.l. competit, §. fin.

Interdictum, QVOD VI, AVT CLAM, per quem ius domino acquiritur, licet per inquilinum, ff. eo. l. interdictum, 17.

Si immaturam syluam cæduam cæciderit quis, interdicto, QVOD VI, AVT CLAM tenetur. si maturam similiter cæduam, neq; damno dominus affectus, est, nihil præstabit. non absurdè responsum est, si magistratum rogasses, ut aduersarium tuum adesse ad iudicium iuberet, nè opus nouum tibi nunciaret, clâm uideri te opus fecisse, quod interim feceris, ff. eo. l. si immaturam, 19.

Interdictum, QVOD VI, AVT CLAM competere filiofamilias colonno ar

boribus

boribus fucicfis, Sabinus ait, ff.eod.l.interdictum, ixi.

Vi facit tàm is, qui prohibitus fecit, quàm is, qui quominus prohibeatur, consecutus est: periculum (puta) aduersario denunciando, aut ianua præclusa. Prohibitus autem intelligitur, quolibet actu prohibentis, idest vel dicentis se prohibere, vel manum opponentis, lapillumve iactantis prohibendi gratia. Tandiù autem ui faciet prohibitus, quandiù res in eodem statu permanebit. nam si postea conuenerit cum aduersario: desinit ui facere. item si prohibiti hæres, vel is, qui ab eo emerit ignorans causam præcedentem fecerit, dicendum esse Pomponius ait non incidere eum in interdictum, ff.eod.l.ui fecit, 20. in prin.

Quod in naue fit, vel in alia qualibet re, vel amplissima, mobili tamen, non continetur hoc interdicto, d.l.vi facit, §. quod in naue.

Siue in priuato, siue in publico opus fiat, siue in loco sacro, interdictum competit, d.l.vi facit, §.fina.

Si opus, quod quis iussus est à iudice, qui ex hoc interdicto sumptus est, restituere, alius qui vi, aut clàm sustulisset, nihilominus idem ille omnimodo iubetur opus restituere, ff.eo.l.si quis, 21. in prin.

Si iussero filium meum facere, cum (quantum ad me pertinet) in clandestini suspitionem non ueniret, filius meus putauerit, si rem scisset aduersarius prohibiturum eum, non teneor: cũ mea persona sit intuenda, d.l.si opus, §. si iussero.

Si quis propter opus factum ius aliquod prædii amiserit, id restitui ex hoc interdicto debet, d.l.si opus, §.fin.

Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis, eaq; in fundo tuo coaluerit, utile est interdictum, QVOD VI, AVT CLAM, intra annum. sed si annus præterierit: nullam remanere actionem. radices quoq;, quæ in fundo meo sint, tuas fieri: quia his accessiones sint, ff.eo.l.si in prin.

Si quis vi, aut clàm arauerit, is tenetur hoc interdicto perinde, atque si fossam fecisset. non enim ex qualitate operis huic interdicto locus est, sed ex opere facto, quod cohæret solo, d.l.fin.§.si quis.

Si ad ianuam meam tabulas fixeris, & ego eas prius, quàm tibi denunciarem, refixero, deinde inuicem interdicto, QVOD VI, AVT CLAM, egerimus: nisi remittas mihi, vt absoluar: condemnandum te, quasi rem non restituas, quanti mea intersit: aut certè exceptionem mihi profuturam, SI NON VI, NEC CLAM, nec precario feceris, d.l.fi.§.si ad.

Si stercus per fundum meum tuleris, cum id te facere vetuissem: quanquam nihil damni feceris mihi, nec fundi mei faciem mutaueris, tamen teneri te, QVOD VI, AVT CLAM, Trebatius ait: Labeo contra. nec etiam is, qui duntaxat iter per fundum meum fecerit, aut auem egerit, venatusve fuerit sine ullo opere hoc interdicto teneatur, d.l.fi.§.si stercus.

Si is, qui denunciauerit se opus futurum, confestim opus fecerit: clàm fecisse non intelligitur. nam si post tempus: videbitur clàm fecisse, d.l.fi.§.fi.

DE PRECARIO. Tit. XVI.

PRecarium est, quod precibus petenti vtendum conceditur tandiù, quandiù is, qui concessit patitur. quod genus liberalitatis ex iuregentium descendit. & distat à donatione, eo quod, qui donat, sic dat, nè recipiat: qui precario cõcedit, sic dat, quasi tum recepturus, cum sibi libuerit precarium soluere, & est simile commodato. nam & qui commodat rem, sic commodat, ut non faciat rem accipientis, sed ut ei,

vti re accommodata permittat,ff.de precario,l.prima.

Interdictum de precariis meritò introductum est: quia nulla eo nomine iure ciuili actio est.magis enim ad donationem, & beneficii causam, quàm ad negocii contracti spectat precarii condicio. Et habet summam æquitatem, vt catenus quisque nostro vtatur,quatenus ei tribuere velimus, ff. eod.l.interdictum, 14.cum l.seq.in princ.

Ait prætor, QVOD PRECARIO AB ILLO HABES, AVT DOLO MALO FECISTI, VT DESINERES HABERE, QVA DE RE AGITVR, ID ILLI RESTITVAS,ff.eo.l.secunda,in prin.

Hoc interdictum restitutorium est,& naturalem habet in se æquitatem. namque precarium reuocare uolenti competit. est enim natura æquum, tàndiù te mea liberalitate uti, quàndiù ego velim: & vt possim reuocare cum mutauero volun tatem. itaque cum quid precario rogatum est: non solum hoc interdicto vti possumus,sed etiam præscriptis verbis actione,quæ ex bona fide oritur. habere precario videtur, qui possessionem, vel corporis, vel iuris adeptus est ex hac solummodo causa,quod adhibuit pces,& impetrauit, vt sibi possidere, aut vti liceat:veluti si me precario rogaueris,vt per fundum meum ire,vel agere tibi liceat:vel vt in tectum,vel in aream ædium mearum stillicidium, uel tignum in parietem immissum habeas,d.l.secunda,§.fi.cum l.seq.

In rebus etiam mobilibus precarii rogatio constitit. meminisse autem nos oportet eum,qui precario habet,etiam possidere,ff.eo.l.quarta,in prin.

Tenetur hoc interdicto non vtique ille,qui precario rogauit, sed qui precario habet, etenim fieri potest, vt quis non rogauit, sed habeat precario, vtputa filius meus rogauit, mihi adquisiit precarium, vel quis alius, qui iuri meo subiectus est.Item si rem meam precario rogauero,rogaui quidem precario, sed non habeo precario.idcirco, quia receptum est rei suæ precarium non esse, d.l. quarta,§.tenetur.

Item qui precario ad tempus rogauit:finito tempore, etiam si ad hoc tempus non rogauit,tamen precario possidere videtur: intelligitur enim dominus, cum patitur eum, qui precario rogauit possidere, rursus precario concedere, d.l. quarta,§.finali.

Sed si manente adhuc precario, tu in vlterius tempus rogasti, prorogatur precarium. nam nec mutatur causa possessionis, & non constituitur eo modo precarium,sed in longius tempus profertur: si verò præterita die rogas. propius est, vt soluta iam causa precarii, non redintegretur, sed noua constituatur, ff. eod. l. quinta.

Certè si interim dominus furere cæperit,vel decesserit, fieri non posse, Marcellus ait,ut precarium redintegretur,& hoc verum est,ff.eo.l.sexta,in prin.

Si procurator meus me mandante,vel ratum habente,precario rogauit,ego precario propriè habere dicor,d.l.sexta,§.si procurator.

Is,qui rogauit, vt precario in fundo moretur, non possidet, sed possessio apud eum,qui concessit,remanet.nam & fructuarius & colonnus, & inquilinus sunt in prædio,& tamen non possident,d.l.sexta,§.is,qui.

Iulianus ait eum, qui vi alterum deiecit, & ab eodem precario rogauit, desinere vi possidere,& incipere precario,neq; existimare,sibi ipsum causam possessionis mutare,cum uoluntate eius, qui deiecit, cæperit precario possidere. nam si ab eodem emisset: incipere etiam pro emptore posse dominium capere, d.l. sexta,§.Iulianus.

Quæsitum

Quæsitum est, si quis rem suam mihi pignori dederit, & precario rogauerit: an hoc interdictum locum habeat: quæstio in eo est, vt consistere precarium rei suę posit. Sed videtur verius precarium consistere in pignore, cum possessionis rogetur, non proprietatis. & est hæc sententia etiam vtilissima. quotidie enim precario rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt: & debet consistere precarium, d. l. sexta, §. quæsitum.

Sed & si eam rem, cuius possessionem per interdictum VTI POSSIDETIS retinere possem, quamuis futurum esset, vt tenear de proprietate, precario tibi concesserim: teneberis hoc interdicto, ff. eo. l. septima.

Quæsitum est, si Titius me rogauerit, ut re Sempronii utatur: Deinde ego Sempronium rogauero, vt concederet, & ille dum vult mihi præstitum, concesserit, & Titius à me habeat precario, & ego cum eo agam interdicto de precario. Sempronius autem non agat cum eo: quia hæc uerba AB ILLO PRECARIO HABES ostendunt ei demum competere interdictum, à quo quis precario rogauit, non cuius res est. an tamen Sempronius mecum, quasi à me rogatus interdictum habeat, & magis est ne habeat: quia non habeo precario, cũ non mihi, sed alii impetraui, mandati tamen actionem potest aduersus me habere, quia mandante me dedit tibi, ac si quis dixerit, non mandatu meo, sed magis mihi credentem hoc fecisse: dicendum est in factum dandam actionem etiam aduersus me, ff. eo. l. quæsitum, 8. in prin.

Quod à Titio precario quis rogauit, id etiam ab hærede eius precario habere videtur: & ita Sabinus, & Celsus scribit, eoq; iure vtimur. ergo & à cæteris successoribus habere quis precario videtur, idem & Labeo probat, & adiicit, etiã si ignoret quis hæredem, tamen videri eum habere precario ab hærede, d. l. quęsitum, §. quod à Titio.

Illud tamen videamus, quale sit, si à me precario rogaueris, & ego eam rem alienauero: an precarium duret re ad alium translata, & magis est, ut si ille non reuocet: possis interdicere, quasi ab alio precario habeas, non quasi a me, & si passus est aliquo tempore à se precario habere: rectè interdicet, quasi à se precario habeas, d. l. quæsitum, §. illud tamen.

Eum quoque precario teneri uoluit prætor, qui dolo fecit, ut habere desineret. Illud adnotatur, quod culpam non præstat, qui precario rogauit, sed solum dolum quanquam is, qui commodatum susceperit, non tantum dolum, sed etiam culpam præstet. nec immeritò dolum solum præstat is, qui precario rogauit: cũ totum hoc ex liberalitate descendat eius, qui precario concessit: & satis sit si dolus tantum præstetur. culpam tamen dolo proximam contineri quis meritò dixerit, d. l. quæsitum, §. eum quoq;.

Ex hoc interdicto restitui debet in pristinam causam, quod si non fuerit factum, condemnatio in tantum fiet, quanti interfuit actoris ei rem restitui, & ex eo tempore, ex quo interdictum editum est. ergo & fructus ex die interdicti editi præstabuntur, d. l. quæsitum, §. ex hoc.

Si seruitute vsus non sit is, qui precario rogauit, ac per hoc amissa sit: uideamus an interdicto teneatur. ego arbitror non aliàs, quàm si dolo fecerit, & generaliter erit dicendum in restitutionem uenire dolum, & culpam latam duntaxat, cætera non uenire. planè post interdictum editum oportebit, & dolum, & culpam, & omnem causam venire. nam ubi moram quis facit precario, omnem causam debebit restituere, d. l. quæsitum, §. si seruitute.

Interdictum hoc post annum competere Labeo scribit, eoque iure utimur. cum nonnun-

nonnunquam in longum tempus precarium concedatur: absurdum est dicere interdictum locum non habere post annum, d.l. quæsitum, §. interdictum hoc.

Hoc interdicto eius hæres, qui precario rogauit terretur, quemadmodum ipse: vt siue habet, siue dolo fecit, quominus haberet, vel ad se perueniret, teneatur, ex dolo autem defuncti hactenus, quatenus ad eum peruenit, d.l. quæsitum, §. fin.

Precario rogatio & ad hæredem eius, qui precario concessit, transit ad hæredem autem eius, qui precario rogauit, non transit: quippè ipsi duntaxat, non etiam hæredi concessa possessio est, ff. eo. l. cum precario, 12. §. fin.

Precario possessio constitui potest, vel inter presentes, vel inter absentes, veluti per epistolam, vel per nuncium, ff. eo. l. precario, 9.

Quamuis equam quis precario rogauerit: id actum videtur, vt etiã quod ex equa natum esset in eadem causa haberetur, ff. eo. l. quamuis, x.

Si debitor rem pignoratam precario rogauit, soluta pecunia precarium soluitur. quippè id actum est, vt vsq; eo precarium teneret, ff. eo. l. si debitor, xi.

Cum precario aliquid datur, si conuenit, vt in Kalenda Iulias precario possideat: nunquid exceptione adiuuandus est, ne ante ei possessio auferatur? sed nulla uis est huius conuentionis, vt rem alienam domino inuito possidere liceat, ff. eod. l. cum precario, 12. in princ.

Si filius tuo mandatu precario rogauerit, vel ratum habuerit, quod ille rogauit tuo nomine: teneberis quasi precario habeas. sed si te ignorante suo nomine, vel filius rogauerit: non videris tu precario habere, sed illi erit actio de peculio, vel de in rem verso, ff. eo. l. si seruus, 13.

Hospites, & qui gratuitam habitationem accipiunt, non intelliguntur precario habitare, ff. eo. l. & habet, 15. §. hospites.

Precario habere etiam ea, quæ in iure consistunt, possumus, vt immissa, vel protecta, d.l. & habet, §. precario.

Cum quis de re sibi restituenda cautum habet: precarium interdictum ei non competit, d.l. & habet, §. cum quis.

Eum, qui precario rogauerit, ut sibi possidere liceat: nancisci possessionem non est dubium. An is quoq; possideat, qui rogatus sit, dubitatum est. placet autem penes vtrumq; esse eum equum, qui precario datus esset, penes eum qui rogasset, quia possiderat corpore: penes dominum, quia non discesserit animo à possessione, d.l. & habet, §. cum qui.

Quo quis loco precario, aut possideat, aut cæperit possidere nihil refert, quod ad hoc interdictum pertinet, d.l. & habet, §. fin.

Si adoptauero eum, qui precario rogauerit, ego quoq; precario possidebo, ff. eo. l. si adoptauero, xvi.

Qui precario fundum possidet, is interdicto VTI POSSIDETIS aduersus omnes, præter eum, quem rogauit, vti potest, ff. eo. l. qui precario.

Vnusquisq; potest rem suam quamuis non possideat precario dare ei, qui possidet, ff. eo. l. vnusquisq;.

Duo insolidum precarium habere non magis possunt, quàm duo insolidum vi possidere, aut clàm, nam neq; iustè, neque iniustè possessiones duæ concurrere possunt, ff. eo. l. duo, in prin.

Cum quid precario rogatum est, non solum interdicto, vti possumus, sed & incerti conditione præscriptis verbis, d.l. duo, §. fin.

Ea, quæ distracta sunt, vt precario penes emptores essent, quo ad precium vniuersum persolueretur, si per emptorem steterit, quò minus

persolueretur: venditorem posse consequi, ff. eod. l. ea quæ.

Cum precario quis rogat, vt ipsi in eo fundo morari liceat, superuacuum est adiici, ipsi, suisque, nam per ipsum suis quoque permissum vti vr, ff. eod. l. cum, 22.

Si is, qui pro possessore precario possideret, dominum rogauerit, vt sibi retinere rem liceat: vel is qui alienam rem emisset, dominum rogauerit, apparet eos precario possidere: nec existimandos mutare sibi causam possessionis, quibus à domino concedatur precario possidere. Nam & si id, quod possideas alium precario rogaueris: videri te desinere ex prima causa possidere, & incipere ex precario habere, & contra si possessorem precario rogauerit is, qui rem auocare ei posset, teneri eum precario: quoniam aliquid ad eum per hanc precarii rogationem peruenit, idest possessio quæ aliena sit, ff. eo. l. fi. in prin.

Si pupillus sine tutoris authoritate precario rogauerit: Labeo ait, habere eum precariam possessionem, & hoc interdicto teneri. nam quomagis naturaliter possideret, nullum locum esse tutoris authoritas recteq; dici, quod precario habeat, quia quod posside ex ea causa possideat, ex qua rogauerit, nihilq; noui à prætore constituendum: quoniam siue habeat rem, officio iudicis teneatur, siue non habeat, non teneatur, d. l. fin. §. fin.

In superioribus titulis tractatum fuit de duabus diuisionibus interdictorum, sed quia in institutionibus de alia diuisione habetur, sequitur vt infra.

Tertia diuisio interdictorum hæc est, quod aut simplicia sunt, aut duplicia: simplicia sunt, veluti in quibus alter actor, alter reus est: qualia sunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. Nam actor is est, qui desiderat, aut exhiberi, aut restitui, reus autem is est, à quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. Prohibitorum autem interdictorum alia simplicia sunt, alia duplicia, simplicia sunt ueluti cum prætor prohibet in loco sacro, vel in flumine publico, ripave eius aliquid fieri. nam actor est, qui desiderat, nè quid fiat: reus est, qui aliquid facere conatur. duplicia sunt veluti, vti possidetis interdictum, & vtrobi, ideo autem duplicia vocantur, quia par vtriusq; litigatoris in his condicio est, nec quisquam præcipuè reus, vel actor intelligitur, sed vnus quisque tàm rei, quàm actoris partes sustinet. Inst. de interdictis, §. tertia diuisio.

NE QVID IN LOCO SACRO FIAT. Tit. XVII.

AIt prętor IN LOCO SACRO FACERE INVE EVM IMMITTERE, QVID VETO. Hoc interdictum de loco sacro non de sacrario cōpetit. Qđ ait prætor, NE QVID IN LOCO SACRO FIAT, non ad hoc pertinet, qđ ornamēti cā fit, sed qđ deformitatis, vel īcōmodi, sed & cura ædiū locorūq; sacrarū mandata est his, qui ædes sacras curāt, ff. ne qd ī loco sacro. d. l. prima.

In muris, itemq; portis, & aliis sanctis locis aliquid facere, ex quo damnum, aut incommodum irrogetur non permittitur, ff. eo. l. secunda.

Neq; muri, neq; porta habitari, sine permissu principis propter fortuita incendia possunt, ff. eod. l. fin.

DE LOCIS, ET ITINERIBVS PVBLICIS. Tit. XVIII.

CVilibet in publicum petere permittendum est id, quod ad usum omnium pertinet, veluti uias publicas, itinera publica, & ideo quolibet postulante, de his interdicitur, ff. de locis, & itineribus publicis, l. prima.

Viæ uicinales, quæ ex agris priuatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non extat, publicarum viarum numero sunt: sed inter eas, & cæteras uias militares

militares hoc interest: quod uiæ militares exitum ad mare, aut in urbes, aut ad flumina publica, aut ad aliam uiam militarem habent. harum autem vicinalium viarum dissimilis est condicio. nam pars earum in militares uias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur, ff.eo.l.fina.

NE QVID IN LOCO PVBLICO, VEL IN ITINERE PVblico fiat. Titulus XIX.

IN loco publico prætor prohibet ædificari, & interdictum proponit, ff.ne quid in loco publico, l.prima.

Prætor ait, NE QVID IN LOCO PVBLICO FACIAS: INVE EVM LOCVM IMMITTAS, QVA EX RE, QVID ILLI DAMNI DETVR, PRAETERQVAM QVOD LEGE, SENATVSCONSVLTO EDICTO, DECRETOVE PRINCIPIVM TIBI CONCESSVM EST. DE EO, QVOD FACTVM ERIT INTERDICTVM NON DABO, ff.eo.l.secunda, in prin.

Hoc interdictum prohibitorium est, & tàm publicis utilitatibus, quam priuatorum per hoc prospicitur. loca.n.publica utiq; priuatorum vsibus deseruiunt, iure scilicet ciuitatis, non quasi propria cuiusq;, & tantum iuris habemus ad obtinendum, quantum quilibet ex populo ad prohibendum habet. propter quod si fortè in publico fiet opus, quod ad priuati damnum redundet, prohibitorio interdicto potest conueniri, propterque eam rem hoc interdictum propositum est, d.l.secunda, §. hoc interdictum.

Publici loci appellatio quemadmodum accipiatur Labeo definit, ut & ad areas, & ad insulas, & ad agros, & ad uias publicas, itineraque publica pertineat, d.l.secunda, §. publici.

Hoc interdictum ad ea loca, quæ sunt in fisci patrimonio non pertinent. in his.n. neq; facere quidquam, neq; prohibere priuatus potest. res.n.fiscales, quasi propriæ, & priuatæ principis sunt. Igitur si quis in his aliquid faciat: nequaquam hoc interdictum locum habebit, sed si fortè de his sit controuersia: præfecti eorum iudices sunt. Ad ea igitur loca hoc interdictum pertinet, quæ publico usui destinata sunt: ut si quid illic fieret, quod priuato noceret, prætor interdiceret interdicto suo, d.l.secunda, §.hoc interdictum.

Cum quidam velum in mæniano immissum haberet, quod vicini luminibus officiebat: vtile interdictum competiit, NE QVID IN PVBLICVM MITTAS, QVA EX RE LVMINIBVS CAII SEII OFFICIAS. d.l. secunda, §.cum quidam.

Si quis id, quod in publico loco positum habuit, reficere voluit, huic interdicto locum esse Aristo ait, ad prohibendum eum reficere aduersus eum. qui molem in mare proiecit, interdictum vtile competit ei, cui forte hæc res nocitura sit. si autem nemo damnum sentit: tuendus est is, qui in litore ædificat, uel molem in mare iacit, d.l.secunda, §.si quis.

Si quis in mari piscari, aut nauigare prohibeatur, nō habebit interdictum: quemadmodum nec is, qui in campo publico ludere, vel in publico balineo lauare, aut in teatro spectare arceatur: sed in omnibus his casibus iniuriarum actione vtendum est, d.l.secunda, §.si quis, in mari.

Meritò ait prætor, QVA EX RE, QVID ILLI DAMNI DETVR. Nam quoties aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine iniu-

ria cuiusq; fiat: & ita solet princeps quoties aliquid noui operis instituendum petitur, permittere. Damnum autem pati videtur, qui commodum amittit, quod ex publico consequebatur, qualecunq; sit, proinde si cui prospectus, si cui aditus sit deterior, aut angustior, interdicto opus est, d.l. secunda, §. merito.

Si quid in loco publico ædificauero, vt ea, quæ ex meo ad te, nullo iure defluebāt, desinant fluere. interdicto me non teneri, Labeo putat. planè si ædificium hoc effecerit, vt minus luminis insula tua habeat, interdictum hoc competit, d.l. secunda, §. si quid in loco.

Idem ait, si in publico ædificem, deinde hoc ei ædificio obstet, quod tu in publico ædificaueras: cessare hoc interdictum, cum tu quoq; illicitè ædificaueris: nisi fortè tu iure tibi concesso ædificaueras, d.l. secunda, §. idem ait.

Si quis à principe simpliciter impetrauerit, vt in publico loco ædificet: non est cōcedendum sic ædificare, ut cum incommodo alicuius id fiat, neq; sic conceditur, nisi fortè quis hoc impetrauerit. d.l. secunda, §. si quis à principe.

Si quis nemine prohibente in publico ædificauerit: non esse eum cogendum tollere. ne ruinis vrbs deformetur, & quanquam prohibitorium est interdictum, non restitutorium, si tamen obstet ædificium id publico vsui: vtiq; is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere, aut si non obstet, solarium ei imponere. sic. n. vectigal hoc appellatur ex eo, quod pro solo pendatur: si tamen adhuc nullum opus factum fuerit: officio iudicis continetur, uti caueatur non fieri, & ea omnia etiam in persona hæredum cæterorumq; successorum erunt cauenda, d. l. secunda, §. si quis nemine.

Locorum sacrorum diuersa est causa. in loco. n. sacro non solum facere vetamur, sed & factum restituere iubemur hoc propter religionē, d. l. secunda, §. locorū.

Ait prætor IN VIA PVBLICA, ITINEREVE PVBLICO FACERE IMMITTERE QVID, QVO E A VIA, IDVE ITER DETERIVS SIT FIAT VETO, viam publicam eam dicimus, cuius etiam solum publicum est. non enim sicuti in priuata uia, ita & in publica accipimus, viæ priuatæ solum alienum est. ius tantum eundi agendi nobis competit. uiæ autem publicæ solum publicum est, relictum ad directum certis finibus latitudinis ab eo, qui ius publicandi habuit, ut ea publicè iretur commearetur, d.l. secunda, §. ait prætor.

Viarum quædam publicæ sunt, quædam priuatæ, quædam vicinales, publicas uias dicimus quas, nostri pretorias, alii consulares uias appellant, priuatæ sunt quas agrarias quidam dicunt. vicinales uiæ sunt, quæ in vicis sunt, vel quæ in uicos ducunt. has quoq; publicas esse quidam dicunt, quod ita uerum est, si non ex collatione priuatorum hoc iter constitutum sit: aliter atque si ex collatione priuatorum reficiatur, non utiq; priuata est. refectio enim idcirco de cōi fit, quia vsum, utilitatemque communem habent, d.l. secunda, §. uiarum quædam.

Priuatæ uiæ dupliciter accipi possunt, vel hæ, quæ sunt in agris, quibus imposita est seruitus, vt ad agrum alterius ducant: vel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas oībus cōmeare liceat, in quas exitur de uia consulari, & sic post illam excipit uia, vel iter, vel actus ad uillam ducens, has ergo, q̃ post consularē excipiunt in uillas, vel ī alias colonias ducētes, ēt esse publicas, verū est, d.l. scd'a. §. priuatæ.

Hoc interdictum tantum ad uias rusticas pertinet, ad urbicas uero non. harum. n. cura pertinet ad magistratus: & siue publicè exemptus commeatus sit, uel uia coarctata, interueniunt magistratus, d.l. secunda, §. hoc interdictum.

Si quis cloacam in publicam viam immitteret, exque ea re minus habilis via per cloacam fieret: teneri eum Labeo scribit. immisissen. eum videri, proinde, & si fossam

fossam quis in suo fundo fecerit, vt ibi aqua collecta in viam decurrat hoc interdicto tenebitur. immissum. n. habere, & hunc uideri, d. l. secunda, §. si quis.

Idem Labeo scribit, si quis in suo, ita ædificauerit, ut aqua in via collecta restagnet non teneri eum interdicto, quia non immittat aquam, sed non recipiat. Nerua aut melius scribit vtrunque teneri. planè si fundus viam publicam contingat, & ex eo aqua deriuata deteriorem viam faciat, quæ tamen aqua ex uicini fundo in tuum ueniat: si quidem necesse habeas eam aquam recipere: interdictum locum habebit aduersus vicinum tuum. si autem necesse non sit, non teneri uicinum tuum: te tamen teneri; eum enim videri factum habere, qui vsum eius aquæ habeat, d. l. secunda, §. idem Labeo.

Item Nerua scribit si tecum interdicto agatur, nihil vltra, te facere cogēdum quā, vt arbitratu eius, qui tecum experitur, cum vicino experiaris. cæterū aliter obseruantibus futurum erit, vt tenearis, etiam si bonafide cum vicino egeris, neq; per te stet, quominus arbitratu actoris cum uicino experiaris, idem ait: si odore soli locus pestilentiosas fiat non esse ab re de ea re interdicto uti, d. l. secunda, §. item Nerua.

Hoc interdictum etiam ad ea, quæ pascuntur in via publica, itinereve publico, & deteriorem faciunt uiam, locum habet, d. l. secunda, §. hoc interdictum.

Deinde ait prætor, QVO EA VIA, IDVE ITER DETERIVS SIT, FIAT. hoc siue statim deterior sit uia, siue postea, ad hoc enim pertinent hæc uerba. SIT FIAT, etenim quædam sunt talia, ut statim facto suo noceant: quædam talia, ut in præsentia quidem nihil noceant, in futurum etiam nocere debeant, d. l. secunda, §. deinde ait.

Deteriorem autem uiam fieri sic accipiendum est: si usus eius ad commeandum corrumpatur, hoc est ad agendum, vel ad eundum, ut cum plana fuerit, cliuosa fiat, vel ex molli aspera, aut angustior ex latiore, aut palustris ex sica, d. l. secunda, §. deteriorem.

Tractatum fuit, an permittendum sit, specus, & pontem per uiam publicam facere, & plerią; probant, eum interdicto teneri. non enim oportere eum deteriorem viam facere, d. l. secunda. §. tractatum.

Hoc interdictum perpetuum, & populare est: condemnatioq; ex eo facienda est, quanti actoris intersit. Prætor ait, QVOD IN VIA PVBLICA ITINEREVE PVBLICO FACTVM IMMISSVM HABES, QVO EA VIA, IDVE ITER DETERIVS SIT, FIAT RESTITVAS. Hoc interdictum ex eadem causa proficiscitur, ex qua, & superius, & tantum interest, quod hoc restitutorium, illud prohibitorium est, d. l. secunda, § hoc interdictum.

Hoc interdicto non is tenetur, qui in uia publica aliquid fecit, sed is qui factū habet. proinde, si alius fecit, alius factum habet: is tenetur, qui factum habet, & est hoc utilius: quia is potest restituere, qui factum immissum habet, habere eū dicimus, qui vtitur, & iure possessionis fruitur: siue ipse opus fecit, siue ex causa conductionis, vel emptionis, vel legato, vel hæreditate, vel quo alio modo adquisiit. Vnde Ofilius putat eum, qui pro derelicto reliquit id opus, quod fecit, si uiam publicam corrupit, & reliquit, non teneri hoc interdicto. non enim habere, quod fecit. Sed an in eum actio debeat dari videbimus, & utile interdictum competere uerum est, vt quod in uia publica ædificauit restituat, d. l. secunda, §. hoc interdicto.

Si ex fundo tuo arbor in via publica sic ceciderit, vt itineri impedimento sit, eaq; pro derelicto habeas, non teneri te. Labeo scribit, si tñ actor (inquit) sua impēsa

arborem tollere paratus fuerit: rectè tecum acturum interdicto de uia publica reficienda. sed si pro derelicto non habeas: rectè tecum agi hoc interdicto, d.l.secunda,§.si ex fundo.

Idem Labeo scribit: si vicinus meus viam opere corruperit: quamuis opus, quod fecit, tàm ipsi, quàm mihi vtile sit: tamen si is uicinus fundi sui causa id fecerit, me non posse hoc interdicto conueniri. si autem hoc opns fieri communiter curauimus: vtrunq; nostrum teneri, d.l.secunda,§.idem Labeo.

Hoc interdictum locum habet, etiam aduersus eum, qui dolo malo fecit, quominus possideret, vel haberet: etenim par est conditio eius, qui quid possideat, vel habeat, atq; eius, cuius dolo malo factum sit, quominus possideret, vel haberet, d.l.secunda,§.hoc interdictum.

RESTITVAS, prætor inquit: restituere videtur, qui in pristinum statum reducit, quod fit, siue quis tollat id, quod factum est, siue reponat, quod sublatum est. Et id interdum suo sumptu: nam si ipse, quo cum interdixit, fecerit, vel iussu eius alius, aut ratum habitum sit, quod fecit: ipse suis sumptibus debet restituere. si verò nihil horum interuenit, sed habet factum, tunc dicemus, patientiam solam eum præstare debere, d.l.secunda.§. Restituas.

Interdictum hoc non esse temporarium: sciendum est. pertinet enim ad publicam vtilitatem: condemnatioq; ex eo facienda est, quanti actoris intersit tolli, quod factum est, d.l.secunda,§.interdictum.

Prætor ait, QVOMINVS ILLI VIA PVBLICA ITINEREVE PVBLICO IRE AGERE LICEAT, VIM FIERI VETO, d.l.secunda,§.fin.

Littora, in quæ populus Romanus Imperium habet populi Romani sunt. ff. ne quid in loco pub. l.tertia, in princ.

Maris esse communem vsum omnibus hominibus, vt aeris verum est: iactasq; in id pilas esse eius, qui iecerit. sed id cōcedendum non esse, si deterior littoris maris ve vsus, quo eo modo futurus sit, d.l.tertia.§.maris.

In littore quoq; iuregētiū ędificare licet, nisi si vsus publicus impediretur, ff. eo.l.iiii.

Si per publicum locum riuus aquæ ductus priuato nocebit: erit actio priuato ex lege duodecim tabularum, vt de noxa domino caueatur, ff. eo.l.quinta.

Ei, qui interdicto experitur, ne quid in loco publico fiat, quo damnum priuato detur: quamuis de loco publico interdicat: nihilominus procuratoris dandi facultas est, ff. eo.l.penul.

Sicut is, qui nullo prohibente in loco publico ædificauerat cogendus non est demoliri, nè vrbs deformetur ruinis, ita qui aduersus edictum prætoris ædificauerit, tollere ædificium debet, alioqui inane, & lusorium prætoris Imperium fuerit, ff.eod.l.fin.

DE LOCO PVBLICO FRVENDO. Titulus XX.

PRætor ait, QVOMINVS LOCO PVBLICO, QVEM IS, CVI LOCANDI IVS FVERIT, FRVENDVM ALII LOCAVIT: EI, QVI CONDVXERIT, SOCIOVE EIVS, EX LEGE LOCATIONIS FRVI LICEAT VIM FIERI VETO. ff. de loco publico fruend.l.prima, in princ.

Interdictum hoc publicæ vtilitatis causa proponi palàm est. tuetur.n. uectigalia publica, dum prohibetur quis vim facere ei, qui ad fruendum conduxit, sed si

simul

simul ueniant ad interdictum mouendum ipse, qui conduxit, & socius eius: magis est, vt ipse conductor proferatur. d.l.prima.§.Interdictum.

Ait prætor, quominus ex lege locationis frui liceat, meritò ait ex lege locationis. vltra legem enim, vel contra legem non debet audiri, qui frui desiderat. d.l.prima.§.Ait prætor.

Concedi solet, vt imagines, & statuæ, quæ ornamento Reip. sint futuræ, in publico ponantur. ff.eod.l.finali.

DE VIA PVBLICA, ET SI QVID IN EA FACTVM ESSE dicatur. Titulus XXI.

AEdiles curam gerant per urbem publicorum itinerum, vt complanentur, neve flumina damnum dent ædibus: & vt ponticuli sint quocumque loco opus fuerit. Curæ item habeant, vt si priuati parietes, cùm alii tùm domestici, qui in publicam uiam feruntur, ruinam minentur: ędium domini eos, vt oportet, demoliantur, ac reparent. quod si uel non demoliantur, uel non reparent: multam in eos dicant, quousque vitium emendauerint. Procurent etiam, ne quis publica itinera perfodiat, aut aggeribus congestis obruat, neve quid in publico itinere exædificet. sin minus factum erit, ædilibus inducetur: ædiles autem lege in eum animaduertant qui contrafecit, & quod factum est opus, destruatur. Præterea, vt ante suas quisque ædes publicas vias reparet, repurgetque aquagia, quæ sub duo sunt, scilicet curent, ita quidem, vt ne impedimento sit, quominus eatur, agatur. Quod si qui in conductis ædibus habitant, quod ædium dominus eas non reparet, ipsi reparauerint: eum sumptum in pensionem reputabunt: procurent insuper, ne quid ante officinas propositum sit, præterquam si fullo uestimēta ab excoctione ad auram recreet, uel faber rotas exponat: ut tamen ita collocent, ne impedimento sint ducendo uehiculo, sed neque rixari in itineribus, neque stercora proiicere, neque morticina, aut pelles iactare permittant. ff. de uia publica. l. Vnica.

DE VIA PVBLICA, ET ITINERE PVBLICO REFICIENDO. Titulus XXII.

PRætor ait, QVOMINVS ILLI VIAM PVBLICAM, ITERVE PVBLICVM APERIRE, REFICERE LICEAT, DVMNE EA VIA, IDVE ITER DETERIVS FIAT: VIM FIERI VETO, uiam aperire est aduēterem altitudinem, latitudinemque restituere: sed & purgare refectionis portio est: purgare autem proprie dicitur ad libramentum proprium redigere: sublato eo, quod supra eā esset, reficit. n. & qui aperit, & qui purgat, & omnes omnino, qui in pristinum statum reducunt. ff. de uia pub. & itinere. l. prima, in prin.

Si quis sub specie refectionis deteriorem uiam facit impunè uim patietur, propter quod neque altiorem, neque longiorem, neque latiorem, neque humiliorem uiam sub nomine refectionis is, qui interdicit, potest facere: uel in uiam terrenam glaream iniicere, aut sternere uiam lapide, quæ terrena sit, uel contra lapide stratam terrenam facere. d.l.prima. §. si quis.

Interdictū hoc perpetuò dabitur, & omnibus, & in omnes, & habet condemnatio

nem

nem in id quod, actoris intereràt.d.l.prima.§.Interdictum.

Viam publicam populus non vtendo amittere non potest.ff.eod.l.secunda.

Si in agrum vicini uiam publicam quis reiecerit: tantum in eum viæ reiectæ actio dabitur, quanti eius interest, cuius fundo iniuria irrogata est. qui uiam publicam exarauerit, ad munitionem eius solus compellitur.ff.eod.l.finali.

DE FLVMINIBVS NE QVID IN FLVMINE RIPAVE EIVS FIAT, quo peius nauigetur. Titulus XXIII.

Ait Prætor, NE QVID IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FACIAS, NE QVID IN FLVMINE PVBLICO NEVE IN RIPA EIVS IMMITTAS QVO STATIO ITERVE NAVIGIO DETERIVS SIT FIAT. ff. de fluminib. ne quid in flum.l. prima.in prin.

Flumen à riuo magnitudine discernendum est, aut existimatione circuncolentium, item fluminum quædam sunt perennia, quædam Torrentia.perenne est quod semper fluit. Torrens quod hyeme.si tamen aliqua æstate exaruit, quod alioquin perenne fluebat, non ideo minus perenne est.d.l.prima.§.flumen.

Fluminum quædam publica sunt, quædam non Publicum flumen esse Cassius definit, quod perenne sit, hæc sententia Cassii, quam Celsus probat, uidetur esse probabilis.d.l prima.§.fluminum.

Hoc interdictum ad flumina publica pertinet, si autem flumen priuatum sit: cessabit interdictum nihil enim differt à cæteris locis priuatis flumen priuatum.d.l.prima.§.hoc interdictum.

Ripa autem ita definitur id, quod flumen continet naturalem rigorem cursus sui tenens. Cæterum si quando, uel imbribus, uel mari, uel qua alia ratione ad tempus excreuit ripas non mutat. Nemo denique dixit Nilum, qui incremento suo Aegiptum cooperit, ripas suas mutare, uel ampliare. Nam cum ad perpetuã suam mensuram redierit. Ripę aluei eius muniendę sunt.si tamen flumen naturaliter creuit, ut perpetuum incrementum nactum sit, uel alio flumine admisto, uel qua alia ratione: dicendum est proculdubio ripas quoque eum mutasse quemadmodum si alueo mutato alia cæpisset fluere.d.l.prima.§.Ripa.

Si insula in publico flumine nata fuerit, inque ea aliquid fiat: non videtur in publico fieri. illa enim insula aut occupantis est, si limitati agri fuerunt: aut eius, cuius ripam contingit: aut si in medio alueo nata est, eorum qui propę vtrasque ripas prędia possident.d.l.prima.§.si insula.

Simili modo, & si flumen alueum suum reliquerit, & alia fluere cæperit: quidquid in uetere alueo factum est, ad hoc interdictum non pertinet. non.n.in flumine publico factum erit, quod est utriusque vicini. At si limitatus est ager, occupantis alueus fiet certè desinit esse publicus. Ille etiam alueus, quem sibi flumen fecit, & si priuatus ante fuit, incipit esse tamen publicus: quia impossibile est ut Alueus fluminis publici, non sit publicus.d.l. prima.§.finali.si fossa.

Si fossa manufacta sit, per quam fluit flumen publicum: nihilominus publica fit, & ideo si quid ibi fiat in flumine publico factum uidetur, aliter atque si flumen aliquam terram inundauerit, non alueum sibi fecerit.tunc.n. non fit publicum quod aqua coopertum est.d.l.prima.§.si fossa.

Item si annis aliquid circueat, sciendum est, manere eius, cuius fuerit, si quid igitur factum est illic: non est factum in publico flumine: nec pertinet ad hoc interdictum,

terdictum, si quid in priuato factum sit: nec quidem si in priuato flumine: fiat: nam quod fit in priuato flumine: perinde est, atque si in alio loco priuato fiat. d.l. prima.§.item si amnis.

In publico flumine factum accipere debemus, quidquid in aqua factum est. nam si quid extra factum sit, non est in flumine publico factum, & quod in ripa, non videtur in flumine publico factum. d.l. prima.§. In publico.

Non autem omne, quod in flumine publico, ripaue fit, coercet prætor: sed si quid fiat, quo deterior, statio, & nauigatio fiat. Ergo hoc interdictum tantũ ad flumina pertinet, quæ sunt nauigabilia, ad cętera non pertinet, sed & labeo scribit, non esse iniquum, etiam si quid in flumine eo, quod nauigabile non sit, ut exarescat, uel aquæ cursus impediatur: vtile interdictum competere, ne vis ei fiat, quominus id opus, quod in alueo fluminis, ripave ita factum sit, vt iter cursusve fluminis deterior fiat, tollere, Demoliri, purgare, restituere viri boni arbitratu posit, stationem à statuendo dicimus is igitur locus demonstratur, vbicunque naues tute stare possunt. d.l. prima.§.non autem.

Ait prætor ITERQVE NAVIGIO, hoc pro nauigatione positum est, imo nauigium solemus dicere etiam ipsam nauem. iter ergo nauigio potest, & sic accipi iter naui deterios fiat. Nauigii appellatione etiam rates continentur: quia plerumque, & ratium usus necessarius est, si pedestre iter impediatur: non ideo minus iter nauigio deterior fit. d.l. prima.§. Ait prætor.

Deterior statio, itemque iter nauigio Deterius fieri videtur, si vsus eius corrumpatur, uel difficilior fiat, aut minor, aut rarior vel si in totum auferatur, proinde siue deriuetur aqua, vt exiguior facta minus sit nauigabilis: vel si dilatetur, vt diffusa aquam breuem faciat: siue contra, sic coangustetur, vt rapidius flumen faciat, uel si quid aliud fiat, quod nauigationem incommodiorem, difficiliorem ue faciat, vel prorsus impediat interdicto locus erit. d.l. prima.§.Deterior.

Labeo scribit non esse dicendum dandam exceptionem ei, qui interdicto conuenitur, AVT NISI RIPAE TVENDAE CAVSA FACTVM SIT, sed ita excipiendum ait. EXTRA QVAM, SI QVID ITA FACTVM SIT VTI DE LEGE FIERI LICVIT, si in mari aliquid fiat, labeo ait competere tale interdictum NE QVID IN MARI INVE LITORE, QVO PORTVS STATIO, ITERVE NAVIGIO DETERIVS FIAT. Sed, & si in flumine publico, non tamen nauigabili fiat, idẽ putat. d.l. prima.§. Labeo scribit.

Deinde ait prætor QVOD IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FIAT, SIVE QVID IN ID FLVMEN RIPAMVE EIVS FACTVM, VEL IMMISSVM HABEAS QVO STATIO, ITERVE NAVIGIO DETERIVS SIT, FIAT, RESTITVAS. Superius interdictum prohibitorium est, hoc restitutorinm, ad eandem causam pertinens. Iubetur autem is, qui factum, uel immissum habet restituere, quod habet, si modo id, quod habet, stationem, uel nauigium deterius faciat. d.l. prima.§. Deinde.

Hæc uerba FACTVM VEL IMMISSVM HABEAS, ostendunt non eum teneri, qui fecit uel immisit, sed qui factum siue immissum habet denique labeo scribit si auctor tuus aquam deriuauerit, teneri te hoc interdicto, si ea utaris. d. l. prima.§.hæc uerba.

Quo minus ex publico flumine ducatur aqua nihil impedit, nisi imperator, aut Senatus uetet, si modo ea aqua in usu publico non erit. Sed si aut nauigabile est, aut ex eo aliud nauigabile sit, non permittitur id facere. ff. de fluminib. l. Secunda.

Flumina publica, quæ semper fluunt, ripæque eorum publicæ sunt. Ripa ea putatur esse, quæ plenissimum flumen continet. ff. eod. l. tertia, in prin.

Secundum ripas fluminum loca non omnia publica sunt, cum ripæ cedant, ex quo primum à plano vergere incipit, vsque ad aquam, d. l. tertia. §. finali.

Quæsitum est, an is, qui in vtraque ripa fluminis publici domus habeat, pontem priuati iuris facere possit respondit Scœuola non posse. ff. eod. l. finali.

NE QVID IN FLVMINE PVBLICO FIAT, QVO ALITER AQVA fluat atque vti priore æstate fluxit. Titulus XXIII.

Ait prætor IN FLVMINE PVBLICO INIRE RIPA EIVS FACERE, AVT IN ID FLVMEN RIPAMVE EIVS IMMITTERE, QVO ALITER AQVA FLVAT, QVAM PRIORE ESTATE FLVXIT VETO. ff. ne quid in flumine. l. unica, in princip.

Hoc interdicto prospexit prætor ne deriuationibus minus concessis flumina exarescant, uel mutatus alueus uicinis aliquam iniuriam adferat, pertinet autem ad flumina publica, siue nauigabilia sunt siue non sunt. d. l. vnica, §. hoc interdicto.

Ait prætor QVO ALITER AQVA FLVAT QVAM PRIORE AESTATE FLVXIT non omnis ergo qui immisit, uel qui fecit tenetur: sed qui faciendo, vel immittendo efficit aliter quam priore æstate fluxit aquam fluere. d. l. vnica. §. Ait prætor.

QVOD AVTEM AIT, ALITER FLVAT, non ad quantitatem aquæ fluentis pertinet, sed ad modum, & ad rigorem cursus aquæ referendum est. Et Generaliter dicendum est, ita demum interdicto quem teneri, si mutetur aquæ cursus, per hoc quod factum est: dum uel depressior, uel altior fiat aqua, ac per hoc rapidior sit cum incommodo accolentium. Et si quid aliud vitii accolæ ex facto eius, qui conuenitur sentient: interdicto locus erit. dicta. l. vnica. §. quod autem.

Si quis ex riuo tecto per apertum ducere velit; vel contra qui ante aperto duxit nunc operto velit interdicto teneri placuit, si modo hoc factum eius incommodum circa colentibus adferat, simili modo, & si incile ducat, aut alio loco fiat, aut si alueum fluminis mutet, hoc interdicto tenebitur. d. l. vnica. §. si quis. ix.

Sunt, qui putant contra hoc interdictum excipiendum. QVVOD EIS RIPAE MVNIENDE CAVSA NON FIAT. Scilicet, ut si quid fiat quo aliter aqua fluat, si tamen muniendæ ripæ causa fiat, interdicto locus non sit. sed ne hoc quibusdam placet, neque enim ripæ cum incommodo accolentium muniendæ sunt, hoc tamen iure vtimur, vt prætor ex causa æstimet an hanc exceptionem dare debeat, plerumque enim utilitas suadet istam exceptionem dari sed etsi aliqua utilitas uertatur eius, qui quid in flumine publico fecit pone enim grande damnum flumen ei dare solitum prædia eius depopulari, si forte aggeres neque aliam munitionem adhibuit, ut agrum suum tueretur eaque res cursum fluminis ad aliquid immutauerit, cur ei non consulatur? Plerosque scitur prorsus flumina auertisse alueosque mutasse dum prædiis suis consulunt oportet. n. in huiusmodi rebus vtilitatem, & tutelam facientis spectari sine iniuria, utique accolarum. d. l. unica. §. sunt qui putant.

Is autem hoc interdicto tenetur, qui aliter fuit fluere aquam, quam priore æstate

fluxit

& idcirco aiunt prætorem priorem æstatem comprehendisse, quia semper certior est naturalis fluminum cursus æstate, quam hyeme, nec ad instantem æstatem, sed ad priorem hoc interdictum refertur, quia illius æstatis fluxus indubitatior est.d.l.vnica.§.is autem.

Aestas ad ęquinoctium autumnale refertur, & si fortè ęstate interdicetur, proxima superior ęstas intuenda erit si vero hyeme tunc non proxima hyemi æstas, sed superior erit inspicienda.d.l.Vnica.§.æstas.

Deinde ait prætor QVOD IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS FACTVM, SIVE QVOD IN FLVMEN RIPAVE EIVS IMMISSVM HABES: SI OB ID ALITER AQVA FLVAT, ATQVE PRIORE AESTATE FLVXIT, RESTITVAS. hoc interdictum restitutorium proponitur. superius.n.prohibitorium est, & pertinet ad ea, quæ nundum facta sunt. si quid igitur iam factum est: per hoc interdictum restituetur. si quid, ne fiat, prospicitur: superiore interdicto erit vtendum, & si quid post interdictum redditum fuerit factum coercebitur, in hoc interdicto restitutorio non est iniquũ uenire (vt Labeo ait) etiam quod dolo factum est, quominus haberet.d.l.Vnica.§.finali.

Hoc interdictum & in hæredes competit.d.l.Vnica.§.hoc interdictum.

VT IN FLVMINE PVBLICO NAVIGARI LICEAT. Titulus XXV.

PRætor ait, QVOMINVS ILLI IN FLVMINE PVBLICO NAVEM, RATEM AGERE, QVOVE MINVS PER RIPAM ONERARE, EXONERARE LICEAT: VIM FIERI VETO ITEM VT PER LACVM, FOSSAM, STAGNVM PVBLICVM NAVIGARE LICEAT INTERDICAM. ff. ut in flumi.publ.l.vnica.in prin.

Hoc interdicto prospicitur ne quis flumine publico nauigare prohibeatur, sicut.n.ei, qui, via publicanti prohibetur, interdictum supra propositum est: ita hoc quoque proponendum prætor putauit, si priuata sunt suprascripta: interdictũ cessat. lacus est qđ ꝑpetuã habet aquã.ff.vt in flu.pub.l.vnica.§. hoc interdicto.

Stagnum est, quod temporalem continet aquam ibidem stagnantem, quæ quidem aqua plerumque hyeme cogitur. Fossa receptaculum aquæ manufactum. possunt autem etiam hæc publica esse publicano planè, qui lacum, uel stagnum conduxit, si piscari prohibeatur, utile interdictum competere Sabinus consensit, & ita labeo, ergo & si à municipibus conductum habet; æquissimum erit ob uectigalis fauorem interdicto eum tueri.d.l.vnica.§.stagnum.

Si quis velit interdictum tale mouere, ut locus deprimatur pecoris adpellendi gratia non debet audiri, & ita Mela scribit. Idem ait tale interdictum competere ne cui uis fiat quominus pecus ad flumen publicum ripamve fluminis publici adpellatur.d.l.vnica.§.finali.

DE RIPA MVNIENDA. Titulus XXVI.

PRætor ait QVOMINVS ILLI IN FLVMINE PVBLICO RIPAVE EIVS OPVS FACERE, RIPAE AGRIVE QVI CIRCA RIPAM EST, TVENDI CAVSA LICEAT, DVM NE OB ID NAVIGATIO DETERIOR FIAT, SI TIBI DAMNI INFECTI IN ANNOS DECEN BONI VIRI

ARBI-

ARBITRATV, VEL CAVTVM, VEL SATISDATVM EST, AVT PER ILLVM NON STAT, QVOMINVS BONI VIRI ARBITRATV CAVEATVR, VEL SATISDETVR VIM FIERI VETO. ff. d. ripa munienda.l.Vnica,in prin.

Ripas fluminum publicorum reficere, munire vtilissimum est. ficut igitur de via publica reficienda interdictum propositum est,ita etiam de ripa fluminis munienda proponendum fuit. Meritò adiicit, DVM NE OB ID NAVIGATIO DETERIOR FIAT, illa.n.sola refectio toleranda est, quæ nauigationi impedimento non est.is autem qui ripam vult munire de damno futuro debet,vel cauere,vel satisdare secundum qualitatem personæ. & hoc interdicto expressum est,vt damni infecti in annos decem viri boni arbitratu, vel caueatur,vel satisdetur. Dabitur autem satis vicinis:sed,& his,qui trans flumen possidebunt.etenim curandum fuit, ut eis ante opus factum caueretur. nam post opus factum persequendi hoc interdicto nulla facultas superest, etiam si quid damni post ea datum fuerit,sed lege Aquilia experiendum est.& illud notandum est,quod ripæ,lacus, fossæ,stagni muniendi causa prætor nihil cauit. Sed idem erit obseruandum,quod in ripa fluminis muniẽda.d.l.Vnica.§.Meritò.

DE ARBORIBVS CAEDENDIS. Titulus XXVII.

AIt prætor, QVAE ARBOR EX AEDIBVS TVIS IN AEDES ILLIVS IMPENDET, SI PER TE STAT, QVOMINVS EAM ADIMVS, TVNC QVOMINVS EAM ILLI ARBOREM ADIMERES SIBIQVE HAEREDE LICEAT, VIM FIERI VETO. ff.de arboribus cædend.l.prima.in prin.

Hoc interdictum prohibitorium est,si arbor ædibus alienis impendeat.utrum totam arborem iubeat prætor adimi:an uero id solum,quod superexcurrit,quæritur,& Rutilius ait ex stirpe excidendam, idque plerisque videtur uerius, & nisi dominus adimeret arborem Labeo ait permitti ei,cui arbor afficeret (ut si uellet) succideret eam,lignaque tolleret, Arboris appellatione, etiam uites cõtinentur.d.l.prima.§.hoc interdictum.

Non solum autem domino ædium.sed etiam ei,qui usumfructum habet,competit hoc interdictum:quia est ipsius interest arborem istam non impendere.d.l.prima.§.non solum autem.

Præterea probandum est,si arbor communibus ædibus impendeat, singulos dominos habere hoc interdictum,est quidem insolidum: quia,& seruitutum vindicationem singuli habeant.d.l.prima.§.Præterea.

Ait prætor,si per te stat quominus eam adimas, tunc quominus eam arborem illi adimere liceat uim fieri ueto. prius itaque tibi datur adimendi facultas, si tu non facias,tunc uicino prohibet uim fieri adimere uolenti.dicta.l.prima.§.Ait prætor.

Deinde ait prætor, QVAE ARBOR EX AGRO TVO IN AGRVM ILLIVS IMPENDET, SI PER TE STAT QVOMINVS PEDES QVINDECIM A TERRA EAM ALTIVS COERCEAS: TVNC QVOMINVS ILLI ITA COERCERE LIGNAQVE SIBI HABERE LICEAT VIM FIERI VETO. d.l.prima.§.Deinde ait.

Quod ait prætor,& lex duodecim tabularum efficere uoluit,ut quindecim pedes altius rami arboris circuncidantur, & hoc idcirco effectum est,ne umbra arbo

ris

ne vmbra arboris vicino prædio noceret. d.l.prima, §.quod ait.

Differentia duorum capitum interdicti hæc est, siquid arbor ædibus impendeat: succidi eam præcipitur. si vero agro impendeat, tantum vsque ad quindecim pedes à terra coerceri.d.l.prima.§.differentia duorum.

Si arbor ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum sit: ex lege duodecim tabularum, de adimenda ea rectè agere potes, ius ei non esse, ita arborem habere.ff.eod.l.finali.

Cum proponas radicibus arborum in vicina Agathangeli area positis crescentibus fundamentis domus tuæ periculum afferri præses (ad exemplum interdictorum quæ in albo proposita habet prætor: si arbor in alienas ædes impendebit. item si in alienum agrum impendebit, quibus ostenditur, nec per arboris, quidem occasionem vicino nocere oportere) rem ad suam æquitatem rediget. C.de interdictis.l.prima.

Cum ex vno delicto plures nascuntur actiones, sicut euenit cum arbores furtim Cæsæ dicuntur, omnibus experiri permitti post magnas varietates obtinuit.ff. de oblig.& actionib.l.cum ex vno.xxxii.

DE ITINERE ACTVQVE PRIVATO.

Titulus XXVIII.

PRætor ait, QVO ITINERE ACTVQVE PRIVATO QVO DE AGITVR, VEL VIA, HOC ANNO NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO VSVS ES: QVOMINVS ITA VTARIS VIM FIERI VETO. ff. de itinere actuque priu.l. prima, in princip.

Hoc interdictum prohibitorium est pertinens ad tuendas rusticas tantummodo seruitutes hoc interdicto prætor non inquirit, utrum habuit iure seruitutem impositam an non: sed hoc tantum an itinere, actuque hoc anno usus sit, non ui, non clàm, non precario, & tuetur eum, licet eo tempore, quo interdictum redditur usus non sit. siue igitur habuit ius uię, siue non habuit in ea conditione est, ut ad tuitionem prætoris pertineat, si modo eo anno, uel modico tempore usus sit, idest non minus quam triginta diebus, neque ad præsens tempus refertur usus quia plerunque itineribus, uel uia non semper utimur, nisi cum usus exegit: itaque annui temporis spacio conclusit usum. Annum ex die interdicti retrorsum computare debemus. d.l.prima.§. hoc interdictum.

Si quis hoc interdicto utatur: sufficit alterutrum probare, uel iter actum in usu habuisse. Iulianus ait quoad usque ingressus est, eo usque ei competere interdictum, quod uerum est.d.l.prima.§.si quis.

Viuianus rectè ait, eum qui propter incommoditatem riui, aut propterea, quia uia publica interrupta erat per proximi uicini agrum iter fecerit, quamuis id frequenter facit: non uideri omnino usum esse, atq; utile esse interdictũ non quasi precario usum, sed quasi nec usum. ergo secundũ hæc neutro usus uidetur. multo enim minus illo usus est per quē non iuit ꝑpea incommoditatē riui, aut

propterea quia uia publica perupta erat, idem erit dicendum, & si non erat uia publica, sed sit iter priuatum, nam & hic eadem quæstio est. d. l. prima, §. Viuianus recte.

Is cuius colonus, aut hospes, aut quis alius iter ad fundum fecit, vsus uidetur itinere, uel actu, uel uia, & idcirco interdictum habebit, & hæc ita Pedius scribit, & adiicit, etiam si ignorauit, cuius fundus esset, per quem iret retinere eum seruitutem. d. l. prima, §. is cuius.

Si quis autem cum putaret fundum ad se pertinere, suo nomine iter fecerit amicus meus, vtique sibi non mihi interdictum adquisisse intelligetur. d. l. prima, §. si quis autem.

Si quis propter inundationem usus nõ sit itinere actuq; hoc anno, cum superiore vsus sit: potest repetita die hoc interdicto vti per in integrum restitutionem ex illa parte, SI QVA MIHI IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, sed, & si per uim hoc ei contigerit, integrum eum restitui oportere, Marcellius probat. d. l. prima, §. si quis propter.

Præterea, & aliis casibus interdictum repetita die competit, ex quibus, quis in integrum restitutionem impetrare solet. d. l. prima, §. præterea.

Præterea sciendum est, si dilatione data aduersario futurum est, vt caussa interdicti mei deterior fiat: æquissimum esse repetita die interdictum reddi. d. l. prima, §. præterea sciendum.

Si tibi fundum precario concessero, cui via debebatur, deinde tu a domino fundi precario rogaueris, vt ea uia ad eum fundum utaris, an noceat tibi exceptio, si aduersus eum uelis interdicere a quo precario uiam rogasti? & magis est, ut noceat, idque colligi potest ex eo, quod Iulianus scribit in specie huiusmodi (querit. n.) si ego tibi fundum precario dedero, cui via debebatur: & tu rogaueris precario, ut ea uia utaris, nihilominus interdictum utile mihi esse: quia sicuti me precarium rei meæ non tenet, ita etiam nec per te precario possidere intelligor. quoties. n. colonus meus aut is, cui precario fundum dedi uia utitur, ego ire intelligor, propter quod, & recte dico me itinere vsum. Quæ ratio (inquit) efficit, vt si uiam precario rogauero, & tibi fundum precario dedero: quamuis hac mente ieris, quasi fundo meo debetur, interdictum inutile sit, & precario eo itinere usus esse uidear non immerito, non enim opinio tua, sed mea quærenda est, ut tamen, ut credo, poteris interdicto uti, & si de hoc nihil scribat Iulianus. si quis supradicto tempore anni non ui, non clàm, precariove: uidendum est, an ei noceat, & magis est, ut nihil ei noceat, quod attinet ad interdictum. nec. n. corrumpi, aut mutari, quod recte transactum est, superueniente delicto, potest. d. l. prima, §. finali. cum. l. seq.

Inde etiam illud Labeo scribit, si cum à me recte uia utebaris, fundum uendidero, per quem utebaris, deinde emptor te prohibuerit: licet clàm uidearis ab eo uti, (nam qui prohibitus utitur. clàm uti tur) tamen interdictum tibi competere intra annum, quia hoc anno non ui, non clam, non precario usus sis. ff. de itinere, actuque priu. l. tertia. in prin.

Item sciendum est non tantum eum clam uia uti, qui ipse prohibitus utitur: uerum eum quoque per quem quis id ius retinebat: si eo prohibito, per quem retinebat, utatur plane si ignoraui prohibitum, & si perseuero uti: nihil mihi nocere, dicendum est. d. l. tertia, §. item sciendum.

Si quis ab auctore meo ui, aut clàm, aut precario usus est: rectè a me uia uti prohibetur, & interdictum ei inutile est: quia à me uidetur

torui, aut clam, uel precario possidere, qui ab auctore meo uitiosè possidet. Nam, & Pedius scribit, si ui, aut clam, aut precario ab eo usus sit, in cuius locum hæreditate, vel emptione, aliove quo iure successi; idem esse dicendum, cum.n. successerimus in locum eorum: æquum non est nocere aduersus nos hoc, quod aduersus eum non nocuit, in cuius locum successimus. d.l. tertia. §. si quis.

In hoc interdicto examinatur, quanti eius intersit, via non prohiberi, siue itinere. d.l. Tertia. §. In hoc.

Vti videmus seruitutibus etiam per colonos, vel amicos, vel etiam hospites: & fere per eos omnes, qui nobis retinent seruitutes. sed.n. per fructuarium quidem seruitus retinetur, per fructuarium autem interdictum hoc domino non competere Iulianus ait. d.l. tertia. §. vti videmus.

Idem Iulianus scribit: si meus vsusfructus in fundo tuo, proprietas vero tua fuerit, & vterq; nostrum per vicini fundum ierit uti le interdictum de itinere nos habere: & siue forte ab extraneo fructuarius prohibeatur. siue etiam a domino sed & si dominus a fructuario competet nam, & si quilibet alius prohibeat ire, interdictum aduersus eum competit. d.l. tertia. § Idem Iulianus.

Hoc interdictum, & ei competit. qui donationis causa fundi vacuam possessionẽ adeptus est. d.l. tertia. §. hoc.

Si quis ex mandato meo fundum emerit, æquissimum est, mihi hoc interdictum dari, vbi ille usus est, qui mandatu meo emit, sed & si quis vsumfructum emit, vel usum, uel cui legatus est, & traditus: hoc interdicto vti poterit. hoc amplius, & is, cui dotis causa fundus traditus est, experiri hoc interdicto poterit. Et Generaliter, ex omnibus causis, quæ instar venditionis habent, uel etiam alterius contractus dicendum est huic interdicto locum fore. d.l. tertia. §. si quis.

Ait prætor QVO ITINERE, ACTVQVE HOC ANNO NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ALIO VSVS ES: QVOMINVS ITER, ACTVQVE VT TIBI IVS EST, REFICIAS, VIM FIERI VETO. qui hoc interdicto uti volet is aduersario damni infecti, quod per eius vitium datum sit, caueat. d.l. tertia. §. Ait prætor.

Vtilitas suasit hoc quoque interdictum proponere. namque consequens erat, ei qui itinere vtitur, interdictum proponere, vt refici iter possit, quemadmodum. n. alias vti potest itinere, vel etiam actu commodè quam si refecerit: corrupto. n. itinere, minus commodè frui, aut agi potest. d.l. tertia. §. vtilitas.

Hoc autem a superiore distat, quod illo quidem interdicto omnes uti possunt, qui hoc anno usi sunt, hoc autem interdicto is demum uti potest, qui hoc anno vsus est, & ius sibi esse reficiendi docet. ius autem uidetur ei esse reficiendi. cui seruitus debetur itaque qui hoc interdicto utitur, duas res debet ostendere: & hoc anno se usum, & ei seruitutem competere. cæterum, si desiit alterutrum, deficit interdictum nec immerito. qui.n. uult ire agere tantisper, quoad de seruitute constet: non debet de suo iure docere, quid.n. perdit, qui patitur eum hoc facere, quod hoc anno fecit? Enimuero qui uult reficere, aliquid noui facit, neque debet ei permitti in alieno id moliri, nisi iure habeat seruitutem. d. l. tertia. §. hoc autem.

Fieri autem potest, ut qui ius eundi habet, & agendi, reficiendi ius non habeat, quia in seruitute constituenda cautum sit, ue ei reficiẽndi ius sit: aut sic, ut si uelit reficere, usque ad certum modum reficiendi ius sit. Merito ergo ad refectionem se prætor retulit, VT TIBI (inquiens) IVS EST,

REFICIAS, VTI AVTEM IVS EST, hoc eſt reficias, ſicuti per ſeruitutem impoſitam licet: reficere ſic accipimus, ad priſtinam formam, iter, & actum reducere: hoc eſt, ne quis dilatet, aut producat, aut deprimat, aut exaggeret. longè. n. aliud eſt reficere, aliud facere. d. l. tertia. §. fieri autem poteſt.

Apud Labeonem quæritur, ſi pontem quis nouum velit facere viæ muniẽdæ cauſa, an ei permittatur? & ait permittendum, quaſi pars ſit refectionis huiuſmodi munitio, & eſt vera Labeonis ſententia, ſi modo ſine hoc commeari non poſsit d. l. tertia. §. finali.

Veteres nominatim adiiciebant, vt ea quoque, quæ ad refectionem vtilia eſſent, adportanti vis non fieret. quod ſuperuacuum eſt: quoniam qui adportare non patitur ea, ſine quibus refici iter non poſsit, vim facere videtur, quominus reficiatur. ſi quis autem, cum poſsit per compendiaria, adportare, quæ refectioni neceſſaria ſunt, longiore itinere velit ita adportare, vt deteriorem cauſam eundi faciat: impune vis ei fiet: quia ipſe ſibi impedimento ſit, quominus reficiat. ff. de itineribus actuque priu. l. quarta.

Apparet ergo eum, qui non patitur hæc congeri vim facere, quominus quis reficiat, plane ſi quis, cum poſſet alia parte agri ſine incommodo domini fundi impenſam adportare, id egit, vt altera parte adportaret: impune ei vim fieri rectè placuit. ff. eod. l. quinta, in prin.

Hoc interdictum non ſolum ipſi, verum ſucceſſoribus quoque eſſe dandum, non eſt ambigendum, emptori quoque dabitur, & in emptorem, d. l. quinta. §. hoc interdictum.

Si quis ſeruitutem iure impoſitam non habeat, habeat autem velut longè poſſeſſionis prærogatiuam ex eo, quod diu vſus eſt ſeruitute: interdicto hoc vti poteſt d. l. quinta. §. ſi quis.

Qui hoc interdicto vſurus eſt, de uitio operis cauere aduerſario debet. d. l. quinta, §. finali.

Sicuti non nocet ei, qui ſine vitio uſus eſt, quod eodem anno vitiosè vſus eſt: ita emptori, hæredique non nocebit quod ipſi vitiosè vſi ſunt, ſi teſtator, venditor ve rectè vſi ſunt. ff. eod. l. penul.

Si per fundum tuum, nec vi, nec clàm, nec precario commeauit aliquis: non tamẽ tanquam id ſuo iure faceret, ſed ſi prohiberetur non facturus, inutile eſt ei hoc interdictum de itinere, actuq; nam, ut hoc interdictum competat ius fundi poſſediſſe oportet. ff. eod. l. finali.

DE AQVA COTIDIANA ET AESTIVA. Tit. XXIX.

AIt prætor, VTI, HOC ANNO AQVAM QVA DE AGITVR, NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ILLO DVXISTI: QVOMINVS ITA DVCAS VIM FIERI VETO ff. de Aqua cot. d. l. prima. in prin.

Hoc interdictum prohibitorium eſt, & interdum reſtitutorium eſt, & pertinet ad aquam cotidianam. Cotidiana autem aqua non illa eſt, quæ cotidie ducitur: ſed ea, qua quis cotidie poſsit vti, ſi vellet, quam quam cotidianam interdum hyeme ducere non expediat, & ſi poſſet duci. d. l. prima. §. hoc interdictum.

Duo ſunt genera aquarũ, eſt quotidiana, eſt & æſtiua, quotidiana ab æſtiua differt vſu nõ iure, cotidiana eſt, q̃ duci aſsiduè ſolet, uel æſtiuo tempore, vel hyberno

etiam

etiam si aliquando ducta non est, ea quoque dicitur cotidiana, cuius seruitus intermissione temporis diuisa est. Aestiua autem ea est, qua æstate sola vti expedit: sicuti dicimus vestimenta æstiua, saltus ęstiuos castra æstiua: quibus interdum etiam hyeme, plerumque autem æstate utamur. Sed probandum est, ex proposito vtētis, & ex natura locorum aquam ęstiuam à quotidiana discerni. nam si sit ea aqua, quæ perpetuo duci posit. ego autem æstate sola ea vtar: dicendū est hanc aquam esse æstiuam rursus si ea sit aqua, quæ non nisi æstate duci possit, æstiua dicetur, & si ea sint loca, quę natura non admittant aquam, nisi ęstate: dicendum erit rectè æstiuam dici. d.l. prima. §. duo sunt.

Quod autem scriptum est & in interdicto VTI HOC ANNO AQVAM DVXISTI, hoc est non quotidie, sed hoc anno, vel una die, vel una nocte. ergo cotidiana quidem aqua quæ quotidie duci posit, uel hyeme, uel æstate, & si aliquo momento temporis ducta non sit. æstiua autem aqua est, quæ quotidie quidē duci posit, ut tamen æstate ducatur tantum, non etiam hyeme: non quia non posit, & hyeme, sed quia non solet. d.l. prima. §. quod autem.

Loquitur autem prætor in hoc interdicto de ea aqua sola, quæ perennis est. nulla. n. alia duci aqua potest, nisi quæ perennis est, quamquam autem ad perennes aquas dixerimus hoc interdictum pertinere: ad eas tamen perennes pertinet, quæ duci possunt. Cæterum sunt quædam aquæ, quæ & si perennes sunt, duci tamen non possunt: ut puta puteales, & quæ ita sunt submersæ, ut defluere extra, & vsui esse non posint. sed huiusmodi aquis, quę duci non possunt, haustus, seruitus imponi potest. d.l. prima. §. loquitur.

Hæc interdicta de aqua, item de fonte ad eam aquam pertinere videntur, quæ à capite ducitur non aliunde. harum. n. aquarum etiam seruitus iure ciuili constitui potest. d.l. prima. §. hæc interdicta.

Caput aquæ illud est, unde aqua nascitur, si ex fonte nascatur, ipse fons, si ex flumine, uel lacu prima incilia, uel principia fossarum, quibusque ex flumine vel ex lacu in primum riuum compelli solent. Planè si aqua sudoribus manando in aliquem primum locum effluere, atque ibi apparere incipit: eius hoc caput dicemus ubi primum emergit, & qualiter, qualiter sit constitutum ius aquæ, dicēdum est hoc interdictum locum haberé. sed & si iure aqua non debetur alicui, sed tamen iure ducere se putauit, cum non in iure, sed in facto errauit, dicendū est, eoque iure utimur, ut interdicto hoc vti posit. sufficit. n. si iure se ducere putauit, nec ui, nec clam, nec precario duxit. d.l. prima. §. caput aquæ.

Illud quæritur, vtrum ea tantum aqua his interdictis contineatur, quæ ad agrum irrigandum pertinet: an uero omnis etiam ea, quæ ad usum quoque & commodum nostrum? & hoc iure utimur, ut hæc quoque contineatur, propter quod etiam si in urbana prædia quis aquam ducere uelit, hoc interdictum locum habere potest. d.l. prima. §. Illud quæritur.

Præterea Labeo scribit: & si quidem ductus aquarum non sint fundi, qui à quocunque duci posint, tamē ad hoc interdictū pertinere. d.l. prima. §. præterea.

Idem Labeo scribit. & si prætor hoc interdicto de aquis frigidis sentiat, tamen de calidis aquis interdicta non esse deneganda. namque harum quoque aquarum usum esse necessarium, nonnumquam. n. refrigeratæ usum irrigādis agris præstant; his accedit, quod in quibusdam locis, & cum calidæ sunt, irrigandis tamen agris necessariæ sunt: ut Hierapoli. constat enim apud Hierapositanos in Asia aqua agrum calida irrigari, & quamuis ea sit aqua, quæ irrigando non sit necessaria, tamen nemo ambiget, his interdictis locum fore

Siue autem intra vrbem sit aqua, siue extra vrbem: huic interdicto locus erit, d.l. prima. §. Idem Labeo.

Illud tamen hic intelligendum est, eodemmodo prętorem duci aquam iussisse, quo ducta est hoc anno proinde neque amplioris modi, neque aliam permisisse potest uideri, quare si alia aqua sit, quam quis velit ducere, quam hoc anno duxerit: vel eandem, per aliam tamen regionem velit ducere, impune ei vis fiet. d.l. prima. §. Illud tamen.

Illud Labeo dicit omnes partes illius fundi: in quem locum aqua ducitur, eodem numero esse. Ergo, & si fortè actor confinem agrum emerit, & ex agro, in quem hoc anno aquam duxerit, postea fundi empti nomine velit aquam ducere: ita demum rectè eum hoc interdicto vti, ut de itinere, actuque poterit: vt semel in suum ingressus inde egredi quam velit, posit, nisi ei nocitum sit, ex quo aquā ducit. d.l. prima. §. Illud Labeo.

Item quæritur, si quis aquæ, quam hoc anno ducebat, aliam aquam miscuerit: an impune prohibeatur? & extat Ofilii sententia existimantis rectè eum prohiberi, sed eo loci, in quo prius aliam aquam in riuum admittit, & in totam aquam rectè eum prohiberi, quia non potest ita in parte uis fieri, vt non in tota aqua fiat quæ diuidi non potest. d.l. prima. §. item quæritur.

Trebatius cum amplior numerus pecoris ad aquam adpelleretur, quam deberet adpelli, posse vniuersum pecus impune prohiberi: quia iunctum pecus ei pecori cui ad pulsus debeatur, totum corrumpat pecoris adpulsum: Marcellus autē ait: si quis ius habens pecoris adpellendi, plura pecora adpulerit: non in omnibus pecoribus ei prohibendum, quod est verum: quia pecora separari possunt. d.l. prima. §. Trebatius.

Aristo putat eum demum interdictum hoc habere, qui se putat suo iure vti: non eum, qui scit nullum ius se habere, & utitur. d.l. prima. §. Aristo.

Idem ait, eum, qui hoc anno aquam duxerit, nec ui, nec clàm, nec precario, & eodem anno vitiosè vsus est, rectè tamen hoc interdicto usurum, quod referri ad id tempus potest, quod sine uitio fuerit esse re uerum, hoc anno non ui, non clā, non precario usum. d.l. prima. §. Idem ait, eum.

Quæsitum est si quis ante annum aquam duxerit, deinde sequenti tempore (hoc est intra annum) aqua influxerit ipsamet, non ducente aliquo an huic interdicto locus sit: & refert Seuerus Valerius competere ei hoc interdictum quasi duxisse uideatur: licet pœnitus perspicientibus non uideatur iste duxisse. d.l. prima. §. quæsitum est.

Item quæsitum est: si quis dum putat tertio quoque die habere se ius aquæ ducendæ, duxerit una die: an rectè, & sine captione possessoris duxisse uideatur ut hoc interdictum habeat: ait. n. prætor. VTI HOC ANNO AQVAM DVXISTI idest alternis diebus. d.l. prima. §. Item quæsitum.

Illud autem nihil interest, utrum quinto die aqua debeatur, an alternis diebus an cotidie ei, qui hoc interdicto uti uelit, nam cum sufficiat, uel uno die hoc anno aquam duxisse, nihil refert qualem aquæductum habens duxerit: dum si quis cum quinto quoque die uteretur, quasi alternis diebus ducens interdixerit nihil ei prodesse uideatur. d.l. prima. § illud autem.

Præterea illud sciendum est, si cum aquam duxisses aduersarius te prohibuerit, deinde tu interim ius aquæ ducendæ amiseris: in restitutionem hoc uenire, ut tibi præstetur, per hoc interdictum, quod amisisti, & hoc putatur uerum. d.l. prima. §. præterea.

Si fun-

Si fundum ad quem aquam ducebas, uendideris, & tradideris, nihilominus tibi interdictum utile est. d. l. prima. §. si fundum.

Competit hoc interdictum aduersus eum, qui prohibet me aquam ducere: nihilque interest vtrum dominium quis fundi habeat an non, idcircoq; is tenetur interdicto. nam etsi seruitus cœperit: aduersus quemuis potest vindicari, d. l. prima, §. competit.

Si inter riuales, idest qui per eundem riuum aquam ducunt, fit contentio de aquæ vsu, vtroq; suum esse vsum contendente: duplex interdictum vtrique competit, d. l. prima, §. si inter.

Labeo putat per hoc interdictum prohiberi quem ne quid in illo fundo faciat, fodiat, serat, succidat, putet, ædificet, qua ex re ea aqua, quam ille hoc anno per fundum tuum sine vitio duxit, inquinetur, vicietur, corrumpatur, deteriorve fiat, & similiter de æstiua aqua debere ei interdici ait, si quis hoc cesserit, nè liceat sibi aquam quærere ea cessio valet, d. l. prima, §. Labeo putat.

Deinde ait prætor, VTI PRIORE AESTATE, AQVAM QVA DE AGITVR, NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO DVXISTI, QVO MINVS ITA DVCAS VIM FIERI VETO, INTER HAEREDES ET EMPTORES, ET BONORVM POSSESSORES INTERDIVAM, d. l. prima, §. deinde.

Hoc interdictum de aqua æstiua proponitur, quia autem diximus ęstiuam aquam aliquid distare ab aqua cotidiana: sciendum est etiam in interdictis distare, qđ qui de aqua cotidiana interdicit, ita interdicat, VTI HOC ANNO AQVAM DVXISTI, at qui de æstiua, VTI PRIORE AESTATE, nec immeritò. nam qui hyeme non vtitur, referre se non ad præsentem æstatem, sed ad priorem debuit, d. l. prima, §. hoc interdictum.

AEstatem incipere sic peritiores tradiderunt ab æquinoctio uerno, & finiri æquinoctio autumnali, & ita senis mensibus æstas diuiditur, vtque hyems. Priorem æstatem ex comparatione duarum æstatum accipe, propter hoc si æstate interdicatur. nonnunquam annum, & sex menses continet, quod ita contingit, si initio uerni æquinoctii ducta sit aqua, & sequenti æstate pridie æquinoctium autumnale interdicatur. & proinde si hyeme interdicatur, hæc res etiam in biennium extenditur, d. l. prima, §. æstatem incipere.

Si quis hyeme tantum aquam solitus fuerit ducere, æstate non fuerit solitus, vtile interdictum ei competit, qui hac æstate duxit non superiore: vtile interdictum habet, d. l. prima, §. si quis.

Ait prætor, INTER HAEREDES ET EMPTORES, ET BONORVM POSSESSORES INTERDICAM, hæc verba non solum ad æstiuam aquam, verum ad quotidianam quoq; referenda esse, sciendum est. nam sicuti de itinere, actuq; & successoribus dantur interdicta, & emptori, ita hæc quoque danda prætor putauit, d. l. prima, §. ait prætor.

Ait prætor, QVO EX CASTELLO ILLI AQVAM DVCERE AB EO, CVI EIVS REI IVS FVIT PERMISSVM EST: QVO MINVS ITA VTI PERMISSVM EST DVCAT, VIM FIERI VETO, QVANDOQVE DE OPERE FACIENDO INTERDICTVM ERIT, DAMNI INFECTI CAVERI IVBEBO, d. l. prima, §. ait prætor.

Hoc interdictum necessario propositum est. nam cum superiora interdicta ad eos pertinent, qui à capite ducunt, vel imposita seruitute, vel quia putant impositam, æquissimum visum est ei quoque, qui ex castello ducit interdictum dari,

idest

idest ex eo receptaculo, quod aquam publicam suscipit. ita enim castellum accipe, si ex castello permissum est, sed & si alio ex loco permissum est, dandum erit interdictum, d.l. prima, §. hoc interdictum.

Permittitur autem aquam ex castello, vel ex riuo, vel ex quo alio loco publico ducere: idque à principe conceditur. alii nulli competit ius aquæ dandæ, & datur interdictum prædiis, interdum personis, quod prædiis datur extincta persona non extinguitur, quod datur personis cum personis amittitur, ideoq; neque ad alium dominum prædiorum, neque ad heredem, vel qualemcunq; successorem transit. Planè ei ad quem dominium trāsit, impetrabile est. nam si docuerit prædiis suis aquam debitam: & si nomine eius fluxisset à quo dominium ad se transiit, & indubitatè impetrat ius aquæ ducendæ. nec est hoc beneficium, sed iniuria, si quis fortè non impetrauerit, d.l. prima, §. pen.

Meminisse autem debemus in hoc interdicto totam quæstionem finiri adsignationibus. non enim præparat hoc interdictum causam, vt superiora interdicta, nec ad possessionem temporariam pertinet, sed aut habet ius adsignatum sibi, aut non habet, & hoc interdictum finitur totum, d.l. prima, §. fin.

Si diurnarum, ac nocturnarum horarum aquæductum habeam: non possum alia hora ducere, quam in qua ius habeam ducendi, ff. de aqua quot. l. secunda.

Hoc iure vtimur, vt etiam non ad irrigandam, sed pecoris causa, vel amœnitatis aqua duci posit. Ex flumine aquam ducere plures possunt: ita tamen, ut vicinis non noceat: vel si Augustus annis sit, et ei, qui in alia ripa sit, ff. eod. l. tertia.

Si aquam ex flumine publico duxeris, & flumen recesserit: non potes subsequi flumen: quia ei loco seruitus imposita non sit, quamuis is locus meus sit. sed si alluuione paulatim accesserit fundo tuo: subsequi potes: quia locus totus fluminis seruiat ductioni. sed si circumfluere cœperit mutato alueo, non potes. quia medius locus non seruiat, interruptaq; sit seruitus, d.l. tertia, §. si aquam.

Aqua, quæ in riuo nascitur tacitè lucri fit ab eo, qui ducit, d.l. tertia, §. aqua.

Ductus aquæ, cuius origo memoriam excesserit, iure constituti loco habetur, d.l. tertia, §. ductus aquæ.

Is qui ius aquæ cotidianæ habet: vel fistulam in riuo ponere, vel aliud quodlibet facere potest: dummodo ne fundum domino, aut aquagium riualibus deterius faciat, d.l. tertia, §. is, qui.

Si aqua ducatur, & supra eam aqualia per pontem, qui supra riuum factus sit, iure ducitur: dum inferiori riuo non noceatur, d.l. tertia, §. fin.

Lucio Titio ex fonte meo, ut aquam duceret, cessi, quæsitum est, an Mæuio cedere possim, vt per eundem aquæ ductum aquam ducat: & si putetur posse cedi per eundem aquæ ductum duobus, quemadmodum vti debeant? responsum est, sicut iter, actus, via pluribus cedi, vel simul, vel separatim potest: ita aquæ ducendæ ius rectè cedetur. sed si inter eos, quibus aqua cessa est, non conuenit, quemadmodum vtuntur: non erit iniquum vtile iudicium reddi, sicuti inter eos ad quos vsusfructus pertinet vtile communi diuidundo iudicium reddi plerisque placuit, ff eo. l. quarta.

Cum constet, non solum temporibus, sed etiam mensuris aquam posse diuidi. Potest eodem tempore alius cotidianam, alius æstiuam aquam ducere: ita ut æstate diuidatur inter eos aqua: hyeme solus ducat is, qui cotidianæ ius habet, ff. eo. l. quinta, in princ.

Inter duos, qui eodem riuo aquam certis horis separatim ducebant, conuenit, ut permutatis inter se temporibus aqua uterentur: cum amplius tempore seruitu

tibus

tibus præfinito, ita duxissent, vt neuter eorum suo tempore vsus esset, ius vtendi non amisissent, d.l.quinta, §.inter duos.

De interdicto de aqua æstiua, idē cotidiana quærentes, primum constituendum existimabamus, quæ esset aqua æstiua, de qua proprium interdictum ad prioris æstatis tempus relatum reddi solet, hoc est æstiua aqua, vtrumve ex iure ęstiuo duntaxat tempore vtendi diceretur, an ex mente propositoq; ducentis, quod æstate eam ducendi consilium haberet: an ex natura ipsius aquæ, quæ æstate tantum duci posset: an ex vtilitate locorum, in quæ duceretur. Placebat igitur, aquam ob eas duas res naturam suam vtilitatemque locorum, in quę deducitur propriè appellari: ita, vt siue eius natura erit, vt nisi æstate duci non posit, etiā si hyeme quoque desideraretur: siue omni tempore anni duci eam ipsius natura permitteret, si vtilitas locorum, in quæ ducitur, æstate duntaxat usum eius exigeret æstiua rectè diceretur, ff.eo.l.sexta.

Si de via, itinere, actu, aquæductu agatur, huiusmodi cautio præstanda est, QVANDIV QVIS DE IVRE SVO DOCEAT SE NON IMPEDITVRVM AGENTEM, ET AQVAM DVCENTEM, ET ITER FACIENTEM, quod si neget ius esse aduersario agendi, aquamve ducendi: cauere sine præiudicio amittendæ seruitutis debebit, donec quæstio finiatur non se vsurum, ff. eod.l. penultima.

Cui per fundum iter aquæ debetur, quacunque vult, in eo riuum faciat licet, dum ne aquæductum interuertat, ff.eo.l.fin.

DE RIVIS. Tit. XXX.

PRætor ait, RIVOS, SPECVS, SEPTA REFICERE, PVRGARE AQVAEDVCENDAE CAVSA, QVOMINVS LICEAT ILLI: DVM NE ALITER AQVAM DVCAT, QVAM VTI PRIORE ESTATE NON VI, NON CLAM NON PRAECARIO A TE DVXIT VIM FIE RIVETO, ff.de riuis, l.prima.

Hoc interdictum utilissimum est, nam nisi permittatur alicui reficere alia ratione vsus incommodabitur, d.l.prima, §.hoc interdictum.

Ait ergo prætor, RIVVM, SPECVS, SEPTA, riuus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat: specus autem locus est ex quo despicitur, unde spectacula sunt dicta: septa sunt, quæ ad incilæ opponuntur aquæ deriuandę, compellendęve ex flumine causa, siue ea lignea sunt, siue lapidea, siue ex alia qualibet materia, ad continendam transmittendamq; aquam excogitata. incile autem locus depressus ad latus fluminum ex eo dictus, quod incidatur. inciditur enim vel lapis, vel terra, vnde primum aqua ex flumine agi posit, sed et fossæ, & putei hoc interdicto continentur, d.l.prima, §.ait prætor.

Deinde ait prætor, REFICERE, PVRGARE, reficere est, quod corruptum est, in pristinum statum restaurare, verbo REFICIENDI tegere, substruere, sarcire, ædificare, item aduehere, adportareque ea, quæ ad eandem rem opus essent continentur. PVRGANDI verbum plerique quidem putant ad eum riuum pertinere, qui integer est, sed palam est, & ad eum pertinere, qui refectione indiget, plerunque enim refectione, & purgatione riuus indiget, d.l. prima, §.deinde ait.

AQVAE, (inquit) DVCENDAE CAVSA, meritò hic additur: ut ei demum permittatur, & reficere, & purgare riuum, qui aquæducendæ causa id fecit. sed

cit. sed hoc interdictum competit etiam ei, qui ius aquæducendæ non habet: si modo, aut priore æstate, aut eodem anno aquam duxerit: cum sufficiat non ui, non clàm, non precario duxisse, d.l. prima, §. aquæ.

Si quis terrenum riuum signinum facere velit, videri eum non rectè hoc interdicto uti, non enim reficit, qui hoc facit, & ita Ofilio videtur, proinde, & si per aliũ locum velit ducere, impunè prohibetur, sed & si eundem riuum deprimat, vel attolat, aut dilatet, vel extendat, vel operiat apertum, vel contra. cæteri quidem impunè prohibebuntur, etenim is, qui operiat apertum vel contra, is non prohibendus est, nisi si quam maiorem utilitatem suam aduersarius ostendat, d.l. prima, §. si quis terrenum.

Labeo non posse ait, ex aperto riuo terrenum fieri, quia commodum domino soli auferretur, adpellendi pecus, vel hauriendi aquam quod sibi non placere Pomponius ait, quia id domino magis ex occasione, quam ex iure contingeret: nisi ab initio in imponenda seruitute id actum esset, ff. eo. l. secunda.

Seruius autem scribit, aliter duci aquam, quæ ante per specum ducta sit, si nunc per apertum ducatur. Nam si operis aliquid faciat quis, quò magis aquam conseruet, vel contineat: non impunè prohiberi. At in specu contra est, si non maior vtilitas versetur aduersarii, ff. eo. l. tertia, in prin.

Seruius, & Labeo scribunt, si riuum, qui ab initio terrenus fuerit, qui aquam non continebat cæmenticum velit facere, audiendum esse, sed & si eum riuum, qui structilis fuit postea terrenum faciat, aut partem riui, æquè non esse prohibendũ, sed vrgentes & necessarias refectiones admittẽdæ sunt, d.l. tertia, §. seruius.

Si quis nouum canalem, vel fistulas in riuo velit collocare, cum id nunquam habuerit: vtile ei hoc interdictum futurum, Labeo ait, sed & hic vtilitas eius, qui ducit sine incõmoditate eius cuius ager est, spectatur, d.l. tertia, §. si quis nouũ.

Si aqua in vnum locum conducatur, & inde per plures ductus ducatur. hoc interdictum vtile erit uolenti reficere ipsum lacum, d.l. tertia, §. si aqua.

Hoc interdictum ad omnes riuos pertinet: siue in publico, siue in priuato sint constituti, sed & si calidæ aquæ riuus sit, de hoc reficiendo competit interdictum. Aristo, & de cuniculo restituendo per quem vapor trahitur in balneariis, putat vtilem actionem competere, & erit dicendum, vtile interdictum etiam ex hac causa competere, d.l. tertia, §. hoc interdictum.

Iisdem autem personis, & in easdem interdictum hoc datur, quibus, & in quas, & de aqua interdictæ reddũtur, quæ supra sunt enumerata, d.l. tertia, §. iisdẽ aũt.

Si quis riuum reficienti opus nouum nunciat: bellè dictum est, posse contemni operis noui nunciationem. cum enim prætor ei vim fieri vetet: absurdum est per operis noui nunciationem eum impediri. Planè per in rem actionem dicendum, posse aduersus eum vindicari ius ei non esse hoc dubium non est, d.l. tertia, §. si quis riuum.

De damno quoque infecto cauere eum debere minimè oportet dubitari, d.l. tertia, §. de damno.

Si quis exportare, vehereque ea, quæ refectioni necessaria sunt, prohibeat, hoc interdictum competere ei Ofilius putat. quod est verum, d.l. tertia, §. fin.

De riuis reficiendis, ita interdicetur, vt non quæratur, an aquam ducere actori liceret. non enim tam necessariam refectionem, itinerum quam riuorum esse: qñ non refectis riuis omnis vsus aquæ auferretur, & homines siti necarentur, & sanè aqua peruenire, nisi refecto riuo non potest, at non refecto itinere: difficultas tantum eundi agendiq; fieret, quæ tpibus æstiuis leuior esset, ff. eo. l. fin.

DE

DE FONTE. Tit. XXXI.

PRætor ait, VTI DE EO FONTE, QVO DE AGITVR HOC ANNO AQVA NEC VI, NEC CLAM, NEC PRECARIO AB ILLO VSVS ES: QVO MINVS ITA VTARIS, VIM FIERI VETO. DE LACV, PISCINA, PVTEO INTERDICAM, ff.de fonte,l.vnica.

Hoc interdictum proponitur ei,qui fontana aqua vti prohibetur.seruitutes enim non tantum aquæ ducendæ esse solent,verumetiam hauriendæ, & sicut discretæ sunt seruitutes,ductus aquæ,& haustus aquæ: ita interdicta separatim redduntur,d.l.vnica,§.hoc interdictum.

Hoc autem interdictū locum habet,si quis vti prohibeatur aqua,hoc est siue hauri re prohibeatur, siue etiam pecus ad aquam adpellere, & eadem sunt hic dicenda.(quod ad personam attinet) quæcunque in superioribus interdictis diximus,d.l.vnica,§.hoc autem.

Hoc interdictum de cisterna non competit. nam cisterna non habet perpetuam causam,nec viuam aquam,ex quo apparet,in his omnibus exigendum,ut uiua aqua sit.cisternæ autem imbribus concipiuntur. Deniq; constat interdictum cessare,si lacus piscina puteus aquam viuam non habeat,planè si quis ire adhau stum prohibeatur:æquè interdictum sufficiet,d.l.vnica,§.hoc interdictum.

Deinde ait prætor, QVOMINVS FONTEM QVO DE AGITVR, PVRGES, REFICIAS, VT AQVAM COERCERE, VTIQVE EA POSSIS: DVM NE ALITER VTARIS,ATQVE VTI HOC ANNO NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO, AB ILLO VSVS ES VIM FIERI VETO,d.l.vnica,§.deinde ait.

Hoc interdictum eandem habet vtilitatem,quam habet interdictum de riuis reficiendis,nisi.n.purgare,& reficere fontem licuerit: nullus erit eius usus.purgandus autem, & reficiendus est ad aquam coercendam, vt vti quis aqua posit, dummodo non aliter vtatur,quam sicuti hoc anno vsus est. Coercere aquam est cōtinere,sic ne diffluat,vel dilabatur: dummodo non permittatur cui nouas venas quærere vel aperire.hic.n.innouat aliquid præter id, quam præcedente anno vsus est.d.l.vnica,§.hoc interdictum.

Sed,& de lacu,puteo,piscina reficiendis,purgandis interdictum competit,& omnibus personis dabitur,quibus permittitur interdictum,de aqua æstiua.d.l.vnica.§.finali.

DE CLOACIS. Titulus XXXII.

PRætor ait, QVO MINVS ILLI CLOACAM, QVAE EX AEDIBVS EIVS INTVAS PERTINET, QVA DE AGITVR, PVRGARE, REFICERE LICEAT, VIM FIERI VETO DAMNI INFECTI QVOD OPERIS VICIO FACTVM SIT CAVERI IVBEBO. ff.de Cloacis.l.prima,in princip.

Sub hoc titulo duo interdicta prætor subiicit,vnum prohibitorium, alterum restitutorium; & primum prohibitorium. Curauit autem prætor per hæc interdicta,vt cloacæ purgentur,& reficiantur: quorum vtrumque & ad salubritatem ciuitatum,& ad tutelam pertinet,nam,& cœlum pestilens,& ruinas minantur immun-

immunditiæ cloacarum. item si non reficiantur, d.l. prima, §. sub hoc.

Hoc autem interdictum propositum est de cloacis priuatis. publicæ enim cloacæ publicam curam merentur. cloaca autem est locus cauus, per quam colluuies quædam fluant, d.l. prima, §. hoc autem.

Hoc interdictum, quod primum proponitur prohibitorium est. quo prohibetur vicinus vim facere, quominus cloacæ reficiantur, d.l. prima, §. hoc interdictum.

Cloacæ appellatione, & tubus, & fistulæ continentur. quia autem cloacarum purgatio, & refectio ad publicam utilitatem spectare videtur, idcircò placuit non esse in interdicto addendum. QVOD NON VI, NON CLAM, NON PRECARIO AB ILLO VSVS ES. vt etiam si quis talem vsum habuerit, tamen non prohibeatur volens cloacā reficere, vel purgare, d.l. prima, §. cloacę.

Deinde ait prætor, QVAE EX AEDIBVS EIVS IN TVAS PERTINET hic accipere debes AEDES, pro omni ædificio, hoc est ex ædificio eius in tuum ædificium. hoc amplius Labeo putat huic interdicto locum esse, & si area ab vtralibet parte ædium sit: & si fortè (inquit) cloaca ducta sit ex vrbano ædificio in proximum agrum, d.l. prima, §. deinde ait.

Idem Labeo ēt eum, qui priuatam cloacam in publicum immittere velit, tuendū ait, ne ei vis fiat, sed & si quis velit talem cloacam facere, quæ exitum habeat in publicā cloacā: non esse eum impediendū. Pomp. putat, d.l. prima, §. idē Labeo.

Quod ait prætor, PERTINET, hoc significat: quod ex ædibus eius in tuas pertinet, hoc est derigitur, extenditur, peruenit: & tam ad proximum vicinum, hoc interdictum pertinet, quàm aduersus vlteriores, per quorum ædes cloaca currit. Vnde Fauius Mela scribit competere hoc interdictum, vt in uicini ædes veniat, & rescindat pauimenta purgandæ cloacæ gratia, verendum tamen esse Pomponius scribit, ne in eo casu damni infecti stipulatio non committatur, sed hæc stipulatio non committetur, si paratus sit restaurare id, quod ex necessitate reficiendæ cloacæ causa rescindat, d.l. prima, §. quod ait.

Si quis purganti mihi cloacam, vel reficienti, opus nouum nunciauerit, rectissimè dicetur, contempta nunciatione posse me reficere id, quod iam instituetam. sed & damni infecti cautionem pollicetur, si quid ibi operis vicio factum sit. nam sicuti reficere cloacas, & purgare permittendum fuit: ita dicendum est, ne damnum ædibus alienis detur, d.l. prima, §. si quis.

Deinde ait prætor, QVOD IN CLOACA PVBLICA FACTVM, SIVE IMMISSVM HABES, QVO VSVS EIVS DETERIOR SIT, FIAT, RESTITVATVR ITEM NE QVID FIAT IMMITTATVRVE, INTERDICAM. hoc interdictum ad publicas cloacas pertinet: ne quid in cloacam immittas, neve facias, quo vsus deterior sit, neve fiat, d.l. prima, §. fin.

Quamquam de reficienda cloaca, non etiam de noua facienda hoc interdicto cōprehendatur: tamen æquè interdicendum Labeo ait, nè facienti cloacam vis fiat: quia eadem vtilitas sit. prætorem enim sic interdixisse ne vis fieret, quominus cloacam in publicum facere liceret. idque Offilio & Trebatio placuisse ipse dicendum ait, ut factam cloacam purgare, & restituere permittendum sit per interdictum, nouam verè facere is demum concedere debeat, cui viarum publicarum cura sit, ff. de cloacis, l. fin.

Remedium operis noui nunc. aduersus futura opera inductum est, ff. de oper. nou. nunc. l. prima, § hoc autem interdictum. Et cum hucvsque de interdictis operum iam factarum tractauerimus, nunc de interdicto noui ope. nunc. tractandum est tanto magis, quia præcedens titulus de cloacis reficiendis non impeditur noui ope. nunc. l. quinta, eod. tit. §. si quis riuos.

DE

DE OPERIS NOVI NVNCIATIONE. Titulus XXXIII.

Hoc edicto promittitur, vt siue iure, siue iniuria opus fieret per nunciationē inhiberetur. Deinde remitteretur prohibitio hactenus, quatenus prohibendi ius is, qui nunciasset non haberet, ff. de operis noui nunciatione, l. prima, in prin.

Hoc aūt edictū, remediūq; noui operis nūciationis aduersus futura opera inductū est, non aduersus præterita: hoc est aduersus ea, quæ nondum facta sunt, ne fiant. nam si quid operis fecerit factum, quod fieri non debuit: cessat edictum de operis noui nunciatione, & erit transeundum ad interdictum, QVOD VI, AVT CLAM FACTVM ERIT, VT RESTITVATVR, ET QVOD IN LOCO SACRO, ET QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE PVBLICA FACTVM ERIT. nam his interdictis restituetur, si quid illicitè factum est, d. l. prima, §. hoc autem edictum.

Nunciatio ex hoc edicto non habet necessariam prætoris aditionem. potest enim nunciare quis: & si eum non adierit. item nunciationem, & nostro, & alieno nomine facere possumus, etiam nunciatio omnibus diebus fieri potest. & aduersus absentes etiam inuitos, & ignorantes noui operis nunciatio procedit. d. l. prima, §. nunciatio.

In operis autem noui nunciatione possessorem aduersarium facimus. Sed & si is, cui nouum opus nunciatum est ante remissionem ædificauerit, deinde cæperit agere, sibi ius esse, ita ædificatum habere: prætor actionem ei negare debet, & interdictum in eum de opere restituendo reddere, dicta, l. prima, §. in operis autem.

Potest autem quis nunciare etiam ignorans, quod opus fieret. Et post operis noui nunciationem committunt se litigatores prætoriæ iurisdictioni. Inde quæritur apud Celsum, post nouum opus nunciatum conueniat tibi cum aduersario, vt opus faceret: an danda sit conuentionis exceptio? & ait Celsus dandam: nec esse periculum, ne pactio priuatorum iussui prætoris anteposita videatur. quid enim aliud agebat prætor, quàm vt controuersias eorum dirimeret? à quibus si sponte recesserint, debebit id ratum habere, d. l. prima, §. potest.

Opus nouum facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat, d. l. prima, §. opus nouum.

Hoc autem edictum non omnia opera complectitur, sed ea sola, quæ solo coniuncta sunt, quorum ædificatio, vel demolitio videtur opus nouum continere. idcircò placuit, si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quāquam opus faciat, tamen ad hoc edictum non pertinere: quia ad ea opera, quæ in solo fiunt, pertinet hoc edictum, d. l. prima, §. hoc autem.

Si quis ædificium fulciat: an nouum opus ei nunciare possimus, videamus. & magis est, ne possimus. hic enim non nouum opus facit, sed veteri sustinendo remedium adhibet, d. l. prima, §. si quis ædificium.

Siue autem intra oppida, siue extra oppida, in villis, vel in agris opus nouum fiat nunciatio ex hoc edicto locum habet: siue in priuato, siue in publico opus fiat, d. l. prima, §. siue autem.

Nunc videamus, quibus ex causis fiat nunciatio, & quæ personæ nuncient, qui-

busq; nuncietur, & in quibus locis nunciatio fiat, & quis effectus sit nunciationis, d.l.prima, §.nunc videamus.

Nunciatio fit, aut iuris nostri conseruandi causa, aut damni depellendi, aut publici iuris tuendi gratia. Nunciamus autem quia ius aliquod prohibendi habemus, vel vt damni nobis infecti caueatur ab eo, qui fortè in publico, vel in priuato quid molitur: aut etiam si quid contra leges, edictumve principum, quæ ad modum ædificiorum facta sunt, fiet vel in sacro loco, vel publico, ripave fluminis: quibus ex causis, & interdicta proponuntur; quod si quis in mari, vel in littore ædificet: licet in suo non ædificet, iure tamen gentium suum facit. si quis igitur velit ibi ædificantem prohibere, nullo iure prohibet: neq; nouum opus nunciare, nisi ex una causa, potest; si fortè damni infecti sibi caueri velit, d.l.prima, §.nunciatio.

Iuris nostri conseruandi, aut damni depellendi causa nouum opus nunciare potest is, ad quem res pertinet. Vsusfructuarius autem nouum opus nunciare suo nomine non potest: sed procuratorio nomine nunciare poterit, aut vindicare vsumfructum ab eo, qui nouum opus faciat, quæ vindicatio præstabit ei, quod eius interfuit nouum opus factum non esse. Si autem domino prædii nunciauerit, inutilis erit nunciatio: neq; enim sicut aduersus vicinum, ita aduersus dominum agere potest, ius ei non esse inuito se altius ædificare; sed si ex hoc pacto vsusfructus deterior fiat: petere vsumfructum debebit, d.l.prima, §.fina. cum l.sequen.

In prouinciali etiam prædio, si quid fiat noui operis nunciatio locum habebit. si in loco communi, quid fiat: nunciatio habebit locum aduersus vicinum. planè si vnus nostrum in communi loco faciat: non possum ego socius nouum opus ei nunciare, sed eum prohibebo communi diuidundo iudicio, vel per prætorem. Quod si socius meus in communi insula nouum opus faciat, & ego propriam, cui noceatur, habeam: an opus nouum ei nunciare possim? & putat Labeo nunciare non posse, quia possim alia eum ratione prohibere, ædificare, hoc est per prætorem, vel per arbitrum communi diuidundo, quæ sententia vera est, ff. de ope.no.nunc.l.tertia, in prin.

Si ego superficiarius sim, & opus nouum fiat vicino, an possim nunciare? mouet quod quasi inquilinus sum, sed prætor mihi vtilem in rem actionem dat. vt ideo, & seruitutum causa actio mihi datur, & operis noui nunciatio debet mihi concedi, d.l.tertia, §.si ego.

Si in publico aliquid fiat: omnes ciues opus nouum nunciare possunt. Nam reip. interest, quàm plurimos ad defendendas suas causas admitti, d.l. tertia, §. finali, cum l.seq.

De pupillo quæsitum est, & Iulianus scribit, pupillo non esse noui operis nunciationis exsecutionem dandam, nisi ad ipsius priuatum commodum res pertineat: veluti si luminibus eius officiatur, aut prospectui obsit. non aliter autem pupilli rata habebitur nunciatio, quàm tutore auctore, ff. eodem, l. quinta, in principio.

Nunciationem autem in re præsenti faciendam, meminisse oportebit, id est eo loci, vbi opus fiat, siue quis ædificet, siue inchoet ædificare. nunciari autem non vtiq; domino oportet. sufficit. n. in præsenti nunciare ei, qui in p̄senti fuit: vsq; adeo, vt etiam fabris, vel opificibus, qui eò loci operantur, opus nouum nunciari possit, & generaliter ei nunciare opus nouum potest, qui in re præsenti fuit, domini, operisve nomine, nec refert, quis iste sit, vel cuius conditionis, qui in

qui in re præsenti fuerit. Nam si mulieri, vel puero, vel puellæ: tenet nunciatio, sufficit enim in re præsenti noui operis nunciationem factam sic, vt domino posſit renunciari, d.l.quinta, §. nunciationem.

Si quis fortè in foro domino opus nouum nunciat: hanc nunciationem nullius esse momenti, exploratiſsimum eſt. in re enim præſenti, & (penè dixerim) in ipſo opere, hoc eſt in re ipſa nunciatio facienda eſt, quod idcirco receptum eſt, vt confeſtim per nunciationem ab opere diſcedatur. cæterum ſi alibi fiat nunciatio, illud incōmodi ſequitur, quod dum venitur ad opus, ſi quid fuerit operis per ignorantiam factum: euenit, ut contra edictum prætoris ſit factum, d.l.quinta, §.ſi quis fortè.

Si plurium res ſit, in qua opus nouum fiat, & vni nuncietur: rectè facta nunciatio eſt, omnibusque dominis videtur denunciatum. ſed ſi unus ædificauerit poſt noui operis nunciationem: alii, qui non ædificauerint, non tenebuntur. neq;.n.debet nocere factum alterius ei, qui nihil fecit, d.l. quinta, §.ſi plurium.

Si plurium dominorum rei opus noceat, vtrum ſufficiat unius ex ſociis nunciatio, an uerò omnes nunciare debeant? & eſt verius vnius nunciationem omnibus non ſufficere, ſed eſſe ſingulis nunciare neceſſe: quia & fieri poſsit, ut nunciatorum alter habeat, alter non habeat ius prohibendi, d.l. quinta, §. ſi plurium dominorum.

Si quis ipſi prætori, velit opus nouum nunciare, debet, vt interim teſtetur, non poſſe ſe nunciare, & ſi nunciauit poſtea, & quod retro ædificatum erit, deſtruendum erit, quaſi repetito die nunciatione facta, d.l.quinta, §. ſi quis ipſi.

Sed & ſi in ædes noſtras, quis immittit, aut in loco noſtro ædificet: æquum eſt, nos operis noui nunciat. ius noſtrum nobis conſeruare, d.l. quinta, §. ſed & ſi.

Et bellè ſextus Pedius definit noui operis nunciationis triplicem eſſe cauſam, aut naturalem, aut publicam, aut impoſitam. naturalem, cum in noſtras ædes, quid immittitur, aut in noſtro ædificatur, publicam cauſam: quoties leges vel ſenatuſconſulta, conſtitutionesque principum per noui operis nunciationem, tuemur. impoſititiam, cum quis poſtea, quam ius ſuum deminuit, alterius auxit, hoc eſt poſteaquam ſeruitutem ædibus ſuis impoſuit contra ſeruitutem fecit, d.l.quinta, §.& bellè.

Meminiſſe autem oportebit, quoties quis, in noſtro ædificare, uel in noſtro immittere, vel proiicere vult. melius eſſe eum per prætorem, vel per manum, id eſt per lapilli ictum prohibere, quàm operis noui nunciatione. cæterum noui operis nunciationem poſſeſſorem eum faciemus, cui nunciauimus, at ſi in ſuo quid faciat, quod nobis noceat, tunc noui operis denunciatio erit neceſſaria, & ſi fortè in noſtro aliquid facere perſeueret quis, æquiſsimum erit aduerſus eum, QVOD VI, AVT CLAM, aut VTI POSSIDETIS interdicto vti, d.l.quinta, §.meminiſſe.

Si quis riuos, vel cloacas, velit reficere, vel purgare, operis noui nunciatio, non immeritò prohibetur, cum publicæ ſalutis, & ſecuritatis interſit, & cloacas, & riuos purgari, d.l.quinta, §.ſi quis riuos.

Præterea generaliter prætor cætera, quoq; opera excepit, quorum mora periculum aliquod allatura eſt. Nam in his quoq;, contemnendam putauit, operis noui nunciationrm. quis enim dubitat, multò melius eſſe, obmitti noui operis noui nunciationem, quàm impediri operis neceſſarii urgentem extractionem. Toties autem hæc pars locum habet, quoties dilatio periculum allatura eſt. proinde ſi quis cum opus hoc mora allaturum eſſet, nunciauerit opus nouū.

veluti si in cloacis, vel ripa reficiendis aliquid fieret: dicemus apud iudicem quæri debere, an talia opera fuerint, vt contemni nunciatio deberet. Nam si apparuerit, vel in cloaca, riuove eoq;, cuius mora periculum allatura esset, dicendum est, non esse verendum, ne hæc nunciatio noceret, d.l. quinta, §. præterea.

Qui opus nouum nunciat, iurare debet, non calumniæ causa nouum opus nunciare: hoc iusiurandum auctore prætore defertur. idcircò non exigitur, ut iuret is, antequam iusiurandum exigat, d.l. quinta, §. qui opus.

Qui nunciat, necesse habet demonstrare, in quo loco opus nouum nunciet, scituro eo, cui nunciatum est, vbi posit ædificare, ubi interim abstinendum sit, toties autem demonstratio facienda est, quoties in partem nunciatio fit; cæterum si in totum opus fiat, non est necesse demonstrare, sed hoc ipsum dicere, d.l. quinta, §. qui nunciat.

Si in pluribus locis opus fiat, vtrum una nunciatio sufficiat, an verò pluræ sint necessariæ? & ait Iulianus, quia in re præsenti fit nunciatio, plures nunciationes necessarias esse. Et consequenter plures remissiones, d.l. quinta, §. si in pluribus locis.

Si is, cui nunciatum erit, ex noui operis nunciatione satisdederit, repromiseritve, aut per eum non fiet, quo minus boni uiri arbitratu satisdetur, repromittaturve: perinde est, ac si noui operis nunciatio omissa esset. habet autem hoc remedium utilitatem. nam remittit vexactionem ad emptorem veniendi, & desiderandi, ut missa fieret nunciatio, d.l. quinta, §. si is.

Qui procuratorio nomine nunciauit, si non satisdabit EAM REM DOMINVM RATAM HABITVRVM: nunciatio omnimodo remittitur, etiam si verus sit procurator, d.l. quinta, §. qui procuratorio.

Qui remissionem absentis nomine desiderat, siue ad priuatum, siue ad publicum ius ea remissio pertinet: satisdare cogitur. sustinet enim partes defensoris, sed hæc satisdatio non pertinet ad ratihabitionem, sed ad noui operis nunciationem, d.l. quinta, §. qui remissionem.

Si in remissione à parte eius, qui nouum opus nunciauit, procurator interueniat: id agere prætorem oportet, ne falsus procurator absenti noceat: cum sit indignum quolibet interueniente beneficium prætoris amitti, ff. eo.l. cum procurator, 13. §. fina.

Si procurator autem nouum opus nunciauerit mihi, & satis acceperit: deinde interdicto aduersus eum utar, ne vim mihi faciat, quominus ædificem, ex interdicto eum oportet iudicatum solui satisdare: quia partes sustinet defensoris. Et ideo neque exceptiones procuratoriæ opponi ei debent, nec satisdare cogendus est, ratam rem dominum habiturum. Et si satisdationem non dabit: summouendus erit ab executione noui operis: & actiones, quas domini nomine intendit, debent ei denegari. & tutor, & curator nouum opus rectè nunciant, d.l. quinta, §. fin. cum duabus sequentibus.

Si procurator opus nouum facientem prohibuerit: domino competit, QVOD VI, AVT CLAM interdictum, ff. de operis nou. nunciatio. l. si procurator, xvii.

Non solum proximo vicino, sed etiam superiori facienti nouum opus nunciare potero. nam & seruitutes quædam interuenientibus medicis locis vel publicis, vel priuatis esse possunt, ff. eo.l. non solum, 8. in prin.

Qui opus nouum nunciat, si quid operis iam factum erit, in testationem referre debet, vt appareat quid postea factum sit. si cum possem iure te prohibere, nun

eiauero tibi nouum opus: non alias ædificandi ius habebis, quàm si satisdederis, d.l.non solum, §. qui opus.

Quod si nunciauero tibi, ne quid contra leges in loco publico facias: promittere debebis, quoniam de eo opere iure alieno contendo, non meo, & tamquam alieni iuris petitor repromissione contentus esse debeo, d.l.non solum, §. quod si nunciauero tibi.

Sciendum est, facta noui operis nunciatione eum, cui nunciatum est, abstinere oportere, donec caueat, vel donec remissio nunciationis fiat. tunc enim si ius ædificandi habet, rectè ædificabit, sed ut probari posit, quid postea ædificatum sit: modulos sumere debet is, qui nunciat, qui vt summantur, conferanturque prætor decernere solet. d.l. non solum. §. sciendum.

Morte eius, qui nunciauit, extinguitur nunciatio, sicut alienatione, quia his modis ius prohibendi finitur. Quod si is, cui nouum opus nunciatum erat, decesserit, vel ædes alienauerit, non extinguitur nunciatio noui operis, idque ex eo apparet, quod in stipulatione, quæ ex hac causa interponitur, etiam hæredis mentio fiat, d.l.non solum, §. fin.

Creditori, cui pignoris nomine prædium tenetur, permittendum est de iure, id est nouum opus nunciare nam ei uindicatio seruitutis datur, ff. de ope. nou. nunt.l.creditori, ix.

Operis noui nunciatio in rem fit, non in personam, & ideo furioso, & infanti fieri potest, nec tuthoris auctoritas in ea nunciatione exigitur: cuilibet enim intelligenti (veluti fabro) nunciatum infantem, & furiosum tenet, ff. eod. l. operis nunciatio. x. cum l. seq.

Qui uiam habet, si nouum opus nunciauerit aduersus eum, qui in via ædificat, nihil agit, sed seruitutum vindicare non prohibetur, ff. eo. l. qui uiam, 14.

Si priusquam ædificatum esset, ageretur ius uicino non esse altius ædes tollere, nec res ab eo defenderetur, partes iudicis non alias future sunt, quàm ut eum, cum quo ageretur, cauere iuberet, non prius se ædificaturum, quàm ultrò egisset ius sibi esse altius tollere. idemq; è contrario, cum agere vellet quis sibi ius esse altius tollere: eo non defendente, similiter officio iudicis continebitur, vt cauere aduersarium iubeat, nec opus nouum se nunciaturum, nec ædificio obfuturũ, eaq; ratione hactenus is, qui rẽ non defendet, punietur, ut de iure suo probare necesse habeat. id enim est petitoris partes sustinere, ff. eo. l. si priusquã, xv.

Si opus nouum prætor iusserit nunciari; deinde prohibuerit, ex priori nunciatione agi non potest, quasi aduersus edictum eius factum sit, ff. eod. l. si opus, 16.

AEdibus communibus si ob nouum opus nunciatio vni fiat: si quidem ex uoluntate omnium opus fiat: omnes nunciatio tenebit. si quidam ignorent, insolidũ obligabitur, qui contra edictum prætoris fecerit, nec ad rem pertinet, cuius solum sit, in quo opus fiat: sed quis eius soli possessor inueniatur, modo si eius nomine opus fiat, ff. eo. l. ædibus, 14.

Sciendum est, denegata executione noui operis, nihilominus integras legitimas actiones manere, sicuti in his quoque causis manent, in quibus ab initio operis noui nunciationem prætor denegat, ff. eo. l. sciendum, 19.

Prætor ait, QVEM IN LOCVM NVNCIATVM EST, NE QVOD NOVVM OPVS FIERET, QVA DE RE AGITVR: QVOD IN EO LOCO, ANTEQVAM NVNCIATIO MISSA FIERET, AVT IN EA CAVSA ESSET, VT REMITTI DEBERET, FACTVM EST, ID RESTITVAS, ff. eo. l. prætor, 20. in princ.

Interdictum hoc proponitur ex huiusmodi causis, edicto expressum est, ne post noui operis nũciationem quidquam operis fiat, antequam, vel nunciatio missa fiat, vel vice nunciationis remissæ satisdatio de opere restituendo fuerit interposita, qui ergo facit, & si ius faciendi habuit: tamen contra interdictum prętoris facere videtur: & ideo hoc destruere cogitur. siue autem locus vacuus sit, vbi nunciatum est, siue ædificatus: æquè huic interdicto locus erit, d. l. prætor ait, §. interdictum.

Ait prætor, QVOD FACTVM EST, RESTITVAS, & quod factum est, iubet restitui, nec interest, iure factum sit, an non, siue enim iure factum est, siue non iure factum est, interdictum locum habebit. quidquid autem ante remissionem fit, vel illud, quod remissionis loco habetur: pro eo habendum est, atque si nullo iure factum esset, d. l. prætor, §. ait prætor.

Si quis paratus fuerit satisdare, deinde actor stipulari nolit: in ea causa est, ut remitti debeat. nam cum per actorem fiat, apparet in ea causa esse, vt remitti debeat, d. l. prætor, §. si quis paratus.

Hoc interdictum perpetuò datur, & hæredi, cæterisq; successoribus competit, aduersus ipsum quoque, qui opus fecit, vel factum ratum habuit, interdicto locus erit. Planè si quæratur, an in hæredem eius, qui opus fecit, interdictum hoc competat: sciendum est, Labeonem existimasse in id, quod ad eum peruenit, duntaxat dari oportere, vel si quid dolo malo ipsius factum sit, quo minus perueniret. Nonnulli putant in factum esse dandam, quàm interdictum, quod verum est, d. l. prætor, §. hoc interdictum.

Deinde ait prætor, QVEM IN LOCVM NVNCIATVM EST, NE QVID NOVI OPERIS FIERET, QVA DE RE AGITVR: SI DE EA RE SATISDATVM EST: QVOD EIVS CAVTVM SIT, AVT PER TE STET, QVOMINVS SATISDETVR: QVOMINVS ILLI EO IN LOCO OPVS FACERE LICEAT VIM FIERI VETO, d. l. ptor, §. deinde.

Hoc interdictum prohibitorium est, ne quid prohibeat uolentem eum facere, qui satisdedit. Etenim pertinet ad decus Vrbium ædificia non derelinqui: nec quidquam interest, iure quis ædificet, an non iure, cum sit securus is, qui nouum opus nunciauit, posteaquam ei cautum est. Hoc autem interdictum competit ei, qui satisdedit, d. l. prætor, §. hoc interdictum.

Adiicitur & illud, AVT SI PER TE STET, QVOMINVS SATISDETVR; proinde si satisdatum non est, sed repromissum: huic interdicto locus non erit. neque enim permittendum fuit in publico ædificare, priusquam appareat, quo iure quis ædificet, & si satisdatum sit, cautum tamen non perseueret interdictum cessat. si aliquando stetit per nunciatorem, quominus satisdetur, nunc non stat: interdictum cessat. hoc interdictum cessat post annum, & hæredi, cæterisq; successoribus competit, d. l. prætor, §. fin.

Cui nouum opus nunciatum est, si ante remissam nunciationem opere facto decessit: debet hæres eius patientiam destruendi operis aduersario præstare, nam & in restituendo opere eius, qui contra edictum fecit, pœna versatur. porrò autem in pœnam hæres non succedit, ff. de ope. nou. nunc. l. pen.

Cui opus nouum nunciatum erat, is vẽdidit prædium, emptor ædificauit, emptor an uenditor teneatur quæritur, quod aduersus edictum factum sit? responsum est, cum noui operis nunciatio facta est, si quid ædificatum est, emptor, id est dominus p̃diorum tenetur: quia nunciatio operis non personæ fit: & is demũ obligatus est, qui eum locum posſidet, in quem nouum opus nunciatũ est, ff. eo. l. si.

Sancitum

Sancitum est, si quis denunciatione emiserit intra trium mensium spatium, causam debet dirimere. sin vero aliquid fuerit, quocunque modo ad decisionem ambiguitatis impedimentum; licentiam habet is, qui ædificationem depproperat, opus de quo agitur efficere, prius fideiussore ab eo dato, vt si non rectè ædificauerit omne opus, quod post denunciationem fecerit, suis sumptibus destruet. sic enim & opera non per inanes denunciationes prohibebuntur, & rectè denunciatoribus consuletur. C. eod. l. vnica.

DE REMISSIONIBVS. Tit. XXXIII.

AIt prætor, QVOD IVS SIT ILLI PROHIBERE, NE SE INVITO FIAT, IN EO NVNCIATIO TENEAT; CAETERVM NVNCIATIONEM MISSAM FACIO. Sub hoc titulo remissiones proponuntur, & verba prætoris ostendunt remissionem ibi factam, vbi nunciatio non tenet: & nunciationem ibi demum voluisse prætorem tenere, vbi ius est nuncianti prohibere, ne se inuito fiat. Cæterum siue satisdatio interueniat, siue non remissio facta hoc tantum remittit, in quo non tenuit nunciatio, planè si satisdatum est, & exinde remissio facta est: non est remissio necessaria. ff. de remissionibus. l. vnica, in prin.

Ius is habet nouum opus nunciandi; qui aut dominium, aut seruitutem habet. item Iuliano placet, fructuario vindicandarum seruitutum ius esse, secundum quod opus nouum nunciare poterit vicino, & remissio vtilis erit. Ipsi autem domino prædii si nunciauerit, remissio inutilis erit, neque sicut aduersus vicinum; ita aduersus dominum agere potest, ius ei non esse inuito se altius ædificare. sed si hoc facto vsusfructus deterior fiat, petere vsumfructum debebit, idē Iulianus dicit de cæteris, quibus aliqua seruitus à vicino debetur. Ei quoque qui pignori fundum accepit, scribit Iulianus non esse iniquum detentionem seruitutis dari. d. l. vnica. §. finali.

DE DAMNO INFECTO, ET DE SVGGRVNDIS, uel protectionibus. Titulus XXXIIII.

CVm res damni infecti celeritatem desiderat, & periculosa dilatio prætori uidetur, si ex hac causa sibi iurisdictionem reseruet, magistratibus municipalibus delegatum hoc rectè putabit, ff. de damno infecto. l. prima.

Damnum infectum est, damnum non factum, quod futurum veremur. ff. eod. l. secunda.

Damnum, & damnatio ab ademptione, & quasi deminutione patrimonii dicta sunt. ff. eod. l. tertia.

Dies cautioni præstitus si finietur: prætoris, uel præsidis officii erit, ex causa, uel renouare, uel prætolare eam: & si hoc localem exigit inquisitionem, ad magistratus municipales hoc remittere. ff. eod. l. quarta, in prin.

Si intra diem à prætore constituendum non caueatnr: in possessionem eius mittendus est. EIVS REI, sic accipitur, siue tota res sit, siue pars rei is tamen, qui non admittit, etiam pignoribus à magistratibus non coercebitur? sed infa ctum actione tenebitur. nam si à prætore, missus non admittatur: eadem actione utendum est. duas ergo res magistratibus municipalibus prætor, uel præses iniunxit.

iniunxit cautione & possessionem: cætera suę iurisdictioni reseruauit.d.l.quarta.§.si intra.

Prætor ait: DVM EI, QVI ABERIT PRIVS DOMVM DENVNCIARI IVBEAM, abesse autem uidetur,& qui in iure non est. Quod & Pomponius probat, uerecundè autem prętorem denunciari iubere, non extrahi de domo sua, SED DOMVM DENVNCIARI. Sic accipere debemus, & si in aliena domo habitet, ibi ei denuncietur, q̃ si nec habitationem habeat: ad ipsum prędium erit denunciandum, uel procuratori eius, uel certè inquilinis.d.l.quarta. §.Prætor ait.

Toties autem Prætorem exigere denunciationem intelligendum est, si sit, cui denuncietur. Cæterum si non sit: ueluti quod hæreditaria insula est, nec dum hæreditas adita est, uel si hæres non extet, nec inhabitetur, cessat hæc pars edicti. est tamen tutius, libellum ad ipsas ædes proponere fieri.n.potest, ut ita monitus, defensor existat.d.l.quarta.§.toties.

In eum, quiquid eorum, quæ supra scripta sunt, non curauerit: quanti ea res est: cuius damni infecti nomine cautum non erit, iudicium datur: quod non ad quantitatem refertur, sed ad id, quod interest, & ad utilitatem uenit, non ad pęnam.d.l.quarta,§.in eum.

Hoc autem iudicium certam condictionem habet si postulatum est, cæterum, qui non postulabit, experiri non potest, postulare autem, proprie hoc dicimus pro tribunali petere non alibi.d.l.quarta.§.Hoc autem.

Si tam uicinum urbi municipium sit, ut magistratus se non interponere potuit, prætor tamen, uel præses adiri. potest dici cessare hanc actionem aduersus magistratus, quasi nihil intersit, cum in tua potestate fuerit, à prætore, uel præside desiderare in possessionem mitti.d.l.quarta.§.penul.

Hæc autem actio, cum rei habeat persecutionem, & hæredi, & in hæredem, & perpetuo dabitur.d.l.quarta.§.fi.

Prætoris officium est, ut missus in possessionem etiam eam per longi temporis spacium in suum dominium capere possit.ff.de dãno infecto.l. quinta, in prin.

Si plures sint domini, qui cauere debent, & aliquis non caueat: in portionem eius mittetur, & contra, si aliquot sint, qui caueri sibi desiderant, & alicui preciosiores, alius viliores habeat ædes: siue vnius domus plures habeant dispares partes. tamen non per magnitudine dominii quisque, sed æqualiter mittentur omnes in possessionem.d.l.quinta,§.si plures sint.

Si & dominus proprietatis, & fructuarius desiderat sibi caueri damni infecti, vterque audiendus est.nec.n.iniuriam sentiet promissor, non plus cuique præstaturus, quam quod eius intersit,d.l.quinta.§.finali.

Euenit nonnunquam, ut damno dato, nulla nobis competat actio, non interposita antea cautione, ueluti si uicini ædes ruinosæ in meas ædes ceciderint, adeo ut plerisque placuerit, non cogi quidem eum posse, ut rudera tollat: si modo omnia, quæ iaceant, pro derelicto habeat.ff.eod.l.sexta.

Prætor ait. DAMNI INFECTI SVO NOMINE PROMITTI, ALIENO SATISDARE. IVBEBO EI, QVI IVRAVERIT NON CALVMNIAE CAVSA ID SE POSTVLARE, EVMVE, CVIVS NOMINE AGET, POSTVLATVR EVM FVISSE IN EAM DIEM QVAM CAVSA COGNITA STATVERO, SI CONTROVERSIA ERIT. DOMINVS SIT, NEC NE, QVI CAVEBIT: SVB EXCEPTIONE SATISDARI IVBEBO, DE EO OPERE, QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RI-

PAVE

PAVE EIVS FIET, IN ANNOS DECEM SATISDARI IVBEBO, EVM CVI ITA NON CAVEBITVR, IN POSSESSIONEM EIVS REI, CVIVS NOMINE, VT CAVEATVR, POSTVLABITVR, RECTE IRE EVM, CVIVS CAVSA IVSTA ESSE VIDEBITVR: ETIAM POSSIDERE IVBEBO. IN EVM, QVI NEQVE CAVERIT NEQVE IN POSSESSIONE ESSE, NEQVE POSSIDERE PASSVS ERIT: IVDICIVM DABO, VT TANTVM PRAESTET, QVANTVM PRAESTARE EVM OPORTERET, SI DE EA RE, EX DECRETO MEO EIVSVE, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO FVIT QVAE MEA EST, CAVTVM FVISSET. EIVS REI NOMINE, IN CVIVS POSSESSIONEM MISERO SI AB EO, QVI IN POSSESSIONE ERIT, DAMNI INFECTI NOMINE SATISDABITVR; EVM, CVI NON SATISDABITVR, IN POSSESSIONE ESSE IVBEBO. ff.eod.l.ſeptima.in prin.

Hoc edictum proſpicit damna nondum facta cum cæteræ actiones, ac damna, quę contigerunt, ſarcienda pertineant: ut in legis Aquiliæ actione, & aliis, de damno uero facto, nihil edicto cauetur. cum.n. animalia, quæ noxam commiſerunt, non vltra nos ſoleant onerare, quam vt noxæ ea dedamus: multo magis ea, quæ anima carent, ultra nos onerare non debent: præſertim cum res quidem animales, quæ damnum dederunt, ipſæ extent, ædes autem, ſi ſua ruina damnum dederunt, deſierint extare. d.l.ſeptima.§.hoc edictum.

Vnde quæritur, ſi antequam caueretur, ædes ceciderint, neque dominus velit rudem legere, eaque derelinquat, an ſit aliqua aduerſus eum actio: & Iulianus cōſultus: reſpondit, ſi ædium dominus rudera, quæ ceciderunt, vellet tollere non aliter permittendum, quam vt omnia idest, & quæ inutilia ſunt, auferret. nec ſolum de futuro, ſed de præterito quoque damno cauere eum delere, quod ſi dominus ædium, quæ deciderunt, nihil faceret, interdictum reddendum ei, in cuius ædes rudera decidiſſent, per quod vicinus compelleretur, aut tollere, aut totos ædes pro derelicto habere. Quod fortè tunc rectè dicetur, cum non ipſius negligentia, ſed propter aliquod impedimentum ſibi non proſpexit. d.l. ſeptima, §. vnde quæritur.l.ſeq.

Hoc amplius Iulianus ait, dici poſſe, compellendum eum, vt etiam de præterito damno caueret, quod enim re integra cuſtoditur, hoc non iniquè etiam poſt ruinam ædium præſtabitur, integra autem re uniuscuiuſque cogitur aut de dāno infecto cauere, aut ædibus carere, quas non defendit, deinde (inquit) ſi quis propter anguſtias temporis, aut quia Reip. cauſa aberat, non potuit damni infecti ſtipulari: non iniquè prætorem curaturum, vt dominus vitioſarum ædiū, aut damnum ſarciat, aut ædibus careat. ſententiam Iuliani vtilitas comprobat ff.eod.l.hoc amplius.ix.in prin.

De his autem, quæ ui fluminis importata ſunt, an interdictum dari poſsit, quæritur, & Trebatius refert, cum Tyberis abundaſſet, & multas multorum res in aliena ædificia detuliſſet: interdictum à prætore datum, ne uis fieret dominis, quo minus ſua tollerent, auferrent, ſi modo damni infecti repromitterent. d.l. hoc amplius. §. de his.

Alphenus quoque ſcribit, ſi ex fundo tuo cruſta lapſa ſit in meum fundum, eamq́; petas: dandum in te iudicium de damno infecto: idque Labeo probat. Nam arbitrio iudicis, apud quem res prolapſæ petantur, damnum, quod ante ſenſi non contineri, nec aliter dandam actionem quam ut omnia tollantur, quæ ſint pro

lapſa

lapsa, ita demum autem crusta vindicari posse, idem Alphenus ait, si non coaluerit, nec vnitatem cum terra mea fecerit: quemadmodum nec arbor potest vindicari ante ea quæ translata in agrum meum cum terra mea coaluit, quia mea facta est. d. l. hoc amplius, §. Alphenus.

Neratius autem scribit: si ratis in agrum meum vi fluminis delata sit: non aliter tibi tollendi potestatem faciendam, quam si de præterito quoque damno mihi cauisses. d. l. hoc amplius. §. Neratius.

Quæsitum est: si solum sit alterius, superficies alterius, superficiarius vtrum repromittere damni infecti, an satisdare debeat? & Iulianus scribit, quoties superficiaria insula viciosa est: dominum & de doli & ædificii vitio repromittere: aut eum, ad quem superficies pertinet, de vtroque satisdare, quod si vterque cesset vicinum in possessionem mittendum. d. l. hoc amplius. §. quæsitum.

Celsus certè scribit, si ædium tuarum vsusfructus Titię sit: damni infecti, aut dominum repromittere, aut Titiam satisdare debere. Sed si in possessionem missus fuerit is, cui damni infecti cauendum fuit. Titiam vti frui prohibebit, idem ait, eum quoque fructuarium, qui non reficit à domino uti frui prohibendum. ergo & si de damno infecto non cauet, dominusque compulsus est repromittere, prohiberi debet frui. d. l. hoc amplius. §. Celsus.

Quamuis alienus usus fructus sit, dominum promittere oportere, Casius ait: nisique proprietarius in totum repromittat, vel fructuarius satisdet, mitti oportet in possessionem eum, cui non cauetur sed nisi proprietario repromittendi fructuarius caueat denegandam ei, fructus petitionem, Iulianus scribit, sed si fructuarius de soli uitio quid præstiterit, ius dominii ad eum transferri oportet. ff. eod. l. quamuis. x.

Quid de creditore dicemus, qui pignus accepit vtrum repromittere, quia suum ius tuetur: an satisdare, quia dominus non est, debebit? quæ species est in contrario latere apud Marcellum agitata. an creditori pignoraticia damni infecti caueri debeat? & ait Marcellus inutiliter ei caueri, idemque etiam de eo cauendum, qui à non domino emit. nam nec in huius persona committi stipulationem æquissimum tamen est, huic prospiciendum (idest creditori) per stipulationem. ff. eod. l. quid de creditore, xi.

His, qui pignori rem acceperunt potior est is, cui damni infecti non cauetur, si possidere, & per longum tempus rē capere ei permissum fuerit. ff. eod. l. his, qui, xii.

Qui bona fide à non domino emit; videndum est nunquid repromittat, non etiá satisdet quod quibusdam videtur. habet autem rationem, vt magis repromittat, quàm satisdet. suo enim nomine id facit. ff. eod. l. qui bona fide. xiii. in prin.

Siue corporis dominus, siue is, qui ius habet (vt puta seruitutem) de damno infecto caueat, is repromittere debet, non satisdare, quia suo nomine id facit, non alieno. ff. eod. l. qui bona. §. siue corporis.

Cum inter ædes meas & tuas sint aliæ ædes non vitiosæ, videndum est, vtrum tu solus mihi cauere debeas, an vero & is, cuius ædes vitiosa non sunt: an ille solus? & magis est, vt ambo cauere debeant: quia fieri potest, vt ædes vitiosæ, in ædes non vitiosas incidentes damnum mihi dent: quamuis possit quis dicere, non vitio incolumnium ædium hoc factum, si aliæ in eas incidentes ei damni causam præbuerit, sed cum prospicere sibi potuit per damni infecti cautionem nec prospexit; meritò conuenietur. d. l. qui bona, §. cum inter ędes.

Qui damni infecti caueri sibi postulat, prius de calumnia iurare debet, quisquis igitur iurauerit de calumnia admittitur adstipulationem. & non inquiritur.

Vtrum

Vtrum interſit eius, an non, vicinas ædes habeat, an non habeat, totum. tamen hoc iuriſdictioni prætoriæ ſubiiciendum eſt, cui cauendum ſit, cui non cæterum neque ei, qui in meo deambulet, neque ei, qui in meo lauet, uel in mea taberna diuertat, caueri debet, vicinis plane inquilinisque eorum, & inquilinorum vxoribus eſſe, ait Labeo, item his, qui cum his morantur. d. l. qui bona, §. qui damni.

De illo quæritur, an inquilinis ſuis dominus ędium cauere poſsit? & Sabinus ait, inquilinis non eſſe cauendum, aut. n. ab initio vitioſas ædes conduxerunt, & habent quod ſibi imputent: aut in vitium ædes inciderunt, & poſſunt ex conducto experiri, quæ ſententia verior eſt, d. l. qui bona, §. de illo.

Superficiarium, & fructuarium damni infecti ſtipulari vtiliter hodie conſtat: ſed ei, qui bona fide à non domino emit, damni infecti ſtipulationem non competere, Marcellus ait, d. l. qui bona, §. ſuperficiarium.

Si quis nouum opus nunciauerit, an nihilominus damni infecti caueri ei debeat Iulianus tractat, & magis probat caueri oportere. nam ei, qui egit, ius aduerſario non eſſe altius tollere ędificium: caueri debere. item eum aduerſus quem interdictum QVOD VI, AVT CLAM competit, cauere debere Iulianus ait; quia non eſt cautum, neque de vitio ædium, neque de damno operis. d. l. qui bona, §. ſi quis nouum.

Si quis, quia ſibi non cauebatur in poſſeſsionem ædium miſſus fuerit; deinde is, cuius ædes fuerint, cum præter eas alias ædes haberet deſideret ab eo, qui in poſſeſsionem miſſus eſt, vt ſibi damni infecti harum ædium nomine, quorum in poſſeſsionem miſſus eſt, caueret: an ſit audiendus, videamus, & Iulianus ſcribit, is, qui vitioſis ædibus ceſsit, ſi integras retinuerit: nunquid improbè ab eo, qui vitioſas ædes cœperit poſsidere, cautionem exigat cum ideo poſſeſsionem amiſerit, quia ipſe damni infecti ſatis non dederit? & ſanè parum probè poſtulat ab eo caueri ſibi earum ædium nomine, quarum ipſe cauere ſuperſedit, quæ ſententia vera eſt. d. l. qui bona, §. ſi quis.

Si quis ſtipulaturus iurauerit, nec fuerit ſtipulatus, an poſtea ei ſtipulari volenti iurandum ſit, videamus, & iterum iurandum eſt: quia poſsit fieri, vt aut tunc, aut modo calumnietur. d. l. qui bona, §. ſi quis ſtipulatus.

Si alieno nomine caueri mihi damni infecti poſtulem iurare debeo, non calumnię cauſa id eum, cuius nomine cautum poſtulo, fuiſſe poſtulaturum. ſed ſi eius nomine poſtularem, qui ſi ipſe poſtularet, iurare non compelleretur (veluti parens) dicendum eſt locum iuri iurando non eſſe: de quo enim ille non iuraret: nec qui vice eius poſtulat, in hac ſtipulatione debet iurare. d. l. qui bona, §. penultimo.

Huic ſtipulationi debet dies eſſe inſertus, intra quem ſi quid damni contigerit, cautio locum habet. neque. n. infinitum obligatus eſſe debet ſtipulatione, ipſe igitur prætore diem dabit ſtipulationi: æſtimatione habita ex cauſa, & ex qualitate eius damni, quod contingere ſperatur. d. l. qui bona. §. fin.

In cauſæ cognitione etiam longinquitas ſoli, & operis magnitudo ſpectanda eſt. ff. de damno infecto. l. in cauſæ. xiiii.

Si finita ſit dies ſtatuta in cautione: iterum arbitratu prætoris ex integro erit cauendum, ſi vero ſine adiectione diei ſtipulatio fuerit interpoſita: ſi quidem ex conuentione, quandocunque fuerit commiſſa; ex ſtipulatu agitur. ſi vero per errorem magis eſt illud dicendum, finito die, in quem alioquin caueri ſolet, deſiderādū eſſe à prætore, vt liberetur. ff. de dam. infe. l. ſi finita ſit dies. xv. in prin.

Deinde

Deinde ait prætor, DE EO OPERE, QVOD IN FLVMINE PVBLICO, RIPAVE EIVS FIET IN ANNOS DECEM SATISDARI IVBEBO, hic exigitur satisdatio, & tempus stipulationi præstituitur idcirco, quia in publico fit. cum autem in alieno fit, satisdationem prætor iniungit. Notandum, quod non etiam de loci vitio, sed de operis tantum cauetur: quamuis si in priuato fiat, & de loci & de operis vitio caueatur, sed cum locus publicus sit, non erat necesse ibidem opus facienti de alio vicio, quam de operis satisdare damni infecti. Si quid igitur damni intra decem annos acciderit: id stipulatione continetur, & quod ait prætor DE EO OPERE: sic accipe de eo damno, quod ex opere fiet. d. l. si finita. §. deinde ait.

Si quid in via publica fiat: qui in alieno fit, satisdandum est, sed prætor causa cognita tempus pro conditione operis determinabit, siue autem quis minuat viam, siue quid aliud in via publica faciat, debebit cautio locum habere, ne hoc damno priuati contingat: de cæteris locis publicis nihil specialiter cauetur: verum & Generali sermone, quasi in alieno fiat, satisdari debebit damni infecti. d. l. si finita. §. si quid in via.

Si locus publicus, publicè reficiatur: rectissimè Labeo scribit: eoque iure vtimur, de damno infecto non esse cauendum. d. l. si finita. §. si locus.

Si quid vitio loci, aut operis fiat: certè lex danda est operi talis, ne quid noceatur vicinis, damnive detur. d. l. si finita, §. si quid.

Ex hoc edicto, si non caueatur, mittitur in possesionem à prætore in eam partem quæ ruinosa videtur. An uero in totas ædes missio locum habeat, uideamus. & extat Sabini sententia in totas ædes mittendum, alioquin si ex superficie (inquit) damnum timeatur, non habebit res exitum: nec profuturum in possessionem eius, rei mitti, quam quis possidere non possit, aut ei non expediat, & uerior est Sabini sententia. sed & si in plures partes domus diuisa sit, utrum in partem, an in totam domum possidendam mitti quis debeat, uideamus & si tam ampla domus sit, ut & spatia inter uitiosam partem intercedunt, & eam, quæ uitium non facit. dicendum est in eam solam partem mitti. si uero iuncta sit contextu ædificiorum in totam, itaque & in spaciosis domibus melius dicetur, in eam partem domus mittendum, quæ uitiosæ parti unita sit. Cæterum si modica partiuncula ædium amplissimarum uitium faciat, quale erit dicere totus ædes iubendum possidere eum, cui damni infecti non caueretur, cum sint amplissimæ? item quid dicemus si insula adiacens domui uitium faciat? utrum in insulæ possessionem, an uero in totius domus possessionem mittendum sit. & magis est, ut num in domus possessionem, sed in insulæ mittatur. d. l. si finita, §. ex hoc ædicto.

Si plures sunt, qui postulant, ut caueatur omnes simul mitti in possessionem solent, idemque Labeo probat, & si prius quis in possessionem missus sit, & alius mitti desideret, nam non spectabimus ordinem, sed habebunt ambo possessionem. Quod si iam prior possidere iussus sit, & alius damni infecti caueri desideret: tunc nisi caueat mittetur in possessionem posterior. dicta. l. finita, §. si plures sunt.

Iulianus scribit, eum, qui in possessionem damni infecti nomine mittitur, non prius incipere per longum tempus dominium capere, quam secundo decreto à prætore dominus constituatur. d. l. si finita. §. Iulianus scribit.

Si ante hoc decretum, alius quoque in possessionem missus fuerit, æqualiter ambo ædius fient domini scilicet cum iussi fuerint possidere. si uero iam constituto de

to domino eo, qui primus in poſſeſsionem miſſus eſt. Titius damni infecti ſibi caueri deſiderat: ceſſante primo, nec cauente ſolus Titius erit in poſſeſsione. d.l. finita, §. ſi ambo.

Cum autem plures mittuntur in poſſeſsionem: æqualiter mittuntur, non pro rata damni, quod vnumquemque contingeret, & merito nam & cum vnus mittitur, non proportione damni mittitur, ſed in totum. cum igitur plures mittuntur: æqualiter omnes quaſi in totum miſsi concurſu partes habebunt ſed ſi quis eorum miſſus in poſſeſsionem ſumptum fecerit. deinde iubeatur poſsidere: an ſumptum conſequi poſsit is, qui fecit, & quo iudicio? & placet, communi diuidundo iudicio conſequi poſſe. d.l. ſi finita. xv. §. cum autem plures.

Si quis autem in poſſeſsionem miſſus, nondum poſsidere iuſſus ſit. an dominus decedere poſſeſsione debeat videamus, & ait Labeo, non decedere, ſicuti nec cum creditores, vel legatarii mittuntur, idque verius eſt. Non autem ſtatim, vbi miſit prætor in poſſeſsionem etiam poſſedere iubet: ſed tunc demum. cum iuſta cauſa videbitur. Ergo interuallum aliquod debebit intercedere, quo aut pro derelicto ædes longo ſilentio dominus videatur habuiſſe, aut etiam miſſo in poſſeſsionem, & aliquandiu immorato nemo caueat. dicta. l. ſi finita, §. ſi quis autem.

Si fortè dominus Reip. cauſa abſit, aut ex alia iuſta cauſa, aut in ea ſit ætate, cui ſubueniri ſolet: probandum eſt, non debere prætorem feſtinare ad decernendum, ut iubeat poſsidere, ſed & ſi decreuerit: nemo dubitat in integrum reſtitutionem indulturum vbi autem quis poſsidere iuſſus eſt: dominus deiiciendus erit poſseſsione. d.l. ſi finita, §. ſi fortè.

Si qua ſint iura debita his, qui potuerunt de damno infecto ſatiſdare. deneganda erit eorum perſecutio aduerſus eum, qui in poſseſsionem miſſus eſt, & ita Labeo probat. item quæritur in pignoraticio creditore, an pignoris perſecutio denegetur aduerſus eum, qui iuſsus ſit poſsidere? & magis eſt, vt ſi neque debitor repromiſit, nec creditor ſatiſdedit, pignoris perſecutio denegetur, quod & in fructuario rectè Celſus ſcribit. d.l. ſi finita, §. ſi qua.

Si de vectigalibus ædibus non caueatur: mittendum in poſseſsionem dicemus, nec iubendum poſsidere, nec enim dominium capere quis poſsidendo poteſt. ſed decernendum, vt eodem iure ſit, quo foret is, qui non cauerat, poſt quod decretum vectigali actione vti poterit, ſed in vectigali prædio, ſi municipes non cauerint, dicendum eſt dominium per longum tempus adquiri. d.l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus.

Eleganter quæritur, ſi dum prætor de danda ſtipulatione deliberat, damnum contigerit: an ſarciri poſsit? & miſsio quidem ceſsabit. prætor tamen decernere debet, quidquid damni contigerit, vt de eo quoque caueatur, aut ſi putat, quod vtiliter actionem daturus ſit, decernat. d.l. ſi finita. §. Eleganter.

Si pupillus tutorem non habeat, quo autore damni infecti promittat, quaſi non defendatur, miſsio in poſseſsionem locum habebit. d.l. ſi finita, §. ſi pupillus.

Si quis damni infecti in poſseſsionem miſsus ſit, fulcire eum, & reficere inſulam debere ſunt, qui putant, eum quoque culpam præſtare exemplo eius qui pignora accepit, ſed alio iure vtimur, cum enim ob hoc tantum miſsus ſit, vt vice cautionis in poſseſsionem ſit: nihil ei imputari, ſi non refecerit. dicta. l. ſi finita. §. ſi quis.

Item videamus, ſi cautio ei offeratur poſteaquam miſſus eſt: an non prius decedere debeat, quam ſi ei caueatur etiam & de damno, quod cõtingit poſtea, quam

missus est in possessionem, quod quidem magis probatur repetita igitur die promit-tendum erit. hoc amplius de impensis quoque, si quas fecit, cauendum erit. d. l. si finita, §. item videamus.

Illud quæritur ex quo tempore damni infecti ratio habeatur: vtrum ex quo in possessionem ventum est, an vero ex quo prætor decreuit, vt eatur in possessionẽ? Labeo, ex quo decretum est, Sabinus ex quo ventũ est in possessionem. Sed verum est causa cognita modo hanc, modo illam sententiam probandam. plerũque enim subuenitur etiam ei, qui missus in possessionem, aliqua ex causa aut non venit, aut tardius uenit in possessionem: post ea autem, quam quis possidere iure dominii à prætore iussus est. nequaquam locus erit cautionis oblationi, & ita Labeo. Cæterum nullus (inquit) finis rei inuenietur, & est hoc uerissimum. se posito eo, quod quibusdam, uel ætate, uel qua alia iusta causa subuenitur. d. l. si finita. §. illud quæritur.

Si iam ruerunt ædes an in possessionem ruinæ, uel areæ mittendus sit, nihilominus is, cui cautum non est, videamus, & magis est, ut mitti debeat, & ita Labeo, sed adiicit, si posteaquam decreuit prætor eum in possessionem mittendum, tunc ædes deciderint & Labeonis sententia uera est, proinde & si refecerit ali quid erit probandum non prius eum discessurum, quam si ei sarciretur, & de præterito caueatur, potest autem & in factum actione recipere hoc, quod impendit, sed non ampliusquam quod boni viri arbitratu factum sit. idẽ est, & si alius iussu, rogatuve meo eorum, quid sine dolo malo fecerit, & eo nomine condemnatus sim, aut dederim sine dolo malo. d. l. si finita. §. si iam.

Si quis metu ruinæ discesserit de possessione; si quidem cum adiuuare rem non posset, id fecit: Labeo scribit, integrum ius eum habere, perinde, ac si in possessione perseuerasset, quod si cum posset succurrere, maluerit eam relinquere: amisisse eum prætoris beneficium: neque si postea succurri sibi velit, audiendum eum. Cassius autem ait, si metu ruinæ recesserit, non hoc animo, ut ædificia derelinqueret, restituendum eum in possessionem eum tamẽ, qui missus in possessionem non accesserit: si ædificia ruerint, beneficium prætoris amisisse scribit: hoc ita accipiendum erit, si venire in possessionem neglexerit: non si, dum venit, ruerint. d. l. si finita, §. si quis.

Si quis ex hoc edicto à prætore in possessionem missus non est admissus: in factũ actione uti poterit, ut tantum præstetur ei, quantum præstare ei oporteret. Si de ea re cautum fuisset. Extenditur. n. actio in id tempus, quo damnum committitur. d. l. si finita, §. fin.

Antequam damnum detur, impunitum est factum eius, qui neque promisit, neq; admisit in possessionem: si tamen ante damnum datum uel cauit, uel in possessione cessit. ff. de damni infecti. l. antequam. 16.

Si procurator prohibuerit utrum in ipsum, an in dominum dabimus. sed uerius est in ipsum dandam. sed & in actore municipium, & tutore, cęterisque qui pro aliis interuenerint, idem erit dicendum. ff. eod. l. si quis missum. xvii. in prin.

Actio ista, quæ in factum est, in perpetuum dabitur, & hęredi, & in hæredem cæterasque, item cæteris personis. d. l. si quis. §. actio.

Iudex, qui de damno infecto cognoscit, etiam alienato prædio ab eo, cum quo actum fuerit, damnum æstimare solet omne quodcunque ante iudicium contingit. d. l. si quis, §. Iudex.

Damni infecti stipulatio competit non tantum ei, cuius in bonis res est, sed etiam cuius periculo res est, sed quod opere facto consecutus sit dominii capione pro

missor

miſſor, non eum teneri eo nomine, Pomponius ait: quia nec loci, nec operis vitio, ſed publico iure id conſecutus ſit. ff. eod. l. damni. xviii. in prin.

Ei cuius uſusfructus ædium eſt, de vitio earundem ædium caueri non oportet, & ſi alias vicinas habeat, quia reficiendi habet facultatem; nam qui viri boni arbitratu vti debet: reficiendi quoque poteſtatem conſequitur. ergo nec proprietarius audiri debet, ſi velit ſibi caueri à fructuario ædium nomine, quas vicinas fructuarius habeat, quia habet cum fructuario actionem, vt viri boni arbitratu his fruatur. ſed inquilino meo, ſi vicinas ædes habeat, cauere debebo damni infecti propter eas ædes. d. l. damni, §. Ei, cuius.

Ei, qui in conducto ſolo ſuperficiem impoſuit: dominus ſoli, quod vitio ſoli damnum futurum ſit, cauere non debebit, nec ſoli domino ſuperficiarius: quia inuicem ex conducto, & locato actiones habent, in quas tamen actiones vltra culpam nihil venit. plus autem in ſtipulationem venit damni infecti, quod quidem uitium eius eſſe dicitur. d. l. damni, §. ei, qui in conducto.

Si quis vnas ædes habebat, ſtipulatus fuerit, deinde vicinas comparauerit: an earum quoque nomine, quas poſt interpoſitam ſtipulationem comparaſſet, promiſſorem obligaret, quæſitum eſt. Iulianus ſcribit: uidendum, ne earum duntaxat nomine cautum habeat de quibus inter eum, & promiſſorem initio actum fuerit. Cui conſequens videri poſſe putamus, ut & cum ædium communium nomine duo ſocii ſtipularentur: de eo duntaxat damno caueri videatur, quod in parte ædium cuique ſocio datum fuerit. ſiue ergo redemerit alteram partem quis ex his, ſiue adiudicatæ fuerint, non augeri promiſsionis obligationem Pomponius dicit, ſi autem res aliquas poſt ſtipulationem interpoſitam in dominio habere cœperit ſtipulator, quæ ex ruina uicinarum ædium perierint: agere ex ſtipulatu poteſt, licet, & tunc cum ſtipularetur, hæc res illius non fuerint. d. l. damni, §. ſi quis.

Emptor prædii ſi ante traditionem ſtipulatus ſit: cautum habebit de eo damno, quod poſt traditionem factum erit. Venditorem autem ædium prius, quam poſſeſsionem tradat, ſtipulari oportet, quia huius quoque rei culpam præſtat, ſed, quid fiet, ſi venditor ſine culpa ſtipulari non potuerit, & ob hac emptor ſtipulatus fuerit? num damnum non patitur? an hic damnum in aliena re accidit, reuoluitur autem ad emptorem, quia actionem ex empto non habet? ſed nihil in hac cauſa proficit ſtipulatio niſi in id, quod poſt traditionem accidit: quia dum in venditoris cuſtodia eſt, is ſtipulari debet, omnemque diligentiam emptori præſtare: & quod alia actione quæri poteſt, id in ſtipulationem damni infecti omnino non deducitur, ſed ſi uenditor interpoſuerit ſtipulationem etiam id damnum continebit, quod poſt traditionem emptori contigerit, quod eſſe iniquiſsimum Ariſto ait, quoniam ſi emptor quoque dãni infecti ſtipulatus eſſet, duobus promiſſor eiuſdem nomine obligaretur, niſi id fortè contra ſe habeat, quia in hoc fit ſtipulatio, quanti ea res erit: ut poſsit videri, nihil intereſſe iam venditoris ſtipulationem damni infecti interpoſitam. d. l. damni, §. emptor:

Sabini ſententia vera eſt exiſtimantis, vt ſi dum ædificatur intra diem ſtipulatione comprehenſum ſupra parietem meum domus deciderit, eumque uitiauerit, licet poſt diem ſtipulationis paries decidat, poſsim agere: quia damnum iam tunc acceperim, cum paries uitioſus factus ſit, nec quidquam obſtare, quominus etiam ante, quàm decidat, agi poſsit, & ſi ita concuſſus ſit paries, vt nulla ratione, refici poſsit, ideoque deponendus ſit, non minoris litem æſtimandam, quam ſi decidiſſet. d. l. damni. §. Sabini.

Si vicinas ædes habeamus, & inuicem desideremus damni infecti caueri, nihil obstabit, quominus, & ego in tuarum ædium possessionem mittar, tu in mearum. d.l. damni. §. si vicinas.

Si pupillus prohibuit, iri in possessionem damni infecti, placet in eum non iniustè competere hanc in factum actionem. si mandatu meo alius prohibuerit, in me hæc actio competit. Non solum autem eum punit prætor, qui in possessionem est; sed etiam eum, qui possidere passus non fuerit: cum alioquin si is, qui iussu prætorio cœperat possidere, & possidendo dominium capere, aut non admissus, aut reiectus inde fuerit, vtile interdictum, VNDE VI, VEL PVBLICIANAM actionem habere possit. Sed si in factum actione egerit, his actionibus experiri non potest: cum prætor id agat; ne damnum faciat actor, non ut in lucro uersetur, si procurator meus damni infecti stipulatus sit, causa cognita mihi ex ea stipulatione actio competit. d.l. damni, §. si pupillus.

Eorum, qui bona fide absunt in stipulatione damni infecti ius non corrumpitur: sed reuersus cauendi ex bono, & æquo potestas datur, siue domini sint, siue alioqui in ea re ius habeant, qualis est creditor, & fructuarius, & superficiarius. ff. de damno infecto, l. eorum, qui. xix. in prin.

Siue ædium vitio, siue operis, quod uel in ædibus, uel in loco vrbano, aut rustico, priuato, publicove fiat, damni aliquid futurum sit, curat prætor, vt timenti damnum caueatur, d.l. eorum. §. finali.

Inter fructuarium, & dominum proprietatis, ita damni infecti cautio locum habet, si fructuarius quidem de solo uitio caueri sibi desideret, dominus vero proprietatis de operis uitio si quid fructuarius ædificet, nam de ruina ædium neuter ab altero cautionem desiderare potest: fructuarius ideo, quia refectio ædiũ ad eum, non ipsius onus pertinet: proprietarius ideo, quia vsitata stipulatio, qua de restituenda re fructuarius cauet, ad hanc quoque casum porrigitur. ff. eod. l. inter fructuarium. xx.

Si filiusfam. inquilinus sit. Videamus damni infecti nomine in possessionem uicinarum ædium mittendus sit. quæritur. n. an filiusfam. non uideatur damnum dati, si res peculiares sint, & an pater possit stipulari, si quid ei damni fiat? & placet utrumque eorum in possessionem mitti, nisi sic filius conduxerit, vt eius periculo ædes essent. tunc. n. quia solus tenetur ex locato, rectè dicetur ipsum mittendum in possessionem nisi ei caueatur. ff. eod. l. si filiusfa. xxi.

Si proprietarius de damno infecto repromisisset, uel fortè aliquid præstitisset, aut contra fructuarius aliquid præstiterit, iniquum est alterum sine damno uti ędibus, aut ędes habere, & si obtulerit aliquid proprietarius, nõ est si fructuario permittendum uti, nisi contulerit. idemque fructuario pręstandum est, ut proprietarius cogatur ei conferre: ergo, & solum retinebit fructuarius, si ædes ceciderint, donec præstetur ei damnum, ut quod haberet uicinus missus in possessionem, id fructuarius habeat qui id damnum vicino sarciat, eadem erunt ergo, & si minimum damnum detur. ff. eod. l. proprietarius. xxii.

In stipulatione damni infecti, quæ ædium nomine interponitur, nisi insolidũ fuerit cautum, mittitur in possessionem. ff. eod. l. in stipulatione. xxiii.

Fluminum publicorum communis est vsus, sicuti uiarum publicarum & litorum. in his igitur publicè licet cuilibet ædificare, & defluere: dum tamen hoc sine incommodo cuiusque fiat, propter quod operis duntaxat nomine cum satisdatione cauetur, de uitio loci nihil cauetur, & hoc est operis, quod quis facit, cæterum si ex loci uitio damnum timeatur, minimè dicendum est,

damni

damni infecti ſtipulationem interponi oportere,quis .n.dubitat,neminem eſſe à quo ſtipuletur: cum nemine nihil faciente locus ipſe publicus damnum inferat ſui natura?ad ea igitur opera ſtipulatio pertinet. quæcumq; priuatim fiāt. quid ergo ſi publicè opus fiat?de vitio eius,q̃d faciemus?& planè,vel princeps adeundus eſt,vel ſi in prouincia fiat,præſes prouinciæ, ſed quod dictum eſt de operis vicio,ſic accipiendum eſt:etiam ſi proponas,non tantum tempore, quo opus fit,ſed etiam ſi poſtea contingat. Quid enim ſi id eo, quia malè ædificatū erat corruit.ff.de damni infecti.l.fluminum.xxiiii.in prin.

Adiicitur in hac ſtipulatione, & hæredum nomen,vel ſucceſſorum,eorumque,ad quos ea res pertinet, ſucceſſores autem non ſolum,qui in vniuerſa bona ſuccedunt.Sed,& hi,qui in rei tantum dominium ſucceſſerint, continentur his uerbis.ſed vt ne in operis,loci ædiumve vicio damnum factum ſit.ſtipulatio interponitur de eo ſine ſatiſdatione,quæ non ſolum ad totas ædes,ſed etiam ad partes ædium pertinet.Vicium autem ædium & loci eſſe Labeo ait,quod accedens extrinſecus infirmiores eas facit. Denique nemo dixit paluſtris loci,vel arenæ ſi nomine quaſi vitioſi committi ſtipulationem, quia naturale vicium eſt. Et ideo nec ſtipulatio interponitur,nec ea interpoſita committitur.dicta.l.fluminum,§.adiicitur.

Hæc ſtipulatio vtrum id ſolum damnum contineat, quod iniuria fit:an vero omne damnum,quod extrinſecus contingat, & Labeo quidem ſcribit de damno dato non poſſe agi, ſi quid fortè terræmotu, aut ui fluminis aliove quo caſu fortuito acciderit.d.l.fluminum.§.hoc ſtipulatio.

Seruius quoque putat, ſi ex ædibus promiſſoris vento tegulæ deiectæ damnum vicino dederint ita eum teneri,ſi ædificii vicio id acciderit,non ſi violentia ventorum,vel qua alia ratione,quæ vim habeat diuinam.Labeo rationem adiicit, quod ſi hoc non admittitur. iniquum erit. Quod.n.tam firmum ædificium eſt, ut fluminis,aut maris aut tempeſtatis,aut ruinæ, aut incendii, aut terręmotus vim ſuſtinere poſsit?d.l.fluminum,§.Seruius.

Idem Seruius putat, ſi controuerſia aquæ inſulam ſubuerterit, deinde ſtipulatoris ædificia ceciderint:nihil eum ex ſtipulatu conſecuturum : quia id nec operis,necloci vitio factum ſit.d.l.fluminum,§.idem Seruius.

Si autem aqua uiciaſſet fundamentum, & ſic ędificium ruiſſet, committi ſtipulationem ait,multum enim intereſſe,quod erat alioquin firmum,vi fluminis lapſum ſit protinus:an uero ante ſit uiciatum,deinde ſic deciderit,& id ita Labeo probat, etenim multum intereſt (quod ad Aquiliam pertinet) ſanum quis æquum occidat, an uero factum imbecilliorem, dicta. l. fluminum, §. ſi autem aqua.

Quamquam autem ſtipulatio committitur,cum uicio operis damnum factum ſit: tamen ſi opus factum eſt ab eo, quem promiſſor prohibere non potuit ſtipulatio non committitur.planè ſi prohibere potuit:committitur. Sed ſi quis promiſſoris nomine fecerit, uel eius pro quo promiſſum eſt, aut alius, quem prohibere potuerit: ſtipulatio iſta committitur, dicta. l. fluminum, §. quamquam autem.

Item ſi furni nomine damni infecti fuerit cautum, deinde furnarii culpa damnum datum fuerit:non venire in hanc ſtipulationem pleriſque videtur.d.l.fluminum.§.item ſi furni.

Caſsius quoque ſcribit,quod contra ea damnum datum eſt,cui nulla ope occurri poterat:ſtipulationem non tenere.d.l.fluminum,§.Caſsius.

Item apud Viuianum relatum est: si ex agro vicini arbores vi tempestatis confractæ in meum agrum deciderint, eoque facto vitibus meis, vel segetibus noceāt vel ædificia demoliantur: stipulationem istam, in qua hæc comprehenduntur, SI QVID ARBORVM LOCIVE VITIO ACCIDERIT, non esse vtilē, quia non arborum vitio, sed vi ventorum damnum mihi datum sit, planè si vetustate arborum hoc fiebat: possumus dicere vitio arborum damnum mihi dari. d.l. fluminum. §. item apud.

Idem ait, si damni infecti ædium mearum nomine tibi promisero, deinde hæ ædes vi tempestatis in tua ædificia ceciderint, eaque diruerint, nihil ex ea stipulatione præstari: quia nullum damnum uitio mearum ædium tibi contigerit: nisi fortè ita uitiosæ meæ ædes fuerint, ut qualibet, uel minima tempestate ruerint hæc omnia uera sunt. d.l. fluminum, §. idem.

Sed & quod Labeo putat, uerum est, referre utrum impulsu fluminis ruat ædificium, an deterius ante factum postea ceciderit. d.l. fluminum. §. sed & quod.

Item uideamus, quando damnum dari uideatur. stipulatio. n. hæc continet, quod uitio ædium, loci operis, damnum fit, ut puta in domo mea puteum aperio, quo aperto, venæ putei præcisæ sunt. an tenear? ait Trebatius non me teneri damni infecti. neque. n. existimari operis mei uitio damnum tibi dari in ea re, in qua iure meo usus sim. si tamen tam altè fodiam in meo, ut paries tuus stare non posit, damni infecti stipulatio cōmittetur. d.l. fluminum. §. item uideamus.

Trebatius ait, etiam eum accipere damnum, cuius ædium luminibus afficiatur. ff. de damno infecto. l. Trebatius. xxv.

Proculus ait, cum quis iure quid in suo faceret, quamuis promisisset damni infecti, uicino non tamen teneri eum ea stipulatione, ueluti si iusta mea ædificia habeas ædificia, eaque iure tuo altius tollas: aut si in uicino tuo agro, cunnicullo, uel fossa aquam meam euoces. quamuis. n. & hic aquam mihi abducas, & illic luminibus officias: tamen ex ea stipulatione actionem mihi non competere: scilicet, quia non debebat uideri is damnum facere, qui eo veluti, lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur: multumque interesse, utrum damnum quis faciat, an lucro quod adhuc faciebat uti prohibeatur uera est Proculi sententia. ff. eo. l. Proculus. 25.

Plures eundem ædium domini singuli stipulari debent sine adiectione partis. quia de suo quisque damno stipulatur, quinimo pars adiecta partis partem faciet. contra si plures domini sint vitiosarum ædium, pro sua quisque parte promittere debent, ne singuli insolidum obligentur. ff. eod. l. plures. xxvii.

In hanc stipulationem uenit, quanti ea res erit, & ideo Cassius scribit, cum, qui damni infecti stipulatus est, si propter metum ruinæ ea ædificia quorum nomine sibi cauit, fulsit, impensas eius rei ex stipulatu consequi posse, idemque iuris esse, cum propter uitium communis parietis, qui sibi cauit damni infecti onerum eorum releuandorum gratia, quæ in parietem incumbunt, ædificia sua fulsit, in eadem causa est detrimentum quoque propter emigrationem inquilinorum quod ex iusto metu factum est. Aristo autem non malè adiicit. sicuti hic exigit Cassius, ut iustus metus migrandi causam præbuerit, ita in eius persona, qui fulsit, eadem Cassium dicere debuisse, si iusto metu ruinæ fulcire coactus est. ff. eod. l. in hac. xxviii.

Sed & si conducere hospitium nemo uelit propter uitium ędium: idem erit dicendum. ff. eodem. l. sed, &. xxviii.

Damni infecti stipulatio pertinet, etiam si quid eius operis, quod in fundo meo

aquædu-

aquæducendæ causa fit, vitio damnum mihi contigerit. solet enim opus in alieno fieri, cum iure seruitutis, quam quis habet alieno agro impositam, opus in alieno faciat. Vtrum autem de hoc opere promittere, an satisdare debeat, videamus. mouet, quod in alieno facit, qui autem de alieno cauet, satisdare debet, qui de suo, repromittere. Vnde Labeo putabat eum, qui modulorum, aut riui faciendi causa, opus faceret, etiam satisdare: quia in alieno solo faceret, sed cum de opere, quod faciet, exigatur stipulatio: consequens erit dicere, sufficere repromissionem. quodammodo enim de re sua cauet. quod dictum est aquæducendæ causa, exempli gratia scriptum est. cæterum ad omnia opera stipulatio accommodabitur, ff. eo. l. damni, 30.

Quis vias publicas muniunt: ne damno vicinorum id facere debent; si controuersia sit, dominus sit, necne is, à quo cautio exigitur, sub exceptione satisdare iubetur, ff. eo. l. qui uias, 31.

Si ædibus meis proximæ sint ædes meæ, & tuæ, quæritur, an si hæ vitium mihi faciant, cauere mihi debeas pro damno propriarum mearum ædium, scilicet pro qua parte dominus existis? & hoc plerisq; placet, sed mouet me, quod ipse meas ædes reficere posim, & impensas pro socio, aut communi diuidundo iudicio pro parte consequi. nam & si unas ædes communes tecum habuerim, hæq; vitium faciant, & circa refectionem earum cessare videaris: nostri præceptores negant cauere te debere, quia ipse reficere possim recepturus pro parte, quod impenderim iudicio societatis, aut communi diuidundo. & ideo interpositam cautionem minus vtilem futuram: quia alia ratione mihi damnum posset sarciri, & est planè. Nostrorum præceptorum hæc sententia: vt credamus inutilem esse damni infecti stipulationem: quo casu damnum alia actione sarciri possit, quod & in superiori casu intelligendum est, ff. eo. l. si ædibus, 32.

Inquilino non datur damni infecti actio: quia posset ex conducto agere, si dominus eum migrare prohiberet. Vtique si pro præterita pensione etiam satisfacere paratus sit. alio qui iusta retentio pignoris domino fieri uidetur, sed & si quasi pignora retinuerit, & ea interierint ruina vicinarum ædium. potest dici etiam pignoratitia actione locatorem teneri, si poterit ea res in locum tutiorem transferre, ff. eo. l. inquilino, 33. cum l. seq.

In parietis communis demolitione ea quæri oportet: si satis apertus fuerit oneri bus ferendis, an non fuerit aptus; sed ita idoneum esse plerique dixerunt. si vtrâq; ædium onera, quæ modo iure imponantur, communis paries sustinere posit. Nam si non sit idoneus, vtique demoliri eum te oportuit: nec debet, si quid dãni ex hac causa contingit is, qui demolitus est, teneri: nisi sumptuosè, aut parum bonus nouus paries sit restitutus. Quod si fuerit paries idoneus, qui demolitus est, in actionem damni infecti venit id, quanti interfuit actoris, eum parietem stare, & meritò. nam si non debuerit demoliri, restituere eum debet pro prio sumptu; sed & si quis reditus ob demolitionem amissus est: consequenter restitui eum Sabinus uoluit. si fortè habitatores migrauerunt, aut non tàm cõmodè habitare possunt: imputari id ædificatori potest, ff. eod. l. in parietis, 35. cum duabus seq.

Cùm emptor ædium ante traditam sibi possessionem, ideo inutiliter stipulatur, quia uenditor omnem diligentiam ei præstare debet: tunc certè utiliter stipulatur, cùm omnis culpa à venditore aberit, veluti si precario emptori in his ædibus esse permisit, custodiamque ei absuturus tradidit, ff. de damno infecto, l. cum emptor, 38. in prin.

Si agri

Si agri nomine non cauetur: in eam partem agri mittendus est, ex qua periculum timetur, eiusque rei ratio hæc est, quod in ædificiis partes quoque reliquiæ à vitiosa parte traherentur. at in agris non idem est. sed dicendum est, vt in domibus quoque maioribus interdum causa cognita prætor statuere debet in cuius partis possessionem is, cui non caueatur mitti debeat, d. l. cum emptor. §. si agri nomine.

Deducto veteris parietis precio, si quid amplius sit, æstimare debet, & si quid ex veteri in nouum coniectum sit deduci æstimationem oportet, d. l. cũ emptor, §. fi.

Inter quos paries communis est, ædificiorum nomine, quæ quisque propria habeat, stipulari damni infecti solet; sed tunc ea cautio necessaria est. cum aut alter solus ædificat, & vicium ex opere futurum est: aut alter preciosiora ædificia habeat, & plus damni sensurus sit decidente pariete. alioquin si æquale periculum est. quantum quis uicino præstat, tantum ab eo consequitur, ff. eo. l. inter quos, 39. in princip.

Si domus in controuersia sit, dicendum est damni infecti onus possessoris esse: cum id, quod præstiterit, imputari domino prædii posit. Quod si non caueat possessionem ad petitorem, qui damni infecti sibi caueri velit præferendum, nam iniquum est, stipulationem compelli, relicto prædio, ex quod annum veratur, dominum quærere, d. l. inter quos, §. si domus.

Damni infecti stipulatio latius patet, & ideo ei, qui superficientiam insulam habet, vtilis est ea stipulatio, si quid in superficie damni datum fuerit: & nihilominus etiam soli domino utilis est, si solo damnum patum fuerit, ut si tota superficies tolleretur. fraudabitur enim dominus soli in pensione percipienda, d. l. inter quos, §. damni.

Alieno nomine stipulari ita licet, vt quod damnum domino datum sit compreheñdatur, cauere autem debebit is, qui stipulabitur dominum ratam rem habiturum, exceptioque procuratoria stipulationi inserenda erit, sicuti in stipulatione legato rum, quod si ei non cauebitur: mittendus est in possessionem procurator omnimodo, vt ei exceptio procuratoria non noceat, d. l. inter quos. §. alieno nomine.

In æstimando nouo pariete ratio haberi debet eius impensæ, quæ modum probabilẽ non excedit: in vetere eius cultus, nõ qui, nõ adgrauet, d. l. inter quos. §. fi.

Ex damni infecti stipulationem non oportet infinitam vel immoderatam æstimationem fieri, vtputa ob tectoria, vel ob picturas. licet enim in hoc magna erogatio facta est. attamen ex damni infecti stipulatione moderata æstimatio facienda est: quia honestus modus seruandus est, non immoderata cuiusque luxuria subsequenda, ff. eo. l. ex damni, 40. in prin.

Quotiens ex communis parietis vitio quid accidit, socius socio mihi præstare debet, cum communis rei uitio contigerit. quod si, quia alter eum presserat, uel onerauerat, idcircò damnum contigit: consequens est dicere, detrimentũ hoc, quod beneficio eius contigit, ipsum sarcire debere. quod si æqualiter vtriusq; oneribus pressus decidit, rectissimè Sabinus scripsit, parem utriusq; causam esse, sed si alter plures, vel preciosiores res amisserit: melius est, dicere, quia ambo onera imposuerunt, neutri aduersus alterum competere actionem, d. l. ex damni, §. quotiens.

Quotiens ex damni infecti plures agunt, quia in eadem re damnum passi sunt, id est in ædibus: non debet vnusquisque eorum insolidum agere, sed in partem experiri, neque enim damnum, quod pluribus datum est, vnicuique insolidum, sed in

sed in partem datum esse videtur. & ideo vnicuiq; in partem competere actionem, Julianus scripsit. Item si plurium sint ædes, quæ damnosæ imminent: vtrum aduersus vnumquemq; dominorum in solidum competit, an in partem? & scripsit Iulianus, quod & Sabinus probat, pro dominicis partibus conueniri eos oportere, d.l. ex damni, §. quoties, xi.

Si plures sint domini ædium, qui damni infecti sibi prospicere volunt, nec quisquam eis damni infecti caueat: mittendi omnes in possessionem erunt. Et quidem per æqualibus partibus, quamuis diuersas portiones dominii habuerint. & ita Pomponius scribit, d.l. ex damni, §. fi.

In reficiendo communi pariete ei potius, facultas ædificandi præstatur, qui magis idoneæ reficere parietem, velit. idemq; dicendum est, & si de eodem itinere, riuove reficiendo inter duos, vel plures quæratur, ff. eod. l. in reficiendo, 41.

Damni infecti quidam uicino repromiserat, ex eius ædificio tegulæ vento deiectę ceciderunt in uicini tegulas, eosq; infregerant. quæsitum est, an aliquid præstari oporteat? Respondit Alphenus, si uitio ædificii, & infirmitate factum esset: p̄stari debere, sed si tanta uis uenti fuisset, ut quamuis firma ędificia conuelleret: non debere. & quod in stipulatione est, SIVE QVID IBI RVET: non uideri id ruere, quod aut vento, aut omnino aliqua vi extrinsecus admota caderet, sed quod ipsum per se concideret, ff. eo. l. damni, 43. in prin.

Cum parietem communem ædificare quis cum vicino vellet, priusquam veterem demoliretur, damni infecti uicino repromisit, adeoq; re stipulatus est. postea, quàm paries sublatas esset, & habitatores ex vicinis cenaculis emigrassent: Vicinus ab eo mercedem, quàm habitatores non redderent, petere vult. quæsitum est, an rectè peter? Respondit Alphenus non oportuisse eos, cum communem parietem ædificarent inter se repromittere, neq; vllo modo alterum ab altero cogi potuisse; sed & si maximè repromitterent: tamen non oportuisse amplius, quàm partis dimidiæ: quò amplius ne extraneo quidem quisquam cum pariete communem ædificaret, repromittere deberet; sed quoniam iam in totum repromisisset: omne detrimentum, quod ex mercede vicinus fecisset, præstaturum. idem consulebat, posset ne, quod ob eam rem dedisset, rursus repetere: quoniam re stipulatus esset à uicino, si quid ob eam rem, quod ibi ædificium factum esset, sibi damnum datum esset, id reddi: cum & ipsam hanc pecuniam, quam daret, propter illud opus perderet? Respōdit Alphenus, non posse: propterea, quia non operis uitio, sed ex stipulatione id amitteret, d.l. damni, §. cum parietem.

Cum postulassem, ut mihi damni infecti promitteres, noluisti: & prius, quàm prętor adiretur, ædes tuæ corruerunt, & damnum mihi dederunt. potius est, ut nihil noui prætor constituere debeat, & mea culpa damnum sim passus: quia tardius experiri cœperim. at si cum prætor, vt promitteres, decreuisset, & te non promittente me ire in possessionem iussisset, & prius, quàm eò venissem, corruissent: perinde omnia seruanda esse existimauit, atq; si postea, quàm in possessionem venissem, damnum datum esset, ff. eo. l. cum postulassem, 44. in prin.

Damni infecti nomine in possessionem missus possidendo dominium cœpi. deinde creditor eas sibi pignori obligatas persequi vult non sine ratione dicetur: nisi impensas, quas in refectione fecerim, mihi præstare sit paratus: inhibendam aduersus me persecutionem. Cur ergo non emptori quoq; id tribuendam est? si fortè quis insulam pignoratam emerit: non rectè hæc inter se comparabuntur: quando is qui emit, sua uoluntate negocium gerat, ideoq; diligentius

à venditore

à venditore sibi caueri, & posit, & debeat. quod non æquè & de eo, cui damni infecti non promittatur, dici potest, d.l. cum postulassem, 44. §. damni.

A quo fundum ædificatum habes, ago tibi ius non esse habere non defendis, ad me possessio transferenda est, num quidem vt protinus destruatur opus. (iniquum enim est, demolitionem protinus fieri,) sed vt id fiat, nisi intra certum tempus egeris, ius tibi esse ædificatum habere, ff. eo. l. à quo fundum. 45.

Ad curatoris Reip. officium spectat, vt dirutæ domus à domino extruantur. Domum sumptu publico extructam, si dominus ad tempus pecuniam impensam cum interesse restituere noluerit, iure eam respublica distrahit, ff. eod. l. ad curatoris, 46.

Quod conclauæ binarum ædium dominus ex aliis ædibus in aliarum vsum conuertit: non solum si consignatio, qua id sustinebitur, orietur ex parte earum ædium, in quarum vsum conuersum erit, earum fiet, sed etiam si transuersa contignatio tota in aliarum ædium parietibus sedebit; sed & Labeo libris posteriorum scribt binarum ædium dominum vtrisq; porticum superposuisse, inq; eam aditu ex alteris ædibus, dato alteras ædes seruitute oneris porticus seruandæ imposita vendidisse. totum porticum earum ædium esse, quas, is retinuisset: cũ per longitudinem vtriusq; domus extensa esset transuersæ contignationi, quæ ab utraq; parte parietibus domus, quæ venisset, sustineretur. nec tamen consequens est, vt superior pars ædificii, quæ nulli coniuncta sit, neq; aditum aliundè habeat: alterius sit, quam cuius est id, cui superposita est, ff. eo. l. pen.

Si quis ad demoliendum negociandi causa, vendidisse domum, partemve domus fuerit conuictus: ut emptor, & venditor singuli precio, quo domus distracta est, præstent, constitutum est. ad opus autem publicum, si transferat marmora, vel columnas: licito iure facit, ff. eo. l. fi.

Finis Libri Septimi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Octauus.

In Institutionibus Libro primo,Titulo primo IVRIS, duæ sunt positiones PVBLICVM, ET PRIVATVM. & prius voluit Iustinianus tractare de priuato iure, quod ad personas, res & ad actiones pertinet,de quibus omnibus hucvsque tractatum fuit. Vnde remanet aliqua dicenda de ipso iure PVBLICO, quod quamuis in Prima Parte huius operis tit.primo,l.pen. consistat in sacris Sacerdotibus & Magistratibus, attamen materia quæ sequitur etiam spectat ad PVBLICVM IVS, quæ hic collocatur, quia nec superius, nec inferius in Septima parte, quæ tantum iudicia continet congruè adaptari potuit non omnia; tamen quæ in libro Codicis x. continentur descripsimus, sed ea tantum quæ videntur in Iudicijs frequentari posse.

AD MVNICIPALEM, ET DE INCOLIS. Titulus I.

MVnicipem aut natiuitas facit, aut adoptio, & propriè quidem municipes appellantur muneris participes recepti in ciuitatem,vt munera nobiscum facerent; sed nunc abusiuè municipes dicimus suos cuiuscunq; ciuitatis ciues: vtputa Campanos,Puteolanos, qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est; sed & si ex patre Campano matre Puteolana æquè municeps Campanus est: nisi fortè priuilegio aliquo materna origo censeatur. tunc enim maternæ originis erit municeps, vtputa Iliensibus concessum est, vt qui matris liensi est, sit eorum municeps. etiam delphis hoc idem tributum, & conseruatum est. Celsus etiam refert Ponticis ex beneficio Pompei magni competere, vt qui Pontica matre natus esset, & Pontius esset, quod beneficium ad vulgò quæsitos solos pertinere,quidam putant: quorum sententiam Celsus non probat.neque enim debuisse caueri, vt vulgò quæsitus matris conditionem sequeretur.quam enim aliam originem hic habet? sed & ad eos, qui ex diuersarum ciuitatum parentibus orirentur,ff. ad munic.l.prima.

Cum quæritur an municeps quis sit,ex ipsis etiam rebus probationes sumi oportet.nam sola nominis similitudo ad confirmandam cuiusque originem satis non est,ff.eo.l.fin.§.pen.

Municipes

Municipes intelliguntur ſcire, quod ſciunt his quibus ſumma Reip. commiſſa eſt, ff. eod. l. municipes, 14.

Nomẽ Decurionis relinquitur, quia eſt Senatoris: & Senatores multis ĩ locis habemus.

Quoties filiusfam. voluntate patris decurio creatur: vniuerſis muneribus, quæ decurioni filio iunguntur, obſtrictus eſt pater, quaſi fideiuſſor pro filio conſenſiſſe autem pater decurio natui filii videtur, ſi præſens nominationi non contradixit. Pater vt fideiuſſor præſtabit. Geſtum autem in Rep. accipere debemus: pecuniam publicam tractare, ſiue erogandam decernere; ſed & ſi curatores operum, vel cuius alterius Reip. creauit, tenebitur; ſed & ſi ſucceſſorem ſibi nominauit, patrem obſtringet, ſed & ſi vectigalia locauit, pater erit obſtrictus; ſed ſi filius tutores dare non curauerit, vel minus idoneos elegerit, nec ſatis exegerit vel non idoneum acceperit: ipſe quidem, quin ſit obſtrictus, nulla dubitatio eſt pater uerò ita demum obligatur, ſicut & fideiuſſores ſolent hoc nomine obligari; ſed non ſolent. (hoc enim & relatum, & ſcriptum eſt) quia fideiuſſores Remp. ſaluam forè promittunt, Reip. autem nihil (quod ad rem pecuniariam attinet) intereſt pupillis tutores dari, ff. eo. l. ſecunda, in prin.

Is, qui vltra commeatum abeſt, vel vltra formam commeatui datam ad munera euocari poteſt, d. l. ſecunda, §. fi.

Placet etiam filiumfam. domicilium habere poſſe, non vtiq; ibi, vbi pater habuit. ſed vbicunq; ipſe domicilium conſtituerit, ff. eo. l. tertia, & quarta.

Labeo indicat, eum, qui pluribus locis ex æquo negocietur, nuſquam habere domicilium, quoſdam autem dicere refert pluribus locis eum incolam eſſe, aut domicilium habere. quod verius eſt, ff. eo. l. quinta.

Adſumptio originis, quæ non eſt veritatem naturæ non perimit. errore enim veritas originis non amittitur: nec mendacio dicentes ſe eſſe, vnde non ſit, deponitur: neq; recuſando quis patriam, ex qua oriundus eſt, neq; mẽtiendo de ea, quam non habet, veritatem mutare poteſt, ff. eo. l. ſexta, in prin.

Origine ꝓpria neminẽ poſſe volũtate ſua eximi manifeſtũ eſt, C. de munici. l. pe.

Filius ciuitatem, ex qua pater eius naturalem, originem ducit, non ſequitur domicilium, d. l. ſexta, §. filius.

Viris prudentibus placuit, duobus locis poſſe aliquem habere domicilium, ſi vtrubique ita ſe inſtruxit, vt non ideo minus apud alteros ſe collocaſſe videatur, d. l. ſexta, §. uiris.

Eius, qui iuſtum patrem non habet, prima origo à matre: eoq; die, quo ex ea editus eſt. enumerari debet, ff. eo. l. eius, qui, ix.

Patris domicilium filium aliorum incolam ciuilibus muneribus alienæ ciuitatis non aſtringit: cum in patris quoque perſona domicilii ratio temporaria ſit, ff. eo. l. libertus, 17. §. patris.

Sola domus poſſeſsio, quæ in aliena ciuitate comparatur, domicilium non facit, d. l. libertus, §. ſola domus.

Domicilium re, & facto transfertur, non nuda conteſtatione, ſicut in his igitur, qui negant ſe poſſe ad munera, vt incolas vocari, ff. ad munici. l. domiciliũ, 20.

Vidua mulier amiſsi mariti domicilium retinet, exemplo clariſsimæ perſonæ per maritum factæ; ſed vtrumque aliis interuenientibus nuptiis permutatur, ff. eo. l. filii, 22. §. vidua.

Relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium domicilium habet, d. l. filii, §. relegatus.

Domicilium autem habere poteſt, & relegatus eo loci, vnde arcetur, vt Marcellus ſcribit, ff. eo. l. eius qui, 27. §. fin.

Miles

Miles ibi domicilium habere videtur, vbi meret, & si nihil in patria possideat, ff. eo. l. municipes, 23. §. fin.

Si quis negocia sua non in colonia, sed in municipio semper agit: in illo vendit, emit, contrahit in eo foro, balneo, spectaculis vtitur, omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruitur: ibi magis habere domicilium, quam vbi colendi ruris causa versatur, videtur, ff. eo. l. eius, qui, 27. §. si quis.

Celsus tractat: si quis instructus sit duobus locis æqualiter, neq; hic minus, quam illic frequenter commoretur: vbi domicilium habeat, existimationem animi esse accipiendam. dubitatur, si vtrubique destinato sit animo, an possit quis duobus locis habere domicilium, & verum est habere, licet difficile est: quemadodum difficile est sine domicilio quemquam esse, dicta lege eius, qui, §. Celsus.

Nihil est impedimento, quominus quis, vbi velit, domicilium habeat, quod ei interdictum non sit, ff. eo. l. nihil, 31.

Ea, quæ desponsa est, ante contractas nuptias suum non mutat domicilium, ff. eod. l. ea, quæ, 32.

Simile priuilegium fisco nulla ciuitas habet in bonis debitoris, nisi nominatim id à principe datum sit, ff. eo. l. simile, x.

Imperator Titius, Antoninus Lentulo Vero rescripsit magistratuum officium indiuiduum, ac periculum esse commune. Quod sic intelligi oportet, vt ita demum collegæ periculum adscribatur: si neq; ab ipso, qui gessit, neq; ab his, qui pro eo interuenerunt, res seruari posset: & soluendo non fuerit honore deposito. alioquin, si persona eorum, vel cautio sit idonea, vel soluendo fuerit, quo tempore conueniri potuit: vnusquisq; in his, quæ administrauit, tenebitur. Quod si fortè is, qui periculo suo nominauit magistratum, soluendo sit: utrum in eum prius actio reddi, quasi in fideiussorem debeat: an uero nō alias, quam si res à collega seruari non possit? sed placuit fideiussoris exemplo priorem conueniendum, qui nominauit: quoniam collega quidem negligentiæ ac pœnæ causa, qui vero nominauit fidei ratione conueniatur. Et ei contra collegam nominati utilem actionem dari non oportet, ff. eodem, l. Imperator, xi. & l. sequen.

Quid ergo, si alter ex magistratibus toto anno absuerit, aut fortè præsens per contumaciam, siue ignauiam, vel ægram valetudinem Reip. negocia non gesserint, & omnia collega solus administrauerit: nec tamen tota res ab eo seruari possit? talis ordo dabitur, vt in primis, qui negocia gessit Reip. & qui pro eo cauerunt in insolidum conueniantur: mox peractis omnibus periculum agnoscat, qui non idoneum nominauerit: postremo alter ex magistratibus, qui Reipub. negociis se non immiscuit. Nec iustè, qui nominauit, vniuersum periculum recusauerit, cum scire debeat eum, qui nominaretur, indiuiduum officium, & commune periculum suscepturum. Nam & cum duo gesserunt, & ab altero seruari, quod debetur non potest: qui collegam nominauit, in uniuersum conuenitur, ff. eo. l. quid ergo, 13.

Ordine decurionum ad tempus motus, & in ordinem regressus: ad honores exemplo relegati tanto tempore non admittitur, quanto dignitate cauit, sed in utroque placuit examinari, quo crimine damnati eiusmodi sententiam meruerunt. durioribus etenim pœnis effectos ignominia, velut transacto negocio, postea liberari: minoribus verò, quam leges permittunt subiectos, nihilominus inter infames haberi: cum facti quidem quæstio sit in potestate iu-

dicantium, iuris autem authoritas non sit, ff. eodem, l. ordine, decimaquinta, in principio.

Filium pater decurionem esse voluit, ante filium ex persona sua Resp. debet conuenire, quàm patrem ex persona filii. nec ad rem pertinebit, an filius castrense peculium tantum possideat, cum ante militasset, vel postea. Præscriptio temporum, quæ in honoribus repetundis, vel aliis suscipiendis data est, apud eosdem seruatur, non apud alios, sed eodem tempore non sunt honores in duabus ciuitatibus ab eodem gerendi. cum simul igitur vtrubique deferuntur: potior est originis causa. sola ratio possessionis ciuilibus muneribus possessori iniungendis citra priuilegium specialiter ciuitati datum, idonea non est, ff. eod. l. Libertus, xvii. §. filium.

Lucius Titius cum esset in patris potestate, à magistratibus inter cæteros frumento comparando, inuito patre curator constitutus est. cui rei Lucius Titius neque consensit, neq; pecuniam accepit, neque in eam rem cauit, aut se comparationibus cum cæteris miscuit, & post mortem patris in reliqua collegarum interpellari cæpit: quæritur an ex ea causa teneri possit? Paulus respondit eum, qui iniunctum munus à magistratibus suscipere supersedit, posse conueniri eo nomine propter damnum Reip. quamuis eo tempore, quo creatus est, in aliena fuerit potestate, ff. eo. l. Lucius, 21. in prin.

Paulus respondit eos, qui pro aliis non ex contractu, sed ex officio, quod administrauerint, conueniuntur: in damnum sortis substitui solere, non etiam in interesse, d. l. Lucius, §. Paulus.

Idem respondit, hæredes patris propter munera filii, quæ post mortem patris suscepit, iure conueniri non posse. hoc responsum, & ad eum pertinet, qui à patre decurio factus, post mortem patris munera susceperit, d. l. Lucius, §. idem respondit. primo.

Idem respondit, eum, qui decurionem adoptauit, onera decurionatus eius uideri suscepisse exemplo patris, cuius uoluntate filius decurio factus est, d. l. Lucius, §. idem respondit, 2.

Imperatores Seuerus, & Antoninus Augusti: Septimio Zenoni. Pro infante filio, quem decurionem esse voluisti, quàm fidem tuam in posterum adstrinxeris, tamen interim onera sustinere non cogeris: cum ad ea, quæ mandari possunt, voluntatem dedisse videaris, d. l. Lucius Titius, §. Imperatores.

Senator ordine motus ad originalem patriam, (nisi specialiter hoc impetrauerit) non restituitur, ff. eo. l. filii, 22. §. Senator.

Senatores, & eorum filii, filiæque (quoquo tempore nati, natave) itemque nepotes, & pronepotes ex filio origini eximuntur, licet municipalem retineant dignitatem, d. l. filii, §. senatores. i.

Senatores, qui liberum commeatum, idest vbi velint morandi arbitrium, impetrauerunt domicilium in vrbe retinent, d. l. filii, §. Senatores, 2.

Municeps desinit esse, Senatoricam adeptus dignitatem, hoc autem, quantum ad munera, quantum verò ad honorem: retinere creditur originem, ff. cod. l. municeps, 23. in princ.

Ius originis in honoribus obeundis, ac muneribus suscipiendis, adoptione non mutatur; sed nouis quoque muneribus filius per adoptiuum patrem adstringitur; sed si emancipatus ab adoptiuo patre: non tantum filius, sed etiam ciuis ciuitatis, cuius per adoptionem fuerat factus, esse desiit, ff. eod. l. origine, xv. §. finali, cum l. sequen.

In eum,

In eum,qui succesſorem ſuo periculo nominauerit, ſi finito magiſtratu ſucceſſor idoneus fuit,actionem dari non oportet,d.l. ordine,§.in eum.

Nominati ſucceſſoris periculum fideiuſſorem,nominantis non tenet,ff.eo.l.libertus,17.§.nominati ſucceſſoris.

Fideiuſſores,qui ſaluam rempublicam fore reſponderunt, & qui magiſtratus ſuo periculo nominant.pœnalibus actionibus non adſtringuntur, in quas inciderunt hi,pro quibus interuenerunt. eos enim damnum Reip. præſtare ſatis eſt, quod promitti videtur,d.l.libertus,§.fin.

Imperatores Antoninus,& Verus reſcripſerunt.patris qui conſultò filium emancipauerat,ne pro magiſtratu eius caueret: perinde bona teneri, atq; fideiuſſor pro eo extitiſſet,ff.eo.l.fi.§.item reſcripſerunt.

Imperatores Verus, & Antoninus item reſcripſerunt non minus eos, qui compulſi magiſtratu funguntur,cauere debere:quam qui ſpontè officium agnouerunt,d.l.fin.§.fin.

Diuus Seuerus,& Antoninus reſcripſerunt,interualla temporum,in continuandis honoribus,inuitis non etiam volentibus conceſſa:dum ne quis continuet honores,ff.eo.l.diuus,xviii.

In quæſtionibus nominatos capitalium criminum ad nouos honores ante cauſam finitam admitti non oportet. cæterum dignitatem præſtinam interim retinent,ff.eo.l.libertus,17.§.quæſtionibus.

Reſpondit Paulus, ſi per accuſatorem criminum ſtatutum tempus perſequeretur:reum non debuiſſe medio tempore honorem appetere,ff.eod.l.Lucius,21.§.idem reſpondit,4.

Præſcriptio temporis, quæ in honoribus repetundis, vel aliis ſuſcipiendis data eſt,apud eoſdem ſeruatur,non apud alios; ſed eodem tempore non ſunt honores in duabus ciuitatibus ab eodem gerendi, cum ſimul igitur vtrobique deferuntur:potior eſt originis cauſa,ff.eod.l.libertus,17.§. præſcriptio.

Sola ratio poſſeſsionis ciuilibus muneribus poſſeſſori iniungendis citra priuilegium ſpecialiter ciuitati datum,idonea non eſt,d.l.libertus,§.ſola ratio.

Poſtliminio regreſsi muneribus patriæ obtemperare coguntur, quamuis in alienæ ciuitatis finibus conſiſtant,d.l.libertus,§.poſtliminio.

In adoptiua familia ſuſceptum exemplo dati, muneribus ciuilibus apud originem,aui quoq; naturalis reſpondere, Diuo Pio placuit: quamuis in iſto fraudis ne ſuſpicio,quidem interuenerit,d.l.libertus,§.in adoptiua.

Error eius,qui ſe municipem,aut colonnum exiſtimans munera ciuilia ſuſceptu-rum promiſit: defenſionem iuris non excludit,d.l.libertus.§.error.

Imperatores Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt: gratiam ſe facere iuriſiurandi ei,qui iurauerat ſe ordini non interfuturum, & poſtea duum vir creatus eſſet, ff.eod.l.fina.in princ.

Exigendi tributi munus inter ſordida munera non habetur,& ideo decurionibus quoq; mandatur,ff.eo.l.libertus,17.§.exigendi.

In fraudem ciuilium munerum per tacitam fidem prædia tranſlata fiſco vindicantur: tantumque alterum interdictæ rei miniſter de ſuis bonis cogitur ſoluere, ff.eo.l.origine, 15.§.in fraudem.

Paulus reſpondit conſtante matrimonio dotem in bonis mariti eſſe: ſed ſi ad munera municipalia à certo modo ſubſtantiæ uocetur; dotem non debere computari,ff.eo.l.Lucius,21.§.idem reſpondit,3.

Idem reſpondit, ſi ciuitas nullam propriam legem habet de adiectionibus

admittendis non posse recedi à locatione, vel venditione prædiorum publicorum iam perfecta: tempora enim adiectionibus præstituta ad causas fisci pertinere, d.l. Lucius, §. fin.

Qui pecuniam negotiantur omnibus patrimonii tributionibus fundi debent, & si possessionem non habeant, ff. eo. l. filii, 22. §. fin.

Filios apud originem Patris, non in materna ciuitate, & si ibi nati sunt, si modo non domiciliis continentur ad honores, seu munera posse compelli manifestum est, C. de munic. & origin. l. tertia.

Si quis cum ex maiore, vel ex minore ciuitate originem ducit, eadem euitare studeat, & ad alienam se ciuitatem incolatus occasione contulerit, & super hoc, vel preces dare tentauerit, vel qualibet fraude nisi, ut originem propriæ ciuitatis eludat: duarum ciuitatum decurionatus onera sustineat in una uoluntate, in altera originis gratia, C. eo. l. fin.

Cum te Biblium origine, incolam autem apud Berytios esse proponis: merito apud vtrasq; ciuitates muneribus fungi compelleris. C. eo. l. prima.

De incolis.

Incola, & his magistratibus parere debet, apud quos incola est, & illis, apud quos ciuis est. neque tantum municipali iurisdictioni in vtroq; municipio subiectus est, verum etiam omnibus publicis muneribus fungi debet, ff. ad municip. & de incol. l. incola, 29.

Qui ex vico ortus est, eam patriam intelliguntur habere, cui Reipub. vicus ille respondet, ff. eo. l. qui ex uico. 30.

Roma communis patria nostra est, ff. eo. l. Roma, 33.

Incola iam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere, incolatui renunciare non potest, ff. eo. l. incola, 34.

Sciendum est eum, qui in agro moratur, incolam non existimari. qui enim eius ciuitatis præceptis non vtitur, is ne incola quidem æstimatur, ff. eod. l. sciendum est eum, xxxv.

De iure omnium incolarum, quod quæque ciuitates sibi vindicant, præsidium prouinciarum cognitio est. eum tamen se quis negat incolam esse, apud eum præsidem prouinciæ agere debet, sub cuius cura est ea ciuitas, à qua uocatur ad munera: non apud eum, ex qua ipse se dicit oriundum esse, idque diuus Adrianus rescripsit mulieri, quæ aliunde orta, alibi nupta est, ff. eo. l. pe. in prin.

Mulieres, quæ in matrimonium se dederint, non legitimum: non ibi muneribus functuras, vnde mariti sunt earum, sciendum est: sed unde ipsę ortæ sunt, idque Diui fratres rescripserunt, d. l. pen. §. fin.

Imperatores rescripserunt, mulierem quandiu nupta est. incolam eiusdem ciuitatis videri, cuius maritus eius est: & ibi, vnde originem trahit, non cogi muneribus fundi, ff. eo. l. fi. §. item rescripserunt.

Iidem rescripserunt, gratiam se facere iurisiurandi ei, qui iurauerat se ordini non interfuturum, & postea duum vir creatus esset. item rescripsit Seuerus, colonos prædiorum fisci muneribus fungi, sine damno fisci oportere: idq; excutere præsidem: adhibito procuratore debere, d. l. fi. §. primo.

Imperatores Verus, & Antoninus rescripserũt, ad magistratus officiũ ptinere exactionẽ pecuniæ legatorũ, & si cessauerint: ipsos, vel hæredes cõueniri: aut si soluendo

uendo non sint, fideiussores eorum, qui pro his cauerint, d.l.fi.§. Imperatores.

Constitutionibus principum continetur, vt pecuniæ, quæ ex detrimento soluitur interesse non præstetur, & ita Imperatores Seuerus, & Antoninus Augusti rescripserunt his verbis, humanum est, reliquorum interesse. neq; ab ipso, qui ex administratione honoris reliquatus est, neq; à fideiussore eius, & multominus à magistratibus, qui cautionem acceperint, exigi, cui consequens est, vt ne in futurum à forma obseruata discedatur, ff. eo. l. constitutionibus, 24.

Quod maior pars curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint, ff. eod. l. quod maior pars, xix.

Magistratus municipales, cum vnum magistratum administrent etiam vnius hominis vicem sustinent, & hoc plerunq; quidem lege municipali eis datur, verum & si non sit datum, dummodo non denegatum, moribus competit, ff. eod. l. magistratus, 25.

Ea, quæ magis Imperii sunt, quàm iurisdictionis magistratus municipalis facere non potest, ff. eo. l. ea, quæ, 26. in prin.

Magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei seruandæ causa iubere possidere, aut dotis seruandæ causa, vel legatorum seruandorum, d.l. ea, quæ, §. fin.

Inter conuenientes & de re maiore apud magistratus municipales agetur, ff. eod. l. inter conuenientes, 28.

Titio cum esset Romæ studiorum gratia, epistola missa est à magistratibus patriæ suæ, vt porrigeret Imperatori decretum eiusdem ciuitatis, quod erat cum ipsa epistola missum. is autem, qui susceperat literas restituendas collusione facta dedit Lucio, qui ipse Romæ morabatur suæ rei gratia sublato Titii nomine, cui erat decretum missum, vt per ipsum daretur, suum nomen inscriptis, & sic Imperatori decretum secundum mandata Reip. dedit. Quæritur, qui viaticum ab eo petere potuerit? & quid commisisse videatur is, qui non restituit literas ei, cui restituere mādatum susceperat: & is, qui sublato alieno nomine inscriptoq; suo, quasi ipse iussus à patria decretum Imperatori porrexit? Herennius Modestinus respondit. Titium quidem Viaticum petere non posse: sed eum, qui nomen incidisset, ff. eo. l. Titio, 36. in prin.

Titius pro pecunia publica, quam ipse credidit pignus accepit. pacto facto cum debitore, vt non soluto debito, sine ulla repromissione distrahatur pignus: succedentes gradus in locum Titii nomen & pignus probauerunt vsque ad Mæuium. Ex venditione pignoris propter remissionem à magistratu vendentibus factam, pro modo fundi demonstrato satis debito factum non est, quærebatur, quis Reip. teneatur? Herennius Modestinus respondit. Titium cum successores eius nominis periculum agnouerint, eo nomine obstrictum non esse; sed nec post magistratus, qui vendidisse proponitur: cum uidelicet pluris vendiderint propter mensuræ agri demonstrationem, & hoc (quia pluris uendiderunt) restituere minore modo deprehenso iussi sint. Eum igitur, qui nouissimus nomen probauit, indemnitati Reip. satisfacere debere, si nomen ad successorem idoneum transmisisse non doceatur, d.l. Titio, §. Titius.

Num tibi obest, si cum incola esses, aliquod munus suscepisti: modo si ante, quam ad alios honores vocaueris, domicilium transtulisti, C. de incol. & vbi quis domi. hab. in l. prima.

Est verum eos, qui in territorio alicuius ciuitatis commorantur, velut incolas ad subeunda munera, vel ad capiendos honores non adstringi, C. de incol. l. tertia.

Cum neq; originales, neq; incolas vos esse memoretis ob solam domum, vel possessionem, causa publici iuris authoritas muneribus obligari vos non sinet, C.eod.l.quarta.

Priuilegio speciali ciuitatis non interueniente, tamen originis ratione, ac domicilii voluntate, ad munera ciuilia quoq; uocari certissimum est, C.eo.l. quinta.

Si in patria uxoris tuæ, vel qualibet alia domicilium defixisti incolatus iure te ultro eiusdem ciuitatis muneribus obligasti, C.eo.l.sexta.

Ciues quidem origo, vel adoptio: incolas vero domicilium facit. Et in eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, vbi quis larem rerumq; ac fortunarũ suarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet: vnde cum profectus est, peregrinari uidetur, quod si rediit peregrinari iam destitit, C.eo.l. septima.

Senatores in urbe domicilium habere uidentur, C.eo.l.pen.

Mulieres honore maritorum eriguntur, & genere nobilitantur, & forum ex eorũ persona statuitur. Sinautem minoris ordinis uirum postea sortite fuerint priore dignitate priuatæ, posterioris mariti secuntur conditionem, & domicilium mutatur, C.eo.l.fin.

Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint: nec pater qui propter filium studentem frequentius ad eum commeat. Sed si aliis rationibus domicilium in spendidissima ciuitate Gymnasii habere probatus fuerit mendacium quominus muneribus fungatur non proderit, C.eo.l.secunda.

Eam quæ aliundæ oriunda alibi nupta est, non apud originem suam, sed apud incolatum mariti ad honores seu munera, quæ personis cohærent, quorunque sexus capax esse potest, compelli posse, sæpe rescriptum est. Patrimonii vero munera necesse est mulieres in iis locis in quibus possident, sustinere, C. de mulierib. & in quo loco, l. vnica.

DE DECVRIONIBVS, ET FILIIS EORVM. Titulus II.

NVllum patris delictum innocenti filio pœnæ est; ideoq; neq; ordine decurionum, aut cæteris honoribus propter eiusmodi causam prohibetur, ff. de decurionib. l. secunda, §.pen.

Infamia, quæ tibi abominanda est, non etiam amissionis oculorum casus quæsitum tibi adimit honorem, C.eo.l.infamia, 8.

Maiores annis quinquagintaquinq; ad decurionatus honorem inuiti vocari, constitutionibus prohibentur, sed si ei rei consenserint: & si maiores annis septuaginta sint: munera quidem ciuilia subire non coguntur, honores autem gerere debent, d.l.secunda, §.fin.

Qui vltra septuagesimum ætatis annum est personalium munerum vacatione perfruitur, C.eo.l.decima.

A muneribus decurionatus, nec sententia pręsidis in perpetuum, nec anni quinquaginta, nec podragæ valetudo præstat excusationem, C.eo.l. à munerib. 13.

Nõ tantum, qui tenere ætatis, sed etiam qui grandes natu sunt, decuriones fieri prohibentur: illi quasi inhabiles Remp. tueri ad tempus excusantur, hi uero in perpetuum amouentur, non alias seniores; ne seniorum excusatione iuniores onerentur, ad omnia munera publica suscipienda soli relicti. neque enim

minores

ad omnia munera publica suscipienda soli relicti.neque.n.minores.xxv.annis decuriones allegi,nisi ex causa possunt: neque hi, qui annum quinquagesimũ & quintum excesserunt nonnunquam etiam longa consuetudo in ea re obseruata respicienda erit:quod etiam custodiendum principes consulti de allegendis in ordinem,Nicomedensium huius ætatis hominibus rescripserunt.ff.eod. l.non tantum.xi.

Minores.xxv.annorum decuriones facti,sportulas decurionum accipiunt:sed iterim suffragium inter cæteros ferre non possunt.ff.eod.l.sexta.§.Minores.

Cum decurionatus honorem sponte susceperis:ab albo eximi, licet annosum te esse dicas,non potes.C.eod.l.tertia.

Spurios posse in ordinem allegi,nulla dubitatio est: sed si habet Competitorem legitimè quæsitum:præferri eum oportere, diui fratres Polliano Auito Bithyniæ præsidi rescripserunt.Cessantibus vero is,etiam spurii ad decurionatum, & re,& vita,honesta,recipientur,quod utique non sordi erit ordini,cum ex vtilitate ei us sit,semper ordinem plenum habere.ff.eod.l.tertia.§.Spurios.

Spurii decuriones fiunt,& ideo fieri oportuit,ex incesto quoque natus.non.n.impedienda est dignitas eius,qni nihil admisit.ff.eod.l.sexta,in prin.

Qui iudicii publici quæstionem citra veniam abolitionis deseruerunt, decurionum honore decorari non possunt:cum ex Turpilliano Senatusconsulto notentur ignominia,veluti calumniæ causa iudicio publico damnati.dicta.l. sexta.§. qui iudicii.

Is,qui non sit decurio duumuiratu,uel aliis honoribus fungi non potest. quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur.ff.eod.l.septima.§.is,qui.

Non est dubitandum,quin nauicularii non debeant decuriones creari. ff. eod. l. Seuerus.ix.§.fin.

Eos,qui Vtensilia negociantur,& vendunt licet ab ædilibus cæduntur,non oportet,quasi viles personas negligi. Denique non sunt prohibiti huiusmodi homines decurionatum,uel aliquem honorem in sua patria petere. nec.n. infames sunt sed ne quidem arcentur honoribus,qui ab ædilibus flagellis cęsi sunt:quãquam iure suo ita ædiles officio iusto fungantur.inhonestum tamen est huiusmodi personas flagellorum ictibus subiectas in ordinem recipi : & maximè in eis ciuitatibus,quæ copiam virorum honestorum habeant.nam paucitas eorũ, qui muneribus publicis fungi debeant. necessarios etiam ad dignitatem municipalem,si facultates habeant,inuitat.ff.eod.l.Eos,qui.xii.

Herennius modestinus respondit sola albi præscriptione minimè decurionem factum,qui secundum legem decurio creatus non sit.ff.eod.l.Herennius.x.

Decuriones,quos sedibus ciuitatis,ad quam pertinent,relictis,in alia loca transmigrasse probabitur: præses prouinciæ reuocare in patrium solum,& muneribus congruentibus fungi,curet.ff.eod.l.prima.

Si quis decurio vel propriæ rei causa,vel Reip.cogatur,principis adire comitatũ : is non ante discedat,quam insinuato iudici desiderio proficiscendi licentiam consequatur,quod si pro sua audacia parui aliquis hanc fecerit iussionem: indignationem competentem sortiatur.C.eod.l.si quis.xvi.

Decurio,qui prohibetur conducere quædam si iure successerit in conductionem, remanet in ea,quod & in omnibus similibus seruandum est. ff.eod.l.quarta.

Decurio ẽt suæ ciuitatis vectigalia exercere prohibetur.ff.eod.l.sexta.§. Decurio.

Vniuersos decuriones volumus a tabellionum officiis obtemperatæ.C. eodem. l. Vniuersos.xv.

Expertos

Expertos literarũ decurionis munera peragere nõ prohibent iura. C.eod.l. sexta.

Qui ad tempus relegatus est, si decurio sit desinet esse decurio, reuersus planè locum suum quidem non obtinebit. sed non semper prohibebitur decurio fieri. Denique in locum suum non restituetur, nam & sub legi in locum eius potest, & si numerus ordinis plenus sit; expectare eum oportet, donec alius Vacet. Alia causa est eius, qui ad tempus ordine remouetur. hic enim impleto tempore decurio est, sed & in huius locum sublegi poterit. sed & si locum plenum inuenerit: expectet, donec locus vacet. restitutus tamen in ordine, utrum eum ordinem teneat, quem primum habuit: an vero, quem nunc nactus est, quæri potest. & si fortè de ordine sententiarum dicendarum agatur: verum est eundem ordinem tenere quem pridem habuit, non idem erit in eo, quid ad tempus relegatus est. nam hic uelut nouus in ordine venit. ff. eod. l. secunda, in prin.

Generaliter id erit defendendum, vt qui clementiorem sententiam passus est, ob hocquè ad tempus relegatur: boni consulere debeat humanitati sententiæ, nec decurionatum recipiat. sed si quis ob falsi causam, vel aliam de grauioribus, non ad tempus sit relegatus sed ad tempus ordine motus in ea est causa, vt possit in ordinem redire. Imperator enim Antoninus edicto proposito statuit, vt cuicunque aut quacunq; causa ad tempus ordine, vel aduocationibus, vel quo alio officio fuisset interdictum complecto tempore, nihilominus fungi honore, uel officio posit, & hoc rectè neque enim exaggeranda fuit sententia, quę modum interdictioni fecerat. ff. eod. l. tertia, in prin.

Ad tempus ordine motos, ex crimine, quod ignominiam importat: in perpetuũ moueri placuit: ad tempus autem exulare iussos ex crimine leuiore, velut trãsacto negocio non esse inter infames habendos. ff. eod. l. quinta.

Imperator Antoninus & Verus rescripserunt in tempus relegatos, & reuersos, in ordinem allegi sine permissu principis non posse. item rescripserunt, relegatos non posse tempore finito in ordinem decurionum allegi, nisi eius ætatis fuerint, vt nondum decuriones creari posint: & dignitas certam spem eius honoris id fecerit, vt princeps indulgere posit. item rescripserunt eum, qui in relegatione natus est, non prohiberi honore decurionatus fungi. item rescripserunt non admitti contradicere volentem, quod non rectè quis sit creatus decurio, cum initio contradicere debuit. ff. eod. l. penul.

Pater, qui filio decurione creato prouocauit, & si præscriptione temporis exclusus fuerit. si quod gestum est, non habuit ratum: ciuilibus muneribus pro filio non tenebitur. ff. eod. l. sexta. §. Pater.

Ad decurionatum filii ita demum pater non consentit: si contrariam voluntatem uel apud acta præsidis vel apud ipsum ordinem, vel quo alio modo contestatus sit. ff. eod. l. septima. §. fin.

Si cum te pater decurionem esse voluisset: & illo in rebus humanis agente, honor tibi iste delatus est: tenentur quidem etiam hæredes eius Reip. nam in hac parte vice fideiussoris pater accipitur: sed non ante, nisi tuis propriis rebus excussis. C. de decurion. l. prima.

Vxorem pro marito decurione conueniri non posse, proculdubio est. C. eodem. l. Vxorem. xi.

Priuilegiis cessantibus cæteris, eorum potior causa habetur in sententiis ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragiis iure decurionis decorati sunt. Sed & qui plures liberos habent in suo collegio, primus sententiam rogatur, cæterosque honoris ordine præcellit. dicta. l. sexta, §. finali.

Honores

Honores & munera non ordinatione,sed potioribus quibusque iniungenda sunt ff.eod.l.septima. in prin.

Surdus,& mutus,si in totum non audiant aut non loquantur,ab honoribus ciuilibus,non etiam à muneribus excusantur.d.l.septima,§.surdus.

In filiis Decurionum quæstio est, vtrum is solus Decurionis filius esse videatur, qui conceptus,& natus ex decurione est,an vero & is,qui antea natus est,quàm pater decurio fieret?& quidem quantum pertinet, ne fustibus castigetur, & ne in metallum detur,non nocet Plebeio patre esse natum, si postea honor decurionis patri eorum accesserit. In auo quoque Papinianus idem respondit,ne patris nota filius mascuaretur. Sed si Pater ipsius ordine motus sit: siquidem ante conceptionem eius moueatur is quasi plebei filius in honoribus spectatur, quod si post conceptionem ipsius pater dignitatem amiserit: dicendum erit benignè,vt decurionis filium intuendum. proinde hic quoque,qui post patris relegationem natus est,si quidem ante conceptus sit similis Senatoris filio habebitur.si postea:nocebit illi relegatio.si ad tempus ordine moto patre fuerit natus medio quæ tempore conceptus & editus: an quasi decurionis filius nascatur, licet pater eius ante obierit,quam in ordinem venerit? quod benignè erit admittendum. Præterea si conceptus sit à plebeio,mox ante editionem pater eius decurionatum adeptus,ante editionem amiserit:non infauorabiliter quis medium tempus illi prodesse,veluti iam respondebit.ff.eod.l. secunda.§. in filiis.

In filiis decurionum retinendis priorum præceptorum decreta sublimitas tua custodiat. Eos quoque,qui aduocationis obtentu curialia onera declinant,agere vniuersa compellat,quæ & si necessitas non exigit,tamen patria non remittit. quin ipsos etiam filios magistorum,qui ex curiali stirpe descendunt, simili modo obnoxios esse decernat,C.eod.l.in filiis.xxxv.

Filios in potestate patris positos ad munera seu honores non posse deuocari falso tibi persuasum est. Sanè si ad nominationem filii consensum non accommodaueris: ob administrationem ipsius minimè conueniri poteris. C.eod.l.quinta.

Patrem emancipato filio consentientem ad Decurionatum, non teneri dubii iuris non est. Tunc enim consentiendo pater ad decurionatum obligatur si filium in potestate habeat.consentire autem etiam is videtur, qui non testificatur dissentire nominationi.C.de filiif.ad quemadmod.pro his pat.tan.l.patria.

Cum appellasse te dicas ostendis causam ad te pertinere.potueras.n.nominato filio tantum contestari,& non consentire oneri ei delato.C.eo.l.secunda.

Si hi qui cum patre ad protostasiæ munus vocati sunt etiam,nunc in patria potestate constitui sunt,ab huiusmodi necessitatibus liberentur:cum ex eadem familia hoc modo duos ad ista obsequia destinari,per iniquum uideatur.sanè eos quos emancipatos esse atque ex familia exisse manifestum est sine cuntactione retinere debebis.C.eod.l.tertia.

Sine periculo tuo magistratus filium tuum curatorem constituit, nec appellandi vbi necessitas incumbebat; sanè nominator qui filium in potestate positum nō consentiente patre ad munus deuocarit: si tamen ex voluntate tua antea filius decurio factus non erat:detrimento muneris obligabitur.C.eod.l.finali.

Si de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit:onus erogationis commune omnium hæredum eius esse, præses prouinciæ non ignorabit.C.de pericu.succes.parent.l.vnica.

Decurionibus facultatibus lapsis alimenta decerni permissum est: maximè, si ob munificentiam in patriam patrimonium exhauserint.ff.eod.l.octaua.

De decurione damnato non debere quæstionem haberi. Diuus Pius rescripsit: vnde etiam si desierit decurio esse, deinde damnetur: non esse torquendum ob memoriam prioris dignitatis placet. ff. eod. l. finali.

Cum adoptiuum filium ex adoptantis dignitate decurionis filium effici, nulla dubitatio sit pro atrocibus iniuriis eum quem ad vicem naturalis pignoris tibi adscribebat, a præside prouinciæ illicitis corporis cruciatibus affici non oportuit, hocque congruenti pœna coercebitur. C. eod. l. cum adoptiuum, quarta.

Reos criminis postulatos, nouos honores appetere non debere antequã purgauerint innocentiam sæpe rescriptum est, C. de reis postul. l. vnica.

Ad tempus exulare decurio iussus, & impleto tempore regressus, pristinam quidam retinet dignitatem, ad nouos vero honores non admittitur, nisi tanto tempore his abstinuerit, quanto per fugam abstinuit. C. de iis qui in exil. l. fin.

Licet indiuisa bona fratres habent: nihilominus tamen singuli suo nomine ciuilibus tenentur muneribus. C. de decurioni. l. septima.

Nemo iudex aliquem suo arbitrio decuria liberet. nam siquis fuerit huiusmodi infortunio deprauatus, vt debeat subleuari: de eius nomine ad principis scientiã porrigatur. C. eod. l. nemo. xiiii.

Vacuatis rescriptis, per quæ munerum ciuiliũ nonnullis est vacatio præstita, omnes ciuilibus necessitatibus aggregentur: ita, vt nec consensu ciuium vel curiæ præstita cuiquam immunitas valeat, sed omnes ad munerum societatem conueniantur. C. eod. l. vacuatis. xix.

Curiales omnium ciuitatum nullam pro re priuata debent inquietudinem sustinere, nec huiusmodi oneribus velut extraordinariis occupati: quoniam satis est si ciuitatum munera per eos congrue compleantur. C. eod. l. curiales. xxi.

Exemplo Senatorii ordinis patris originem vnusquisque sequatur, nec valeant specialiter delata rescripta, si quis se, matris origine defensa, à maiore curia ad minorem transferri fortasse promeruerit: neque ulla pro more prouinciæ referri sinatur exceptio. C. eod. l. exemplo. xxxvi.

Prouidendum est eorum nouitati decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne præteritis debitis susceptorum onerentur: sed conuentis propter hæc debita, qui ea præcedentibus delegationibus contraxerunt, nullam hi molestiam pro sarcina nominationis alienæ sustinebũt, C. eo. l. prouidendum. xxiii.

Si quis decurio pater sit duodecim celebrorum: honestissima munerum quiete donetur. C. eod. l. si quis. xxiiii.

Nullus qualibet prærogatiua fultus: a debitis, muneribus habeatur immunis. C. eodem. l. Nullus. xxviii.

Decurio fortunam, quam nascendo meruerit, suffragiis atque ambitione non mutet: & si vacare per senectutem potuerit. propter ordinationem, quæ per plurimos cito definiri solet, curiam non relinquat. C. eod. l. decurio.

Ad subeunda patrie munera dignissimi meritis, & facultatibus curiales eligantur: ne tales sortè nominentur, qui functiones publicas implere non possint, C. eod. l. ad subeunda. xlvi.

Quis tam inueniri iniquus arbiter rerum potest, qui in vrbibus magnifico statu præditis, ac uotiua curialium numerositate locupletibus, ad iteratione͂ quempiam transacti oneris compellat: vt cum alii necdum pœnæ initiati curiæ sacris fuerint, alios, & continuatio, & repetite sępe functiones adficiant. C. eod. l. quis tam. 52.

DE ALBO

DE ALBO SCRIBENDO. Tit. III.

Decuriones in albo itá ſcriptos eſſe oportet, vt lege municipali præcipitur. Sed ſi lex ceſſat: tunc dignitates erunt ſpectandę, vt ſcribantur eo ordine, quo quiſq; eorum maximo honore in municipio functus eſt: puta qui duumuiratum geſſerunt (ſi hic honorum præcellat) & inter duumuiriles antiquiſsimus quiſq; prior, deinde hi qui ſecundo poſt duumuiratum honore in Rep. functi ſunt. poſt eos, qui tertio, & deinceps, mox hi, qui nullo honore functi ſunt, pro ut quiſque eorum in ordinem venit, in ſententiis quoque dicendis, idem ordo ſpectandus eſt, quem in albo ſcribendo diximus. ff. de Albo ſcribendo. l. prima.

In Albo decurionum, & municipium nomina ante ſcribi oportet eorum, qui dignitates principis iudicio conſecuti ſunt: poſtea eorum, qui tantum municipalibus honoribus functi ſunt. ff. eod. l. fin.

In albo decurionum deſcribendo patrem non habenti filios anteferri conſtitit. C. de decurion. l. in albo.

Nominationum forma vacillare non debet, ſi omnes qui Albo curiæ detinentur adeſſe non poſſunt, ne paucorum abſcentia, ſiue neceſſaria, ſiue fortuita debilitet quod à maiore parte ordinis fuerit conſtitutum: cum duæ partes ordinis in vrbe poſitæ totius Curiæ inſtar exhibeant. C. eod. l. nominationum. 45.

DE MVNERIBVS ET HONORIBVS. Tit. IIII.

Munerum ciuilium quædam ſunt patrimonii aliarum perſonarum. Patrimonii ſunt munera rei vehicularis, item nauicularis, decemprimatus. ab iſtis. n. periculo ipſorum exactiones ſolennium celebrantur. Perſonalia ſunt ciuilia munera, defenſio ciuitatis, ideſt, vt ſyndicus fiat, legatio ad cenſus accipiendos, vt patrimonium ſcribatur annonæ ac ſimilium cura, prædiorum publicorum: frumenti comparandi, aquæductus publicæ viæ munitiones, arcæ frumentariæ, calefactiones thermarum, annonæ diuiſio & quæcunque aliæ curæ ſunt ſimiles iſtis. ex his. n. quæ retulimus, cætera per leges cuiusque ciuitatis, & ex conſuetudine longa intelligi poterunt. Illud tenendum eſt Generaliter, perſonale quidem munes eſſe, quod cum corporibus, cum labore, cum ſollicitudine animi, ac uigilantia principaliter extitit, patrimoniale uero, in quo ſumptus maximè poſtulantur. Aeq; perſonale munus eſt tutela, cura adulti furioſive, item prodigi muti, & ventris etiam ad exhibendum cibum, potum, tectum, & ſimilia, ſed & cuius officio in bonis vſucapiones interpellantur, ac ne debitores liberentur, prouidetur. Itē ex Carboniano edicto bonorum poſſeſsione petita, ſi ſatis non detur, cuſtodiendis bonis curator datus, perſonali fungitur munere, his ſimiles ſunt bonis dati curatores, quæ fuerunt eius, qui ab hoſtibus captus eſt, & reuerti ſperatur. itē cuſtodiendis ab eo relictis bonis, cui necdum quiſquam ciuili, uel honorario iure ſucceſsit, curatores conſtituti. ff. de Muneri. & honor. l. prima.

Munerum ciuilium triplex diuiſio eſt. nam quædam munera perſonalia ſunt, quædam patrimoniorum dicuntur, alia miſta. PERSONALIA ſunt, quæ animi prouiſione, & corporalis laboris intentione ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantur: ueluti tutela, cura, Kalendarii, quoque curatio. & quęſtura in aliqua ciuitate inter honores non habetur, ſed perſonale munus eſt. Tironum ſiue

æquorum productio, & si qua alia animalia necessaria producenda, uel res per uehendæ, siue persequendæ sunt, vel pecuniæ fiscales, siue annona, vel vestis, personæ munus est. Cursus vehicularis sollicitudo, item angariarum prohibitio personale munus est, cura quoque emendi frumenti, & olei, nam & harum specierum curatores creari moris est. inter personalia munera, in quibusdam ciuitatibus numerantur, & calefactio publici balnei, si ex reditibus alicuius ciuitatis curatori pecunia subministratur. sed & cura custodiendi, aquæductus personalibus muneribus aggregatur. Hierarchiæ quoque, qui disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus preficiuntur. sed & qui ad faciendas vias eligi solēt, cum nihil de proprio patrimonio in hoc munus conferant, item & episcopi, quis præsunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vsui sunt, personalibus muneribus fungūtur. Qui annonam suscipit, vel exigit, vel erogat, & exactores pecuniæ pro capitibus personalis muneris sollicitudinem sustinent. sed & curatores, qui ad colligendos ciuitatum publicos reditus eligi solent, personali subiungantur. Hi quoque, qui custodes ædium vt archeotæ vel logographi, vel tabularii, vel xenoparochi vt in quibusdam ciuitatibus, vel limenarchæ, vel curatores ad extuenda, vel reficienda ædificia publica, siue naualia, vel mansiones destinantur: (si tamen pecuniam publicam in operis fabricam erogent) & qui faciendis, vel reficiendis nauibus, vbi vsus exigit, proponuntur muneribus personalibus adstringuntur. Camelasia quoque similiter personale munus est. nam ratione habita, & alimentorum, & camelorum, certa pecunia camelariis dari debet, vt solo corporis ministerio obligentur: hos ex alio ordine vocari, nec vlla excusatione liberari, nisi sola læsi & inutilis corporis infirmitate, specialiter expressum est. legati quoque, qui ad sacrarium principis mittuntur, quia viaticum (quod legatiuum dicitur) interdum solent accipere. sed & nicostrategi, & pistrinorum curatores personale munus ineunt. Defensores quoque, qui ad certam causam agendam, vel defendēdam eliguntur, laborem personalis muneris aggrediuntur. Iudicandi quoque necessitas inter munera personalia habetur. si quis etiam fuerit electus, vt compellat eos, qui propè viam publicam possident, sternere viam personale munus est. pari modo qui acceptandis, siue suscipiendis censualibus possessionibus destinantur, ad personalis muneris sollicitudinem animum intendunt. PATRIMONIORVM sunt munera, quæ sumptibus patrimonii, & damnis administrantis expediuntur. Elæemporia vt hospitatura. apud Alexandrinos patrimonii munus existimatur, susceptores quoque vini per prouinciam Africam patrimonii munus gerunt. Patrimoniorū autem munera duplicia sunt. nam quędam ex muneribus, possessionibus siue patrimoniis indicuntur: Veluti agminales æqui, vel mulæ, & angariæ, atque verhedi. huiusmodi igitur obsequia, qui neque municipes, neque incolæ sunt agnoscere coguntur, ab huiusmodi muneribus, neque primipilaris, neque Veteranus, aut miles, aliusve, qui priuilegio aliquo subnixus est, excusatur præterea habent quædam ciuitates prærogatiuam, vt hi, qui in territorio earum possident, certum quid frumenti pro mensura agri per singulos annos præbeant. quod genus collationis munus possessionis est. Mista munera sunt decaprotiæ, & icosaprotiæ, vt Herennius Modestinus, & notando, & disputando bene, & optima ratione decreuit. nam decaproti, & icosaproti tributa exigentes, & corporale ministerium gerunt, & pro muneribus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt, vt meritò inter mista hoc munus numerari debeat, sed & quæ supra personalia esse diximus, si hi, qui fun

guntur

guntur ex lege ciuitatis ſuæ, vel more, quid de propriis facultatibus impenſæ faciunt, vel annonam exigentes deſertorum prædiorum damna ſuſtinent: Miſtorum definitione continebuntur. Hæc omnia munera, quæ trifariam diuiſimus vna ſignificatione comprehenduntur. nam & perſonalia, & patrimoniorum, & miſta munera, ciuilia ſeu publica appellantur. ff. eodem. l.finali.

Sciendum eſt, quædam eſſe munera aut perſonæ aut patrimoniorum: itidem quoſdam eſſe honores, quæ munera patrimoniis iniunguntur, vel in tributiones, talia ſunt, vt neque ætas ea excuſet, nec numerus liberorum, nec alia prærogatiua, quæ ſolet à perſonalibus muneribus exuere ſed enim hæc munera, quæ patrimoniis indicuntur, duplicia ſunt. nam quędam poſſeſsionibus iniunguntur, ſiue municipes ſunt, ſiue non ſunt: quædam non niſi municipibus, vel incolis in tributiones, quæ ex agris fiunt, vel ędificiis poſſeſsionibus indicuntur. munere vero, quæ patrimoniorum habentur: non aliis, quam municipibus, vel incolis, ff. eod. l. ſexta. §. ſciendum.

Ciuilia munera per ordinem pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt. C. de mune. patrimo. l. prima.

Munera, quæ patrimoniis publicę vtilitatis gratia indicuntur, ab omnibus ſubeũda ſunt. C. eod. l. ſecunda.

Qui immunitatem munerum publicorum conſecuti ſunt, onera patrimoniorum ſuſtinere debent, in quibus cauſis & hoſpites recipiendi ſunt. C. eodem. l. tertia.

Non videtur abhorrere, à ratione ſententia, qua præſes prouinciæ æquos curiales alere, non perſonarum ſed patrimonii eſſe decreuit, & tamen ſi iniqua eſſet, omiſſo à te appellationis auxilio, neceſſario permanet, C. eodem. l. quarta.

Neque tempore ætatis, neque numero liberorum à muneribus, quæ patrimoniorum ſunt, excuſationem quis habere poteſt. C. eod. l. quinta.

Profeſsio, & deſideriuum tuum inter ſe diſcrepant. nam cum philoſophum te eſſe proponas: vinceris auaritia, & rapacitate: & onera, quæ patrimonio tuo iniungantur, ſolus recuſare, conaris. quod fruſtra te facere, cæterorum exemplo poteris edoceri. C. eod. l. ſexta.

Etiam minores ętate patrimoniorum muneribus ſubiugari ſolent. vnde intelligis te fruſtra plenam immunitatem deſiderare, cum munera, quæ impenſas exigunt, ſubire te neceſſe ſit. C. eod. l. ſeptima.

Nec protoſtaſiæ, vel decaprociæ munera corporalia ſunt, ſed tantum patrimonii eſſe. non ambigitur. C. eod. l. octaua.

Quantum ad extraordinarios indictiones pertinet, præſidibus ſignificamus, vt omnes profeſſores, cæteroſque ſciant conueniri debere: quandoquidem ea patrimonii munera eſſe conſtet, meritoque ab omnibus agnoſci debeant, quo facilius obſequiis publicis pareatur. C. eod. l. fin.

Et qui originem ab Vrbe Roma, habent, ſi alio loco domicilium conſtituerint, munera eius ſuſtinere debent, ff. eod. l. tertia, in prin.

His, qui in Caſtris operam per militiam dant, nullum municipale munus iniungi poteſt. cæteri autem priuati, quamuis militum cognati ſunt, legibus patriæ ſuæ, & prouinciæ obedire debent, d. l. tertia, §. his, qui.

Si damnatus in integrum reſtitutus ſit: perinde ac ſi nec damnatus fuiſſet, ad munera, vel honores vocatur: nec opponet fortunam, & caſus triſtiores ſuos ad

hoc solum, ne patriæ idoneus ciuis esse videatur, dicta.l.tertia,§.si in metallum.

Corporalia munera fœminis ipse sexus denegat, quo minus honores, vel munera ipsis iniunguntur. d.l.tertia,§.corporalia.

Patrimoniorum munera mulieres etiam sustinere debent. C.eod.l.penul.

Filio si nullam habet excusationem, intercedere pater, in cuius potestate est, ius non habet quod pater non consensit honoribus, siue muneribus filii ne illius patrimonium oneri subiiciatur præstat defensionem: non ciuem patriæ vtilitatibus, quatenus potest, aufert, d.l.tertia,§.filio,

Quamuis maior septuaginta annis, & quinque liberorum incolumnium pater sit, ideoque à muneribus ciuilibus excusetur: filii tamen eius suo nomine competentia munera agnoscere debent ideo enim proprium præmium immunitatis propter filios patribus datum est, quod illi subibunt, dicta. l. tertia, §.Quamuis.

Vitricus onera munerum ciuilium, nomine priuigni sui suscipere nulla iuris ratione cogitur, d.l.tertia,§. Vitricus.

Decaprotos etiam minores annis vigintiquinque fieri, (non militantes tamen) pridem placuit, tributorum onus patrimonii esse, constat, dicta.l.tertia, §.decaprotos.

Cura frumenti comparandi munus est, & ab eo ætas septuaginta annorum, uel numerus quinque liberorum incolumnium excusat, dicta. l. tertia; §. Cura frumenti.

Eos milites, quibus superuenientibus hospitia præberi in ciuitate oportet, per vices ab omnibus, quos munus contingit, suscipi oportet. dicta. l. tertia, §. Eos milites.

Munus hospitis in domo recipiendi non personę, sed patrimonii onus ęst, d.l.tertia,§.Munus.

Pręses prouinciæ prouideat munera: & honores in ciuitatibus æqualiter per vices secundum ætates, & dignitates, aut gradus munerum, honorumque, qui antiquitus statuti sunt iniungi, ne sine discrimine, & frequenter his oppressis, simul viris, & viribus Respublicæ destituantur. dicta. l. tertia, §.Præses prouinciæ.

Si duo filii in potęstate patris sunt eodem tempore: munera eorum pater sustinere non compellitur, d.l.tertia,§.si duo filii.

Si is, qui duos filios relinquebat, nihil de expediendis muneribus alterius filii ex communi patrimonio supremis suis cauit: propriis sumptibus, & munera, & honores, qui ei iniungentur, suscipere debet. quamuis pro altero viuus pater eiusmodi onera expedierit, d.l.tertia.§.fin.

Cura extruendi, vel reficiendi operis in ciuitate munus publicum est, à quo quinque liberorum in collumnium pater excusatur: nec si per vim extortum munus fuerit excusationem, quam habet, ab aliis muneribus aufert, ff. de muner.& honor.l.quarta, in prin.

Deficientium facultatibus ad munera, vel honores, qui indicuntur, excusatio non perpetua, sed temporalis est. nam si ex voto honestis rationibus patrimonium incrementum acceperit, suo tempore an idoneus sit aliquis ad ea, quæ creatus fuerit, æstimabitur. dicta. l. quarta. §. deficientium facultatibus.

Inopes onera patrimonii ipsa non habendi necessitate non sustinent: corpori autem indicta obsequia soluunt, d.l.quarta,§.penul.

Qui

Qui obnoxius muneribus ſuæ ciuitatis, nomen militiæ defugiendi oneris municipalis gratia dedit, deteriorem cauſam Reip. facere non potuit: dicta. l. quarta, §. finali.

Reſcripto diuorum fratrum ad Rutilium Lupum, ita declaratur, conſtitutio, qua cautum eſt, pro vt quiſque decurio creatus eſt, vt ita magiſtratum adipiſcatur: totiens ſeruari debet, quotiens idoneos & ſufficientes omnes eſſe contingit. Cæterum ſi ita quidam tenues, & exhauſti ſunt, vt non modo publicis honoribus pares non ſint, ſed & vix de ſuo victum ſuſtinere poſsint: & minus vtile, & nequaquam honeſtum eſt, talibus mandare magiſtratum: præſertim cum ſint, qui conuenienter ei, & ſuæ fortunæ, & ſplendori publico poſſunt creari. ſciant igitur locupletiores non debere ſe hoc prætextu legis vti, & de tempore, quo quiſque in curiam allectus ſit, inter eos demum eſſe quærendum, qui pro ſubſtantia ſua capiant honoris dignitatem. ff. eodem. l. ſexta, in princip.

Ad Remp. adminiſtrandam, ante viceſimumquintum annum, vel ad munera, quę non patrimonii ſunt, vel honores, admitti minores non oportet. minores denique, nec decuriones creantur, nec creati ſuffragium in curia ferunt. Annus autem viceſimusquintus cœptus pro pleno habetur. hoc enim in honoribus fauoris cauſa conſtitutum eſt, vt pro plenis inchoatos accipiamus. Sed & in his honoribus, in quibus Reipub. cura conſiſtit, ei non committitur. Cæterum cum damno honorem ei committi, non eſt dicendum, etiam cum ipſius pernitiæ minoris. ff. de muneribus, & honoribus, l. ad Rempublicam. 8.

Si quis magiſtratus in municipio creatus, munere iniuncto fungi detrectet, per præſidem munus agnoſcere cogendus eſt remediis, quibus tutores quoque ſolent cogi ad munus, quod iniunctum eſt, agnoſcendum. ff. eodem. l. ſi quis magiſtratus. ix.

Honorem ſuſtinenti munus imponi non poteſt: munus ſuſtinenti honor deferri poteſt. ff. eod. l. honorem. x.

Vt gradatim honores deferantur edicto: & vt à minoribus ad maiores perueniatur. Epiſtola Diui Pii ad Titianum exprimitur. ff. eodem. l. vt Gradatim, xi. in princip.

Si ipſe vocatus ad munera ciuilia, potiorem alium nominandum putaueris age cauſam tuam. C. de potior. ad mun. nomin. l. vnica.

Et ſi lege municipali caueatur, vt præferantur in honoribus certę conditionis homines: attamen ſciendum eſt hoc eſſe ſeruandum, ſi idonei ſint, & ita reſcripto diui Marci continetur. d. l. vt gradatim, §. & ſi lege.

Quoties pecunia eſt eorum, qui magiſtratum ſuſcipiunt, immunitas ad aliquid infringitur, ſicuti diui fratres reſcripſerunt. d. l. gradatim. §. quoties.

Si propter inimicitias ad munera ciuilia creatus es: hæc nominatio tibi non nocebit cum & publicæ vtilitatis interſit non ex inimicitia creationes fieri debere, ſed æſtimatione vera & commodo reipublicæ, C. ſi propter inim. creat. fact. ſit. l. vnica.

Reprobari poſſe medicum à Repub. quamuis ſemel probatus ſit. D. Magnus Antoninus cum patre reſcripſit, d. l. vt gradatim, §. reprobari.

Eos, qui primis litteris pueros imbuunt non habere vacationem Diuus Antoninus reſcripſit. d. l. vt gradatim. §. fin.

Cum muneris publici vacatio datur, ei non remittitur, ne magiſtratus fiat: quia

id ad honorem magis quam ad munera pertinet. Cætera omnia, quæ ad tempus extra ordinem exiguntur, veluti munitio viarum ab huiuſmodi perſona exigenda non ſunt. ff. eod. l. cui muneris. xii.

Honor munici paris eſt adminiſtratio Reip. cum dignitatis gradu, ſiue cum ſumptu, ſiue ſine erogatione contingens. Munus aut publicum, aut priuatum eſt, publicum munus dicitur, quod in adminiſtranda Rep. cum ſumptu ſine titulo dignitatis ſubimus. ff. eod. l. honor. 14. in prin.

Viarum munitiones prædiorum collationes, non perſonæ, ſed locorum munera ſunt. d. l. honor. §. Viarum.

De honoribus ſiue muneribus gerendis cum quæritur, in primis conſideranda perſona eſt eius, cui defertur honor, ſiue muneris adminiſtratio. item origo natalium, facultates quoque an ſufficere iniuncto muneri poſsint. item lex, ſecundum quam muneribus quiſque fungi debeat. d. l. honor. §. de honoribus.

Plebei filiusfam. periculo eius, qui nominauit tenebitur: idque imperator ſeuerus, Auguſtus in hæc verba reſcripſit, ſi in numero Plebeiorum filius tuus eſt: quamquam inuitus honores ex perſona filii ſuſcipere cogi non debeas, tamen reſiſtere, quominus patriæ obſequatur periculo eius, qui nominauit, iure patriæ poteſtatis non potes. d. l. honor. §. Plebei.

Gerendorum honorum non promiſcua facultas eſt, ſed ordo certus huic rei adhibitus eſt. nam neque prius maiorem magiſtratum quiſquam, niſi minorem ſuſceperit, agere poteſt: neque ab omni ætate: neque continuare quiſque honores poteſt. d. l. honor. §. Gerendorum.

Si alii non ſunt, qui honores gerant, eoſdem compellendos, qui geſſerunt, quam plurimis conſtitutionibus cauetur, diuus etiam Hadrianus de iterandis muneribus reſcripſit in hæc verba, illud conſentio, vt ſi alii non erunt idonei, qui hoc munere fungantur: ex his, qui iam functi ſunt, creentur. d. l. honor. §. fin.

Debitores rerum publicarum ad honores inuitari non poſſe, certum eſt, niſi prius in id, quod debetur, Reip. ſatisfecerint ſed eos demum debitores rerum publicarum accipere debemus, qui ex adminiſtratione Reip. relinquatur. Cæterum ſi non ex adminiſtratione ſunt debitores, ſed mutuam pecuniam Reip. acceperint, non ſunt in ea cauſa vt honoribus arceantur planè vice ſolutionis ſufficit, vt quis aut pignoribus, aut fideiuſſoribus idoneis caueat, & ita diui fratres Aufidio Herenniano reſcripſerunt. ſed & ſi ex pollicitatione debeant, quæ tamen pollicitatio recuſari non poteſt: in ea ſunt conditione, vt honoribus arceãtur. ff. de muner. & honor. l. ſexta, §. debitores.

Si quis accuſatorem non habeat ab honoribus prohiberi non debet. Quemadmodum non debet is, cuius accuſator deſtiterit. ita. n. imperator reſcripſit. d. l. ſexta, §. qui accuſatorem.

Reus delatus, etiam ante ſententiam honores petere, principalibus conſtitutionibus prohibetur, nec intereſt plebeius ad decurio fuerit, ſed poſt annum, quàm reus delatus eſt, petere non prohibetur: niſi per ipſum ſteterit, quominus eam intra annum expediretur. Eum contra quem propter honores appellatum eſt, ſi pendente appellatione vſurpauerit honorem, coercendum, Diuus Seuerus reſcripſit ergo & ſi is, qui honoribus ſecundum ſententiam vti prohibitus eſt appellauerit: abſtinere interim à petitione honoris debebit. ff. eodem. l. ſeptima.

Et ſi filium decurionem pater eſſe voluit: tamen defuncto eo, honores, qui filio decurioni congruentes, poſt mortem patris obtigerunt, ad onus cohæredis filii

filii non pertinent,cum ei decurioni ſufficiente facultates pater reliquerit, ff. eod.l.& ſi filium.xv.

Aeſtimationem honoris, aut muneris in pecunia pro adminiſtratione offerentes audiendi non ſunt.ff.eod.l.æſtimationem,xvi,in prin.

Qui pro honore pecuniam promiſit, ſi ſoluere eam cœpit, totam præſtare operis inchoati exemplo cogendus eſt.d.l.ęſtimationem,§.qui pro honore.

Inuitus filius pro patre Remp.ſoluam fore cauere non cogitur.d.l.ęſtimationem. §.penul.

Defenſionem Reip.amplius,quam ſemel,ſuſcipere nemo cogitur: niſi id fieri neceſsitas poſtulet,d.l.æſtimationem,§.finali.

Immunis ab honoribus,& muneribus & ciuilibus, ſi decurioni creato filio, quem habet in poteſtate,conſentiat muneribus & honoribus, ſumptus ſubminiſtrare filio compellitur.ff.eod.l.penul.

Sicut & honores,& munera,cum pater,& filius decuriones ſunt, in eadem domo continuari non oportet:ita vacationum conceſſa tempora non aliis prodeſſe poſſunt,quam his qui ad eoſdem,vel alios honores,eademque vel alia munera de nouo vocantur. Pro infante vero filio quem decurionem eſſe voluit pater quamque fidem ſuam in poſterum adſtrinxerit:tamen onera ſuſtinere non cogetur,cum ad ea tantum quę mandari poſſunt,voluntatem dediſſe videatur.C. de hono.& mun.non continu.l.prima.

Ab honoribus ad honores eoſdem quinquennii datur vacatio, triennii vero ad alios.legatione autem perfunctis biennii vacatio conceſſa eſt. C.eod.l.penul.

Interualo temporum quæ in vnius perſona locum habent fratribus licet(communia poſsideant bona)minimè proſunt.Sanè his miſsis, qui necdum functi muneribus ad hoc idonei couſtituti vocari debent, vos ſi ad obſequium ciuilium munerum reperit paruiſſe:ne interim interpellemini præſes prouinciæ prouidebit.C.eod.l.finali.

Subeundi honoris atque muneris pater tuus defunctus eſt: conueniri eo nomine hæredes eius non oportere præſes prouinciæ minime ambiget. C. ſi poſt creat. quis deceſ.l.vnica.

QVEMADMODVM CIVILIA MVNERA INDICVNTVR. Titulus V.

CVM te curatorem ad cogendas angarias creatum,appellationem interpoſitæ proponas:præſes prouincię ſi alterius curię te eſſe animaduertit ad alieni corporis munera vocari non ſinet:quia eius patriæ oneribus reſpondere debes, cui te attributum eſſe commemoras. C.quemad.ciuil.mun.indicantur.l.prima.

Maioribus honoribus functos ad minores deuocari non oportere rationis eſt. C. eodem.l.ſecunda.

Cum te omnibus muneribus functum eſſe adſeueres:ad eadem munera,ſi aliorũ ciuium copia eſt,qui obſequiis ciuilibus fungi poſſunt, præſes prouinciæ deuocari te non permittet.C.eod.l.tertia.

Vltra modum ſumptum te muneribus ciuilibus grauari, leuatis aliis præſes prouincię non patietur:ſed ęqualitatem,tam iuris,quàm cenſuræ memor,circa ordinem cuſtodiet.C.eod.l.fin.

DE IIS QVI SPONTE PVBLICA MVNERA SVBEVNT. Titulus VI.

VEterani qui cum possent se tueri immunitate his concessa, de curiones se fieri in patria sua maluerunt: redire ad excusationem, quam reliquerunt, non possunt: nisi certa lege & pacto seruandæ immunitatis, vel partem eius honoris agnouerint. C. de iis qui sponte pub. mun. sub. l. prima.

Qui publici muneris vacationem habet, si aliquem honorem excepto decurionatu, sponte susceperit: ob id, quod patriæ suæ vtilitatibus cesserit, vel glorie cupiditate paulisper ius publicum relaxauerit; competens priuilegium non ammittit. C. eod. l. secunda.

DE VACATIONE, ET EXCVSATIONE MVNERVM. Titulus VII.

OMnis excusatio sua æquitate nititur, sed si prætendentibus aliquod sine iudice credatur, aut passim sine temporis præfinitione (prout cuique libuerit) permissum fuerit se excusare, non erunt qui munera necessaria in rebus publicis obeant. Quare, & qui liberorum iure à muneribus ciuilibus sibi vindicant excusationem, appellationem interponere debent: & qui tempora præfinita in ordine in eiusmodi Appellatione per agendo non seruauerint meritò præscriptione repelluntur. ff. de Vacatione. l. prima in prin.

Qui excusatione aliqua vtuntur, quotiescunque creati fuerint, & si iam ante absoluti sunt, necesse habent appellare. sed si per calumniam, & sapius idem aduersarius vexandi gratia eius, quem scit perpetua vacatione subnixum id facere probatus erit: sumptus litis exemplo decretorum principalium præstare iubeatur ei, quem sine causa sæpius inquietauit. d. l. prima. §. qui excusatione.

Qui in fraudem ordinis in honoribus gerendis, cum inter eos ad primos honores creari possint, qui in ciuitate numerabantur. euitandorum maiorum onerum gratia ad colonnos prædiorum se transtulerunt, vt minoribus subiiciantur: hác excusationem sibi non parauerunt. d. l. prima, §. Qui in fraudem.

Quamuis sexaginta quinque annorũ sit aliquis, & tres liberos incolumes habeat. à muneribus tamen ciuilibus propter has causas non liberatur, d. l. prima, §. fin.

Sextumdecimũ ætatis annum agentem ad munus sitoniæ vocari non oportet: sed si nihil proprie in patria seruatur. De minoribus quoque annis vigintiquinque ad munera, siue honores creandis iusta ætas seruãda est, ff. eo. l. secunda, in prin.

Numerus liberorum aut septuagintaquinque annorum ab honoribus aut muneribus his cohærentibus excusationem non præstat, sed à muneribus tantum ciuilibus. d. l. secunda, §. Numerus.

Maiores quinquagintaquinq; annis inuicti ad munera personalia vocari non possunt. C. qui ætat. se excus. l. finali.

Filium ab hostibus captum, ac nedum reuersum ad excusationem munerũ personaliũ patri proficere non posse magis placuit, C. de his q̃ nu. lib. excu. l. secũdas.

Nepotes in locum parentum succedentes vice eorũ prodesse consueuerunt ideoque si quinque numerus liberorum ex amissorum filiorum, nepotibus suppletur a muneribus personalibus pater excusatur. C. eod. l. tertia.

De personalibus muneribus quæ fœminis pro sexus conditionem indicuntur

exemplo marium: quinque superstitum, numero liberorum eas excusari constitutum est, C. eo. l. pen.

Eos qui cuiuscunq; liberos quinq; habeant, impetrata semel vacatione potiri cõuenit: ita vt si in hoc numero ætatis legitimè filius inueniatur obeundis statim pro suo patre muneribus applicetur patribus qui filios, vel filias quinq; habuerint promissa legibus immunitate seruanda, C. eo. l. fi.

Muneribus ciuilibus non fungitur, quæ personis mandantur illi, qui quinq; filios incolumes habeat. at si contra id priuilegium ad munus, fatigandi tui causa quidam eum deuocauerint: isque appellatione interposita securitatem reportauerit, à nominatoribus sumptus quos in litem fecerit recuperabit, C. de sump. recup. l. vnica.

Adoptiui filii in numerum non proficiunt eorum liberorum, qui excusare parentes solent, ff. de vacatio. l. secunda, §. adoptiui.

Vacatio, itemque immunitas, quæ liberis, & posteris alicuius data est, ad eos duntaxat pertinet, qui eius familiæ sunt, ff. de mun. & honorib. l. vacatio, 13.

Qui ad munera vocantur, viuorum se liberorum numerorum habere tempore, quo propter eos excusari desiderant, probare debent. numerus enim liberorum, postea impletus susceptis antea muneribus non liberat, d. l. secunda, §. qui ad munera.

Quæ patrimoniorum múnera sunt, numero liberorum non excusantur, incolumes liberi, etiam si in potestate patris sui desierint esse, excusationem à muneribus ciuilibus præstant, d. l. secunda, §. quæ patrimoniorum.

Minus audiens immunitatem ciuilium mumerum nõ habet, d. l. secũda, §. minus.

Quæ ita Senio, & corporis imbecillitate vexari præses animaduerterit, vt muneri perferendæ pecuniæ non sufficiat: dimittat, & alium constituat, d. l. secunda, §. quæ ita senio.

Corporis debilitas eorum munerum excusationem præstat, quæ tantum corpore implenda sunt. cæterum quæ per consilium prudentis viri, vel patrimonio sufficientes in honores obiri possunt: nisi certis, & receptis probabilibus causis non remittuntur, d. l. secunda, §. corporis.

Si ea cæcitate pater tuus oppressus est, vt vtriusq; occuli aciem prorsus amiserit, lebamentum personalium munerum sentiat, C. qui morbo se exc. l. prima.

Cum auriculari morbo debilitatum te esse dicas: à personalibus muneribus vacationem habebis, C. eo. l. secunda.

Podagræ quidem valetudo, nec ad personalium munerum prodest excusationem verum cum ita te valetudine pedum afflictum dicas, vt rebus propriis intercessum commodare non posis præses prouinciæ, si allegationibus tuis fidem adesse perspexerit, ad personalia munera te uocari non patietur, C. eo. l. pen.

Casus corporis patris munerum personalium filio iure non præstat excusationem, C. eod. l. fina.

Qui pueros primas literas docent, immunitatem à ciuilibus muneribus non habent, sed ne cui eorum id, quod supra vires sit, indicatur ad præsidis religionem pertinet: siue in ciuitatibus, siue in vicis primas literas magistri doceant, ff. de vac. l. secunda. §. fina. & ff. de mun. & hon. l. vt gradatim, xi. §. fin.

Eos, qui Romæ profitentur, perinde in patria sua excusari à muneribus oportet, ac si in patria sua profiterentur, ff. de vaca. l. eos, qui, 9. in prin.

Nauicularii, & mercatores olearii, qui magnã partẽ patrimonii ei rei contulerũt, intra quinquennium à muneris publici uacationẽ hẽat, ff. de mun. & hon. l. quinta.

Tempus

Tempus vacationis, quod datur eis, qui Reip. causa abfuerunt: non ex eo die nu merandum est, quo quis abesse desiit, sed cum laxamento quodam itineris. neque enim minus abesse Reip. causa intelligendus est, qui ad id negocium, vel ab eo reuertitur. si quis tamen plus iusto tempore, aut in itinere, aut in alio loco commoratus consumpsit, ita ea interpretanda erunt, vt ex eo tempore vacationis dies incipiat ei cedere, quo iter commodo peragere potuisset, ff. eodem, l. quarta.

A decurionatu (quamuis hic quoq; honor est) ad alium honorem nullam vacationem tribuendam Vlpianus respondit, ff. eo. l. quinta.

Hi, qui muneris publici vacationem habent, ad ea, quæ extra ordinem imperantur, compelli non solent, ff. eo. l. sexta.

Muneris publici vacatio ea continet, quæ legibus non iniunguntur ad quam formam iuris pertinet, si cœperit quis ad munera extraordinaria à magistratibus deuocari, C. de vac. publ. muner. l. vnica.

A muneribus ciuilibus, quæ non parrimoniis indicuntur veteranni post optimi Principis Seueri Augusti literas, perpetuò excusantur, ff. eo. l. septima.

In honoribus delatis, neque maior annis septuaginta, nec pater numero quinque liberorum excusatur, ff. eod. l. in honoribus, viii. in princip.

Non alios fisci vectigalium redemptores à muneribus ciuilibus, ac tutelis excusari placuit, quàm eos, qui præsentes negocium exercerent, d. l. in honoribus, §. non alios.

Non alios à muneribus, & honoribus vacationem habere, quàm qui mancipatum suo nomine vectigal à fisco conducunt, certum est: quare eos qui ab his quædam exercenda accipiunt, nullis priuilegiis esse munitos haud dubii est. C. quib. mun. exc. l. vnica.

Vacationum priuilegia non spectant ad liberos ueteranorum. Qui muneris publici vacationem habent, per magistratus ex improuiso collationes indictas rectè recusant, eas vero, quæ ex lege fiunt, recusare non debent, d. l. in honoribus, §. uacationem.

Philosophis, qui se frequentes, atque vtiles per eandem studiorum sectam contédentibus præbent, tutelas, item munera sordida corporalia remitti placuit, non ea, quæ sumptibus expediuntur. etenim verè philosophantes pecuniam contemnunt, cuius retinendæ cupidine fictam ad seuerationem detegunt, d. l. in honoribus, §. philosophis.

Magistris, qui ciuilium munerum vacationem habent, item grãmaticis, & oratoribus, & medicis, & philosophis, ne hospitem reciperent à principibus fuisse immunitatem indultam, & Diuus Vespasianus, & Diuus Hadrianus rescripserunt, ff. de muneribus, & honorib. l. fin. §. fin.

Medicus munera ciuilia quandiu Reipub. causa abfuerit suscipere non cogitur. cum autem abesse desierit, post finitam eo iure vacationem, si in eorum numero est, qui ad beneficia medicis concessa pertinent, ea immunitate vtatur, C. de profess. & medi. l. prima.

Grammaticos seu oratores decreto ordinis probatos, si non se utiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse, incognitum non est, C. eod. l. secunda.

Poetæ nulla immunitatis prærogatiua iuuantur, C. eo. l. tertia.

Oratione diui pii liberalium studiorum professores, non etiam calculatores continentur, C. eo. l. quarta.

Nec

Nec intra numerum præstitum ordine inuitos medicos immunitatem habere, sæpe constitutum est: cum oporteat eis decreto decuronum immunitatem tribui, C. eod. l. quinta.

Magistros studiorum doctoresq; excellere oportet moribus primum deinde facundia: sed quisquis docere vult, non repente, nec temere prosiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus deceretum curialium mereatur, optimorum conspirante consensu, C. eo. l. septima.

Reddatur vnusquisque patriæ suæ qui abitum philosophiæ indebite, & insolenter vsurpare cognoscitur: exceptis his, qui à probatissimis approbati, ab hac debent collusione secerni. turpe enim est, vt patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur, C. eo. l. reddatur, 8.

Archiatri scientes amonaria sibi commoda à populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malunt, quàm turpiter seruire diuitibus. quos tantum ea patimur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea, quæ periclitantes pro salute promittunt, C. eo. l. archiatri, 9.

Si quis archiatri defuncti locum promotionis meritis aggregandus est: non ante eorum particeps, fiat quàm primis, qui in ordine reperientur, septem vel amplius iudicantibus idoneus adprobetur. Ita tamen, vt quicunq; fuerit admissus non in priorum numerum ac statum veniat, sed eum ordinem consequatur, qui cæteris ad propria subiectis ultimus poterit inueniri, C. eo. l. si quis, x.

Qui maximos Principes appellauit, & causam propriam acturus Romam profectus est: quo ad cognitio finem accipiat, ab honoribus, & ciuilibus muneribus apud suos excusatur, ff. de mun. & hon. d. l. in honoribus, §. fin.

Paulus respondit priuilegium frumentariis negociatoribus concessum, & ad honores excusandos pertinere, ff. eo. l. eos, qui, 9. §. fin.

Ab his oneribus, quæ possessionibus, vel patrimonio indicuntur, nulla priuilegia præstant vacationem, ff. eo. l. ab his, x. in prin.

Angariorum præstatio, & recipiendi hospitis necessitas & militi, & liberalium artium professoribus inter cætera remissa sunt, d. l. ab his, §. angariorum.

Auctis post appellationem medio tempore facultatibus, paupertatis obtentu non excusantur, d. l. ab his, §. auctis.

Defensores Reip. ab honoribus, & muneribus eodem tempore vocant, d. l. ab his, §. defensores Reip.

Sunt munera, quæ rei propriæ cohærent: de quibus neque liberi, neque ætas, nec materia militiæ, neque vllum aliud priuilegium iure tribuit excusationem: ut est prædiorum collatio, viæ sternendæ, agrariarumve exhibitio, hospitis suscipiendi munus. nec huius quisquam excusationem præter eos, quibus principali beneficio concessum est, habet & si qua sunt præterea alia huiusmodi, ff. eod. l. sunt munera, xi.

Siue autem personalium duntaxat, siue etiam ciuiliuum munerum immunitas alicubi concedatur: neque ab annona, neq; ab augariis, neq; à voredo, neq; à naue, neq; ab hospite recipiendo, neq; à capitatione exceptis militibus, vel veteranis excusare se possunt, ff. de muner. & honor. l. fin. §. pen.

Viæ sternendæ immunitatem veteranos non habere, Iulio Sosiano veterano rescriptum est. nam nec ab intributionibus, quæ possessionibus fiũt, veteranos esse excusatos, palam est; sed & naues eorum angariari posse, Aelio Firmo, & Antonino Claro veteranis rescriptum est, ff. de veteranis, l. pen.

Veteranos Diuus Magnus Antoninus cum patre suo rescripsit à nauium fabrica

excu-

excusari; sed & ab exactione tributorum habent immunitatem, hoc est ne exactores tributorum constituantur. sed veterani, qui passi sunt in ordinem legi, muneribus fungi coguntur, ff. eo. l. fi.

Legato, qui publicum negocium tuitus sit, intra tempora vacationis præstituta rursum eiusdem negocii defensio mandari non potest. Comites præsidum pro consulum, procuratoremve cæsaris á muneribus, vel honoribus, & tutelis vacant, ff. eod. l. legato, 12.

Prætor eos quoscunq; intelligit operam dare non posse ad iudicandum, pollicetur se excusaturum: fortè quod in perpetuum quis operam dare non potest: quod in eam valetudinem incidit, vt certum sit eum ciuilia officia subire non posse: aut si alio morbo laboret, vt suis rebus superesse non posit. Nam & hi in perpetuũ excusantur. duo genera tribuendæ muneris publici vacationis sunt: vnum plenius, cum, & militia datur: aliud exiguus, cum nudam muneris uacationem acceperint. Qui autem non habet excusationem, etiam inuitus iudicare cogitur. si post causam actam cæperit se excusare iudex: siquidem priuilegio, quod ante habuit, quàm susciperet iuditium velit se excusare, nec audiendus est. semel enim agnoscendo iuditium renunciat excusationi. Quod si postea iusta causa incidit, ut iudex vel ad tempus excusatur: non debet in alium transferri iudicium si cum captione: id futurum est alterutrius. Tolerabilius deniq; est, interim iudicem, qui semel cognouerit, tantisper expectare, quam iudici nouo rem rursus iudicandam committere, ff. eo. l. pen.

Ad excusationem munerum, defunctus filius non prodest, præterquam in bello amissus. eodem tempore idem duas causas operis non administrabit, ff. eo. l. fi.

Nullus vacationem temporalium accipiet, nisi Princeps iuris, ac probatis causis adnotatio Principis cõcesserit, C. de his, qui à Principes vacatio: accep. l. vnic.

Etiam hi qui procurant res Principum oneribus ciuilibus, quæ dignitati eorum congruunt; fungi debent, C. de excusat. muneris, l. prima.

Tutele solicitudo à muneribus ciuilibus non excusat, vtpote cum nec tres simul iniunctæ diuersarum domuum huiusmodi beneficium præstent, C. eo. l. tertia.

Procuratores absentium Reipublicæ causa munerum ciuilium vacationem non habent, C. eo. l. quinta.

Venatoribus immunitas ob hanc professionem solam nullo iure concessa probari potest, C. eo. l. septima.

Illud conuenit præcaueri, ne quis hanc, quæ personalis est functio, precio putet esse taxandam, C. eod. l. illud, x.

Sordidorum munerum excusatio delata personis ad hæredem successoremve trãsire non potest. neque enim potest esse perpetuum, quod non rebus, sed personis contemplatione dignitatis, atq; militiæ indultum est, C. eo. l. sordidorum.

Ea lex quæ extraordinariis sordidisque muneribus, expresis vocabulis functionum; & insignibus dignitatum sine vlla ambage præscripta est, ita seruatur vt iisdem beneficiis non quamdiu militauerint, sed quamdiu vixerint perfruantur, C. eod. eam legem, 15.

Fundi ad patrimonium Principum pertinentes, seu conductionis titulo, seu perpetuario iure teneantur, aliquid præter ordinem superindicti vel precii nomine, vel de sordidis quibuscunq; muneribus non agnoscant, C. eo. l. pen.

Ab illustribus personis sordida munera & extraordinariæ necesitates damnare mouentur, C. eo. l. fin.

Cum ad felicisimam expeditionem numinis Imperatoris omnium prouincialiũ,

per loca

per loca quo iter aripit debeant ministeria exhiberi: neminem pœnitus, ab angariis, vel per angariis, vel plaustriis, vel colibet munere excusare præcipitur: sed omnes siue ad domum Imperatoris siue ad venerabilis Augustæ, vel ad sacros sanctas Ecclesias, vel quaslibet illustres domus pertinent tempore espeditionis obedire decernitur. C. de quibus munerib. & l. secunda.

Omni excusationi cessante nullaque personali dignitate pœnitus excepta in quibuscunque locis opus exegerit murorum constructionum, seu comparationem furmenti aliarumque specierum sine vllo impedimento prout commodo atque necessarium fuerit statuitur fieri. C. eod. l. fin.

Qui ætate vel professione se excusant cum uos affirmetis liberalibus studiis operam dare maxima circa iuris professionem consistendo impublico gimnasio prouidendo vtilitati publice decernitur, vt singuli vsque ad vicesimumquintũ annũ ætatis suæ studiis non auocentur. C. qui ætate vel prof. se escu. l. prima.

Cum filios tuos patria potestate liberatos ad hoc minores legitima ætate esse dicas merito postulas vt liberalibus studiis non auocẽtur. Et ideo muneribus personalibus, quæ ad patrimonium non pertinent, non astringuntur si ciuium inopia non est. C. eod. l. secunda.

Cum facultates tuas omnes in filium tuum contulisse te, nec quicquã habere proponas, respectu patrimoni eius quod tuum esse desiit. muneribus ciuilibus non astringeris. C. qui nu. lib. vel paup. exc. meru. l. quarta.

Si quis propter censum tenuiorem, vacationem meruerit, atque hoc probauerit: beneficio potietur si propter rerum angustias ad personalia vocatur obsequia, C. eod. l. fin. §. final.

Ignominiæ causa sacrãmento liberati honoribus abstinere debent à muneribus autem ciuilibus excludendi non sunt, C. de iis, qui non impl. stip. l. prima.

Cum ob prouectæ ætatis, senium sis dimissus: honestam missionem consecutum te esse ambi hi non potest. habebis itaq; à ciuilibus muneribus vacationem, nec tamen ea priuilegia, quæ his competunt qui pleno stipendiorum numero funguntur, vsurpare te ius permittit quando non perfecto statuto militiæ tempore nec omnibus stipendiis decursis, sacramento solutum te esse etiam ipse confitearis, C. eo. l. secunda.

Veteranis ita demum onerum & munerum personalium uacatio iure conceditur, si post vicesimum annum militiæ, honestam vel causariam missionem consecuti esse ostendatur, C. eo. l. fin.

Infames personæ licet nullus honoribus, qui integre dignitatis hominibus deferri solent, vti possint: curialium tamen vel ciuilium munerum vacationem non habent, sed solennibus indictionibus, ob tutelam publicam, eos satisfacere necesse est, C. de infamibus, l. unica.

Artifices artium breui subdito comprehensarum per singulas ciuitates morantes ab vniuersis muneribus vocare præcipitur: si quidem in discendis artibus ociũ est accommodandum, quo magis cupiant & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire. & est negotia ista, Architecti, medici, pictores, statuarii, marmorarii, lecticarii, seu arcarii, clauicarii, quadrigarii, vel quadratarii, structores, idest ædificatores, sculptores, signarii, musiuarii, deauratores, albini, argentarii, barbaricarii, diatretarii, ærarii, fusores, lignarii, fabricarii, bracarii, perticarii, atq; libratores, figuli, aurifices, vitriarii, plumbarii, specularii, eborarii, pelliones, fulones, carpentarii, sculptores, de albatores, clusores, trigarii, tignarii, bratteariii, C. de excusationibus. artif. l. prima.

Mathema-

Mathematicos, geometras, & architectos, qui diuisiones partium omnium incisionesque seruant, mensuris, quæ & institutis. operam fabricationibus stringunt: & eos, qui aquarum ductus & inuentos modos docili libratione ostendunt, impar studium docendi, atque discendi nostro sermone compellimus. itaque immunitatibus gaudeant, & suscipiant docendos, qui docere sufficiunt, C. eod. l. Mathematicos secunda, seu fin.

Plurimi immunites operum publicorum concessione iudicum adepti sunt: & ideo iubet illicitas immunitates nullius esse momenti, C. de ope. pub. l. prima.

DE IVRE IMMVNITATIS. Titulus VIII.

QVi ob hoc tantum in nauibus sunt, vt in eis agendi causa operentur, nulla constitutione immunitatem à muneribus ciuilibus habent, ff. de iure immu. l. prima.

Personis datæ immunitates hæredibus non relinquuntur; sed & generi posterisque datæ, custoditæque, ad eos, qui ex fœminis nati sunt, non pertinent, ff. eo. l. prima, §. personis.

Hi, qui certa conditione muneribus, vel honoribus se adstrinxerunt, cum alias compelli non possent inuiti suscipere istum honorem: fides eis seruanda est, condictio quoque, qua se, siue ad munera, siue honores adplicare se passi sunt, ff. eo. l. secunda, in princ.

Impuberes, quamuis necessitas penuriæ hominum cogat, ad honores non esse admittendos, rescripto ad Biridium Rufum Legatum Ciliciæ declaratur, d. l. secunda, §. fina.

Maiores septuaginta annis à tutelis, & muneribus vacant; sed qui ingressus est septuagesimum annum nondum egressus hac uacatione non utetur: quia non videtur maior esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum, ff. eod. l. tertia.

Immunitates generaliter tributæ eo iure, vt apud posteros transmitterentur: in perpetuum succedentibus durant, ff. eo. l. quarta.

Semper in ciuitatibus senectus venerabilis fuit. Namque maiores nostri penè eundem honoribus senibus, quàm magistratibus tribuebant. circa munera quoque municipalia subeunda, idem honor senectuti tributus est; sed eum, qui in senectute, locuplex factus est, & ante nullo munere publico functus est: dici potest non eximi ab hoc onere priuilegio ætatis: maximè si non tam corporis habeat uexationem, quàm pecuniæ erogationem indicti muneris administratio: & ex ea sit ciuitate, in qua non facilè sufficientes viri publicis muneribus inueniantur, ff. de iure immun. l. quinta, in prin.

Legem quoque respici cuiusque loci oportet, an cum quas immunitates nominatim complecterentur, etiam de numero annorum in ea commemoretur, d. l. quinta, §. legem quoque.

Demonstratur variè, nec abcisè numerum liberorum ad excusationem municipalium numerum prodesse ex rescriptis Diui Aelii Pertinacis. namque Saluio Candido in hæc verba rescripsit; ET SI NON AB OMNIBVS MVNERIBVS LIBERORVM NVMERVS PATRI VACATIONEM PRAESTAT, TAMEN CVM SEDECIM TE LIBEROS HABERE LIBELLO SIGNIFICAVERIS: NON CONTRARIVM RATIONI FVERIT,

RIT, SI TE LIBERORVM EDVCATIONI INCVMBERE POTIVS SINAMVS, SOLVAMVSQVE MVNERVM FVNCTIONE, d.l.quinta,§.demonstratur.

Negociatores,qui annonam vrbis adiuuant: item nauicularii, qui annonæ vrbis seruiunt,immunitatem à muneribus publicis consequuntur. quamdiu in eiusmodi actu sunt. nam remuneranda pericula eorum, quin etiam adhortanda præmiis meritò placuit: ut qui peregrè muneribus quidem publicis, cum periculo,& labore fungerentur,à domesticis vexationibus & sumptibus liberarentur, cum non sit alienum dicere etiam hos reip.causa, dum annonæ vrbis seruiunt abesse,d.l.quinta,§.negociatores.

Immunitati, quæ nauiculariis præstatur, certa forma data est: quam immunitatem ipsi duntaxat,habent non etiam liberis eorum præstatur,idque principalibus constitutionibus declaratur,d.l.quinta,§.immunitati.

Diuus Hadrianus rescripsit immunitatem nauium maritimarum duntaxat habere,qui annonæ vrbis seruiant,d.l.quinta,§.diuus.

Licet in corpore nauiculariorum quis sit,nauem tamen,vel naues non habeat,nec omnia ei congruant,quæ principalibus constitutionibus cauta sunt, nō potest priuilegiis nauiculariis indultis vti. idq; & diui fratres rescripserunt in hæc verba. CONATI SVNT. ET ALII PRAETEXTV NAVICVLARIORVM, EORVMQVE QVI IN FORVM POPVLI ROMANI FRVMENTVM ET OLEVM CONVEHVNT, QVI IMMVNITATE PERFRVVNTVR, PVBLICIS SE MVNERIBVS SVBTRAHERE: TAMETSI NEQVE NAVIGENT, NEQVE MAXIMAM SVBSTANTIAE PARTEM IN NAVICVLARIAM,AVT MERCATVRAM EXERCENDAM CONTVLERINT. ADIMATVR. ITAQVE TABVLIS IMMVNITATIS IVS,d.l.quinta,§.diuus.

Hoc circa uacationes dicendum est,ut si ante quis ad munera municipalia,vocatus sit, quam negociari inciperet, vel antequam in collegium adsumeretur, quod immunitatem pariat: vel antequam septuagenarius fieret, vel antequam publicè profiteretur: vel antequam liberos susciperet: compellatur ad honorem gerendum,d.l.quinta,§.hoc circa.

Negociatio pro incremento facultatem exercenda est. alioquin si quis in maiore pecuniæ suæ parte negociationem exercebit,rursusq; locuplex factus in eadem quantitate negociationis perseuerauerit: tenebitur muneribus,sicuti locupletes,qui modica pecunia comparatis nauibus, se publicis muneribus subtrahere tentant, idque ita obseruandum epistola Diui Hadriani rescriptum est, d.l. quinta,§.negociatio.

Diuus quoq; Pius rescripsit, vt quoties de aliquo nauiculario quæratur illud excutiat,an effugiendorū munerū cā immaginē nauicularii,īduat,d. l. v.§.Diuus.

Conductores etiam vectigalium fisci necessitate subeundorum municipalium munerum non obstringuntur.idq; ita obseruandum,diui fratres rescripserūt. Ex quo principali rescripto intelligi potest non honori conductorum datum, ne compellantur ad munera municipalia:sed ne extenuentur facultates eorū, quæ subsignatæ sint fisco,vnde subsisti potest, an prohibendi sint à præside, uel procuratores Cæsaris,ēt si vltro se offerāt municipalibus muneribus,qđ ꝓpius eū defendere,nisi si patria cum fisco fecisse dicanť,d.l. quinta, §. conductores.

Quibusdam collegiis,vel corporibus, quibus ius coeundi lege permissum est, immunitas tribuitur: scilicet eis collegiis, vel corporibus, in quibus artificii

sui causa unusquisque adsumitur, ut fabrorum corpus est, & si qua eandem rationem originis habent. hæc idcircò instituta sunt, vt necessariam operam publicis vtilitatibus exhiberent, nec omnibus promiscuè, qui adsumpti sunt in his collegiis, immunitas datur, sed artificibus, duntaxat. nec ab omni ætate allegi possunt, vt Diuo Pio placuit, qui reprobauit, prolixæ, vel imbecillæ admodum ætatis homines, sed nec quidē eos, qui augent facultates, & munera ciuitatū sustinere possunt: priuilegiis, quæ tenuioribus per collegia distributis concessa sunt, vti posse, plurifariam constitutum est, d.l. quinta, §. quibusdam.

Eos, qui in corporibus allecti sunt, quæ immunitatem præbent. (vt nauicularioru) si honorem decurionatus agnouerint, compellendos subire munera publica confirmatum videtur rescripto Diui Pertinacis, d.l. quinta, §. eos, qui.

Quibusdam aliquam vacationem munerum grauiorum conditio tribuit: vt sunt mensores, optio, valetudinarii, medici, capsarii, & artifices, & qui fossam faciunt, veterinarii, architectus, gubernatores, naupegi, balistarii, specularii, fabri, sagittarii, ærarii, bractearii, structores, carpentarii, scandularii, aquilices, tubarii, cornarii, arcuarii, plumbarii, ferrarii, lapidarii, & qui calcem coquunt, & siluam incidunt, & qui carbonem cedunt, & torrent, in eodem numero solent haberi lanii, venatores, victuarii, & optio fabrica, & qui ægis præsto sunt, librarii, quoq; qui docere possunt, & horreorum librarii caducorum, & adiutores cornicullariorum, & statores, & pelliones, & custodes armorum, & præco, & bucinator. hi igitur omnes inter immunes habentur, ff. eo. l. fi.

Honeste sacrō solutis data immunitatis ē in eis ciuitatibus apud quas incola sunt, ualet: nec labefactat̄, si q̨s eorū uoluntate sua honorē aut munus susceperit. Vectigalia, & p̄rimoniorū onera sollēnia oēs sustinere oportet, ff. đ veteran. l. scđa.

DE DECRETIS AB ORDINE FACIENDIS. Tit. IX.

Medicorum intra numerum præfinitum constituendorum arbitrium non præsidi prouinciæ commissum est, sed ordini & professoribus, cuiusque ciuitatis, vt certi de probitate, morum & peritia artis eligant ipsi, quibus se liberosque suos in egritudinem corporum committant, ff. de decretis ab ordine faciendis, l. prima.

Illa decreta, quæ non legitimo numero decurionum coacto facta sunt, non valent. Lege aut municipali cauetur, vt ordo non aliter habeatur, quàm duabus partibus adhibitis, ff. eo. l. secunda, & tertia.

Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent: siue aliquem debitorem dimiserint, siue largiti sint, proinde (vt solent) siue decreuerint de publico alicui, vel prædia, vel ædes, vel certam quantitatem præstari: nihil valebit huiusmodi decretū; sed & si salarium alicui decuriones decreuerint: decretum id nonnunquam vllius erit momenti, vtputa si ob liberalem artem fuerit constitutū vel ob medicinam. ob has. n. causas licet constitui salaria, ff. eo. l. quarta, & C. eod. l. fin.

Quod semel ordo decreuit, non oportere rescindi Diuus Hadrianus Nicomedensibus rescripsit, nisi ex causa, idest si ad publicam vtilitatem respiciat rescissio prioris decreti, ff. eod. l. penul.

Municipii lege ita cautum erit, si extra decurionum ordinem iudicauerit, & ipso ordine mouentur, & insuper mille drachmas persoluat: Qui ignorans aduersus decretum fecit, pœnam non sustinebit, quia huiusmodi pœnæ aduersus scientes paratæ sunt, ff. eo. l. fi.

Exceptis, qui liberalium studiorum antistites sunt, & qui medendi cura funguntur decreto decurionum immunitas nemini tribui potest, decr. decur. l. prima.

DE ADMINISTRATIONES RERVM AD CIVITATES pertinentium. Titulus X.

QVod ad certam speciem ciuitatis relinquitur in alios vsus conuertere non licet, ff. de adm. rerum ad ciuit. pert. l. prima.

Non vtique de exemplo posterioris locationis præteritarum conductionum, quæ suam legem habuerunt, rationem iniri oportet, ff. eod. l. secunda, in princ.

Quod quis suo nomine exercere prohibetur, id neq; per subiectam personam agere debet. & ideo si decurio subiectis aliorum nominibus, prædia publica colat, quæ decurionibus conducere non licet, secundum legem vsurpata reuocentur, d. l. secunda, §. quod quis.

Quod de frumentaria ratione in alium vsum conuersum est, suæ causæ cum incremento debito restituetur, ideoque & si contra absentem, pronunciatum est, inanis est querela: ratio tamen administrationis secundum fidem acceptorum, & datorum ponitur, d. l. secunda, §. quod de frumentaria.

Frumentariæ pecuniæ debitor suo nomine, quàm primum soluat, necessaria enim omnibus rebus publicis frumentaria pecunia moram solutionis accipere non debet, sed debitore, quos ex eadem causa habent ad solutionem per præsidem prouinciæ compellantur, d. l. secunda, §. frumentariæ.

Ad frumenti comparationem pecuniam datam restitui ciuitati non compensari in erogata debet. sin autē frumētaria pecunia ad alios vsus, quam quibus destinata est conuersa fuerit; veluti in opus balneorum publicorum, licet ex bona fide datum probatur: compensari quidem frumentariæ pecuniæ non oportet, solui autem à curatore Reip. iubetur, d. l. secunda, §. ad frumenti.

Si indemnitas debiti frumentariæ pecuniæ cum suo interesse sit: immodicè & illicitè computationis modus non adhibetur, idest ne commodorum commoda incrementum faciant, d. l. secunda, §. si indemnitas.

Grani æstimationem per iniuriam post emptionem ablati, quæ rationibus publicis refertur, curator Reip. domino restitui iubeat, d. l. secunda, §. grani.

Decuriones precio viliore frumentum, quod annonæ temporalis est, suæ patriæ præstare non sunt cogendi, ff. eo. l. quinta, in prin.

Si eo tempore, quo est nominatus, idoneus postea lapsus facultatibus, damnum debitis Reip. dederit, quia fortuitos casus nullum humanum consilium prouidere potest, curator hoc nomine, nihil præstare debet, d. l. secunda, §. si eo tpe.

Ius Reip pacto mutari non potest, quo minus magistratus collegæ quoq; nomine conueniatur in his speciebus, in quibus id fieri permissum est. actio autem, quæ propter ea in collegam decerni solet ei, qui pro altero dependit, ex æquitate competit, & quod depensum pro collega in magistratu probabitur, solui & ab hæredibus eius præses prouinciæ iubebit, d. l. secunda, §. ius Reip.

Conductores perficiendi operis punito, fideiussor, qui pro eo interuenerat, idem opus extruendum alii locauerat, nec à secundo redemptore o pere perfecto: interesse præstationem hæres fideiussoris recusare non debet, cum & prior cā in bonæfidei contractū in uniuersum fideiussorē obligauerit, & posterior locatio (q̄a suū ꝑiculū agnouerit) solidæ p̄stationi Reip. eū substituerit, d. l. scđa, §. pe.

Qui fideiusserunt pro conductore vectigalis, in vniuersam conductionem in interesse quoq; iure conueniuntur: nisi propriè quid in persona eorum verbis obligationis expressum est. Sed si in locatione fundorum pro sterilitate temporis boni viri arbitratu in soluenda pensione, cuiusq; anni pacto comprehensum est: explorata lege conductionis, fides bona sequenda est, d.l. secunda, §. fi.

Curatores communis officii diuisa pecunia, quam omnibus insolidum publicè dari placuit, periculo vice mutua non liberantur, VLPIANVS prior tamen exemplo tutorum conueniendus est is, qui gesƒit, ff. de adm. rer. l. tertia, in prin.

Prædium publicum in annos quinq; idonea cautione non exacta, curator reip. locauit: cæteris annis colonus si reliqua traxerit, & de fructibus prædii mercedes adseruari non potuerunt: successor eius, qui locauit, tenebitur, idem in vectigalibus non ita pridem constitutum est, vt sui temporis singuli periculum præstarent, d.l. tertia, §. prædium.

In eum, qui administrationis tempore creditoribus reipu. nouatione facta pecuniam cauit, post depositum officium actionem denegari non oportet, diuersa est causa eius, qui solui constituit. similis etenim videtur ei, qui publicè vendidit, aut locauit, d.l. tertia, §. in eum, qui.

Filium pro patre curatore Reip. creato caueri cogi non oportet, nec mutat, quod in eum pater emancipatum, priusquam curator crearetur, partem bonorum suorum donationis causa contulit, d.l. tertia, §. filium.

Pro magistratu fideiussor interrogatus, pignora quoq; specialiter dedit, in eum casum pignora videntur data, quo rectè conuenitur, videlicet postquam res ab eo seruari non potuerit, pro quo intercesƒit, d.l. tertia, §. fin.

Legatam municipio pecuniam in aliam rem, quàm defunctus voluit conuertere citra principis authoritatem non licet; & ideo siue unum opus fieri iusƒit, quod Falcidiæ legis interuentu fieri potest: permittitur summam, quæ eo nomine debetur in id, quod maximè necessarium Reip. videatur, conuertere, siue plures summæ in plura opera legantur, & legis Falcidiæ interuentu, quod relinquitur omnium operum extructioni non sufficit: permittitur in vnum opus, quod ciuitas velit erogari, sed municipio pecuniam legatam, vt ex reditu eius venatio, aut spectacula ædantur, senatus in eam causam erogari vetuit, & pecunia eo legata in id, quod maximè necessarium municipibus videatur conferri permittitur, vt in eo munificentia eius, qui legauit inscriptione notetur, ff. eod. l. quarta.

Nisi ad opus nouum pecunia specialiter legata sit, vetera ex hac reficienda sunt, ff. eo. l. quinta, §. fina.

Magistratus Reip. non dolum solummodo: sed & latam negligentiam, & hoc amplius etiam diligentiam debent, ff. eo. l. sexta.

Filiusfam. volente patre magistratum gesserat, Iulianus existimabat, insolidum patrem teneri in id, quod eius nomine Reip. abesset, ff. eo. l. septima.

Calcularii erroris retractatio etiam post decennii, aut Vicenii tempora admittetur, sed si gratiosè expunctæ dicentur, non retractabuntur, ff. eo. l. pen.

Pecuniæ, quæ apud curatores remansit interesse exigendum est, eius verò quæ à redemptoribus operum exigi non potest, sortis duntaxat periculum ad curatores pertinent. Item operum periculum ad hęredes etiam curatorum pertinent, ff. eod. l. fin. in princ.

Curator ciuitatis debet retrahere agros Reip. licet à bona fide emptoribus. possideantur, cum posƒint ad auctores suos recurrere, d.l. fi. §. item rescrip. secundo.

Operum exactio sine cautione non oportet commmitti, d.l. fi. §. Imperatores.

Curatores,

Curatores, si negligenter in distrahendis bonis se gesserint, in simplum tenentur; si per fraudem: in duplum, nec ad hæredes eorum pœna descendit, d. l. fina. §. item rescripserunt.

Pecunia ad annonam destinatam distractis rebus curator exigere debet, d.l.fin. §.item rescripserunt.

Sitonas indemnes esse oportet, qui non segniter officio suo functi essent, secundum literas Hadriani, d.l.fi.§.idem rescripserunt, v.

A curatore Kalendarii cautio exigi non debet, cum à præside ex inquisitione eligatur, d.l.fi.§.item rescripserunt, vi.

Curator etiam nomine collegæ tenetur, si interuenire, & prohibere eum oportuit, d.l.fin.§.item, vii.

Nominum, quæ deteriora facta sunt tempore curationis periculum ad ipsum pertinet. quæ verò ante, quam curator fieret, idonea non erant: æquum uidetur, periculum ad eum non pertinere, d.l.fi.§.item, viii.

Is, qui pecuniam publicam magistratus sui tempore, & post non pauco tempore non detinuerat. interesse etiam præstare debet: nisi quid allegare possit, qua de causa tardius intulerit, d.l.fi.§. fin.

DE OPERIBVS PVBLICIS. Titulus XI.

Curator operum creatus præscriptione motus ab excusatione perferenda, sicuti cessationis nomine, in qua quoad vixit, moratus est, hæredes suos obligatos relinquit: ita temporis: quod post mortem eius cessit, nullo onere eos obstrinxit, ff. de ope. pu. l. prima, in prin.

Curam operis aquæductus in alio iam munere constitutus postea susceperat, præposterè visus est petere exonerari priore munere, vtrisq; iam implicitus: quando, si alterum tantum sustinere eum oportuisset, ante probabilius impetrasset propter prius munus à sequente excusationem, d.l.prima, §.fin.

Qui liberalitate non necessitate debiti reditus suos interim ad opera finienda concessit: munificentiæ suæ fructum de inscriptione nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per inuidiam non prohibetur, ff.eo.l.secunda, in prin.

Curatores operum cum redemptoribus negocium habent: Resp. autem cum his, quos efficiendo operi præstituit, quatenus ergo, & quis, & cui obstrictus sit, æstimatio præsidis prouinciæ est, d.l. secunda, §.curatores.

Ne eius nomine, cuius liberalitate opus extructum est, eraso aliorum nomina inscribantur, & propterea reuocentur similes ciuium in patrias liberalitates præses prouinciæ authoritatem suam interponet, d.l.secunda, §.fin.

Opus nouum priuato etiam sine principis authoritate facere licet: præterquam si ad emulationem alterius ciuitatis pertineat: vel materiam seditionis præbeat, vel circum theatrum, vel amphyteatrum sit, publico vero sumptu opus nouum sine principis authoritate fieri non licere constitutionibus declaratur. inscribi autem nomen operi publico alteriusquam principis, aut eius, cuius pecunia id opus factum sit, non licet. Nec præsidis quidem nomen licebit superscribere, ff.eo.l.tertia, & quarta.

Si legatum, vel fideicommissum fuerit ad opus relictum interesse, quod & quando incipiat deberi rescripto Diui Pii, ita continetur, siquidem dies non sit ab hsi, qui statuas, vel imagines ponendas legauerint, præfinitus à præside prouin

ciæ tempus statuendum est,& nisi posuerint hæredes,interesse Reipublicæ pendent: si vero dies dictus est, pecuniam intra diem deponat: si aut non inuenire se statuam dixerint, aut de loco controuersiam fecerint, interesse pendant, ff. eod. l. quinta, in princi.

Fines publicos à priuatis detineri non oportet,curabit igitur præses prouinciæ, si qui publici sunt à priuatis separare,& publicos potius reditus augere, si qua loca publica,vel ædificia in vsus priuatorum inuenerit: æstimare vtrumne vindicanda in publicum sint,an vectigal eis satius sit imponi: & quod vtilius esse Reip.intellexerit,sequi,d.l.quinta,§.fin.

De operibus,quæ in muris,vel portis,vel rebus publicis fiunt,aut si muri extruantur, Diuus Marcus rescripsit præsidem aditum consulere Principem debere, ff.eod.l.penulti.

Pecuniam,quæ in opera noua legata est, potius in tutelam eorum operum, quæ sunt,conuertendam, quam ad inchoandum opus erogandum Diuus Pius rescripsit: scilicet si satis operum ciuitas habeat, & non facile ad reficienda ea inueniatur,ff.eo.l.fin.in prin.

Si quis opus ab alio factum adornare marmoribus,vel alio, quo modo ex uoluntate populi facturum se pollicitus sit: nominis proprii titulo scribendo, manentibus priorum titulis,qui ea opera fecissent,id fieri debere,senatus censuit, quod si priuati in opera,quæ publica pecunia fiant, aliquam de suo adiecerint summam.ita titulo inscriptionis uti eos debere,cauetur,vt quantam summam contulerint in id opus inscribant,d.l.fi.§.fi.

Quæ operibus publicis impensa constiterit,accepto ferri oportet,C.eo.l. secũda.

Prætoria iudicum & domus publicas oportet publico iuri atque vsui semper vindicari,C.eo.l.tertia.

Præscriptio temporis iuri publico non debet obsistere, sed ne rescripta quidem. atque ideo diruenda sunt omnia quæ per diuersas vrbes in foro,vel in quocunque publico loco contra ornatum & commodam,ac decoram faciem ciuitatis extructa noscuntur,C.eo.l.quinta.

Ad portus,& aquæductus, & murorum instaurationem, siue extructionem certatim facta operarum collatione, instaurare debent, neq; aliquis ab huiusmodi consortio dignitatis priuilegiis excusari,C.eo.l.sexta.

Omnes quibus,vel cura mandata fuerit operum publicorum, vel pecunia ad extructionem solito more credita vsq; ad annos quindecim ab opere perfecto cum suis hæredibus teneantur obnoxii: ita, ut si quid uicii in ædificatione intra præstitutum tempus peruenerit, de eorum patrimonio (exceptis tamen casibus iis,qui sunt fortuiti) reformetur,C.eo.l.septima.

Si qui iudices,perfecto publicis pecuniis operi suum nomen sine Imperatoris nomine mentione inscripserint: maiestatis teneantur obnoxii,C.eo.l. si qui, ix.

Omnes prouintiarum rectores literis moneantur, vt sciant, ordines atq; incolas vrbium singularum muros,vel nouos debere facere, vel ueteres firmius renouare: scilicet hoc pacto impendiis ordinandis,vt adscriptio currat pro uiribus singulorum,deinde adscribantur pro æstimatione futuri operis territoria ciuiũ: ne plus poscatur aliquid,quàm necessitas imperauerit, nève minus, ne instans impediatur effectus. oportet nanque per singula non sterilia iuga certa quoque distribui, vt par cunctis præbendorum sumptuum necessitas imponatur: nemini excusatione, vel alia præsumptione ab huiusmodi immunitate præbenda,C.eo.l.omnes,xi.

Nemo

Nemo iudicum aliquid operis existimet incohandum, vel ex diuersis operibus ornamenta, aut marmora, vel qualibet speciem, quæ fuisse in vsu & ornata probabitur ciuitatis, eripere, vel alio transferre sine iussu principis audeat. Etenim si quis contrafecerit: sex libris auri multabitur. Simile etiam condemnatio ordines ciuitatum manebit, nisi ornamentum genitalis patriæ huiusmodi decreti authoritate defenderint. Horreorum autem vel stabulorum fabricas arbitratu proprio prouinciarum iudices studio laudando deuotionis arripiant. C. eodem. l. nemo. 12.

Aedificia, quæ vulgo pararesia nuncupantur, vel si qua alia opera mœnibus vel publicis operibus sociata cohærent, vt ex iis incendium, vel insidias vicinas reformidet, aut angustentur spatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo: dirui ac prosterni præcipitur. C. eod. l. ædificia. 13.

Si quando homines mergant, qui à principe opus publicum sibi præberi postulauerint: non nisi diruta, penitusque destructa, & quę parum sunt in vsu ciuitatum, percipiant. C. eod. l. si quando. 14.

Si quando vsus exegerit, vel porticus, vel quaslibet ætatis senio ædes, seu fortuitis concussas casibus, reparari: liceat etiam inconsulta clementia imperiali, cum reuerentia sui imaginem deponere, principum, reportatamque post refecta ædificia loco proprio denuo collocare. C. eod. l. si quando vsus. 15.

Qui sine authoritate principis angiportus integros vel partes suis domibus incluserunt: seu porticus vsurparunt: proculdubio iura pristina sacratissimæ reddere ciuitati iubetur, multa quinquaginta auri librarum nō de futura, si quis post hac in similem audaciam prodire tentauerit. C. eod. l. qui sine. 19.

Nemo iudicum licebit opera inchoare prius quàm ea, quæ cœpta inuenerit à decessore vel decessoribus suis, vetustate diruta, aut desidia derelicta, diligenti studio instantiaque compleuerit; cum ex hoc plurimum laudis adquirat, si ea perfecta reddiderit, quæ vetusta sunt, & instaurationem requirunt, quæque ab aliis initiata & imperfecta resideant. C. eod. l. finali.

Aedificia priuata fieri conseruarique spectat ad publicum ius, ideo post titulum de operibus publicis sequitur iste titulus.

DE AEDIFICIIS PRIVATIS. Titulus XX.

ET balneum (vt desideras) extruere, & ædificium superponere potes: obseruata tamen forma, qua cæteris super balneum ædificare permittitur: idest, vt concameratis super instruas, & ipsum cum cameres, nec modum vsitatum altitudinis excedas, C. de ædif. priua. l. prima.

Negociandi causa ædificia demoliri, & marmora detrahere, edicto diui Vespasiani, & Senatusconsulto vetitum est. Cæterum de alia domo in aliam transferre licere, exceptum est. sed nec dominis ita transferre licet: vt integris ædificiis depositis, publicus deformetur aspectus. C. eod. l. secunda.

An in totum ex ruina domus licuerit non eadem faciem in ciuitate restituere, sed in horreū conuertere, & an hoc consensu, tunc magistratum non prohibentiū, item vicinorum factum sit: pręses probatis iis, quæ in oppido frequenter in eodem genere controuersiarum seruata sunt, cognita statuet. C. eod. l. tertia.

Si (vt proponis) socius ædificii ad refectionem eius sumptus conferre detrectat:

non

nõ necessario extra ordinẽ tibi subueniri desideras. Etem si solus ædificaueris, nec intra quatuor mensiũ tẽpora cũ centesimus numus ꝑ portione socii erogatus restitutus fuerit, vel quominus id fieret, ꝑ sociũ stetisse cõstiterit: ius dñii ꝑ solido vindicare, uel obtinere, iuxta placitũ antiquitus, poterit. C. eo.l. quarta.

Si is contra quem precem fundis, sciens prudens quæ soli partem ad te pertinere, non quasi socius vel colega communis operis solicitudine solidam balneorum extractionem ea mente, vt sumptus pro portione tua reciperet, aggressus est, sed vt totius loci dominum vsurparet collapsum balneum refabricare enixus est: cum ædificia, quæ alieno loco imponuntur, solo cedant, nec impensæ iis, qui improbe id fecerint, restitui debeant: antiquato diui Hadriani edicto, præses prouinciæ memor iuris publici, in dirimenda disceptatione legum placita custodiat. C. eod.l. quinta.

Si quis ciuitate spoliata ornatum hoc est marmora, vel columnas, ad rura transtulerit: priuetur ea possessione quam ita ornauerit: si quis autem ex alia in aliam ciuitatem labentium parietum marmora vel columnas de propriis domibus in proprias transferre voluerit: quoniam vtrubique hæc esse, publicum decus est: licenter hoc faciat. Data similiter facultate, etiam de possessione ad aliam trãsferendi, quamuis per muros vel etiam per mediam ciuitatem ea transferri, necesse sit: ita vt ea solummodo, quæ illata fuerint, ciuitatibus exporrentur. C. eodem.l. sexta.

Nemini calumnas vel statuas, cuiuscunque materiæ ex alia eadem quæ prouincia vel auferre liceat, vel mouere. C. eod.l. septima.

Singulorum vrbium curiales etiam inuiti, vel reparare intra ciuitates, quas olim habuerunt domus uel de nouo ædificare cogantur: illic semper muniis seruituri & acturi propriam frequentiam ciuitatum possessores, vero, qui non erunt coriales, iu urbibus, in quibus domus possident easdem domus dirutas neglectasque reparent iudiciaria ad conseruandum hoc præceptum authoritate retinendi. C. eod.l. singulorum. 8.

Si cui loci proprietas ædificandi iuxta publicas ędes animum dederit: is quindecim pedum spatio interiecto inter publica ac priuata ædificia, sibi nouerit fabricandum. ut tali interuallo & publicæ ædes à periculo uindicentur, & priuatus ædificator uelut perperam fabricato loco destructionis quandoque futuræ non timeat detrimentum. C. eod.l. si cui. 9.

Cunctis uolentibus permittitur, murali ambitu proprios fundos, seu sui loca dominii constrituta uallare. C. eo.l. per prouincias.

Mœniana siue olim constructa, siue in posterum in prouintiis constituenda, nisi spatium inter se per decem pedes liberi aeris habuerint: modis omnibus detrahentur in his uero locis, in quibus ædificia priuatorum horreis publicis uidentur obiecta: obstructione mœnianorum quindecim pedum interualla seruentur. Quem intercapedinis modum ædificaturis proponimus ita, ut si quis intra definitum spacium, idest decem pedum mensuram, ædificare uel intra quindecim pedum mœnianum possidere tentauerit, sciat non solum fabricata demolienda, sed etiam ipsam domum fisco adscribendam. C. eod.l. penul.

DE POLLICITATIONIBVS. Tit. XI.

PActum est duorum consensus, atque conuentio, pollicitatio uero afferentis solius promissum, & ideo illud est constitutum, ut si ob honorem pollicitatio fuerit facta:

rit facta,quasi debitum exigatur,sed cœptum opus, licet non ob honorem promissum,perficere promissa cogetur,vt est constitutum, ff. de pollicit. l. tertia, in princip.

Si pollicitus,quis fuerit Reip.opus se facturum,vel pecuniam daturum,pro interesse non conuenietur,sed si moram cœperit facere interesse accedet, vt Imperator rescripsit. Non semper autem obligari eum,qui pollicitus est, sciendum est: sed si quidem ob honorem promiserit decretum sibi,vel decernendum, vel ob aliam iustam causam,tenebitur ex pollicitatione,si vero sine causa promiserit: non erit obligatus: & ita multis constitutionibus,& veteribus,& nouis continetur. item si sine causa promiserit, cœperit tamen facere, obligatus est, qui cœperit.ff.de pollicitationibus.l.prima,in prin.

Cœpisse sic accipimus,si fundamenta iecit,vel locum purgauit. sed & si locus illi petenti destinatus est: magis est,vt cœpisse uideatur: item si apparatum siue impensam in publico posuit,sed si non ipse cœpit,sed cum certam pecuniam promisisset ad opus Reipub. contemplatione pecuniæ cœpit opus facere, tenebitur quasi cœpto opere,d.l.prima,§.cœpisse.

Denique cum columnas quidam promisisset, Imp. rescripsit eos qui non ex causa pecuniam Reipublicæ pollicentur, liberalitatem perficere non cogi, sed si columnes citiensibus promisse, sunt & opus ea ratione sumptibus ciuitatis, uel priuatorum inchoatum est: deseri: quod cœptum est,non oportet. dicta. l.prima.§.denique.

Si quis opus,quod perfecit,adsignauerit,deinde fortuito casu aliquod passum sit periculum,ad eum,qui fecit,con pertinere rescriptum est,d.l.prima,§.finali.

Si quis postquam ex pollicitatione tradiderat rem municipibus,vindicauerit, repellendus est à petitione,æquissimum enim est huiusmodi voluntates in ciuitates collatas pœnitentia non reuocari,sed & si desierint municipes possidere: dicendum erit actionem eis concedendam.ff.eod.l.tertia. §.fina.

Propter incendium,vel terremotum, vel aliquam ruinam, quæ Reip. contigit, si quis promiserit tenetur,ff.eod.l.quarta.

Ex epistola,quam muneris edendi gratia absens,quis emisit,compelli is ad editionem non potest.ff.eod.l.quinta.

Totiens locum habet deminutio,pollicitationis in persona hæredis, quotiens nõ est pollicitatio ob honorem facta.cæterum si ob honorem facta sit: æris alieni loco habetur,& in hæredum persona non minuitur.ff.eod.l.sexta.in prin.

Non tantum masculos, sed etiam fœminas, si quid ob honorem pollicitate,sunt, debere, implere sciendum est. & ita rescriptis continetur. ff. eodem. l. sexta, §. non tantum.

Si cui Resp.necessitatem imposuerit statuarum principi ponendarũ: qui non promisit non esse necesse,ei obtemperare,rescriptis Imp.continetur,d.l.sexta,§. fi.

Ob casum,quem ciuitas passa est,si quis promiserit se quid facturum,& si non inchoauerit,omnimodo tenetur,ut diuus Seuerus Diogeni rescripsit.ff.eo.l.vii.

De pollicitationibus in ciuitatem factis iudicium cognitionem esse diui fratres Flaccio celso rescripserunt. Vnde probe faciet statius Rufinus,si opus proscenii quod se Gabinis exstructurum promisit, quod tandem aggressus fuerat, perficiat,nam & si aduersa fortuna vsus in triennium à præfecto vrbi relegatus est, tamen gratiam muneris, quod sponte obtulit, minuere non debet, cum & absens per amicum perficere opus istud possit,quod si detrectat: actores constituti, qui legitime pro ciuitate agere possint, nomine publico adire aduersus

eum iudices poterunt: qui cum primum potuerint, priusquam in exilium proficiscatur, cognoscent, & si opus perfici ab eodem debere constituerint, obedire eum Reip. ob hanc causam iubebunt, aut prohibebunt distrahi fundum, qué in territorio Gabinorum habet. ff. eod. l. de pollicitationibus. 8.

Ex pollicitatione, quam quis ob honorem apud Remp. fecit, ipsum quidem omni modo insolidum teneri: hæredem verò eius ob honorem quidem facta promissione, insolidum: ob id vero, quod opus promissum cœptum est, si bona liberalitati soluendæ non fuerint: extraneum hæredem in quintam partem patrimonii defuncti liberos in decimam teneri, diuus Seuerus, & Antoninus rescripserunt, sed, & ipsum donatorem pauperem factum ex promissione operis cœpti quintam partem patrimonii sui debere diuus Pius constituit. ff. eodem. l. ex pollicitatione. 9.

Septicia certamen patriæ suæ pollicendo sub hac conditione pollicita est, vti sors apud eam remaneret, & ipsa interesse semissale ad præmia certantium exsolueret in hæc verba. EX LIBERALITATE AC MVNIFICENTIA DEDICO QVADRIENNALE CERTAMEN DE TRIGINTA MILIBVS SORTIS: ITA QVIDEM, VT PECVNIA APVD ME RETENTA, APVD DECEMPRIMOS DE PRAESTANDIS IN EDITIONEM CONSVETIS TRIGINTA MILLIVM INTERESSE IDONEE CAVEAM DESIGNATORE, AC PRAEFECTO MARITO MEO, ET DEINCEPS, QVI EX ME NASCENTVR, LIBERIS CEDET AVTEM HOC INTERESSE IN PRAEMIA THYMELICORVM: PROVT VNO QVOQVE IN CERTAMINE SENATVS DEFINIERIT. Quæritur an possint iniuriam pati filii Septiciæ, quo minus ipsi præsiderêt certamini secundum verba conditionemque pollicitationis? Herennius Modestinus respondit, quo casu certaminis editio licita est, formam pollicitationi datam seruandam esse, ff. eod. l. Septicia. x.

Si quis ob honorem, pecuniam promiserit, & antequam honorem, vel magistratum ineat, decedat: non oportere hæredes eius conueniri in pecuniam, quam is ob honorem, vel magistratum promiserat principalibus constitutionibus cauetur nisi fortè ab eo, vel ab ipsa Rep. eo viuo opus fuerit inchoatum, ff. eodem l. si quis. xi.

In priuatis operibus, inuitis his, qui fecerunt, statuas aliis ponere non possumus, ut rescripto diui Seueri continetur, ff. eod. l. in priuatis. xii. in prin.

Cum quidam ne honoribus fungeretur opus promisisset: honores potius subire cogendum, quàm operis instructionem, diuus Antoninus rescripsit, d. l. in priuatis, §. finali.

Imperatores Antoninus, & Verus Augusti rescripserunt: opera extruere debere eos, qui pro honore polliciti sunt, non pecunias pro his inferre cogi, item rescripserunt conditiones donationibus adpositas, quæ in Remp. fiunt, ita demum ratas esse, si utilitatis publicæ interest, quod si damnosæ sunt: id obseruari non debere, & ideo non obseruandum esse, quod defunctus certa summa legata vetuit vectigal exerceri, esse. n. tolerabilia, quæ vetus consuetudo comprobat, ff. eod. l. Imperatores. xiii.

Si quis sui alienive honoris causa opus facturum se in aliqua ciuitate promiserit: ad perficiendum tam ipse, quàm hæres eius ex constitutione diui Traiani obligatus est. Sed si quis ob honorem opus facturum se in ciuitate aliqua promiserit, atque inchoauerit, & priusquam perficeret, decesserit, hæres eius extraneus quidem

quidem necesse habet, aut perficere id, aut partem quintam patrimonii relicti sibi ab eo, qui id opus facere instituerat (si ita malit) ciuitati, in qua id opus fieri cœptũ est dare: is aũt, qui ex numero liberorum est, si hæres exstitit: non quintæ partis, sed decimæ concedendæ necessitate adficitur & hæc diuus Antoninus constituit inter liberos vero nepotem quoque ex filia contineri diuus Pius rescripsit. ff. eod. l. pen. & fin.

DE POPVLARIBVS ACTIONIBVS. Titulus XII.

EAM popularem actionem dicimus, quæ suum ius populo tuetur. ff. de popul. actionib. l. prima.

Si plures simul agant populari actione, prætor eliget idoneiorem, ff. eod. l. secunda.

Sed si ex eadem causa sæpius agatur, cum idem factum sit: exceptio vulgaris REI IVDICATAE opponitur, in popularibus actionibus cuius interest, præfertur, ff. eod. l. tertia.

Popularis actio integrę personæ permittitur: hoc est cui per edictum postulare licet, ff. eod. l. quarta.

Qui populari actione conuenietur, ad defendendum procuratorem dare potest: is autem, qui eam mouet, procuratorem dare non potest, ff. eod. l. quinta.

Mulieri, & pupillo populares actiones non dantur, nisi cum ad eos res pertinet, ff. eodem. l. sexta.

Populares actiones non transeunt ad eum, cui restituta est hæreditas ex Trebelliano Senatuconsulto. item qui habet has actiones, non intelligitur esse locupletior, ff. eod. l. penul.

Omnes populares actiones neque in hęredes dantur, neque supra annum extenduntur, ff. eodem. l. finali.

DE NVNDINIS. Titulus XIII.

NVndinis impetratis à principe non vtendo, qui meruit, decennii tẽpore vsum amittit, ff. de nundinis. l. prima.

Si quis ipsos cultores agrorum, vel piscatores deferre vtensilia in ciuitatem iusserit, vt ea ipsi distrahant: destituetur annonæ prębitio, cum auocentur ab opere rustici. Quare confestim, vbi detulerint mercem, tradere eam, & ad opera sua reuerti debent, denique summæ prudentię, & authoritatis apud Græcos Plato, cum institueret, quemadmodum ciuitas bene, beatæque habitari posset, in primis hos negociatores necessarios dixit, sic. n. libro secundo ait Pluribus sanè non agricolis tantum, sed etiam opificibus opus est: adeoque aliis quoque ministris, tum qui importent singula, tum qui exportent. hi vero mercatores sunt. At vero Agricola si quid eorum, quæ effingit, aut quis alius opificum in forum deferat: nisi eodem tempore adueniat, quo alii eius rei indigentia adducti, cum eo contrahanr, negleto ne domi artificio iners in foro desidebit? minime dixit is, sed sunt, quia cum hoc videant huic se ministerio submittant, ff. eod. l. finali.

Qui exercendorum mercatum, aut nundinarum licentiam, vel veterum indultu vel Imp. authoritate meruerunt: ita beneficio rescripti potiantur, vt nullum in

mercatibus

mercatoribus atq; nundinis ex negociatorum mercibus conueniant, vel venaliciis, aut locorum temporali quæstu, & commodo priuata exactione sectentur vel sub prætextu priuati debiti aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint inferre. C. de nundinis, & mercatoribus. l. Vnica.

DE LEGATIONIBUS. Tit. XIIII.

Legatus municipalis si deseruerit legationem, pœna adficietur extra ordinaria, motus ordine, vt plerumque solet, ff. de leg. l. prima.

Legatus contra Remp. cuius legatus est, per alium à principe, quid postulare potest. ff. eod. l. secunda, in prin.

Vtrum quis deseruerit legationem, an ex necessaria causa moram passus sit ordini patriæ suæ probare debet. d. l. secunda, §. Vtrum quis.

Cessatio vnius legati, ei, qui minus, vt oportet obiit, non nocet, dicta. l. secunda, §. Cessatio.

His, qui non gratuitam legationem susceperunt, legatiuum ex forma restituitur, d. l. secunda, §. his, qui.

Cum quæritur, an in eum, qui in legatione sit, actio dari debeat: non tam interest vbi quis, aut crediderit, aut dari stipulatus sit. quam illud, an id actum sit, vt legationis tempore solueretur, ff. eod. l. tertia.

Sciendum est, debitorem Reip. legatione fungi non posse, & ita Diuus Pius rescripsit, sed & eos, quibus ius postulandi non est, legatione fungi non posse: & ideo in arenam missum non iure legatum esse, Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt. Debitores autem fisci non prohibentur legatione fungi, ff. eodem l. quarta, in princip.

Si accusatio alicuius publicè instituta sit non est compellendus accusator ad eum legationem suscipere, qui se amicum, vel domesticum dicit eius, qui accusatur, d. l. quarta, §. si accusatio.

Legati Vicarios dare non alios possunt, nisi filios suos, d. l. quarta, §. legati.

Ordine vnusquisque munere legationis fungi cogitur: & non alias compellendus est munere legationis fungi, quam si priores, qui in curiam electi sunt, functi sint, sed si legatio, de primoribus viris desideret personas. & qui ordine vocantur, inferiores sint: non obseruandum ordinem Diuus Hadrianus rescripsit. d. l. quarta, §. ordine.

Legato tempus prodest ex quo legatus creatus est, non ex quo Romam venit, sed si non constat, legatus sit, an non: Romæ prætor de hoc cognoscit. ff. eodem. l. quinta.

Filio propter patrem legationis vacatione concedatur Imp. rescripsit in hæc verba, QVOD DESIDERAS, VT PROPTER LEGATIONEM PATRIS TVI A LEGATIONE TV VACES IN INTERVALLIS HORVM, QVI SVMPTVM HABENT, RECTE OBSERVATVR: IN IMPENDIIS LEGATIONEM, QVAE SOLO MINISTERIO OBEVNTVR, DIVERSA CAVSA EST. ff. eod. l. sexta.

Filius decurio pro patre legationis officium suscepit, ea res filium, quo minus ordine legatus proficiscatur, non excusat pater tamen biennii vacationem vindicare poterit: quia per filium legatione functus videtur, ff. eod. l. septima.

Paulus respondit, eum, qui legatione functus est, intra tempora vacationis præfinita non oportere compelli, rursus ad defendendum publicum negocium etiam

si de eadem causa litigetur, ff. eodem. l. paulus, 8. in princip.

Legatione functis biennii uacatio conceditur: nec interest vtrum legatio in vrbe, an in prouintia agentibus, mandata sit, d. l. Paulus, §. Imperatores.

Paulus respondit eum, qui legatione fungitur, neq; alienis, neq; propriis se interponere debere, in qua causa non videri eum quoq; contineri, qui cum amico suo prætore gratis consilium participat, d. l. Paulus, §. fi.

Paulus respondit de eo damno, quod legationis tempore legatus passus sit, posse eum etiam legationis tempore experiri, ff. eo. l. Paulus, ix.

Legatus antequam officio legationis functus sit, in rem suam nihil agere potest, exceptis his, quæ ad iniuriam eius, vel damnum peracta sunt, ff. eod. l. legatus, x. in princip.

Si quis immunere legationis, antequam ad patriam reuerteretur, decesit: sumptus, qui proficiscenti sunt dati, non restituuntur, d. l. legatus, §. fi.

Si absenti iniuncta sit legatio, eamq́; gratuitam suscepit: potest quis, & alium in legationem mittere, ff. eo. l. si absenti, xi. in princ.

Qui legationis officio fungitur: licet suum negocium curare non potest. Magnus tamen Antoninus permisit ei pupilli nomine, & instituere, & defendere causam: licet legationi, quam suscepit, nondum renunciauerit: præcipuè, cum participem officii ipsius absentem esse dicebat, d. l. si absente, §. fi.

Legatus creatus à patria sua, legatione suscepta in Vrbem Romam venit: & nondum perfecta legatione domum, quæ erat in ipsius Ciuitate Nicopoli, emit. quæsitum est, an in senatusconsultum inciderit, quo prohibentur legati ante perfectam legationem negociis, vel priuatis rebus obstringi? Responsum est non uideri, teneri, ff. eo. l. legatus, xii.

Vicarius alieni muneris voluntate sua datus, ordine legationem suscipere non admissa biennii præscriptione cogetur, ff. eo. l. Vicarius, xiii.

Qui libera legatione abest, non uidetur Reip. causa abesse, hic enim non publici commodi causa, sed sui abest, ff. eo. l. qui libera, xiiii.

Is, qui legatione fungitur, libellum sine permissu Principis de aliis suis negociis dare non potest, ff. eo. l. is, qui, xv.

Eundem plures legationem suscipere prohibitum non est: si præterea, & sumptus, & itineris compendium suadeat. Ante legationem susceptam, si cui negocium moueatur, etiam absens defendi debet: suscepta legatione, non nisi iniuncto munere fungatur, ff. eod. l. penul.

Si quis legatum hostium pulsasset, contra ius gentium, id commissum esse existimatur, quia sancti habentur Legati. & ideo si Legati apud nos essent gentis alicuius, cum bellum eis indictum sit, responsum est, liberos eos manere. id. n. iurigentium conueniens esse. itaque eum, qui legatum pulsasset, Quintus Mutius, dedi hostibus, quorum erant legati, vtilius esse, solitus est respondere. quem hostes si non recepissent, quæsitum est, an ciuis Romanus remaneret, quibusdam existimantibus manere, aliis contra, quia quem semel populus iussisset dedi, ex ciuitate expulisse videretur, sicut faceret, cum aqua, & igni interdiceret. in qua sententia videtur Publius Mutius fuisse. id autem maximè quæsitum est, in Hostilio Mancino, quem numantini sibi deditum non acceperunt, de quo tamen lex postea lata est, vt esset ciuis Romanus, & præturam quoque gessisse dicitur, ff. eo. l. fina.

Pater ciuium incolumium liberorum, legationibus publicis liberatur, C. eodem. l. prima.

Vniuersi omnino qui suffragio perceperint dignitates, ciuilibus oneribus muneribusque tenentur adstricti sed eos excipi oportebit qui in legationibus versati sunt. C. eod. l. quarta.

DE CENSIBVS. Titulus XV.

Vicia priorum censuum æditis nouis professionibus euanescunt, ff. de censibus, l. secunda.

Aetatem in censendo significare necesse est: quia quibusdam ætas tribuit, nec tributo onerentur, veluti in Syriis à quatuordecim annis masculi, à duodecim fœminæ usque ad sexagesimumquintum annum tributo capiti obligantur, ætas autem spectatur censendi tempore, ff. eod. l. tertia, in prin.

Rebus concessam immunitatem non debere intercidi, rescripto Imperatoris nostri ad Pelignanum recte expressum est. quippe personis quidem data immunitas cum persona extinguitur at rebus data nūquam extinguitur, d. l. tertia, §. fi.

Forma censuali cauetur, ut agri sic in censura referantur, nomen fundi cuiusque, & in qua ciuitate, & in quo pago sit, & quos duos uicinos proximos habeat: & aruum quod in decem anni, proximis satum erit, quot iugerum esse uideatur, uinea quot uites habeat, oliuetum quot iugerum, & quot arbores habeat, pratum quod inter decem annos proximos sectum erit quot iugerum, pascua quot iugerum esse uideantur, item siluæ cæduæ omniaque ipse, qui defert æstimet. Illam. n. æquitatem debet admittere censitor, ut officio eius congruat, reuelari eum, qui & in publicas tabulas delato modo frui certis ex causis non potuit. Quare & si agri portio, chasmate perierit, debebit per censitorem reuelari. Sed & si uites mortuæ sint, uel arbores, aruerint, iniquum fuerit, inseri eum numerum quod si exciderit arbores, uel uites, nihilominus eum numerum profiteri iubetur. Qui fuit census tempore, nisi causam excidendi probauerit Censitori si vero quis agrum in alia ciuitate habet: in ea ciuitate profiteri debet, in qua ager est. agri. n. tributum in eam ciuitatem debet leuari, in cuius territorio possid etur, ff. eod. l. quarta, in prin.

Quamquam in quibusdam immunitatis beneficia personis data, cum persona extinguantur, tamen Generaliter cum locis aut in ciuitatibus immunitas sic data videtur, ut ad posteros transmittatur, d. l. quarta, §. quamquam.

Si cum ego fundum possiderem, professus sum, petitor autem eius non fuerit professus actionem illi manere placet, d. l. quarta, §. si cum ego.

Lacus quoque piscatoris, & portus incensum dominus debet deferre. Salinæ si quæ sunt in prędiis, æquè & ipse in censuum, deferendæ sunt, dicta. l. quarta, §. Lacus quoque.

Quę post censum ædictum nata, aut post ea quæsita sint intra finem temporis consumati professionibus ædi possunt, d. l. quarta, §. quę post.

Si quis veniam petierit, vt censum sibi emendare permittatur, deinde post hoc impetratum cognouerit, se non debuisse hoc petere, quia res emendationem non desiderabat: nullum ei præiudicium ex eo, quod petiit, vt censum emendaret, fore sæpissimè rescriptum est, d. l. quarta, §. finali.

Cum possessor vnus expediendi negocii causa tributorum iure conueniretur: aduersus cæteros: quorū æquè prædia tenentur ei, qui conuentus est, actiones à fisco præstantur. scilicet, vt omnes pro modo prædiorum pecuniam tributi conferant,

ferant, nec inutiliter actiones præstantur, tametsi fiscus pecuniam suam recuperauerit, quia nominum venditorum precium acceptum videtur, ff. de censibus l. quinta, in prin.

Qui non habita ratione tributorum ex causa fideicommissi prædia restituunt: actionem ex Diui Pii Antonini literis habent, quam legato quoque soluto locum habere uoluit, d. l. quinta, §. qui non habita.

Pro pecunia tributi, quod sua die non est redditum, quo minus prædium iure pignoris distrahatur oblata moratoria cautione, non admittitur: nec audietur legatarius contradicens ob tributa præteriti temporis, quod hæres soluendo sit, & is, qui tributis recipiendis præpositus fuerat, d. l. quinta, §. fin.

Aes quidem alienum pro portione ex qua quisque defuncto hæres extiterit, præstare oportet: annonas autem is soluere debet, qui possessiones timet & fructus percipit, C. de ann. & tribut. l. prima.

Indictiones non personis, sed rebus indici solent. & ideo ne vltra modum earundem possessionem, quas possides, conueniaris: præses prouinciæ prospiciet, C. eod. l. secunda.

Si quis vicarius, aut rector prouinciæ aliquid iam cui quam crediderit, remittendū: quod alii remiserit, de propriis dare facultatibus cōpelletur. C. eo. l. tertia.

Omnes omnino ad oblationē functionum publicarum oportet vrgeri lege enim signatum est, nec esse extraordinaria, nec vocari, quæ solenniter a prouincialibus conferenda sunt. C. eod. l. quarta.

Pro locis, ac proximitate possessionum, annonam ad limites transuehi pręcipitur C. eod. l. quinta.

In fraudem annonarie rei ac deuotionis publicæ elicitum damnabili subreptione rescriptum, manifestum est iure non posse vires sortiri circa omnes igitur par atque æqualis illationis forma teneat. C. eod. l. sexta.

Nemo possessorum ad instruendas mansiones vel conferēdas species longius delegetur sed omnes, itineris ac necessitatis habita ratione, delegentur. C. eod. l. septima.

Obsistere commodis publicis, & statutis necessitatibus non possunt priuilegia dignitatum vnde vt quisque de prædiis emolumentum consequitur: si nō is euoluto anni spatio, intra sex menses omnem, cui ipse constrictus dicitur, reliquū intulerit cumulum: ad ipsos qui sunt dominii prædii exactio pertinet. C. eodem. l. obsistere. 9.

Iudices quos circa profligenda ærarii compendia negligentes ac desides fuisse constiterit: omnia quæ in administratione positi perceperunt emolumēta, reddere compelluntur, C. eod. l. penul.

DE PVBLICANIS, ET VECTIGALIBVS, & commissis. Titulus XVI.

PRętorait, QVOD PVBLICANVS, EIVS PVBLICANI NOMINE VIA DEMERIT, QVODVE FAMILIA PVBLICANORVM: SI ID RESTITVTVM NON ERIT, INDVPLVM AVT SI POST ANNVM AGETVR, IN SIMPLVM IVDICIVM DABO, ITAM SI DAMNVM INIVRIA, FVRTVMVE FACTVM ESSE DICETVR IVDICIVM DABO. SI ID AD QVOS

EA RES PERTINEBIT, NON EXHIBEBITVR IN DOMINVM SINE NOXAE DEDITIONE IVDICIVM DABO. ff. de publ. l. prima, in prin.

Hic titulus ad publicanos pertinet. publicani autem sunt, qui publico fruuntur. nam inde nomen habent: siue fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur. & omnes, qui quod a fisco conducunt, rectè appellantur publicani, d. l. prima, §. Hic titulus.

Et restituendi facultas publicano vi abreptum datur, quod si fecerit: omni onere exuitur, & pœnali actione ex hac parte ædicti liberatur. unde quæritur, si quis velit cum publicano non ex hoc ædicto, sed ex generali vi bonorum raptorum, damni iniuriæ, vel furti agere: an posit? & placet posse: idque Pomponius quoque scribit: est enim absurdum, meliorem esse publicanorum, quam cęterorum causa effectam opinari, d. l. prima, §. & restituendi.

Familiæ nomen hic sine liberi siue alii qui publicanis tantum referemus, verum & ad eos, qui in numero familiarum sunt publicani, sicut liberi, qui publicanis in eo vectigali ministrant: hoc ædicto continebuntur, d. l. prima. §. familiæ.

Si publicanus, qui vi ademit, decesserit: Labeo ait, in hæredem eius, quo locupletior factus sit, dandandam actionem. ff. eod. l. quarta, in prin.

De rebus, quas in vsus aduehendas sibi mandant præsides, diuus Hadrianus præsidibus rescripsit, vt quoties quis in vsus aut eorum, qui prouinciis exercitibus ve p̄sunt aut procuratorum suorum, aut vsus sui causa mittet quendam empturum: significet libello manu sua subscripto, eumque ad publicanum mittat: vt si quid amplius, quàm mandatum est, transferat, id munificum sit, dicta. l. quarta. §. de rebus.

In omnibus vectigalibus fere consuetudo spectari solet: idque etiam principalibus constitutionibus cauetur, d. l. quarta, §. fin.

Hoc edicto efficitur, vt ante acceptum quidem iudicium restituta re actio euanescat: post acceptum vero, iudicium nihilominus pœna duret. sed tamen absoluendus est etiam, qui post acceptum iudicium restituere paratus est. Quærentibus autem nobis, vtrum duplum totum pœna sit, & præterea rei sit persecutio: an in duplo sit & rei persecutio, vt pœna simpli sit: magis placuit, vt res in duplo sit, ff. eod. l. quinta.

Si multi publicani sint, qui illicitè quid exegerunt: non multiplicatur dupli actio, sed omnes partes præstabunt: & quod ab alio præstari non potest, ab altero exigetur, sicuti Diuus Seuerus & Antoninus rescripserūt. nam inter criminis reos & fraudis participes, multum interesse constituerunt, ff. eod. l. sexta.

Imperatores Antoninus, & verus rescripserūt, in vectigalibus ipsa prædia, non personas conueniri: & ideo possessores etiam præteriti temporis vectigal soluere debere: eoque exemplo actionem, si ignorauerint, habituros. Iidem quoque rescripserunt, pupillo remittere sępænam commissi, si intra diem tricesimum vectigal intullisset, ff. eod. l. septima.

Fraudari vectigalis crimen ad hæredem eius, qui fraudem contraxit, commissi ratione transmittitur. sed si vnus ex pluribus hæredibus rem communem causa vectigalis subripiat: portiones cæteris non auferuntur, ff. eod. l. fraudati. 8.

Locatio vectigalium, quæ calore licitantis ultra modum solite conductionis inflauit, ita demum admittenda est: si fideiussores idoneos, & cautionem is, qui licitatione uicit, offerre paratus sit, ff. eod. l. locatio. 9. in prin.

Ad conducendum vectigal inuitus nemo compellitur. & ideo impleto tempore conductionis eà locanda sunt, d. l. locatio. §. ad conducendum.

Reliquatores vectigalium ad iterandam conductionem ante, quàm superiori conductioni satisfaciant, admittendi non sunt, d.l.locatio, §.reliquatores.

Debitores fisci, itemq; Reipublicæ vectigalia conducere prohibentur: ne ex alia causa eorum debita onerentur: nisi fortè tales fideiussores obtulerint, qui debitis eorum satisfacere parati sint, d.l.locatio, §.debitores.

Socii vectigalium si separatim partes administrent: alter ab altero minus idoneo in se portionem transferre iure desiderat, d.l.locatio, §.socii.

Quod illicitè publicè priuatimq; exatum est: cum altero tanto passis iniuriam exsoluitur. per uim uero extortum cum pœna tripli restituitur. amplius etiam extra ordinem plectuntur. alterum enim vtilitas priuatorum, alterum uigor publicæ disciplinæ postulat, d.l.locatio, §.quod illicitè.

Earum rerum uectigal, quarum nunquam præstitum est, præstari nō potest. quod si præstari consuetum in diligentia publicani omiserat: alius exercere non prohibetur, d.l.locatio, §.earum rerum.

Res exercitui paratas præstatione uectigalium subiici non placuit, d.l. locatio, §. res exercitui.

Fiscus ab omnium vectigalium præstationibus immunis est mercatores autem, qui de fundis fiscalibus mercari consueuerunt, nullam immunitatem soluendi publici vectigalis vsurpare possunt, d.l.locatio, §.fin.

Vectigalia sine Imperatorum præcepto, neq; præsidi, neq; curatori, neque curiæ constituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel deminuere licet, ff.eo.l.vectigalia, x.in prin.

Nondum solutis vectigalium pensionibus vel repellere conductores, necdum et tempore conductionis completo: vel ab his interesse ex more exigere permittitur, d.l.vectigalia, §.non solutis.

Cotem ferro subigendo necessariam hostibus quoq; venundari, ut ferrum, & frumentum, & sales, non sine periculo capitis licet, ff.eo.l.cotem ferro, xi. in prin.

Agri publici, qui in perpetuum locantur, à curatore Reipublicæ sine authoritate principali reuocari non possunt, d.l.cotem, §.agri.

Dominus nauis si illicitæ aliquid in naue vel ipse, vel vectores imposuerint: nauis quoq; fisco vindicatur. quod si absente domino id à magistro, vel gubernatore, aut proreta, nautáve aliquo factum sit: ipsi quidem capite puniuntur commissis mercibus, nauis autem domino restituitur, d.l.cotem, §. dominus.

Illicitarum mercium persecutio hæredem quoq; affligit, d.l.cotem, §.illicitarum.

Eam rem, quæ commisso vindicanda est, dominus emere non prohibetur, vel per se, vel per suos, vel per alios, quibus hoc mandauerit, d.l.cotem, §.pen.

Qui maximos fructus ex redemptione vectigalium consequuntur: si postea tali locari non possunt: ipsi ea prioribus pensionibus suscipere compelluntur, d.l. cotem, §.finali.

Quantæ audatiæ, quantæq; temeritatis sint publicanorum factiones: nemo est, qui nesciat. idcircò prætor ad compensandam eorum audaciam hoc edictum proposuit, ff.eo.l.12.in princ.

Sed & hi, qui salinas, & arenarias, & cretifodinas, & metalla habent, publicanorum loco sunt. Præterea, & si quis vectigal cōductum à republica cuiusdam municipii habeat: hoc edictum locum habet, ff.eo.l.sed & hi qui, 13.in prin.

Hanc actionē perpetuā dabimus & hæredi, cæterisq; successorib.d.l.sed & hi.§.fi.

Commissa vectigalium nomine etiam ad hæredem transmittantur. nam quod cōmissum est, statim desinit eius esse, qui crimem commisit: dominiumque rei

vectigalis

vectigalis adquiritur. ea propter commissi persecutio, sicut aduersus quemlibet possessorem, sic aduersus hæredem competit, ff. eo. l. commissa, 14.

Cæsar cum insulæ Cretæ cotorias locaret, legem ita dixerat. NE QVIS PRAETER REDEMPTOREM POST IDVS MARTIAS COTEM, EX INSVLA CRETA FODITO, NEVE EXIMITO, NEVE AVELITO. cuiusdam nauis onusta cotibus ante idus Martias ex portu Cretæ profecta, à vento relata in portum erat: deinde iterum post idus Martias ꝓfecta. erat consulebatur, num contra legem post idus Martias ex insula Creta cotes exisse viderentur? Respondit Alphenus tametsi portas, qui insula essent, omnes eius insulæ esse viderentur: tamen eum, qui ante Idus Martias profectus ex portu, & relatus tempestate in insulam deductus esset, si inde exisset, non uideri contra legem fecisse: propterea quod iam initio euectæ cotes viderentur, cum & ex portu nauis profecta esset, ff. eo. l. Cæsar, 15.

Si propter necessitatem aduersæ tempestatis, expositum onus fuerit: non debere hoc commisso vindicari, diui fratres rescripserunt, ff. eo, l. fi. §. si propter.

Diuus quoq; Pius rescripsit: cum quidam intra legitimam ætatem esse disceretur, & usus sui causa animalia duxisset, & in sola professione errasset ei ignoscendum esse: Diui quoq; fratres rescripserunt: cum quidam non per fraudem, sed per errorem in causam commissi incidissent: vt duplo vectigali contenti publicani animalia restituerent, d. l. fin. §. Diuus.

Marcus Antoninus rescripsit: si colonnus, furtum illicitæ in prædio fecerit, ignorante domino: nulla pœna dominum teneri, d. l. fi. §. Marcus.

Si quis professus apud publicanum fuerit, non tamen vectigal soluerit, hoc concedente publicano, vt solent facere, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, res in commissum non cadere. cum enim (inquiunt) professiones recitantur, commissum cessat: cum poterit satisfieri fisco ex bonis publicanorum, vel fideiussorum, d. l. fin. §. pen.

Pœnæ ab hæredibus peti non possunt: si non est quæstio mota uiuo eo, qui deliquit. & hoc, sicut in cæteris pœnis, ita & in vectigalibus est. si quid autem indebitum per errorem soluentis publicanus accepit: retro eum restituere oportere, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, d. l. fi. §. fi.

Neqe commissum quod ante quinquennium factum dicitur si lite res anticipata non est uendicare potest. neque pro re, quæ in commissi causam cecidit, si ipsa non exista, nec dolo supprimatur, precium peti potest, C. eo, l. secunda.

Finis Sextæ Partis.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes sunt Terniones, Præter R r, Qui est Duernio.

SEPTIMAE PARTIS.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Primus.

De obligationibus, & actionibus tractatum fuit ſuperioribus partibus quinta, & ſexta. Nunc conuenienti loco.

Tranſeundum eſt ad Iudicia, quæ publica, & priuata ſunt; ſed quia in ordine Inſtitutionum vltimo loco tractatur de publicis iudiciis: ideo prius videndum eſt de priuatis iudiciis. Quoniam autem iudicium eſt, dum cauſa diſcutitur ſequitur Ttiulus.

DE IVRISDICTIO. OMNIVM IVDI. ET DE FOR. COMP. Titulus I.

IVſdicentis officium latiſsimum eſt, nam & in poſſeſsionem mittere poteſt, pupillis non habentibus tutores conſtituere iudices litigantibus dare, ff. de iuriſdi. l. prima.

Cui iuriſdictio data eſt: ea quoq; conceſſa videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit, ff. eo. l. ſecunda.

Imperium, aut merum, aut miſtum eſt, merum Imperium eſt, habere Gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, quod etiam poteſtas appellatur, miſtum eſt Imperium, cui etiam iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſeſsione conſiſtit, vt iuriſdictio iudicis dandi licentia, ff. eo. l. tertia.

Iubere cauere prætoria ſtipulatione, & in poſſeſsionem mittere: Imperii magis eſt, quam iuriſdictionis, ff. eo. l. quarta.

More maiorum ita comparatum eſt: vt is demum iuriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio habet, ff. eo. l. quinta.

Et quia nec principaliter ei iuriſdictio data eſt, nec ipſa lex defert, ſed confirmat mandatam iuriſdictionem: ideoq; ſi is, qui mandauit iuriſdictionem, deceſſerit antequam res ab eo, cui mandata eſt iuriſdictio, geri cœperit: ſolui mandatu Labeo ait, ſicut in reliquis cauſis, ff. eo. l. ſexta.

Qui iuriſdictioni præeſt: neq; ſibi ius dicere debet, neq; vxori, vel liberis ſuis, vel cæteris, quos habet, ff. eo. l. qui iuriſdictioni, x.

Generali lege decernitur, neminem sibi esse iudicem, vel ius sibi dicere debere. in re enim propria iniquum admodum est alicui licentiam tribuere sententiæ, C. ne quis in sua cau. iud. l. vnica.

Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum singularum quãtitas intra iurisdictionem iudicantis sit, coaceruatio verò omnium excedat modum iurisdictionis eius: apud eum agi posse Sabino, Cassio, Proculo placuit, quæ sententia rescripto Imperatoris Antonini confirmata est: sed & si mutuæ sint actiones, & alter minorem quantitatem, alter maiorem petat: apud eundem iudicẽ agendum est ei, qui quãtitatem minorem petit, ne in potestate calumniosa aduersarii mei sit, an apud eundem litigare possim, ff. eo. l. si idem, xi. in prin.

Si vna actio communis sit plurium personarum: veluti familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum, vtrum singulæ partes spectandæ sint circa iurisdictionem eius, qui cognoscit? Quod Offilio, & Proculo placet, quia quisq; de parte sua litigat, an potius tota res; quia tota res in iudicium venit, & vel vni adiudicari potest? Quod Cassio, & Pegaso placet, & sanè eorum sententia probabilior est, d. l. si idem, §. si una.

Eum, qui iudicare iubet, magistratum esse oportet, magistratus autem ii sunt, qui in potestate aliqua sunt: vtputa proconsul, vel prætor, vel alii, qui prouincias regunt iudicare iubere eo die, quo priuati futuri sunt, non possunt, ff. eod. l. eum qui. 13.

Est receptum, eoq; iure vtimur: vt si quis maior, vel æqualis subiiciat se iurisdictioni alterius: possit ei, & aduersus eum ius dici, ff. eo. l. est receptum, 14.

Si per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum est. Nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in præsidem: cum (vt Iulianus scribit) non consentiant, qui errant. Quid enim tàm contrarium consensui est, quàm error, qui imperitiam detegit, ff. eo. l. si per errorem, 15.

Solet prætor iurisdictionem mandare. & aut omnem mandat, aut speciem vnam, & is cui mandata iurisdictio est: fungitur vice eius, qui mandauit, non sua, ff. eod. l. solet, xvi.

Prætor sicut vniuersam iurisdictionem mandare alii potest, ita & in personas certas, vel de vna specie potest: maximè cum iustam causam susceptæ ante magistratum aduocationis alterius partis habuerit, ff. eo. l. prætor, 17.

Si conuenerit, vt alius prætor, quàm cuius iurisdictio esset, ius diceret, & priusquã adiretur, mutata voluntas fuerit: proculdubio nemo compellitur huiusmodi conuentioni stare, ff. eo. l. si conuenerit, 18.

Non qnidem fuit competens Iudex Procurator Cæsaris in lite priuatorum: sed cum ipsi eum iudicem elegeritis, vt is consentientibus aduersariis sententiam tulerit: intelligitis uos adquiescere debere rei ex consensu vestro iudicatæ: cum & procurator iudicandi potestatem inter certas habeat personas, & vos in congruum eum esse vobis iudicem scientes, tamen audientiam eius elegistis. quod & in aliis similibus iudicibus, tàm in actionem proponentis, quàm in exceptionem opponentis pers ona locum habebit, C. eo. l. prima.

Priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli præest iudicio: nec quod is statuit, rei iudicatæ continet authoritatem, C. eo. l. tertia.

Cum quædam puella ad competentem iudicem litem susceperat: deinde condemnata, ad ueri matrimonium alii iurisdictioni subiecti puenerat: quærebat an prioris iudicis sñia exequi posset? dixit Vlpianus posse, qa ante fuerit dicta sententia, sed & si post susceptã cognitionem, ante sñiam hoc eueniret, idẽ est

de sen-

de sententia, quæ à priore iudice rectè ferretur, quod generaliter & in omnibus huiusmodi casibus obseruandum est, ff. eo. l. pe. in prin.

Quoties de quantitate ad iurisdictionem prtinente, quæritur: semper quantum petatur, quærendum est, non quantum debeatur, d. l. pen. §. quotiens.

Extrà territorium iusdicente impunè non paretur, idem & si supra iurisdictionem suam velit iusdicere, ff. eo. l. fin.

Præses prouinciæ in eum, qui eiusdem prouinciæ non est, nec ex interdicto potest cognoscere, C. de interdictis, l. secunda.

Iuris ordinem conuerti postulas, vt non actor ei forum, sed reus actoris sequatur. Nam ubi domicilium reus habet, vel tempore contractus habuit: licet hoc postea transtulerit: ibi tantum conueniri oportet, C. eo. l. secunda.

In criminali negotio rei forum accusator sequatur. Is verò, qui suam causam, siue criminalem, siue ciuilem, in vetito vocauit examine, posposuit militarem: actor quidem propositi negotii actione mulctetur, reus verò pro condemnato habeatur, & tribuni siue vicarii capitalem sibi animaduersionem subeundam esse cognoscant, si vel suā, vel militarē executionē interdictam pbuerit, C. eo. l. quinta.

Magisteriæ potestati inter militares viros, vel priuatum actorem & rem militarē, etiam ciuilium quæstionum audiendi conceditur facultas: præsertim cum id ipsum de more litigantium esse videatur, constetq; militarem reum, nisi à suo iudice, nec exhiberi posse, nec si in culpa fuerit, coerceri, C. eo. l. pen.

Per iniquum & temerarium esse perspicimus eos, qui professiones aliquas seu negotiationes exercere noscuntur iudicium, ad quos eorundem professionum, seu negotiationum cura pertinet, iurisdictionem & præceptionem declinare conari. Quapropter iubetur huiusmodi hominibus, nec cuiuslibet militiæ, seu cinguli, vel dignitatis prærogatiuam in hac parte suppetere, sed eos, qui statutis in quacunq; militia connumerati sunt, vel fuerint, vel qui aliquam dignitatem prætendunt, fine aliqua fori præscriptione his iudicibus, tam in publicis, quam in priuatis causis, obedire compelli, ad quorum solicitudinem professionis, seu negociationis, quam propter militiam exercent, gubernatio videtur respicere, ita tamen vt ipsis nihilominus iudicibus, sub quorum iurisdictione militia, seu dignitas eorum constituta est, proculdubio respondeant, C. eo. l. fin.

DE OFFICIO EIVS, CVI MANDATA EST IVRISDICTIO. Titulus II.

QVæcunq; specialiter lege, vel senatusconsulto, vel cōstitutione Principum tribuuntur: mandata iurisdictione non transferuntur, quæ verò iure magistratus competunt: mandari possunt. & ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iudicii habeant exercitionem, lege vel senatuconsulto delegatam: veluti lege Iulia de adulteriis, & si quæ sunt aliæ similes: iurisdictionem suam mandant. huius rei fortissimum argumentum, quod lege Iulia de vi nominatim cauetur: vt is, qui obtigerit exercitio possit eam, si proficiscatur, mandare. non aliter itaq; mandare poterit, quàm si abesse cæperi: cum aliàs iurisdictio etiam à præsente mandetur. & si à familia dominus occisus esse dicetur: cognitionem prætor, quam ex senatusconsulto habet, mandare non poterit, ff. de officio eius, l. prima, in prin.

Qui mandatā iurisdictionē suscepit, propriū nihil habet, sed ex eius, qui mādauit, iurisdictione vtit. verius est. n. more maiorū iurisdictionē quidē transferri: sed

merum Imperium, quod lege datur, non posse transire. Quare nemo dicit, animaduersionem legatam proconsulis habere, mandata iurisdictione. PAVLVS NOTAT: imo Imperium, quod iurisdictioni cohæret, mandata iurisdictione transire, verius est, d.l. prima, §. qui mandatum.

Mandata iurisdictione à præside consilium non potest exercere is, cui mandatur. & si tutores vel curatores velint prædia vendere: causa cognita, id prætor, vel prçses permittit. quod si mandauerit iurisdictionem, nequaquam poterit, mandata iurisdictione, eam quæstionem transferre, ff. eo. l. secunda.

Et si p̄tor sit is, qui alienam iurisdictionem exsequit̄: non tamen pro suo Imperio agit, sed pro eo, cuius mandatu ius dicit, quoties partib. eius fungit̄, ff. eo. l. iii.

Cognitio de suspectis tutoribus mandari potest: imo etiam mandata generali iurisdictione p̱p̱ utilitatem pupillorum eam contingere, constitutam est in hæc verba, IMPERATORES SEVERVS ET ANTONINVS BRANRVAE PRO CONSVLI AFRICAE. cum propria iurisdictionem legatis tuis dederis: consequens est, vt etiam de suspectis tutoribus possint cognoscere. Vt possessio bonorum detur: vel si cui damni infecti non caueatur, ut is possidere iubeatur: aut ventris nomine in possessionem mulier, vel is, cui legatum est, legatorum seruandorum causa in possessionem mittatur, mandari pōt, ff. eo. l. pe.

Mandatam sibi iurisdictionem mandare alteri non posse, manifestum est. Mandata iurisdictione priuato: etiam Imperium, quod non est merum, videtur mandari. quia iurisdictio sine modica coercitione nulla est, ff. eo. l. fi.

Iudices iudex delegatus, iudicis dandi potestatem non habet, cum ipse iudiciario munere fungatur nisi à Principe iudex datus fuerit, C. de iud. l. quinta.

DE OFFICIO ADSESSORVM, ET EIVS QVI VICEM ALterius iudiciis, vel præsidis obtinet. Tit. III.

OMne officium adsessoris, quo iuris studiosi partibus suis funguntur, in his ferre causis constat: in cognitionibus postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis, ff. de offi. asses. l. prima.

Si eadem prouincia postea diuisa, sub duobus præsidibus constituta est: (velut Germania, Misia, ex altera ortus, in altera adsidebit, nec uidebitur in sua prouincia asedisse, ff. eo. l. tertia.

Diem functo legato Cæsaris: salarium Comittibus residui temporis, quod alegatis præstitutum est, debetur: modo si nō postea Comites cum aliis eodem tp̄e fuerunt. Diuersum in eo seruat̄, qui successorē an̄ tp̄s accepit, ff. eod. l. quarta.

Consiliariis eo tp̄e, quo adsident, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est, in alienum autem non prohibetur, ff. eod. l. pen.

In consilium curatoris Reipublicæ, vir eiusdem ciuitatis adsidere non prohibetur, quia publico salario non fruitur, ff. eo. l. fi.

In causa, quæ spectat ad utilitatem Reipublicæ eum, qui uice præsidiis prouintiæ administrat, potuisse cognoscere, in dubium non uenit; sanè si in aliquo captū est ius Reipublicæ iuxta scita diuorum Principum, defensores Reipublicæ (si modo adesse fidutiam negotio putant) restitutionis auxilium possunt flagitare, C. de officio eius, qui. l. prima.

Illi qui locum rectorum prouintiarum noscuntur authoritatem habere licentiam habent tutores, seu curatores petentibus dare decretum etiam interponere ad alienandas minorum, similiumq; eis personarum, seu curialium facultates, & emancipa-

emancipationes quoq; legibus celebrare. & omnia, quæ ad iurisdictionem rectoris prouinciæ pertinent, actitare, C. eo. l. fin.

DE PEDANEIS IVDICIBVS DELEGATIS. Titulus IIII.

PLacet, vt iudicibus (si quos grauitas tua disceptatores dederit) insinues, vt delegata sibi negotia lata sententia determinent, nec in his causis, in quibus pronunciare debent, & possunt facultatem sibi remitttendi patere ad iudicium præsidale cognoscant: maximè, cum & si iudicatio alicui litigatorum parti iniusta videatur, interponendæ prouocationis potestas à sententia ex omni causa prolata libera litigatoribus tribuatur, C. de pedan. iud. l. tertia.

Placuit, quoties pedanei iudices dati post litem contestatam, vel ad aliud iudicium necessario diriguntur, vel publicæ utilitatis ratione in alias prouincias proficiscuntur, vel diem obierunt, atq; his rationibus negotiis cœptis finis nõ potuit adhiberi, alium in locum eorum iudicem tribui, qui negotium examinet, ne huiusmodi casibus interuenientibus, impedimentum aliquod in persequendis litibus adferatur, C. eo. l. quarta.

Quædam sunt negotia, in quibus superfluum est moderatorem expectari prouinciæ, ideoque pedaneos iudices (hoc est qui negotia humiliora disceptant) constituendi datur præsidibus potestas, C. eo. l. fin.

QVI PRO SVA IVRISDICTIONE IVDICES DARE, darive possunt. Tit. V.

IN causarum delegationibus, illud obseruatur, ut ita valeant, si ad iurisdictionem pertineãt delegantis. Quod si quis alienæ iurisdictionis causam crediderit delegandam: nec præcepto cognitorem datum patientiam accommodare censetur, & si contra leges obtemperauerit deleganti: omnia, quæ ab ea delegatione geruntur, ita pro infectis haberi præcipitur, ac si ipsi qui delegauerant, alienæ iurisdictionis, iudices resedissent, vt ne appellandi quidem necessitas victis aduersus eas sententias imponatur. Hæc tenent, nisi iudices à Principe specialiter delegante dati aliis causas delegauerint iudicandas. nam his delegantibus nullo personarum causarumve habito tratactu, appellationum ad eos iure iudicia remeabunt, C. qui pro sua iurisd. l. vnica.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT, ipse eodem iure utatur. Tit. VI.

HOc edictum summam habet æquitatem, & sine cuiusquam indignatione iusta. quis. n. aspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit? QVI MAGISTRATVM, POTESTATEMVE HABEBIT, SI QVID IN ALIQVEM NOVI IVRIS STATVERIT: IPSE QVANDOQVE ADVERSARIO POSTVLANTE EODEM IVRE VTI DEBET. SI QVIS APVD EVM, QVI MAGISTRATVM POTESTATEMVE HABEBIT, ALIQVID NOVI IVRIS OBTINVERIT, QVANDOQVE

POSTEA ADVERSARIO EIVS POSTVLANTE EODEM IVRE AD VERSVS EVM DECERNETVR: SCILICET VT QVOD IPSE IN ALTERIVS PERSONA AEQVVM ESSE CREDIDIT, ID IN IPSIVS QVOQVE PERSONA VALERE PATIATVR. hæc autem verba. QVOD STATVERIT: cum effectu accipimus, non verbotenus, & ideo si cum vellet statuere prohibitus sit, nec effectum decretum habuerit: cessat edictum. Nam verbum STATVIT rem perfectam significat, & consummatam iniuriam, non cœptam: & ideo si inter eos, quis dixerit ius, inter quos iurisdictionem non habuit: quoniam pro nullo hæc habetur, nec est vlla sententia: cessare edictum putamus. Quid enim obsuit conatus, cum iniuria nullum habuerit effectum, ff. quod quilq; iuris, l. prima.

Hoc edicto dolus debet ius dicentis puniri. nam si adsessoris imprudentiam ius aliter dictum sit, quàm oportuit: non debet hoc magistratui officere, sed ipsi adsessori, ff. eo. l. secunda.

Si quis iniquum ad edictum ius aduersus aliquem impetrauit, vtatur ita demum si per postulationem eius hoc euenerit. cæterum si ipso non postulante non coercetur; sed & si impetrauit siue vsus est iure aliquo, siue impetrauit, vt vteretur (licet vsus non sit) hoc edicto punietur, ff. eo. l. tertia, in prin.

Si procurator meus postulauit, quæritur quis eodem iure vtatur? & putat Pomponius me solum: vtique si hoc ei specialiter mandaui, vel ratum habui; si uerò tutor, vel curator furiosi, vel adolescentis postulauit, ipse hoc edicto coercetur. idem aduersus procuratorem obseruandum est, si in rem suam fuerit datus, d. l. tertia, §. procurator.

Hæc pœna aduersus omnem qui in edictum incidit, statuitur: non solum eo postulante, qui ab eo læsus est: sed omni, qui q̃nq; experitur, d. l. tertia, §. hæc pœna.

Si is, pro quo spopondisti, impetrauit, ne aliquis debitor ipsius aduersus eum exceptione vtatur: deinde tu in negocio, in quo spopondisti, velis exceptione uti: nec te, nec ipsum oportet hoc impetrare, & si interdum patiaris iniuriam, si soluendo debitor non sit; sed si tu incidisti in edictum: reus quidem utetur exceptione, tu vero non uteris, nec pœna tua ad reum promittendi pertinebit, & ideo mandati actionem non habebis, d. l. tertia, §. si is, pro quo.

Si filius meus in magistratu, in hoc edictum incidit: in iis actionibus, quas ex persona eius intendo, huic edicto locus non est? ne mea conditio deterior fiat, d. l. tertia, §. si filius.

Quod autem ait prætor, VT IS EODEM IVRE VTATVR: an etiam ad hæredem hæc pœna transmittatur? & scribit Iulianus non solum ipsi denegari actionem, sed etiam hæredi eius, d. l. tertia. §. quod autem.

Illud quoq; non sine ratione scribit: non solum in his actionibus pati eum pœnã edicti, quas tunc habuit, cum incidit in edictum: verum & si quæ postea ei adquirentur, d. l. tertia, §. pen.

Ex hac causa solutum repeti non posse Iulianus putat. superesse enim naturalem causam, quæ repetitionem inhiberet, d. l. tertia, §. fin.

Illud eleganter prætor excipit: PRAETERQVAM SI QVIS EORVM CONTRA EVM FECERIT, QVI IPSE EORVM, QVID FECISSET, & rectè, nè scilicet vel magistratus, dum studet hoc edictum defendere: vel litigator, dum vult beneficio huius edicti vti, ipse in pœnam ipsius edicti committat, ff. eodem, l. fina.

SI QVIS

SI QVIS IVSDICENTI NON OBTEMPERAVERIT. Titulus VII.

Omnibus magistratibus (non tamen duumuiris) secundum ius potestatis suæ concessum est, iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio, ff. si quis ius dicente, l. Vnica, in prin.

Is videtur iusdicenti non obtemperasse, qui quod extremum est in iurisdictione, non fecit. Veluti si quis rem mobilem vindicari à se passus non est, sed duci eam, vel ferri passus est. Cæterum si & sequentia recusauit, tunc non obtemperasse videtur, d. l. vnica, §. Is videtur.

Si procurator tuus, vel tutor, vel curator iusdicenti non obtemperauit, ipse punitur, non dominus vel pupillus, d. l. vnica. §. si procurator.

Non solum autem reum, qui non obtemperauit, hoc edicto teneri Labeo ait: verumetiam petitorem, d. l. vnica, §. non solum.

Hoc iudicium non ad id quod interest, sed quanti ea res est concluditur: & cum meram pœnam contineat, neque post annum, neque in hæredem datur, d. l. vnica, §. finali.

DE IN IVS VOCANDO. Tit. VIII.

In ius vocare est iuris experiundi causa vocare, ff. de in ius voca. l. prima.

In ius vocari non oportet neque consulem, neque præfectum, neq; prætorem, neque proconsulem, neque cætero smagistratus, qui Imperiũ habent, qui & coercere aliquem possunt, & iubere in carcerem duci: Præterea in ius vocari non debet, qui vxorem ducat, aut eam, quę nubat: nec iudicem, dum de re cognoscat: nec eum dum quis apud prætorem causam agit: neque funus ducentem familiare, iustave mortuo facientem. Vel qui cadauer prosequuntur, ff. eo. l. secunda, & tertia.

Item qui litigandi causa necesse habet in iure, vel certo loco sisti: nec furiosos, vel infantes, ff. eod. l. quarta, in prin.

Plerique putauerunt nullum de domo sua in ius vacari licere, quia domus tutissimum, cuique refugium, atque receptaculum sit: eumque qui inde in ius vocare, vim inferre videri. satisque pœnæ subire eum si non defendatur, & latitet certum est: quod mittitur aduersarius in possessionem bonorum eius. Sed si aditum ad se præstet, aut ex publico conspiciatur, rectè in ius vocari eum Iulianus ait, ff. eod. l. plerique. 18. cum seq.

Sed etiam à vinea, & balneo, & theatro nemo dubitat in ius vocare licere. ff. eodem. l. sed etiam xx.

Sed & si is, qui domi est, interdum vocari in ius potest: tamen de domo sua nemo extrahi debet, ff. eod. l. sed & si. xxi.

Neque impuberes puellas, quę alieno iuri subiectæ sunt, in ius vocare permissum est. ff. eod. l. neque. 22. in prin.

Cui in ius vocatus est, duobus casibus dimittendus est: si quis eius personam defendat: & si dum in ius venitur de ea re transactum fuerit, dicta. l. neque impuberes, xxii. § qui in ius.

Prætor ait, PARENTEM IN IVS SINE PERMISSV MEO, NE QVIS VOCET. d. l. quarta, §. Prætor ait.

Parentem

Parentum hic vtriusque sexus accipe: sed an in infinitum, quæritur? & quidam vsque ad tritauum parentem appellari aiunt, superiores maiores dici: hoc veteres existimasse Pomponius refert. Sed Caius Cassius vsque in infinitum omnes parentes dicit: quod & honestius est, & meritò obtinuit. sed & si vulgò quæsitus sit filius, matrem in ius non vocabit. Quia semper certa est, & si vulgò conceperit: pater verò is tantum, quem nuptiæ demonstrant, d.l.quarta, §. finali. cum l.sequen.

Parentes naturales in ius vocare nemo potest. Vna est.n.ômnibus parentibus seruanda reuerentia, ff.eod.l.sexta.

Patris adoptiui parentes impunè vocabit, quoniam hi parentes eius non sunt: cũ iis tantum cognatus fiat, quibus & agnatos, ff.eod.l.septima.

Adoptiuum patrem, quandiu in potestate est: in ius vocare non potest: iure magis potestatis, quam præcepto prætoris: nisi sit filius, qui castrense habeat peculiũ. tunc.n.causa cognita permittitur. sed naturalem parentem, nec quidem dum est in adoptiua familia, in ius vocari licet, ff.eod.l.Adoptiuum.8.in prin.

Prætor ait. IN IVS SINE PERMISSV MEO NE QVIS VOCET, permissurus.n.est, si famosa actio non sit, vel pudorem non sugillat, qua conueniũtur parentes, & totum hoc causa cognita debet facere, ff. eodem. l. sed si. x. §. prætor ait.

Qui in potestate patrum agunt, aduersus eos experiri non possunt. si igitur emancipata est: venia edicti petita, hoc facere non prohiberis, quod & in matris persona est obseruandum, C.eod.l.fin.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT, SIVE QVIS, eum vocauerit, quem ex ædicto non debuit. Titulus IX.

SI quis in ius vocatus fideiussorem dederit iudicio sistendi causa, non suppositum iurisdictioni illius, ad quem vocatus est: pro non dato fideiussor habetur nisi suo priuilegio specialiter renunciauerit, ff. si quis in ius vocatus.l.prima.

Ex quacunque causa ad prætorem, vel alios, qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictio eius sit. si quis in ius vocatus non ierit: ex causa à competente iudice multa pro iurisdictione iudicis damnabitur. rusticitati.n.hominis parcendum erit. item si nihil intersit actoris, eo tempore in ius aduersarium venisse remittit prætor pœnam puta quia dies feriatus fuit, ff.eod.l.secunda.

Cum quis in iudicium sisti promisit, neque adiecit pœnam, si status non esset: incerti cum eo agendum esse, in id quod interest, verissimum est, & ita quoque Celsus scribit, ff.eod.l.fin.

IN IVS VOCATI, VT EANT, AVT SATIS VEL cautum dent. Titulus X.

EDicto cauetur, vt fideiussor iudicio sistendi causa datus, pro rei qualitate locuplex detur: exceptis necessariis personis. ibi.n.qualemcunque accipi iubet, veluti pro parente. Quoniam pro locuplete accipitur fideiussor in necessariis personis, ff. in ius uocati. l. prima, & tertia.

Qui

Qui duos homines in iudicium sisti promisit: si alterum exhibeat, alterum non, ex promissione non videtur eos stetisse, cum alter eorum non sit exhibitus, ff. eodem.l.finali.

NE QVIS IN EVM, QVI IN IVS VOCABITVR, VI eximat. Titulus XI.

HOC ædictum prætor proposuit, ut metu pœnæ compesceret eos, qui in ius vocatos vi eripiunt. Offilius putat, locum huic edicto non esse: si persona quæ in ius vocari non potuit, exempta est, veluti parens, & sanè si deliquit qui vocat, non deliquit, qui vi exemit, ff. ne quis eum, qui.l.prima.

Eadem æquitas est in eo, qui alio quàm quo debuerat. in ius uocabatur sed & fortius dicendum est, non videri eum vi eximi, cui sit ius sibi non conueniri, ff. eod.l.secunda, §.eadem æquitas.

Si quis ad pedaneum iudicem vocatum eximat, pœna huius ædicti cessabit, ff. eodem.l.tertia, §.si quis.

Quod prætor præcepit, VI EXIMAT, an & dolo malo? sufficit vi, quamuis dolus malus cesset, d.l.tertia. §.fin.

Sed EXIMENDI verbum generale est, ut Pomponius ait. Eripere.n.est, de manibus auferre per raptum: eximere quoquo modo auferre. Vt puta si quis non rapuerit quem, sed moram fecerit, quominus in ius ueniret, ut actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur, uidebitur exemisse, quamuis corpus non exemerit, sed & si eo loci detinuerit, nec abduxerit, iis uerbis tenetur. item si quis eum, qui per calumniam uocabatur, exemerit: constat eum hoc edicto teneri, ff. eod.l.quarta, in prin.

Prętor ait. NEVE DOLO MALO FACIAT QVO MAGIS EXIMATVR. nam & sine dolo malo potest id fieri: ueluti cum iusta causa est exemptionis, d.l.quarta, §.fin.

Si per alium quis exemerit. hac clausula tenetur, siue præsens fuit, siue absens, ff. eod.l.quinta, in prin.

In eum autem, qui vi exemit in factum iudicium datur: quo non id continetur, quod in ueritate est: sed quanti ea res est ab actore æstimata de qua controuersia est. hoc.n.aditum est, ut appareat, etiam si calumniator quis sit: tamen hanc pœnam eum persequi, d.l.quinta, §.in eum autem.

Docere autem debet quis per hanc exceptionem factum, quo minus in ius produceretur. Cęterum si nihilominus productus est, cessat pœna: quoniam uerba cum effectu sunt recipienda, d.l.quinta, §.docere autem.

Hoc iudicium in factum est, & si plures deliquerint, in singulos dabitur, & nihilo minus manet. qui exemptus est obligatus. Hæredibus autem ita dabitur, si eorum intersit, nec autem in hæredem, nec post annum dabitur, d.l.quinta, §. si.

Is, qui debitorem ui exemit, si soluerit, reum non liberat, quia pœnam suam soluit, ff. eodem.l.fina.

QVI SATISDARE COGANTVR VEL IVRATO PROMITTANT, uel suæ promissioni committantur. Tit. XI.

SAtisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio. Nam ut satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus: ita satisdare dicimur aduersario nostro,

cum

cum pro eo, quod à nobis petit, ita cauemus, vt eum hoc nomine securum faciamus datis fideiussoribus, ff. qui satisdare cogant. l. prima.

Fideiussor in iudicio sistendi Gratia, locuplex iubetur dari, non tantum in facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate, ff. eod. l. secunda, in prin.

Si quis iis personis, quæ augere non potuerunt, fideiussorem iudicio sistendi causa dederit: frustra erit datio, d. l. secunda. §. si quis iis.

Prætor ait: SI QVIS PARENTEM, LIBEROSVE SVOS, EVMVE, QVEM IN POTESTATE HABEBIT. VEL VXOREM VEL NVRVM IN IVDICIVM VOCARIT: QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR IVDICIO SISTENDI CAVSA ACCIPIATVR. d. l. secunda, §. prætor ait.

Quod ait prætor, LIBEROSVE SVOS: accipimus, & ex fœmineo sexu descendentes liberos. Parenti quidem dabimus hoc beneficium, non solum si sui iuris, sed etiam si in potestate sit alterius. hoc. n. Pomponius scribit. Et filius fideiussor pro patre fieri potest, etiam si in alterius potestate sit. NVRVM: & pro nurum, & deinceps accipere debemus, d. l. secunda, §. Quod ait prætor.

Quod ait prætor, QVALISCVNQVE FIDEIVSSOR ACCIPIATVR: hoc quantum ad facultates idest etiã nõ locuplex, d. l. secunda, §. quod ait prætoriis.

In fideiussorem, qui aliquem iudicio sisti promiserit: tanti, quanti ea res erit, actionem dat prætor. Quod vtrum veritatem contineat, an verò quantitatem uideamus, & melius est, vt in veram quantitatem fideiussor teneatur, nisi pro certa quantitate accessit, d. l. secunda. §. fin.

Siue in duplum est actio, siue tripli, siue quadrupli, tanti eundem fideiussorem omnimodo teneri dicemus, quanti res esse intelligitur, ff. eod. l. tertia.

Si decesserit, qui fideiussorem dedit iudicio sistendi causa, non debebit prętor iubere exhibere eum. quod si ignorans iusserit exhiberi, vel post decretum eius ante diem exhibitionis decesserit, deneganda erit actio. Sin autem post diem exhibitionis decesserit, aut amiserit ciuitatem, vtiliter agi potest, ff. e. l. quarta.

Si verò pro condemnato fideiusserit, & condemnatus decesserit, aut ciuitatem Romanam amiserit, rectè nihilominus cum fideiussore eius agetur, ff. eod. l. quinta, in princip.

Qui pro rei qualitate euidentissimè locupletem, uel (si dubitetur) adprobatum fideiussorem iudicio sistendi causa non accepit, aduersus eum iniuriarum actio esse potest. quia sanè non quælibet iniuria est, duci in ius eum, qui satis idoneũ fideiussorem det. sed & ipse fideiussor, qui non sit acceptus, tamquam de iniuria sibi facta, quæri poterit, d. l. quinta. §. finali.

Quoties uiciosè cautum, uel satisdatum est, non uidetur cautum, ff. eo. l. sexta.

Si fideiussor non negatur idoneus, sed dicatur habere fori præscriptionem & metuat petitor, ne iure fori utatur. Diuus Pius rescripsit, meritò petitorem recusare talem fideiussorem. sed si aliàs caueri non possit, prædicendum ei, non usurum eum priuilegio, si conueniatur, ff. eod. l. septima, in prin.

Si necessaria satisdatio fuerit, & non facilè possit reus eam ibi præstare, ubi conuenitur, potest audiri, si in alia causa eius prouinciç ciuitate satisdationem præstare paratus sit sin autem satisdatio uoluntaria est, non in alium locum remittitur. neque. n. meretur, qui ipse sibi necessitatem satisdationis imposuit, dicta. l. septima, §. si necessaria.

Si satisdatum pro re mobili non sit, & persona suspecta sit, ex qua datio desideratur, apud officium deponi debebit (si hoc iudici sederit) donec uel satisdetur, uel lis finem accipiat, d. l. septima, §. finali

De die ponenda in stipulationem, solet inter litigatores conuenire. si non conueniat. Pedius putat, in potestate stipulatoris esse, moderato spacio de hoc a iudice statuendo, ff. eod. l. de die. 8. in prin.

Qui mulierem adhibet ad satisdandum, non videtur cauere. sed nec miles, neque minor. xxv. annis probandi sunt: nisi hæ personæ in rem suam fideiubeant, vt pro suo procuratore, quidam etiam aiunt, si à marito fundus dotalis petatur, in rem suam fideiussuram mulierem, d. l. de die, §. qui mulierem.

Minori. xxv. annis succurrendum est: fortasse & mulieri, propter imperitiam, d. l. de die, §. Minori.

Si fideiussor iudicatum solui stipulatori hęres extitit, aut stipulator fideiussori: ex integro cauendum erit, d. l. de die, §. si fideiussor.

Tutor, & curator, vt rem saluam fore pupillo caueat, mittendi sunt in municipiū: quia necessaria est satisdatio. Item de restituenda domino proprietate, is cui vsusfructus datus est. Item legatarius, vt caueat euicta hæreditate legata reddi, & quod ampliusquam per legem Falcidiam cæpit. hæres quoque, vt legatorum satisdet, audiendus est, vt in municipium remittatur. planè si misso iam legatario in possessionem, cum per hæredem stetisset, quo minus caueret: hæres postulet, vt possessione decedat, paratumque se dicat in municipio cauere, impetrare non debebit diuersum, si sine culpa, aut dolo hæredis missus sit in possessionem, d. l. de die, §. tutor.

Iubetur iurari de calumnia, ne quis vexandi magis aduersarii causa forsitan, cum posit Romę satisdare in municipium euocet. sed quibusdam hoc iusiurandum de calumnia remittitur. Veluti parentibus: sic autem iurare debet, qui in municipium remittitur: Romæ se satisdare non posse, & ibi posse, quo postulat remitti, idque se non calumniæ causa facere. Nam sic non est compellendus iurare, alibi se, quàm eo loco, satisdare non posse. quia si Romæ non posset, pluribus autem locis posset, cogeretur peierare, d, l. de die. §. Iubet iurari.

Hoc autem tunc impetrabitur, cum iusta causa esse uidebitur. Quid enim, si cum erat municipio noluit cauere? hoc casu non debet impetrare: cum per eum steterit quominus ibi, vbi ire desiderat, satisdaret. d. l. de die, §. si.

Arbitro ad fideiusores probandos constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo, atque à iudicibus, appellare licet, ff. eodem. l. Arbitro. 9.

Si ab arbitro probati sunt fideiusores, pro locupletibus habendi sunt: cum potuerit querela apud competentem iudicem deferri. Qui ex causa improbat ab arbitro probatos, aliàs improbatos probat. Multoque magis, si sua voluntate accipit fideiusores, contentus iis esse debet. Quod si medio tempore calamitas fideiusoribus insignis, vel magna inopia acciderit causa cognita, ex integro satisdandum erit, ff. eod. l. si ab arbitro. x.

Iulianus ait: si antequam mandarem tibi, vt fundum peteres, satis acceperis petiturus fundum, & postea mandato meo agere institueris, fideiusores teneri, ff. eod. l. Iulianus. xi,

Inter omnes conuenit, hæredem sub conditione posidentem, substituto cauere debere hæreditate, & si defecerit conditio, hæreditatem adeuntem substitutū, & petere hæreditatem posse, & si obtinuerit, & committi stipulationem. Et plerumque ipse prætor, & ante conditionem existentem ex causa iubere solet stipulationem interponi. sed & si plures, substituti sint singulis cauendum est, ff. eod. l. inter omnes. xii. cum l. seq.

Filiusfam.

Filius fam. defendit abſentem patrem, quæritur, an iudicatum ſolui ſatiſdare debeat? PAVLVS reſpondit, eum qui abſentem perſonam defendit: etiam ſi filius, vel pater ſit: ſatiſdare petitori ex forma edicti debere, ff. eod. l. filiusfa. 14.

Sciendum eſt poſſeſſores immobilium rerum ſatiſdare non compelli. Poſſeſſor autem is accipiendus eſt, qui in agro, vel ciuitate rem ſoli poſſidet, aut ex aſſe, aut pro parte. ſed & qui vectigalem, emphytheoticum agrum poſſidet, poſſeſſor intelligitur. Item, qui ſolam proprietatem habet, poſſeſſor intelligendus eſt. Eum verò, qui tantum vſumfructum habet, poſſeſſorem non eſſe Vlpianus ſcripſit: creditor, qui pignus accepit, poſſeſſor non eſt: tam & ſi poſſeſſionem habeat aut ſibi traditam, aut precario debitori conceſſam, ſi fundus in dotem datus ſit: tam vxor, quam maritus propter poſſeſſionem eius fundi poſſeſſores intelliguntur, diuerſa eſt cauſa eius, qui fundi petitionem perſonalem habet. Tutores: ſiue pupilli eorum, ſiue ipſi poſſideant, poſſeſſorum loco habentur. ſed & ſi vnus ex tutoribus poſſeſſor fuerit, idem dicendum erit, ff. eod. l. penul. in principio.

Si fundum, quem poſſidebam, a me petieris deinde cum ſecundum te eſſet iudicatum, appellauerim: an poſſeſſor eiuſdem fundi ſim? & rectè dicetur, me poſſeſſorem eſſe, quia nihilominus poſſideo, nec. n. ad rem pertinet, quod euinci ea poſſeſſio poſſit. poſſeſſor autem quis, necne ſit; tempus cautionis ſpectandum eſt. Nam ſicuti ei. qui poſt cautionem poſſidere cœpit, d. l. pen. §. ſi fundũ.

Qui iurato promiſit iudicio ſiſti: non videtur peieraſſe, ſi ex conceſſa cauſa hoc deſeruerit, ff. eod. l. fin.

DE EO PER QVEM FACTVM ERIT, QVOMINVS QVIS in iudicio ſiſtat. Titulus XIII.

AEquiſſimum putauit prætor dolum eius coercere, qui impedit aliquem iudicio ſiſti. Feciſſe autem dolo malo non tãtum is putatur, qui ſuis manibus, vel per ſuos retinuit: verum qui alios quoque rogauit, vt eum detinerent, vel abducerent, ne iudicio ſiſteret: ſiue ſcientes, ſiue ignorantes quid eſſet comminiſceretur, ff. de eo per quem fac. erit, l. prima. in prin.

Dolum autem malum ſic accipimus, vt ſi quis venienti ad iudicium aliquid pronunciauerit triſte, propter quod is neceſſe habuerit ad iudicium non venire: teneatur ex hoc edicto, quamuis quidam putent, ſibi eum imputare, qui credulus fuerit, d. l. prima, §. dolum.

Si reus dolo actoris nõ ſteterit, non habebit aduerſus eum ex hoc edicto actionẽ: cum contentus eſſe poſſit exceptione, ſi ex ſtipulatu conueniatur de pœna, quod ad iudicium non venerit, aliter atque ſi ab alio ſit impeditus. Nam actionem propoſitam aduerſus eum exercebit, d. l. prima, §. ſi reus dolo.

Si plures dolo fecerint. omnes tenentur: ſed ſi vnus præſtiterit pœnam. cæteri liberantur, cum nihil interſit, d. l. prima, §. ſi plures.

Et hæredi datur, ſed non vltra annum: aduerſus autem hæredem hactenus datur, vt ex dolo defuncti hæres non lucretur, d. l. prima, §. fin.

Ex hoc edicto aduerſus eum, qui dolo fecit, quominus quis in iudicium vocatus ſiſtat: in factum actio competit, quanti actoris interfuit eum ſiſti, in quo iudicio deducitur, ſi quid amiſerit actor ob eam rem, veluti ſi reus tempore dominium rei interim ſibi adquirat, aut actione liberatus ſit, ff. eod. l. fi. in prin.

Planè

Planè,si is,qui dolo fecit, quominus in iudicio sistatur, soluendo non fuerit, æquum erit,aduersus ipsum reum restitutoriam actionem competere, ne propter dolum alienum reus lucrum faciat,& actor damno adficiatur. & si stipulator dolo Titii,& promissor dolo Mæuii impeditus fuerit,quominus iudicio sistatur,vterque aduersus eum,cuius dolo impeditus fuit,actione in factum experietur. Sed si stipulator dolo promissoris, & promissor dolo stipulatoris impeditus fuit,quominus ad iudicium venirent, neutri eorum prætor succurrere debebit,ab vtraque parte dolum dolo compensando,d.l.finali,§.Planè si is.

Si à fideiussore quinquaginta stipulatus fuero, si in iudicium reus non venerit, petiturus à reo centum, & dolo Sempronii factum fuerit, ne in iudiciũ reus veniat,centum à Sempronio consequar.tanti.n.mea interfuisse videtur. quia si venisset in iudicium,actio mihi centum aduersus reum,vel hæredem eius competebat, licet fideiussor minorem mihi summam promiserit, dicta. l. finali,§.finali.

SI QVIS CAVTIONIBVS IN IVDICIO SISTENDI causa factis,non obtemperauerit. Titulus XIIII.

Vicena millia passuum in singulos dies dinumerari prætor iubet,præter eum diem,quo cautum promittitur, & in quem sistere in iudicium oportet,nam sanè talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa est,ff.si quis caut.l.prima.

Non exigimus reum iudicio sisti,si negocium, propter quod iudicio sisti promiserit, fuerit transactum.sed hoc ita,si non prius id negocium transactum fuit,quàm sisti oporteret.Cæterum si postea transactum est,exceptio doli opponi debet.Quis.n.de pœna promissa laboret post negocium transactum? cum transacti negocii exceptionem putauerit quis nocere, quasi etiam de pœna transactum sit,nisi contrarium specialiter partibus placuerit,ff. eodem.l.secunda,in princ.

Si quis municipalis muneris causa, sine dolo malo suo impeditus, in iudicio secundum suam promissionem non stetit, æquissimum est ei exceptionem tribui.simili modo,& si ad testimonium desideratus, ad iudicium occurrere non potuit,erit ei subueniendum,d.l.secunda,§.si quis.

Si quis in iudicio se sisti promisit, & valetudine, vel tempestate, vel vi fluminis prohibitus,se sistere non potuit, exceptione adiuuatur, nec immeritò. Cum enim in tali promissione præsentia opus sit, quemadmodum potuit se sistere, qui aduersa valetudine impeditus erat? Et ideo etiam lex duodecim tabularum,si iudex, vel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, iubet diem iudicii esse diffissum, d.l.secunda,§.si quis iudicio.

Si non propter valetudinem mulier non steterit iudicio, sed quòd grauida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait.si tamen post partum decubuerit, probanerit,quasi valetudine impeditam.Idem est,& si quis furere cœperit. Nam qui furore impeditus est,valetudine impeditur, dicta.l. secunda,§.si non propter valetudinem.

Quod diximus,succurri etiam ei,qui tempestate, aut vi fluminis prohibitus non venit,tempestatem intelligere debemus,siue Marina,siue terrestris sit,tempestatemque intelligere debemus talem,quæ impedimento sit itineri,vel nauigationi,d.l.secunda.§.quod diximus.

Vis fluminis etiam sine tempestate accipienda est. Vim fluminis intelligimus: & si magnitudo eius impedimento sit, siue pars solutus sit, vel nauigium non stet, d.l.secunda, §.vis.

Si quis tamen cum posset non incidere in tempestatem, vel in vim fluminis, si ante profectus esset, vel tempore opportuno nauigasset: ipse se arctauerit: nunquid exceptio ei minime prosit? quod quidem causa cognita erit statuendum. Nam neque sic arctandus est, vt posit ei dici, cur non multo ante profectus æs, quam dies promissionis veniret? Neque iterum ei permittendum, si quid sit, quod ei imputetur, causari tempestatem, vel vi fluminis. Quid.n. si cum Romæ esset, ipso tempore promissionis sistendi, nulla necessitate vrgente voluptaris causa in municipium profectus sit? nonne indignus est, cui exceptio patrocinetur: aut quid si tempestas quidem in mari fuit, terra autem iste potuit venire, vel flumen circumire? æque dicendum est, non semper ei exceptionem prodesse nisi angustiæ non patiebantur, terra iter mentiri, vel flumen circumire. si tamen vel flumen sic abundasset, vt impleset omnem locum, in quo sisti oportuit, uel aliqua fortuita calamitas eundem locum euertisset, vel præsentiam venienti periculosam fecisset, ex bono & æquo etiam hic exceptio ei accommodanda est, d.l.secunda.§.si quis tamen.

Simili modo exceptio datur ei, qui cum ad iudicium venire solebat à magistratu retentus est, & retentus sine dolo malo ipsius, Nam si ipse hoc adfeciuit, uel causam præstitit, non proderit ei exceptio ac ipsius quidem dolus ei oberit, cæterorum non oberit, qui dolo malo fecerunt, vt retineretur. sed si priuatus eum detinuerit, nullo modo proderit hæc exceptio. Sed actio ei datur aduersus eũ, qui eum detinuit, in id, quod eius interest, d.l.secunda, §.fi.cum.l.seq.

Sed & si quis rei capitalis ante condemnatus iudicio sistere se non potuit, meritò & huic ignoscitur. Rei capitalis condemnatum accipere debemus, qui morte exilio ve coercitus est. Dixerit aliquis, quo ergo hæc exceptio damnato; sedre spondebitur, fideiussoribus eius esse necessariam aut si fortè in exilium salua ciuitate abiit, vbi defensori eius exceptio ista proderit, ff.si quis cautio.l.quarta, in princip.

Illud sciendum est, eum qui idcirco non stetit, quia capitis reus factus est, in ea causa esse, vt exceptione vti non posit damnato enim datur. Planè si vinculis, vel custodia militari impeditus, id eo non stetit, in ea erit causa, vt exceptione vtatur. Præterea si quis funere domestico impeditus, non venit, debet ei exceptio dari. Item si quis in seruitute hostium fuit, ac per hoc in iudicium non stetit, debet exceptione adiuuari, d.l.quarta, §.illud.

Quæsitum est, an posit conueniri, ne vlla exceptio in promissione deserta, iudicio sistendi causa facta obiiciatur? & ait Attilicinus, conuentionem istam ita valere, si specialiter causæ exceptionum expresæ sint, quibus à promissore spõte renunciatum est. Item quæritur, si quis cum iudicio sistendi causa satisdare non deberet, satisdato promiserit, an fideiussoribus eius exceptio detur? puto interesse: vtrum per errorem satisdato promissum est, an ex conuentione, si per errorem: dandam fideiussoribus exceptionem, si ex conuentione: minime dandam. Nam & Iulianus scribit si iudicio sistendi causa pluris, quàm statutum est, per ignorantiam promissum fuerit: exceptionem dari debere. Si autem ex conuentione, tantæ summæ promissio facta sit: exceptionem pacti conuenti replicatione infirmandam, d.l.quarta, §: quæsitum est.

Si duo rei stipulandi sint, & vni debitor iudicio se sisti cum pœna promiserit, alter

autem

autem impedierit: ita demum exceptio aduersus alterum dāda est, si socii sint: ne prosit ei dolus propter societatem. Item si duo rei promittendi sint, & vnus ad iudicium non venerit contempta sua promissione iudicio sistendi causa facta: actor autem ab altero rem petat, ab altero pœnam desertionis petendo, exceptione submouebitur. Aequè si à patre facta fuerit promissio iudicio sistendi causa ex filii contractu: deinde re actor egerit cum filio: exceptione submouebitur, si cum patre ex eius promissione agat, contra idem erit, si filius promiserit, & actor egerit cum patre de peculio, ff. si quis caut. l. quinta.

Si is, qui fideiussorem dedit, ideo non steterit, quod Reip. causa abfuerit: iniquum est fideiussorem ob alium sistendi necessitate obligatum esse, cum ipsi liberum esset non sistere, ff. eod. l. sexta.

Etsi post tres, aut quinque, pluresve dies, quàm iudicio sisti se reus promisit, secū agendi potestatem fecerit: nec actoris ius ex mora deterius factum sit: consequens est dici, defendi eum debere per exceptionem, ff. eodem. l. sed & si post tres. viii.

Si eum iudicio sisti promisero, qui iam tempore liberatus esse dicatur: quamuis forte iam actione non tenentur: actio in me danda est, vt vel exhibeam eum, vel defendam, vt veritas inquiratur, ff. eod. l. si eum. x. in prin.

Homo sisti promissus, ante diem dolo promissoris periit: certo iure vtimur, non ante pœnam peti posse, quàm dies promissionis veniat. tota. n. stipulatio in diem collata esse videtur, d. l. si eum. §. homo.

Qui iniuriarum acturus stipulatus erat ante litem contestatam, vt aduersarius suus iudicio sistat, commissa stipulatione mortuus est, non competere hæredi eius ex stipulatu actionem placuit: quia tales stipulationes propter rem ipsam dantur. Iniuriarum autem actio geredi non competit. Quamuis enim hæc stipulatio, iudicio sistendi causa facta, ad hæredem transeat, tamen in hac causa danda non est, nam & defunctus, si vellet omissa iniuriarum actione ex stipulatu agere non permitteretur. idem dicendum est, si is, cum quo iniuriarum agere volebam stipulatione tali commissa decesserit. nam non competit mihi aduersus hæredem ex stipulatu actio: & hoc Iulianus scribit. secundum quod & si fideiussores dati erunt, minimè dabitur in eos actio mortuo reo. Idem Pomponius: si non post longum tempus decesserit, quia si ad iudicium venisset, litem cum eo contestari actor potuisset, d. l. eum, §. qui iniuriarum.

Si quis quempiam iudicio sisti promiserit: in eadem causa eum debet sistere: IN EADEM AVTEM CAVSA SISTERE, hoc est sistere, ut actori persecutio loco deteriore non sit: quamuis exactio rei possit esse difficilior. licet. n. difficilior exactio sit, tamen dicendum est videri in eadem eum causa stetisse. Nam & si nouum æs alienum contraxisset, uel pecuniam perdidisset: videretur tamen in eadem causa stetisse. ergo & qui alii iudicatus sistitur, in eadem causa stare videtur, ff. eod. l. si quis. xi.

Qui autem nouo priuilegio vtitur, non videtur in eadem causa sisti. Illud tenendū est, æstimationem eius, quod intersit agentis, ad illud tempus referendam, quo sisti debuit, non ad id, quo agitur, quamuis desierit eius interesse, ff. eodem. l. qui autem. xii.

Si procurator ita stipulatus, ut sistat duntaxat eum, quem stipularetur: non etiam pœnam si status non esset stipuletur: propemodum nullius momenti est ea stipulatio, quia procuratoris (quod ad ipsius vtilitatem pertinet) nihil interest sisti. Sed cum alienum negocium in stipulando egerit: potest defen-

di non procuratoris, ſed eius, cuius negocium geſsit, vtilitatem in ea re ſpectandam eſſe: vt quantum domini litis interfuit ſiſti. tantum, ex ea ſtipulatione, non ſtato reo, procuratori debeatur. Eadem & fortius adhuc dici poſſunt, ſi procurator ita ſtipulatus eſſet. QVANTI EA RES ERIT, vt hanc conceptionem verborum non ad ipſius, ſed ad domini vtilitatem relatam interpretemur. ff. eod. l. penul.

Si tutor iudicio ſiſti promiſerit, & ſtipulationi non obtemperauerit: & interea pupillas adoleuerit, aut mortem obierit, aut etiam abſentus ſit hæreditate, denegabitur ex ſtipulatu actio. nam & ipſius rei, quę petebatur. ſi tutor iudicatus fuerit, aut eorum, quid acciderit, non eſſe dandam in eum actionem iudicati probatum eſt. ff. eod. l. fin.

DE ORDINE IVRIDICORVM. Titulus XV.

ADite præſidem prouinciæ, & ruptum eſſe teſtamentum Fabii pſentẽtis adgnatione filii docete neque. n. impedit notionem eius, quod ſtatus quæſtio in cognitionem vertitur, & ſi ſuper ſtatus cauſa cognoſcere non poſsit, pertinet enim ad officium iudicis, qui de hæreditate cognoſcit vniuerſam incidentem quæſtionem, quæ in iudicium deuocatur, examinare: quoniam non de ea, ſed de hæreditate pronuntiat, C. de ord. iud. l. prima.

Si quæſtio tibi generis ab is, quos fratres patrueles eſſe dicis, non fiat adito præſide, & accepto familiæ herciſcundæ iudicio, experire. Quod ſi de ea re quæſtio erit: prius de natiuitatis veritate ſecundum iuris formam quæri, idem vir clariſsimus curæ habebit, C. eod. l. ſecunda.

Cum ciuili diſceptationi principaliter motæ quæſtio criminis incidit, vel crimine prius inſtituto ciuilis cauſa adiungitur: poteſt iudex eodem tempore vtranque diſceptationem ſua ſententia dirimere, C. eod. l. tertia.

Quoniam ciuili diſceptatione intermiſſa, ſæpe fit, vt prius de crimine iudicetur, quod vtpote maius merito minori præfertur: ex quo criminalis quęſtio quocunque modo ceſſauerit: oportet ciuilem cauſam velut ex integro in iudicium deductam diſtingui, vt finis criminalis negocii ex eo die, quo inter partes fuerit lata ſententia initium ciuili quæſtioni tribuat, C. eod. l. final.

Incerti iuris non eſt, orta proprietatis & poſſeſsionis lite prius poſſeſsionis decidi oportere quæſtionem competentibus actionibus, ut ex hoc, ordine facto, de dominii diſceptatione probationes, ab eo qui de poſſeſsione victus eſt exigantur inter dicta autem licet in extraordinariis iudiciis proprie locum non habẽt tamen ad exemplum eorum res agitur, C. de interdict. l. finali.

DE LITIS CONTESTATIONE. Titulus XVI.

REX in iudicium deducta non uidetur, ſi tantũ poſtulatio ſimplex celebrata ſit, uel actionis ſpecies ante iudicium reo cognita. Inter litem enim conteſtatam, & edictam actionem per multum intereſt. Lis enim tunc conteſtata uidetur, cum iudex per narrationem negocii cauſam audire cœperit, C. de litis cont. l. vnica.

VBI

VBI DE POSSESSIONE AGI OPORTET.
Titulus XVII.

VBI aot vis facta dicitur, aut momentaria possessio postulanda est, ibi loci iudicem aduersus eum, qui possessionem turbauit, conuenit iudicare. C. vbi de possess. agi oportet. l. unica,

VBI FIDEICOMMISSVM PETI OPORTET.
Titulus XVIII.

Fideicommissum ibi petendum esse, vbi hæreditas relicta est, dubitari nō oportet, C. ubi fideic. peti oportet, l. Vnica.

VBI CONVENIATVR, QVI CERTO LOCO DARE promisit. Titulus XIX.

QVI certo loco sese soluturum pecuniam obligat, si solutioni satis non facerit, arbitraria actione, & in alio loco potest conueniri, in qua venit æstimatio quod alterutrius interfuit, suo loco potius, quàm in eo in quo petitur solui, C. ubi conueniat, qui cer. loco. l. Vnica.

VBI IN REM ACTIO EXERCERI DEBEAT.
Titulus XX.

IN rem actio non contra venditorem, sed contra posidentem competit. frustra itaque desideras, non tecum congredi, sed cum auctore tuo dominium uindicantem, cum te posidere contendas. Nam si denunciasti ei, qui tibi uendidit, intelligis euictionis illi periculum imminere. Nec enim iurisdictionis forma, in eadem prouincia constitutis tam petitore quàm possessore, ab auctoris personam, quem in alia prouincia dicis consistere, debet immutari, C. ubi in rem actio. l. prima.

Si quis alterius oomine quolibet modo posidens immobilem rem, litem ab aliquo per in rem actionem sustineat, debet statim in iudicio dominum nominare, ut siue in eadem ciuitate degat, siue in agro, siue in alia prouintia sit, certo dierum spatio a iudice definiendo, eoque adnotionem eius perducendo, vel ipse in locis, in quibus prædium situm est, perueniens, uel procuratorem mitens, actoris intentiones excipiat. si uero post huiusmodi indultum tempus minimè hoc, quod dispositum est, facere maluerit, tanquam lite, quæ ei ingeritur, exodie, quo possessor ad iudicium uocatus est, ad interrumpendam longi temporis præscriptionem contestata, iudex utpote domino possessionis nec post huiusmodi humanitatem præsentiam sui faciente, edictis legitimis proponendis eum citare curabit, & tunc in eadem uoluntate eo permanente negotium summatim discutiens, in possessionem rerum actorem mittere non differret, omni allegatione absenti principali quæstione seruata, C. eod. l. secunda.

Actor rei forum, siue in rem, siue in personam sit actio, sequitur. sed in locis, in quibus res propter quas contenditur, constitutæ sunt, iubetur in rem actionem aduersus posidentem moueri, C. eod. l. fin.

VBI DE HAEREDITATE agatur uel ubi hæredes scripti in possessionē mitti

postulare debeas illic, vbi res hrditarias esse proponis, hæredes in possessionẽ rerũ hæreditariarum mitti postulandum est. vbi autem domicilium habet, qui conuenitur vel si ibi vbi res hæreditariæ site sint, degit: hæreditatis erit controuersia terminanda, C. vbi, de hæred. l. vnica.

VBI DE RATIOCINIIS, TAM PVBLICIS, QVAM priuatis agi oportet. Titulus XXI.

CVM, qui aliena negocia, siue ex tutela, siue ex quocunque alio titulo administrauit, vbi hæc gessit, rationem oportet reddere, C. vbi de ratiocin. l. prima.

Nemo post propositum cingulum, suæ priuatæ vitę redditus, ob negotium, quod militiæ causa est ei exordium, præstandi ratiocinii gratia eius numeri, in quo militauit, vel quem ipse gessit, a quocunque pulsatis fori præscriptionibus vtatur. vnumquemque. n. super huiuscemodi causis publicis, quas dum militaret exercuit, vel super ratiocinis militaribus, per quæ suos contubernales afflixisse adseritur, in militari oportet iudicio respondere: in quo, & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta præstari, C. eod. l. finali.

DE FERIIS, ET DILATORIBVS DIVERSIS TEMPORIBVS, & quibus causis feriæ non impediantur. Tit. XXII.

NE quis messium, vindemiarumque tempore aduersarium cogat ad iudicium venire ratione Diui Marci exprimatur: quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt. sed si prætor aut per ignorantiam, aut socordiam euocare eos perseuerauerit, hique sponte venerint. si quidem sententiam dixerit præsentibus illis, & sponte litigantibus sententia valebit, tamet si nõ recte fecerit, qui eos euocauerit. sin vero cum abesse perseuerauerint, sententiam protulerit etiam absentibus illis: consequens erit dicere sententiam nullius esse momenti. neque. n. prętoris factum iuri derogare oportet, citra igitur adpellationem sententia infirmabitur. sed excipiuntur certæ causæ ex quibus cogi poterimus, etiam per id temporis, cum messis vindemiæque sunt, ad prætorem venire: scilicet si res tempore petitura sit, hoc est si dilatio actionem sit peremptura sanè quoties res vrget, cogendi quidem sumus ad prætorem venire: verum ad hoc tantum cogi æquum est, vt lis contestetur: & ita verbis ipsius orationis exprimitur, denique alterutro recusant post litem contestatam litigare, dilationem oratio concessit, ff. de feriis. l. prima.

Eadem oratione Diuus Marcus in Senatu recitata effecit, de aliis etiam speciebus prætorem adiri diebus feriatis: vtputa vt tutores, aut curatores dentur vt officii admoneantur, cessantis excusationes allegentur, alimenta constituantur ætates probentur, ventris nomine in possessione meritatur, vel rei seruandæ causa, vel legatorum, fideive commissorum, vel damni infecti. item de testamentis exhibendis: & vt curator detur bonorum eius, cui an hæres extiturus sit, incertum est: aut de alendis liberis, parentibus, aut de adeunda suspecta hæreditate, aut vt adspectu atrox iniuria æstrinetur est, ff. eod. l. secunda.

Solet etiam messis vindemiarumque tempore ius dici de rebus, quæ tempore, vel morte

morte perituræ sunt morte: veluti furti, damni iniuriæ, iniuriarum atrocium: qui de incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata rapuisse dicentur: & si quæ similes sunt. Item si res tempore perituræ sunt, aut actionis dies exiturus. Item in eum quiquid nundinarum nomine aduersus communem vtilitatem accipit, omni tempore ius dicitur, ff. eo. l. tertia.

Præsides prouinciarum ex consuetudine, cuiusq; loci solent messis, vindemiarumque causa tempus statuere, ff. eo. l. quarta.

Si feriatis diebus fuerit iudicatum? lege cautum est, ne iis diebus iudicium fit: nisi ex voluntate partium: & si aliter aduersus ea iudicium erit, ne quis iudicatum facere, neue soluere debeat: neq; quis ad quem de ea re in ius aditum erit, iudicatum facere cogat. ff. eo. l. sexta.

A nullo iudice præsumi debet, vt authoritate suas ferias aliquas condat. non. n. Imperiales ferias vocati oportet, quas administrator edixerit: ac per hoc, si nomine eximitar, etiam fructu carebunt, C. de ferii, l. quarta.

Publicas ac fiscales causas tua syncceritas etiam feriatis geminis mensibus, hoc est siue absq; intermissione distingat. pistoriis quoq; causis iisdem diebus ratum in futuram examen adhibebit, C. eo. l. quinta.

Omnes dies iubetur esse iuridicos: illos tantam manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus excepit, æstiuos idem dies feruoribus mitigandis, & autumnales fructibus decerpẽdis, Kalendarum quoq; Ianuarium consuetos dies ocio mancipantur. sacros quoque Paschæ dies, qui, septeno numero vel præcedunt, vel secuntur: dies etiam natalis, atque Epiphaniarum Christianitatis magistræ à cunctis iure celebratus, C. in quibus etiam prædictis sanctissimis diebus, neque spectaculorum copia reseruatur, C. eo. l. septima, in prin.

Actus omnes, seu publici sunt, seu priuati, diebus quindecim paschalibus conquiescant. in iis tamen, & emancipandi cuncti licentiam habeant, & super his acta non prohibeantur, C. eo. l. actus.

Dies festos maiestati altissimæ dedicatos nulli volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexactionibus profanari. Dominicum itaque diem semper honorabilem decernitur venerandam, vt à cunctis executionibus excusetur, nullam quenquam vrgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat, respirent à controuersiis litigantes, & habeant fœderis interuallum simul ad se ueniant aduersarii non timentes, iubeat animos vicaria pœnitudo: pacta conferant transactiones loquantur. nec cuius tamen religiosi diei otia relaxata, obscænis quibuslibet patitur voluptatibus detineri. nihil eodem die sibi vindicet scena theatralis, Amissionem militiæ, proscriptionemque patrimonii substinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cuiuscunque iudicis apparitor prætextu negocii publici, seu priuati hæc, quæ lege hac statuta sunt, crediderit temeranda. C. eo l. fin.

Oratione quidem Diui Marci ampliusquam semel non esse dandam instrumentorum dilationem, expressum est: sed utilitatis litigantium gratia, causa cognita iterum dilatio, tàm ex eadem, quàm ex alia prouincia, secundum moderamen locorum impertiri solet: & maximè si aliquid inopinatum emergat. illud videndum: si defunctus aliquam dilationem acceperit propter instrumenta, an successori quoque eius dari debeat; an verò, quia iam data est, amplius dari non posit? & magis est, vt hic causa cognita dari debeat, ff. eo. l. septima.

More

More Romano dies à media nocte incipit & sequentis noctis media parte finitur. itaque quidquid in iis viginti quatuor horis, id est duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est: quasi quauis hora lucis actum esset, ff. eo. l. more, viii.

Diuus Traianus Minicio Natali rescripsit, ferias à forensibus tantum negociis dare vacationem: ea autem, quæ ad disciplinam militarem pertinerent, etiam feriatis diebus peragenda: interque ea custodiarum quoque cognitionem esse, ff. eod. l. penult.

In pecuniariis causis omnibus dilatio singulis causis plus semel tribui non potest in capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt, sed vtrunque causa cognita, ff. eo. l. fin.

Quoniam plerunque euenit, vt iudex instrumentorum, vel personarum gratia dilationem dare rerum necessitate cogatur: spatium instructionis exhibendæ postulatum dari conuenit. Quod hac ratione moderandum est, vt si ex ea prouincia vbi lis agitur, vel persona vel instrumenta poscantur: nō amplius, quam tres menses indulgeantur, si vero ex continentibus prouinciis: sex menses custodiri Iustitia est. In transmarina autem dilatione nouem menses computari oportebit. Quod ita iudicantes constitutum sentire debebunt, ut in hac ratione nō sibi concessum intelligant dandæ dilationis arbitrium: sed eandem dilationē, si rerum vrgentissima ratio flagitauerit, & necessitas desiderare instructionis exegerit, non facile amplius, quam semel, nec ulla trahendi arte sciant esse tribuendam, C. de dilationib. l. prima.

Si quando quis rescriptum ad extraordinarium iudicem reportauerit: dilatio ei penitus deneganda est: illi autem, qui in iudicium vocatur, danda est, ad improbanda precum mendatia, vel proferdnda aliqua instrumenta, vel testes: quoniam instructus esse non potuit, qui præter spem ad alienum iudicium trahitur. C. eod. l. secunda.

Siue pars, siue integra dilatio fuerit data: eovsque iudicis officium conquiescat, donec petiti temporis defluxerint curicula. Fœriæ autem, siue repentinæ, siue solemnes, sint, dilationum temporibus non excipiantur, sed his connumerentur, C. eo. l. tertia in princ.

A procedente iudice dilationem non conuenit postulari, etiam si utraque parte præsente tribuatur: cum non aliàs, nisi causa cognita, indulgeri queat: & cognitio causæ, non interpellatione planaria, sed concedenre magis iudice legitimæ colligatur, vt si fortè dilationis petitio fuerit. improbata, suscepta quæstio per sententiam iudicis dirimatur, C. eo. l. quarta.

Cum à Principe fuerit ad appellationem cōsultationemve rescriptum, siue sit primo iudicio petita dilatio, & ea tributa non sit, siue nec petita quidem: eam dari cuiquam non licebit eadem ratione, qua ne in iudiciis quidem cognitionum dilatio tribui solet, C. eo. l. quinta.

Inter priuatos & fiscum si aliqua lis mota fuerit: vtrique parti petendæ dilationis per defensores suos copia deneganda non est, si hoc commoditatis ratio postulauerit, C. eod. l. penult.

Nec de statu ac patrimonio litigantibus in transmarina etiam dilatione nouem mensium spacia egredi concedatur, C. eod. l. fin.

DE

DE POSTVLANDO.
Tit. XXIII.

HVnc titulum proposuit prætor habendæ rationis causa, suæq; dignitatis tuendæ, & decoris causa, ne sine delectu passim apud se postuletur. Ea propter tres fecit ordines: nam quosdam in totum prohibuit postulare, quibusdam pro se permisit, quibusdam & pro certis duntaxat personis & pro se permisit, ff. de postul. l. prima, in princ.

POSTVLARE autem est, desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictione præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere, d. l. prima, §. postulare.

Initium autem fecit prætor ab his, qui in totum prohibentur postulare. in quo edicto, aut pueritiam, aut casum excusauit. Pueritiam: dum minorem annis decem & septem, qui eos non in totum compleuit, prohibet postulare: quia moderatam hanc ætatem ratus est ad procedendum in publicum. Qua ætate, aut paulo maiore fertur Nerua filius, & publicè de iure responsitasse. propter casum: surdum, qui prorsus non audit, prohibet apud se postulare. nec enim erat permittendum ei postulare, qui decretum prætoris exaudire non poterat, quod etiam ipsi erat periculosum futurum. nam non exaudito decreto prætoris, qua si non obtemperasset, pœna, vt contumax plecteretur, d. l. prima, §. initium.

Ait prætor. SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. nec solum his personis hanc humanitatem prætor solet exhibere: verum etiam si quis alius sit, qui certis ex causis, vel ambitione aduersarii, vel metu patronum non inuenit, d. l. prima, §. ait prætor.

Secundo loco edictum proponitur in eos, qui prohibentur, ne pro aliis postulent in quo edicto excipit prætor sexum, & casum, item personas turpitudine notabiles SEXVM quidem, dum fœminas prohibet pro aliis postulare, & ratio quidem prohibendi est, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant: ne uirilibus officiis fungantur mulieres. origo verò. verò introducta est à Calpurnia improbissima fœmina: quæ inuerecundè postulans, & magistratum inquietans, causam dedit edicto, CASVM dum cæcum vtrisque luminibus orbatum prætor repellit, quòd insignia magistratus videre, & reuereri non possit. refert etiam Labeo Publicum cæcum Asprenati Nonii partem aduersa sella à Bruto destitutum, cum vellet postulare, d. l. prima, §. secundo loco.

Quamuis autem cæcus pro alio postulare non possit. Tamen & Senatorium ordinem retinet, & iudicandi officio fungitur. Nunquid ergo, & magistratus gerere possit? sed de hoc deliberabimus. extat quidem exemplum eius, qui gessit. Appius denique Claudius cæcus consiliis publicis intererat, & in senatu seuerissimam dixit sententiam de Pyrhi captiuis; sed melius est, vt retinere quidem dicamus iam acceptum magistratum posse: adspirare autem ad nouum penitus prohiberi: idque multis comprobatur exemplis, d. l. prima, §. quamuis.

Remouet autem à postulando pro aliis, & eum, qui corpore suo muliebria passus est. si quis tamen ui prædonum, vel hostium stupratus est, non debet notari, ut Pomponius ait. Et qui capitali crimine damnatus est, non debet pro alio postulare. Item senatusconsulto etiam apud Pedaneos iudices postulare prohibetur, calumniæ causa publico iudicio damnatus, d. l. prima, §. remouet autem.

Vt initio huius tituli dictum est, tres ordines prætor fecit non postulantium, quo-

rum tertius est, quibus non in totum denegat postulandi facultatem, sed ne pro omnibus postulent: quasi minus deliquerint, quàm hi, qui superioribus capitibus notantur, d.l.prima.§.vt initio.

Ait prætor, QVI LEGE, PLEBISCITO, SENATVSCONSVLTO, EDICTO, DECRETO PRINCIPVM, (NISI PRO CERTIS PERSONIS) POSTVLARE PROHIBENTVR: HI PRO ALIO, QVAM PRO QVO LICEBIT, IN IVRE APVD ME NE POSTVLENT. hoc edicto continentur etiam alii omnes, qui edicto prætoris, vt infames notantur, qui omnes, nisi pro se, & certis personis non postulant, d.l.prima, §.Ait prætor.

Deinde adiicit prætor, QVI EX OMNIBVS HIS, QVI SVPRA SCRIPTI SVNT, IN INTEGRVM RESTITVTVS, NON ERIT EVM QVI EX HIS, QVI SVPRA SCRIPTI SVNT, sic accipitur: si fuerit inter cos, qui tertio edicto continentur, & nisi pro certis personis postulare prohibentur. Cæterum si ex superioribus: difficilè in integrum restitutio impetrabitur. De qua autem restitutione prætor loquatur: vtrum de ea, quæ à principe datur, an quæ à Senatu: Pomponius quærit, & putat de ea restitutione sensum, quam vel princeps, vel Senatus indulsit. an autem & prætor restituere possit, quæritur, & mihi videtur talia prætorum decreta non esse seruanda nisi sicubi ex officio iurisdictionis suę subueniant: vt in ætate obseruatur, si quis minor deceptus sit: cęterisque speciebus, quas sub titulo. DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE EXSEQVEMVR. Pro qua sententia est: quod si quis famoso iudicio condemnatus per in integrum restitutionem fuerit absolutus: Pomponius putat hunc infamia eximi, d.l.prima, §.deinde adiicit.

Deinde adiicit prætor, PRO ALIO NE POSTVLENT: PRAETERQVAM PRO PARENTE: DE QVO SVB TITVLO, DE IN IVS VOCANDO PLENIVS DICTVM EST. ITEM ADIICIT, LIBERISVE SVIS FRATRE, SORORE, VXORE, SOCERO, SOCRV, GENERO, NVRV, VITRICO, NOVERCA, PRIVIGNO, PRIVIGNA, PVPILLO, PVPILLA, FVRIOSO, FVRIOSA. FATVO, FATVA. Cum istis quoque personis curator detur. CVI EORVM A PARENTE, AVT MAIORIS PATRIS TVTORVM SENTENTIA: AVT AB EO, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO FVIT: EA TVTELA, CVRATIOVE DATA ERIT, d.l.prima, §.finali. & l.secunda ac tertia, in prin.

Adfinitates non eas accipere debemus, quæ quondam fuerunt, sed præsentes. Item Pomponius, APPELLATIONE NVRVS ET GENERI SOCERI ET SOCRVS. & vlteriores quibus PRO præposito solet accedere, contineri ait, in curatoribus etiam debuisse eum adiicere: CAETERORVMQVE QVIBVS DARI SOLENT, idest muto, surdo, prodigo, & adolescenti. Item quibus propter infirmitatem curator dari solet. Et qui negociis suis aliquo perpetuo morbo superesse non possunt, d.l. tertia, §.fi. cum duabus seq.

Item omnes, qui non sponte, sed necessario funguntur officio, possunt sine offensa edicti postulare. Etiam si hi sint, qui non nisi pro se postulare possunt, ff. eod. l.sexta. in prin.

Si quis aduocationem præstare fuerit prohibitus: si quidem apud se (vt solent facere tempore magistratus sui) is postea apud successorem eius adesse poterit, ff. eod. l. sexta, §. si quis.

Quos prohibet prætor apud se postulare: omnimodo prohibet, etiam si aduersarius eos patiatur postulare, ff. eod. l. septima.

Imperator

Imperator Titus Antonius rescripsit: eum cui aduocationibus in quinquenniū interdictum esset, post quinquennium pro omnibus postulare non prohiberi: Diuus quoque Hadrianus rescripsit de exilio reuersum postulare posse: nec adhibetur distinctio, quo crimine silentium, vel exsilium sit irrogatum: ne scilicet pœna tempore determinata, contra sententiæ fidem vlterius porrigatur, ff. eodem, l. Imperator, 8.

Ex ea causa prohibitus pro alio postulare, quæ infamiam non irrogat, ideoq; ius postulandi pro omnibus non aufert: in ea tantum prouincia pro aliis non rectè postulat, in qua præses fuit, qui sententiam dixit, in alia verò non prohibetur, licet eiusdem nominis sit, ff. eo. l. ex ea causa, ix.

Ii, qui fisci causas agunt, suam, vel filiorum, vel parentum suorum, vel pupillorum, quorum tutelas gerunt, causam etiam aduersus fischum agere non prohibentur. Decuriones quoq; contra patriam suam causam agere prohibentur, præter superiores personas, ff. eod. l. pen.

Non prohibetur tutor adesse pupillo in negocio, in quo aduocatus contra panem eius fuisset, sed & illud ab eo permissum est: agere tutorem pupilli causam aduersus fischum, in qua aduersus patrem pupilli ante aduocatus fisci fuisset, ff. eod. l. fin.

Si sub specie honorarii, quod aduocato vsq; ad certum modum deberi potuisset, eam quantitatem, quam desiderio tuo complecteris, te daturum cauisti, & quasi mutuam pecuniam accepisses, eam te redditurum promisisti: nec temporis spacio gesto negocio consensum ac fidem accommodasti: competenti exceptione non numeratæ pecuniæ tutus es, & ex hac causa cautionem interpositam vsitato more potes condicere, C. eo. l. tertia.

Si qui aduocatorum existimatione suæ immensa atque illicita compendia prætulisse, sub nomine honorariorum ex ipsis negociis, quæ tuenda susceperint, emolumenta sibi certe partis cum graui damno litigatoris & depredatione poscentes, fuerint inuenti: placuit, vt omnes qui permanserint in huiuscemodi sæuitate, ab hac professione penitus arceantur, C. eod. l. quinta.

Quisquis vult esse causidicus, non idem in eodem negocio sit aduocatus & iudex quoniam aliquem inter arbitros, & patronos oportet delectum. Ante omnia autem vniuersi aduocati ita præbeant patrocinia iurgantibus, vt non vltra, quā litium poscit vtilitas, in licentia conuiciandi, maledicendi temeritate prorumpant, agant, quod causa desiderat, temperent se ab iniuria. nam si quis adeo procax fuerit, vt non ratione, sed probriis putet esse certandum: opinionis suæ imminutionem patietur. Nec enim conniuentia commodatur, vt quisquam negotio derelicto, in aduersarii sui contumeliam aut palam pergat, aut subdole. Præterea nullum cum eo litigatore contractam, quem in propriam recepit fidem, ineat aduocatus, nullam conferat pactionem. Nemo ex his, quos licebit accipere, vel decebit, aspernanter habeat, quod sibi semel officii gratia libero arbitrio obtulerit litigator. Nemo ex industria protrahat iurgium. Quisquis igitur ex iis, quos agere permisimus, vult esse causidicus, eam solam, quam summet tempore agendi, sibi sciat esse personam, quousque causidicus est. Nec putet quisquam honori suo aliquid esse detractum: cum ipse necessitatem elegerit stanti, ipse & contempserit ius sedendi. C. eod. l. sexta.

Prouidendum est ne ii, quos in foro aut meritum nobilissimos fecerit, aut vetustas, in vna parte consistant, aliam à rudibus atque tyronibus necesse, sit sustineri atque ideo si in vno auditorio duo tantum præ cæteris fuerint, uel plures,

quorum

quorum fama sit hilarior: in iudicantis officio sit, vt par causidicorum distributio fiat, & exequetur partibus auxilium singulorum, & æqua diuisio procedat: si quis verò monitus à iudice, ea excusatione, quæ nequeat comprobari, cuicunque parti patrocinium denegauerit, careat foro: sciat etiam nunquam sibi ad agendum copiam posse restitui: si quis autem ex litigatoribus detectus fuerit, separatim tractasse cum plurimis, & aduersario suo tali fraude subtraxisse paris defensionis copiam: ostendet proculdubio iniquam à se litem foueri, & authoritatem iudiciariam à se delusam experietur, C. eo. l. pen.

Qui autem infames sunt sequenti titulo explanabitur, ff. de postulando, l. fi. §. fin.

DE HIS, QVI NOTANTVR INFAMIA. Titulus XXIIII.

PRætoris verba dicunt: INFAMIA NOTATVR, QVI AB EXERCITV IGNOMINIAE CAVSA, AB IMPERATORE EOVE, CVI DE EA RE STATVENDI POTESTAS FVERIT, DIMISSVS ERIT: QVI ARTIS LVDIRIE PRONVNCIANDIVE CAVSA IN SCENAM PRODIERIT, QVI IVDICIO PVBLICO CALVMNIAE, PRAEVARICATIONISVE CAVSA QVID FECISSE IVDICATVS ERIT. QVI FVRTI, VI BONORVM RAPTORVM, INIVRIARVM, DE DOLO MALO, ET FRAVDE, SVO NOMINE DAMNATVS, PACTVSVE ERIT, QVI PRO SOCIO, TVTELAE, MANDATI, DEPOSITI, SVO NOMINE, NON CONTRARIO IVDICIO DAMNATVS ERIT. ff. de his, qui notantur infam. l. prima.

Fidem rumpens societatis, cum infamiæ periculo, suo nomine, pro socio conuentus ad faciendum satis urgetur, C. de causis ex quib. infam. l. fin.

Quod ait prætor: QVI AB EXERCITV DIMISSVS ERIT: dimissũ accipere debemus militem caligatum: vel si quis, aliusque ad centurionem, vel præfectum cohortis, vel alæ, vel legionis dimissus est. Hoc amplius Pomponius ait: & eum, qui exercitui præest (licet consularibus insignibus vtitur) ignominiæ causa ab Imperatore missum, hac nota laborare. Ergo & si dux, cum exercitui præest, dimissus erit: notatur. & si princeps dimiserit, & adiecerit ignominiæ causa, se mittere, (vt plerunque facit) non dubitabitur, & hoc edicto prætoris eum infamia esse notatum, non tamen si citra indignationem principis successor ei datus est. Exercitum autem non unam cohortem, neq; vnam alam dicimus, sed numeros multos militum. nam exercitui præesse, dicimus eum, qui legionem, vel legiones cum suis auxiliis ab Imperatore cõmissus administrat, sed etiam eum, qui ab aliquo numero militum missus est: quasi ab exercitu missum, sic accipimus, ff. eo. l. secunda, in prin.

INGNOMINIAE CAVSA MISSVM: hoc ideo adiectum est, quoniam multa genera sunt missionum. & honesta, quæ emeritis stipendiis, vel ante ab Imperatore indulgetur, est causaria, quæ propter valetudinem laboribus militiæ soluit, est ignominiosa. ignominiosa autem missio toties est: quoties is, qui mittit, addidit nominatim ignominiæ causa se mittere. semper enim debet addere, cur miles mittatur, sed & si ita exauthorauerit, ut insignia militaria detraheret, inter infames efficit, licet non addidit, ignominiæ causa se ita exauthorasse. Est & quartum genus missionis, si quis euitendorum munerum causa militiam

litiam subiſſet. hæc autem miſsio exiſtimationem non lædit, vt eſt ſæpiſsimè reſcriptum, d.l. ſecunda, §. ignominiæ.

Miles, qui lege Iulia de adulteriis fuerit damnatus: ita infamis eſt, vt etiam ipſa ſententia eum ſacramento ignominiæ cauſa ſoluat, d.l. ſecunda, §. miles.

Ignominia miſsis, neque in urbe, neque alibi, vbi Imperator eſt, morari licet, d.l. ſecunda, §. ignominia.

Ait prætor, QVI IN SCENAM PRODIERIT, ſcena eſt (vt Labeo diffinit) quæ ludorum faciendorum cauſa quolibet loco, vbi quis conſiſtat, moueaturq; ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit in publico, priuatove, vel in vico: quo tamen loco paſsim homines ſpectaculi cauſa admittat. Eos enim qui quæſtus cauſa in certamina deſcendunt, & omnes propter præmium in ſcenam prodeuntes famoſos eſſe Pegaſus, & Nerua filius reſponderunt. Qui autem operas ſuas locauit, vt prodiret artis ludicræ cauſa, neque prodiit: non notatur: quia non eſt ea res ad eo turpis, ut etiam conſilium puniri debeat, d.l. ſecunda, §. fin. cum l. ſequen.

Calumniator ita demum notatur, ſi fuerit calumniæ cauſa damnatus. neq; enim ſufficit calumniatum. item Præuaricator, Præuaricator autem eſt, quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat, prodita cauſa ſua: quod nomen Labeo à uaria certatione tractum ait. Nam qui præuaricatur, ex vtraque parte conſiſtit, quinimò ex aduerſa, ff. eo. l. quarta, §. calumniator.

Item ſi quis furti, cui bonorum raptorum, iniuriarum de dolo malo, ſuo nomine damnatus, pactus ve erit: ſimili modo infamis eſt. Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur, d. l. quarta, §. fi. & l. ſeq.

Non damnatos quidem duntaxat iniuriæ, ſed pactos quoque perpetuum editum infamat. uerum pactos eos demum, qui ullos aduerſariis numos pro mala conſcientia ex tranſactione numeraſſent, in hac cauſa placuit intelligi, cæterum ſimplex rei gratia integram pacti exiſtimationem, illibatamq; cōſeruat. Quod ſi iureiurando deciſa contentio ſit: nemo dubitauerit, quin religionem abſolutio iudicantis ſequatur, C. de cauſis ex quibus infamia irrog. l. non damnatos, xviii.

Neque furti, neque ui bonorum raptorum, neque peculatus damnatus intelligi poteſt, qui cum plus debiti nomine tributorum exegiſſet, in duplum à præſide condemnatus eſt, C. de cauſis ex quibus infam. l. ſecunda.

Si te expilaſſe hæreditatem ſententiam præſidis conſtitit, non ex eo, quod non, & alia tibi pœna irrogata eſt, furis improbioris infamiam euitaſti, C. eodem, l. ſi te expilaſſe, xii.

Sed ſi furti, vel aliis famoſis actionibus, quis condemnatus prouocauerit: pendente iudicio, nondum inter famoſos habetur. ſi autem omnia tempora prouocationis lapſa ſunt: retrò infamis eſt. Quamuis ſi iniuſta appellatio eius uiſa ſit: hodie notatur, non retrò, ff. eo. l. ſexta, in princ.

Si quis alieno nomine condemnatus fuerit, non laborat infamia, & ideo nec procurator, vel defenſor, vel curator, vel tutor, vel hæres: furti, vel ex alia ſimili ſpecie condemnatus, infamia notabuntur, nec ergo ſi ab initio per procuratorem, cauſa agitata eſt, d.l. ſexta, §. ſi quis.

PACTVSVE (inquit) ERIT, pactum ſic accipimus, ſi cum precio quantocunque pactus eſt: alioquin, ex qui precibus impetrauit ne ſecum ageretur, erit notatus, nec erit, veniæ ulla ratio: quod eſt inhumanum, qui iuſſu prætoris precio dato, pactus eſt, non notatur, ſed & ſi iureiurando

delato iurauerit quis non deliquisse, non erit notatus. nam quodammodo innocentiam suam iureiurando adprobabit, d.l. sexta, §. pactusve.

MANDATI CONDEMNATVS, Verbis edicti notatur non solum, qui mandatum suscepit: sed & is, qui fidem, quam aduersarius secutus est, non præstat, vtputa fideiussi pro te, & solui, mandati si te condemnauero, famosum facio, d.l. sexta, §. mandati.

Illud planè addendum est, quod interdum & hæres suo nomine damnatur, & ideo infamis fit: si in deposito, vel in mandato, male versatus sit: non tamen in tutela, vel pro socio hæres suo nomine damnari potest, quia hæres, neque in tutelam, neque in societatem succedit, sed tantum in æs alienum defuncti, d.l. sexta, §. illud planè.

Contrario iudicio damnatus tum erit infamis, nec immeritò. nam in contrariis non de perfidia agitur, sed de calculo, qui ferè in iudicio solet dirimi, d.l. sexta, §. finali.

In actionibus, quæ ex contractu proficiscuntur: licet famosæ sint, & damnati notantur, attamen pactus non notatur, meritò, quoniam ex his causis non tàm turpis est pactio, quàm superioribus, ff. de his, qui notantur infam. l. septima.

Ex compromisso arbiter infamiam non facit, quia non per omnia sententia est. quantum ad infamiam pertinet, multum interest: in causa, quæ agebatur, causa cognita aliquid pronunciatum sit: an quædam extrinsecus sunt elocuta. nam ex his infamia non irrogatur, ff. eod. l. quid ergo, 13. §. ex compromisso.

Pœna grauior ultra legem imposita existimationem conseruat: ut & constitutum est, & responsum, vtputa si eum, qui parte bonorum mulctari debuit, præses relegauerit: dicendum erit duriore sententia cum eo transactum de existimatione eius, idcircoque non esse infamem, d.l. quid ergo, §. pœna.

Crimen stellionatus infamiam irrogat damnato, quamuis publicum iudicium non est, d.l. quid ergo, §. fin.

Notatur, quæ per calumniam ventris nomine in possessionem missa est, dum se adseruat prægnantem: cum non prægnans esset, vel ex alio concepisset. debuit enim coerceri, quæ prætorem decepit, sed ea notatur, quæ cum suæ potestatis esset, hoc fecit. sed ea, quæ falsa existimatione decepta est, non potest videri per calumniam fuisse in possessionem. Non alia autem notatur, quàm ea, de qua pronunciatum est, calumniæ causa eam fuisse, in possessionem missam, idque erit, & in patre seruandum: qui calumniæ causa passus est filiam, quam in potestate habebat, in possessionem ventris nomine mitti, ff. de his, qui notan. infam. l. notatur, 15. cum quatuor seq.

Ob hæc verba sententiæ præsidis prouinciæ, CALLIDO COMMENTO VIDERIS ACCVSATIONIS INSTIGATOR FVISSE: pudor potius oneratur, quàm videtur irrogari ignominia. non enim exortator mandatoris opera fungitur, ff. eo. l. ob hæc verba, 20.

Lucius Titius crimen intendit Gaio Seio, quasi iniuriam passus: atq; in eam rem testationem apud præfectum prætorio recitauit. Præfectus fide non habita testationi Lucium Titium nullam iniuriam à Gaio Seio passum esse pronunciauit. quæritur: an testes, quorum testimonium reprobatum est, quasi ex falso testimonio, inter infames habeantur? Paulus respondit, nihil proponi, cur hi, de quibus quæritur, infamiam loco haberi debeant: eum non oporteat ex sententia (siue iusta, siue iniusta) pro alio habita, alium prægrauari, ff. eodem, l. Lucius Titius, 21.

Ictus fustium infamiam non importat: sed causa, propter quam id pati meruit, si ea fuit, quæ infamiam damnato irrogaret. in cæteris quoq; generibus pœnarum eadem forma statuta est, ff. eo. l. ictus, 22.

Ictui fustium subiectus ob crimen quæstione habita non timebit existimationis infamiam, si sententia non præcessit ignominiæ maculam irrogans, C. ex quibus causis infam. irrogatur, l. nullam, xiv.

Fustibus cæsum calumniatorem videri notatum, ideoque esse famosum, C. eodem, l. fustibus, xvi.

Furti si cōdemnatus es, citrà verbera quoq; fustium famæ damnum subiisti. quod si res furtiua, quam alter surripuit, & apud te ignoranter comperta est: non læsit existimationem tuam, sententia durior, C. eo. l. furti. 8.

Infamiæ detrimentum minimè tibi affertur ob id solum, quod in carcerem coniectus es: vel uincula tibi iussu legitimi iudicis inecta sunt, C. eo. l. prima.

Et si seuerior sententia dici debuit: tamen cum proconsul vir clarissimus certis rationibus motus mitiorem sententiam dixit, & ordine decurionum te biennio abstinere iussit, transacto tempore non esse te in numero infamium, palàm est: eò quod post biennium remisisse tibi prohibitionem decurionatus iudex videtur, C. eo. l. tertia.

Si Possidoniū in tempus anni relegatum sententiam non excessisse proconsulis probaueris, quinq; annis ex illo temporali damnandum inter infames haberi non oportet: quoniam sententiæ seueritas cum cæteris damnis transigere videatur, C. eod. l. quarta.

Nemo ob id, quòd bonis paternis se abstinuit, infamis est, C. eo. l. septima.

Qui bonis cesserunt, licet ex ea causa bona eorum uenierint, infames non fiunt, C. eo. l. qui bonis, xi.

Neminem sequitur infamia, ob non defensa negocia publica patriæ suæ, C. eod. l. neminem, ix.

Ea, quæ pater testamento suo filios increpans scripsit, infames filios quidem iure non faciunt: sed apud bonas, & graues opiuionem eius, qui patri displicuit, onerant, C. eo. l. ea quæ, 13.

Verbum precibus insertum, potius verecundiaw onerare, quàm ullam existimationi maculam videtur adspergere. Etenim cum non causa cognita dictum est, sed ad postulatum patroni interlocutione iudicis responsum sit: nequaquam hoc infamiam irrogat, C. eo. l. verbum, 17.

Interlocutio præsidis, quæ dicta est, infamem eum, de quo quæris, fecisse non uidetur: cum non simpliciter ob iniuriam, uel admissam uim damnatus sit: sed ita præsidis uerbis grauatus, & admonitus, ut ad melioris uitæ frugem se reformet, C. eo. l. interlocutio, 19.

Vsurariis infamiæ macula irroganda est, C. eo. l. improbum, 20.

Si fratres tui minores duntaxat ætate in ludicræ artis ostensione spectaculum sui populo præbuerunt: inuiolatam existimationem obtinent, C. eodem, l. penultima.

DE ERRORE ADVOCATORVM, VEL LIBELLOS, SEV preces concipientium. Tit. XXV.

EA, Quæ aduocati præsentibus iis, quorum causæ aguntur, allegāt, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis licium proferantur, C. de error. aduoca. l. prima.

Errores eorum, qui desideria & preces scribunt, veritati præiudiciū adferre non posse, manifestum est. & ideo si condemnationem, cuius mentionem libello esse insertam proponis, manifeste probare potes non intercessisse, allegationes tuas lædi non oportere, is, qui super negocio disceptaturus est non ignorabit, C. eo. l. secunda.

Sententiis finita negocia, rescriptis reuocari non oportet. nec enim quæ constituta sunt, vt aduocatorum error litigatoribus non noceat, tibi etiam opitulari possunt: cum te præsentem neq; causæ palàm ex continenti, idest triduo proximo, contra dixisse: nec post sententiam appellationis remedio, si tibi hæc displicebant, vsam esse proponas, C. eod. l. fi.

VT QVAE DESVNT ADVOCATIS PARTIVM, IVDEX suppleat. Tit. XXVI.

DVbitandum non est, iudicii si quid à litigatoribus, vel ab iis, qui negociis adsistunt, minus fuerit dictum: id supplere, & pro ferre, quod sciat legibus, & iuri publico conuenire, C. vt quæ desunt, aduoc. l. prima.

DE EDENDO. Tit. XXVII.

QVA quisq; actione agere uolet, eam prius edere debet. nam ęquissimum videtur, eū, qui acturus est, actionem edere, vt proinde sciat reus, vtrum cedere, an contendere vltra debeat: & si contendendū putet veniat instructus ad agendum cognita actione, qua conueniatur. EDERE est copiam describendi facere, vel in libello complecti & dare, vel dictare. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, & demonstret, quid dictaturus sit, vel id dicendo, quo vti velit editiones, sine die & consule fieri debent, ne quid excogitetur, aut prolato die fiat, diem autem & consulem excepit prætor, quo instrumentum conscriptum, non in quem solutio concepta est. Nam dies solutionis, sicuti summa pars est stipulationis. Rationes tamen cum die, & consule edi debent: quoniā accepta, & data non aliàs possunt apparere, nisi dies, & consul fuerit editus. Edenda autem sunt omnia, quæ quis apud iudicem editurus est: non tamen ut instrumenta, quibus quis vsurus non est, compellatur edere. Edere non uidetur, qui totam stipulationem non edit. Eis, qui ob etatem, vel rusticitatem, vel obsexū lapsi non ediderunt, vel ex alia iusta cā: subueniet, ff. de eden. l. prima.

Si quis quodlibet interdictum efflagitet, inter ipsa cognitionis auspicia, actionē exprimere, ac suas allegationes iubetur proponere, C. de interdict. l. fin.

Si legatum petatur, non iubet prætor uerba testamenti edere: ideo fortasse, quia hæredes solent habere exemplum testamenti. ff. eo. l. secunda.

Senatus censuit ne quisquam eorum, à quibus quid à fisco petitur, alia instrumenta, delatori cogatur edere, quàm quæ ad eam causam pertinerent, ex qua se deferre professus esset, ff. eo. l. tertia.

Edita

Edita actio spem futuræ litis demonstrat, quàm emendari, vel mutari liceat. pro vt perpetui edictæ monet authoritas, vel ius reddentis decernit æquitas, C. eodem, l. tertia.

Ipse despice quemadmodum pecuniam, quàm te deposuisse dicis deberi tibi probes. nam quod desideras, vt rationes sua aduersaria tua exhibeat: id ex causa ad officium iudicis pertinere solet, C. eo. l. prima.

Is apud quem res agitur acta publica, tàm ciuilia, quàm criminalia exhiberi inspicienda ad inuestigandam veritatis fidem iubebit, C. eo. l. secunda.

Qui accusare volunt probationes habere debent: cum neque iuris, neque æquitatis ratio permittat, vt alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. actore enim non probante, qui conuenitur, & si nihil ipse præstat obtinebit, C. eod. l. quarta.

Ea, quæ ab Antonino rescripta sunt, cum iuris, & æquitatis rationibus congruũt. nec enim diuersa sunt, vel discrepantia, quod multum intersit ex parte eius, qui aliquid petit, quique doli exceptione submoueri ab intentione petitionis suæ potest, rationes pro mi reus desideret, quibus se posse instruere contendit (quod vtique ipsa rei æquitas suadet) an verò ab eo, à quo aliquid petitur, actor desideret rationes exhiberi. quando hoc casu non oportet originem petitionis ex instrumento eius, qui conuenitur, fundari, C. eo. l. fin.

Non est nouum, eum à quo petitur pecunia implorare rationem creditoris, ut fides constare posit, C. eo. l. quinta.

Iustum est desiderium, à quo pecunia petitur (licet nomine publico) vt rationibus publicis exhibitis constet quantum sub nomine suo solutum sit, C. eodem, l. sexta.

Procurator priuatæ rationis instrumentorum, quæ communia tibi esse dicis cum fisco describendorum facultatem secundum morem fieri iubebit: & si quando res exegerit ad fidem petitionis tuæ apud alium iudicem præbendam aliquid eorum proferri desiderante eo, qui conuenitur, vt id fiat, præcipiet, C. eodem, l. penultima.

De argentarijs.

Prætor ait; ARGENTARIAE MENSAE EXERCITORES RATIONEM, QVAE AD SE PERTINET, EDANT ADIECTO DIE, ET CONSVLE, ff. eo. l. quarta, in princ.

Huius edicti ratio æquissima est: nam cum singulorum rationes argentarii conficiant: æquum fuit id, quod mei causa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi; sed & si filiusfamilias continetur his verbis, ut uel ipse cogatur edere, an & pater quæritur? Labeo scripsit, patrem non cogẽdum nisi sciente eo argentaria exerceretur: sed rectè Sabinus respondit, tunc id admittendum, cum patri quæsitum referret, d. l. quarta, §. huius edicti.

Etiam is, qui desiit argentariam facere ad editionem compellitur; sed ibi quis compellitur edere, vbi argentariam exercuit, & hoc est constitutum. Quod si instrumentum argentariæ in alia prouincia habeat, in alia administrauerit: ibi cogendus erit, edere, vbi argentariam exercuit. hic enim primum deliquit: quod alio instrumentum transtulit. Quod si in alio loco argentariam exerceat, alibi autem ad editionem compellatur: minime hoc facere cogitur, nisi descriptum

velis, vbi de ea re agitur, ibi dari, tuis uidelicet sumptibus. Spaciumq; ad perferendas eas tribuendum est, d.l. quarta, §. fi. cum l. seq.

Si quis ex argentariis (vt pleriq; eorum) in villa habeat instrumenta, vel in horreo, aut ad locum te perducet, aut descriptas rationes dabit, ff. eodem, l. sexta, in principio.

Cogentur, & successores argentarii edere rationes, quòd si plures sint hæredes, & vnus habeat: solus ad editionem compelletur, sed si omnes habent, & unus edidit, an omnes ad editionem compellendi sunt? quid enim si humilis, & deploratus vnus edidit, ut dubitare meritò, quis de fide editionis posit? ut igitur comparari rationes possint, etiam cæteri ederi debent, aut certè vnius editioni subscribere. idem erit, & si plures fuerint argentarii, à quibus editio desideratur. nam & si plures tutores tutelam simul administrauerint: aut omnes edere debent, aut vnius editioni subscribere, d.l. sexta, §. cogentur.

Exigitur autem ab aduersario argentarii iusiurandum non calumniæ causa postulare edi sibi: nè fortè vel superuacuas rationes, vel quas habet, edi sibi postulet vexandi argentarii causa, d.l. sexta, §. exigitur.

Rationem autem esse Labeo ait: vltro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, soluendi sui causa negociationem; nec vllam rationem nuda duntaxat solutione debiti incipere: nec si pignus acceperit, aut mandatum compellendum edere. hoc enim extra rationem esse, sed & quod solui constituit, argentarius edere debet. nam & hoc ex argentaria venit, d.l. sexta, §. rationem.

Ex hoc edicto in id, quod interfuit, actio competit. Vnde apparet ita demum teneri hoc edicto, si ad eum pertineat. Pertinere autem videtur ad me ratio, si modo eam tractaueris, me mandante, sed si procurator meus, absente me mandauerit, an mihi edenda sit, quasi ad me pertineat? & magis est, ut edatur, d.l. sexta, §. ex hoc edicto.

Procuratori quoque meo, edendam rationem, quam mecum habet, non dubito, quasi ad eum pertineat, & cauturum de rato, si mandatum ei non sit, d.l. sexta, §. Procuratori.

Si initium tabularum habet diem, & consulem, in quibus Titii ratio scripta est: postmodum mea sine die, & consule: etiam mihi edendus est dies, & consul. cōmunis enim omnis rationis est præpositio diei, & consulis, d.l. sexta, §. si initiū.

Prætor ait: ARGENTARIO, EIVE QVI ITERVM POSTVLAVERIT CAVSA COGNITA EDI IVBEBO. prohibet argentario edi illa ratione. Quod etiam ipse instructus esse potest instrumento suæ professionis: & quod absurdum est, cum ipse in ea sit causa, vt edere debeat: ipsum petere, vt edatur ei, d.l. sexta, §. prætor ait.

An nec hæredi argentarii edi ratio debeat uidendum, & quidem instrumentum argentariæ ad eum peruenerit. non debet ei edi: si minus edenda est ex causa. Nam & ipsi argentario ex causa edendà est: si naufragio, vel mina, vel incēdio, vel alia simili causa rationes perdidisse se probet: aut in longinquo habere veluti transmare, d.l. sexta, §. an nec hæredi.

Nec iterum postulanti, edi prætor iubet, nisi causa cognita. Veluti si peregrè hr̄e, quod primum editum est, vel minus plene editum doceat: vel eas rationes casu maiore, non vero negligentia perdiderit. nam si quo casu amisit, cui ignosci debeat: ex integro edi iubebit. Hæc vox ITERVM, duas res significat, alteram, qua demonstratur tempus alteram, quæ ad sequentia quoque tempora pertinet: quod ita accipitur, quoties opus erit. nam potest fieri, vt bis editam sibi rationem

tionem quis perdiderit: vt verbum ITERVM pro SAEPIVS accipiatur, d. l. sexta, §. final. cum l. seque.

Vbi exigitur argentarius rationes ædere: tunc punitur, cum dolo malo non exhibet, sed culpam non præstabit, nisi dolo proximam. Dolo autem malo non adidit, & qui malitiosè edidit, & qui in totum non edidit, is autem, qui in hoc edictum incidit: id non præstat, quod interfuit mea rationes edi, cum decerneretur à prætore non quod hodie interest, & ideo licet interesse desiit, vel minoris, vel pluris interesse cœpit, locum hæc actio non habebit, neque ad augmentum, neque ad diminutionem, ff. de edendo. l. vbi exigitur. 8.

Quædam sunt personæ, quas rationes nobis edere oportet, nec tamen à prætore per hoc ædictum compelluntur. Veluti cum procurator res rationesve nostras administrauit, non cogitur à prætore per metum actionis in factum rationes edere, scilicet quia id consequi possumus per mandati actionem, sed & cum dolo mala socius negocia gessit, prætor per hanc clausulam non interuenit. Est. n. pro socio actio, sed nec tutorem cogit prætor pupilo edere rationes, sed iudicio tutelæ solet cogi edere, ff. eod. l. quædam sunt. ix.

Nihil interest, si successores, aut pater, aut dominus argentarii eiusdem fuerunt professionis, quia cum in locum, & in ius succedant argentarii, partibus eius fungi debebunt. is autem, cui argentarius rationes suas legauit non videtur contineri (quia iuris successor iis verbis significatur) non magis quam si ei viuus eas donasset. sed nec hæres tenebitur: cum nec possideat, nec dolo malo fecerit. sed si ei antequam eas legatario traderet, denunciatum fuerit, ne ante tradat tenebitur, quasi dolo fecerit, quod si nihil dolo fecerit: causa cognita legatarius cogendus est edere, d. l. quædam, §. nihil interest.

Numularios quoque non esse iniquum cogi rationes edere, Pomponius scribit, quia & hi, sicut argentarii rationes conficiunt, & quia accipiunt pecuniam & erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusque eorum maximè continetur: id eo frequentissime ad fidem eorum securritur, d. l. quædam, §. Numularios.

Cæterum omnibus postulantibus, & iurantibus non calumniæ causa se petere: rationes, quam à se pertineant edi iubet. Ad nos autem pertinet non tantum, cum ipsi contraximus, vel successimus ei, qui contraxit, sed etiam si is, qui in aram potestate est, contraxit, d. l. quædam, §. fin.

Argentarius rationes edere iubetur: nec interest, cum ipso argentario controuersia sit, an cum illo. id eo autem argentarios tantum, neque alios vllos absimiles rationes edere cogit: quia officium eorum, atque ministerium publicam habet causam: & hæc principalis eorum opera est, ut actus sui rationem diligenter conficiant, ff. de edendo. l. Argentarius. x. in prin.

Edi autem ratio ita intelligitur, si à capite edatur. nam ratio, nisi inspiciatur intelligi non potest scilicet, vt non totum cuique codicem rationum, totasque membranas inspiciendi, describendique potestas fiat: sed vt ea sola pars rationum, quæ ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur, & describatur. d. l. argentarius, §. edi autem.

Cum autem in id actio competat, quanti agentis intersit, editas sibi rationes esse: euenit, vt siue quis condemnatus sit, siue quod petiit, non obtinuerit, eo quod non habuit rationes, ex quibus causam. suam tueri posset: id ipsum, quod ita perdiderit, hac actione consequatur, sed an hoc procedat, videamus. nā si apud hunc iudicem, qui inter eum, & argentarium iudicat: potest probare se illo iudicio,

diclo; quo victus est, vincere potuisse; poterat, & tunc probare, & si non probauit, aut probantem iudex non curauit de se ipso, aut de iudice quæri debet. sed non ita est fieri.n.potest, vt nunc rationes, vel ipso edente, vel alio modo natus, aut aliis instrumentis, vel testibus quibus illo tempore aliqua ex causa vti non potuit, posit probare, potuisse se vincere. sic.n. est ne cautione subrepta, aut corrupta, competit condictio, & damni iniuriæ actio quia quod ante non potuimus intercepta cautione probare, & ob id amisimus: hoc nunc aliis instrumentis, aut testibus, quibus tunc vti non potuimus, probare possumus, d.l. argentarius, §.cum autem.

Fœminæ remotæ videntur ab officio argentarii, cum ea opera virilis sit, ff.eod.l. penultima.

Exempla instrumentorum etiam sine subscriptione edentis edi posse, receptum est, ff.eod.l.exempla.xi.

Hæc actio neque post annum, neque in hæredem, nisi ex suo facto, dabitur: hæredi autem dabitur, ff.eod.l.fin.

Finis Liber Primus.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Secundus.

DE IVDICIIS, ET VBI QVISQVE agere, vel conueniri debeat. Titulus I.

SI SE SVBIICIANT. aliqui iurisdictioni, & consentiant: inter consentientes cuius vis iudicis, qui tribunali præest, uel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictio, ff. de iudiciis. l. prima.

Consensisse autem videntur, qui sciunt se non esse subiectos iurisdictioni eius, & in eum consentiant cæterum si putent eius iurisdictionem esse: non erit eius iurisdictio. error enim litigatorum (vt Iulianus scribit) non habet consensum vt si putauerint alium esse prætorem pro alio, æquè error non dederit iurisdictionem: ac si, cum restituisset qui visis ex ex litigatoribus, viribus præture compulsus est: nulla iuridictio est, ff. eod. l. secunda, in prin.

Conuenire autem, vtrum inter priuatos sufficiat: an vero etiam ipsius prætoris consensus necessarius est lex Iulia iudiciorum ait, QVO MINVS INTER PRIVATOS, CONVENIAT. sufficit ergo priuatorum consensus pro inde si priuati consentiant, prætor autem ignoret consentire, & putet suam iurisdictionem potest defendi eius esse iurisdictionem, d. l. secunda, §. conuenire.

Si & iudex ad tempus datus, & omnes litigatores consentiant (nisi principali iussione specialiter prorogatio fuerit inhibita) possunt tempora, intra quæ iussus est litem dirimere prorogari, d. l. secunda, §. si & iudex.

Legatis in eo, quod ante legationem contraxerunt: item his qui testimonii causa euocati sunt, vel si quid iudicandi causa, arces sisti sunt vel in prouinciam destinati: reuocandi domum suam ius datur, eo quoque, qui prouocauit: non imponitur necesitas intra tempora prouocationis exercendæ Romæ vel alio loco, vbi prouocatio exercetur, aliis pulsantibus respondere. Nam Celsus huic etiam domum reuocationem dandam ait, quoniam ob aliam causam, venerit, & hæc

& hæc sententia vera, & rationabilis est. Nam & diuus Pius Plotio Celsiano rescripsit eum, qui tutelæ reddendæ causa Romam erat à se euocatus, alterius tutelæ cuius causa non erat euocatus, non debere compelli iudicium suscipere. Idem Claudio Flauiano rescripsit, minorem viginti quinque annis, qui desiderat in integrum restitui aduersus Asinianum, qui alterius negocii causa venerat, non esse Romæ audiendum, d.l. secunda, §. legatis.

Omnes autem isti domum reuocant, si non ibi contraxerunt, vbi conueniuntur, cæterum si contraxerunt, ibi reuocandi ius non habent. Exceptis legatis, qui licet ibi contraxerint (dummodo ante legationem contraxerint) non compelluntur se Romæ defendere, quàm diu legationis causa ibi demorantur. quod & Iulianus scripsit, & Diuus Pius rescripsit. Planè si perfecta legatione subsistant, conueniendos eos Diuus Pius rescripsit, d.l. secunda, §. omnes.

Item si extrà prouinciam suam contraxerint, licet non in Italia quæstionis est, an Romæ conueniri possint? & Marcellus ait, in eo solo priuilegio eos vti domu reuocandi, quod in ciuitate sua, vel certè intrà prouinciam contraxerunt, quod est verum. Sed si agant compellantur se aduersus omnes defendere, d. l. secunda. §. Item si

Non tamen si ingiuriam suam persequantur, vel furtum, vel damnum, quod nunc passi sunt. alioquin (vt Iulianus eleganter ait,) aut impunè contumeliis, & damnis adficientur, aut erit in potestate cuiusque, pulsando eos, subiicere ipsos iurisdictioni, dum se vindicant. d.l. secunda, §. non tamen.

Sed si dubitetur, vtrum in ea quis causa sit, vt domum reuocare possit, nec ne, ipse prætor debet causa cognita statuere. Quod si constiterit in ea eum esse causa, vt domum reuocet, debebit cauere in iudicio sisti, statuente prætore, in quem diem promittat, sed vtrum nuda cautione, an satisdato, Marcellus dubitat. videtur sola promissione, quod & Mela scribit. alioquin compelleretur iudicium accipere, aut inuenire eos, qui satis pro eo dent. In omnibus autem causis, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere sine temporali damno creditorum oportet. d.l. secunda, §. sed si dubitetur.

Non videtur frustrandæ actionis causa latitare qui præsens suscipere iudicum nõ compellitur, ff. eod. l. tertia.

Si quis ex aliena iurisdictione ad prætorem vocetur, debet venire, vt & Pomponius, & Vindius scripserunt. prætoris enim est existimare, an sua sit iurisdictio, vocati autem est non contemnere authoritatem prætoris. nam & legati cæterique, qui reuocandi domum ius habent, in ea sunt causa, vt in ius vocati veniant priuilegia sua allegaturi. ff. eod. l. quinta.

Si quis posteaquam in ius vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit, in ea causa ius reuocandi forum non habebit, quasi præuentus, ff. eod. l. vii.

Si quis in legatione constituerit, quod ante legationem debuerit, non cogitur ibi iudicium pati, vbi constituit, ff. de Iudic. l. si quis. viii.

Destitisse is videtur, non qui distulit, sed qui liti renuntiauit in totum. desistere enim est de negocio abstinere, quod calumniandi animo instituerat. Planè si quis cognita rei veritate suum negotium deseruerit nolens in lite improba perseuerare, quam calumniæ causa non instituerat, is destituisse non uidetur, ff. eod. l. destitisse. x.

Qui neque iurisdictioni præest, neque à principe potestate aliqua præditus est neque ab eo, qui ius dandorum iudicium habet, datus est, nec ex compromisso sumptus, uel ex aliqua lege confirmatus est, iudex esse non potuit, ff. eod. l. pen,

Cæcus

Cæcus iudicantis officio fungitur.ff.eodem.l.ſexta.

Cum prætor vnum ex pluribus iudicare vetat,cæteris id committere videtur, ff. eod.l.cum prætor.xii.in prin.

Iudicem autem dare poſſunt,quibus lege, vel conſtitutione, vel ſenatus conſulto conceditur,d.l.cum prætor,§.iudice.

Iudices à præſide dati ſolent etiam in tempus ſucceſſorum eis durare,& cogi pronunciare,easque ſententias ſeruari in eundem ſenſum etiam Scæuola reſpondit,ff.eod.l.venditor.49.§.fin.

Non tamen omnes iudices dari poſſunt ab his,qui iudicis dandi ius habent.Quidam enim lege impediuntur,ne iudicis ſint: quidam natura: quidam moribus. Natura,ut ſurdus,mutus,& perpetuò furioſus,& impubes: quia iudicio carent. lege qui ſenatu notus eſt.moribus , fœminæ, non quia non habent iudicium, ſed quia receptum eſt,vt ciuilibus officiis non fungantur,ff.eod.l.cum prætor xii.§.non tamen.

Qui poſſunt eſſe iudices: nihil intereſt,in poteſtate,an ſui iuris ſint, d.l. cum prætor.§.finali.

Si longius ſpatium interceſſurum erit,quo minus iudex datus operam poſsit dare,mutari eum iubet prætor,hoc ſi fortè aliqua occupatio iudicem non patiatur operam iudicio dare,incidente infirmitate, vel neceſſaria profectione, vel rei ſuæ familiaris periculo,ff.eod.l.ſi longius.18.in prin.

Si iudex,cui certa tempora præſtituta erant, deceſſerit, & alius in loco eius datus fuerit: tanta ex integro tempora in perſona eius præſtituta intelligemus,quamuis magiſtratus nominatim hoc in ſequentis datione nõ expreſſerit: ita tamẽ, vt legitimum tempus non excedat,ff.eod.l.ſi iudex.32.

Iudex datus in eodem officio permanet, licet furere cœperit: quia rectè ab initio iudex aditus eſt: ſed iudicandi neceſsitatem morbus ſonticus remittit: ergo mutari debet,ff.eod.l.iudex.46.

Obſeruandum eſt,ne is iudex detur, quem altera nominatim pars petit. id enim iniqui exempli eſse diuus Adrianus reſcripſit. Niſi hoc ſpecialiter à principe ad verecundiam petiti iudiciis reſpiciente permittitur, ff.eo.l.obſeruandũ.47.

Si alter ex litigationibus iudicem ſolum hæredem,vel ex parte fecerit: alius iudex neceſſariò ſumendus eſt,quia iniquum eſt aliquem ſuæ rei iudicem fieri,ff.eodem.l.ſi alter.17.

Iudicium ſoluitur vetante eo,qui iudicare iuſserat: vel etiam eo, qui maius imperium in eadem iuriſdictione habet: uel etiam ſi ipſe iudex eiuſdem imperii eſse cœperit,cuius erat,qui iudicare iuſsit,ff.de iud.l.iudicium.58.

Mortuo iudice,quod eum iudicare oportuerat, idem eum,qui ſubditus eſt, ſequi oportet,ff.eod.l.mortuo.60.

Si in iudicis nomine,uel præ nomine erratum eſt,Seruius reſpondit,ſi ex conuentione litigatorum is iudex aditus eſset, eum eſse iudicem, de quo litigatores ſenſiſsent,ff.eod.l.ſi in iudicis.80.

His datur mulctæ dicendæ ius, quibus publicè iudicium eſt: & non aliis niſi hoc ſpecialiter eis permiſsum eſt,ff.de iudic.l.ſecunda.§.finali.

In priuatis negociis pater filium,vel filius patrem iudicem habere poteſt.Quippe iudicare munus publicum eſt,ff.eod.l.in priuatis.77.cum l.ſeq.

Si filiusfamilias ex aliqua cauſa,ex qua patri actio competit,uelit experiri,ita demum permittitur agere,ſi non ſit,qui patris nomine agat. Nam & Iuliano placet filiusfamilias legationis,uel ſtudiorum gratia aberit,& uel furtum,uel dam-

num,

num, vel iniuriam passus sit: posse eum vtili iudicio agere, nedum pater expecta tur, imputina sint maleficia, quia pater vēturus non est item, & si res non ex maleficio veniat, sed ex contractu debet filius agere vtili iudicio, forte depositum repetens, vel mandati agens, vel pecuniam, quam credidit, petens: si fortè pater in prouincia, sit ipse autem fortè Romæ vel studiorum causa, vel alia iusta ex causa agat. ne si ei non dederimus actionem: futuram sit, vt impune fraudem patiatur, & egestate Romæ laboret, victriculo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei desinauerat. Et finge Senatorem esse filiumfamilias, qui patrem habet in prouincia, non ne augetur vtilitas per dignitatem? ff. eod. l. si longius. 18. §. nam, & Iulianus, vsque ad finem.

Hæres absens ibi defendendus est, vbi defunctus debuit, & coueniendus, si ibi inueniatur nulloque suo proprio priuilegio excusatur, ff. eod. l. hæres. 19. in prin.

Si quis tutelam, vel curam, vel negocia, vel argentariata, vel quid aliud, vnde obligatio oritur, certo loco administrauit: & si ibi domicilium non habuit, ibi se debebit defendere: & si se non defenderit, neque ibi domicilium habeat bona posideri patietur, d. l. hæres, 19. §. si quis.

Proinde & si merces vendidit certo loco vel disposuit, vel comparauit: uidetur (nisi alio loco, sese vt defenderet, conuenit) ibidem se defendere. Nunquid dicemus eum, qui à mercatore quid comparauit, scilicet aduena, vel ei vendidit, quem scit inde confestim profecturum, non oportere ibi bona posidere, sed domicilium eius sequi? si quis ab eo comparauit qui tabernam vel officinam certo loco conductam habuit; in ea causa est, vt illic conueniatur? quod magis habet rationem. Nam ubi sic uenit, ut confestim discedat, quasi a uiatore emptis uel eo, qui transuehebatur emit: durissimum est, quot quot locis quis nauigat, uel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. At si quo constitit, non iure domicilii, sed tabernulam, pergulam, horreum armarium seu officinam códuxit, ibique distraxit uel egit, defendere se eo loco debebit, dicta. l. hæres. §. proinde & si.

Illud sciendum est eum, qui ita fuit obligatus, vt in Italia solueret si in prouincia habuit domicilium utrubique posse conueniri, & hic, & ibi: & ita Iuliano, & multis aliis uidetur, d. l. hæres. §. fin.

Omnem obligationem pro contractu habendam, & existimandum est, ut ubicunque alius obligetur & contrahi uideatur, quamuis non ex crediti causa debeatur, ff. de iud. l. omnem. 20.

Qui non cogitur in aliquo loco iudicium pati, si ipse agat, ibi cogitur excipere actiones, & ad eundem iudicem mitti, ff. eo. l. qui non cogitur. 21.

Non potest uideri in iudicium uenisse, id quod post iudicium acceptum accidit, ideoque alia interpellatione opus est. ff. eod. l. non potest.

Non alias in eos, quos princeps euocauit. Romæ competit actio, quam si hoc tempore contraxerint, ff. eod. l. non alias. 24. in prin

Legati ex deditis, in legatione commisis coguntur iudicium Romæ, dicta. l. non alias. §. legatis.

Si legationis tempore quis æquum vel aliam rem emerit, aut ex alia causa posidere cœperit, non inique cogitur eius nomine iudicium accipere aliter enim potestas dabitur legatis sub hac specie, res alienas domum aufferendi, ff. eodem. l. si legationis. 25.

De eo autem, qui adiit hæreditatem, Casius scribit, quamuis Romæ adierit hæreditatem, non competere in eum actionem, ne impediatur legatio, & hoc est uerum.

tum. Quid enim prohibet, legatum publico munere fungi, & actorem causa in possessionem rerum hæreditariarum esse? ff. eod. l. de eo. 26. cum l. seq.

Sed & si restituetur ei hæreditas ex Trebelliano, actio in eum non dabitur: commodius enim est, reddi quidem ei hæreditatem: perinde autem habendum, ac si ipse adiisset hæreditatem, ff. eod. l. sed & si. 28. in prin.

Cõtrà, si legatus tpe legationis adierit, & restituerit: datus in fideicõmissarium actio, nec Trebelliani exceptio obstat ex persona legati: quia personale beneficium est, d. l. sed & si. §. contra.

Ex quibus autem causis non cogitur legatus iudicium accipere: nec iurare cogendus est, se dare non oportere, quia hoc iusiurandum in locum litis contestatæ succedit, d. l. sed & si. §. ex quibus.

Qui legationis cã Romã venit, ex qualibet cã fideiubere põt: cũ priuilegio suo, cũ sit in Italia contractum, vti non potest, ff. eo. l. cum furiosus. 39. §. fi.

Aedium nomine legatus damni infecti promittere debet, aut vicinum admittere in possessionem, d. l. sed & si. §. AEdium.

Sed & si dies actionis excitura erit: cã cognita, aduersus eum iudicium prætor dare debet: vt lis contestetur, ita vt in prouincia transferatur, d. l. sed &. §. sed & si.

Si paterfamilias mortuus esset relicto vno filio, & vxore prægnante, nõ rectè filius à debitoribus partẽ dimidiã crediti petere põt, q̃uis postea vnus filius natus sit: q potérãt plures nasci cũ p rerum naturã certũ fuerat vnũ nasci. sed & Sabinus, & Cassius dicunt partem quartam peti debuisse: quia incertum esset, an tres nascerentur: nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa essent, cũ futura vtiq; fierent, sed nostram inscientiam aspici debere, d. l. sed & si. §. fi.

Si petitor plures hr̃des reliquerit, vnusq; eorũ iudicio egerit, non erit uerum totã rem, q̃ ĩ priori iudicio fuerit, deductam esse. nec enim quisquam alienam actionem in iudicium, inuito cohærede perducere potest, ff. de iud. l. si petitor. 31.

Non videtur in iudicem consensisse: qui edi sibi genus apud eum iudicem desiderat actionis, ff. eod. l. non videtur. 33.

Si is, q Romæ iudiciũ acceperat, decessit: hr̃s eius, q̃uis domiciliũ trãs mare hẽat: Romæ tñ defendi dẽt, qa succedit ĩ eius locũ, a quo hr̃s relictus ẽ, ff. e. l. si is. 34.

Senator si negotiis alienis se obtulerit in prouincia, non debet iudicium recusare negotiorum gestorum, sed actionem eum excipere oportere, Iulianus respõdit, cum sua sponte sibi hanc obligationẽ contraxerit, ff. eod. l. interdũ. 36. §. fi.

Insulæ Italiæ pars Italiæ sunt, cuiusque prouincię, ff. eod. l. 9.

Quod legat̃, si quidem personalem actionem exigetur: ibi dari debet, ubi est, nisi si dolo malo hr̃dis subductus fuerit. tum. n. ibi dari debet, vbi petit̃. ꝑterea qđ põdere, aut numero, aut mensura continet̃, ibi dari debet, vbi petit̃: nisi adiectum fuerit CENTVM MODIOS EX ILLO HORREO, aut VINI AMPHORAS EX ILLO DOLIO. si aũt p in rem actionem legatũ petet̃, ẽt ibi peti debet, vbi res est, & si mobilis sit res, ad exhibendum agi cum hærede poterit, vt exhibeat rem: sic enim à legatario vindicari poterit, ff. eod. l. quod legatur. 38.

Eum, qui insulam Capuæ certo tempore stipulatus est: eo finito, quocunque loco agere posse, in id quod interest, constat, ff. eod. l. cum qui. 43.

Non idcirco iudicis officium impedit̃, quod quidem ex tutoribus post litem aduersus omnes inchoatam, Reipublicæ causa abesse cœperunt, cum præsentium, & eorum, qui non defenduntur, administratio discerni, & æstimari possit, ff. eodem. l. non idcirco. 44. in prin.

Argentarium vbi contractum est, conueniri oportet: nec in hoc dilationem nisi

ex iusta causa, dari vt ex prouintia codices adferantur. Idem in actione tutelæ placuit; nomine, puellæ tutoribus in prouincia condemnatis, curatores pupillæ iudicatum Romæ facere coguntur: vbi mutuam pecuniam mater accepit, cui filia hæres extitit, ff. eod. l. argentarium. 45.

Magistratus quo anno cum imperio sunt neque propriam neque eorum quorum tutelam vel curam gerunt causam in iudicio vel agendo vel defendendo sustinendo simul hac vero magistratus dies exierit, non ipsi tantum aduersus reos suos sed ēt aduersus alios litē intentare ius, fas quæ esto, ff. e. l. magistratus. 48.

Venditor ab emptore denuntiatus, vt eum euictionis nomine defenderet: dicit se priuilegium habere sui iudicis. Quæritur, an possit litem ab eo iudice, apud quē res inter petitorē: & emptorē cœpta est, ad suū iudicem reuocare Paulus respondit, venditorē emptoris iudicem sequi solere, ff. e. l. venditor. 49. in pri.

Si fideicommissum ab aliquo petatur, isque dicat alibi esse maiorem partem hæreditatis, non erit ad præstationem compellendus: & ita multis constitutionibus cauetur, vt ibi petatur fideicommissum, vbi maior pars hæreditatis est: nisi probetur, eo loco voluisse testatorem fideicommissum præstari, vbi petitur, ff. eod. l. si fideicommissum. 50. in prin.

Tractatum est de ære alieno: si in ea prouincia, vbi fideicommissum petitur, plus esset æris alieni: an quasi maior pars alibi esset præscriptio locum haberet. Sed & hic placuit, nihil facere æris alieni nomen: cum non loci sit es alienum, sed vniuersarum facultatum es enim alienum patrimonium totum minuere constitit, non certi loci facultates. Quid tamen, si forte certis oneribus destinatum sit id patrimonium vt puta alimentis prestandis, quæ Romæ præstari paterfamilias iusserat, uel tributis, uel quibusdam aliis inexcusabilibus oneribus an possit præscriptio locum habere. sed iustius est dici locum habere, d. l. fideicommissum, §. tractatum.

Sed & rescriptum est, vt illic fideicommissam petatur, vbi domicilium hæres habet. Quoties autem cœpit quis fideicommissum soluere, non potest hac prescriptione vti, d. l. si fideicommissum, §. fi.

Quamuis hæreditas ad eum fuerit deuoluta, qui domicilium in prouincia habet. sed & diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, si consenserit fideicommissarius alio loco dari, necesse habere secundum consensum dare, ubi consenserit. ff. eod. l. quamuis. 51.

Sed & si suscepit actionē fideicōmissi, & aliis defensionibus usus hanc omisit: post ea, quāuis ante sñiam, reuerti ad hāc defensionē nō pōt, ff. e. l. sed & si. 51. i prin.

Sed, & si pro penas, quibusda clarissimis viris argenti uel auri pondo relicta, & sit sufficiens ad huiusmodi fideicōmissa Romę patrimoniū: licet maior pars totius patrimonii in prouincia sit dici oportet Romæ esse p̄stādū nec enim uerisimile est testatorē, qui honorē habitū uoluit his, q̄bus reliquit, tā modica fideicommissa in prouincia p̄stari uoluisse. si ea res, q̄ per fideicōmissū relita est, eo loco sit, dicendū est, non debere p̄scribi ei, q̄ petit, quasi maior pars hr̄ditatis alibi sit sed si non sideicōmissū eo loco petatur, sed de fideicōmisso satis uidendū est, an hæc præscriptio locum non habere quinimo & si nihil sit eo loco: attamen uidendū satisdare, quid enim ueretur: cum si satis non dederit, mittatur aduersarius in possessionem fideicommissi seruandi causa? d. l. sed & si. §. sed & si.

Per minorem causam maiori cognitioni præiudicium fieri non oportet maior enim quæstio minorem causam ad se trahit, ff. eod. l. per minorem. 54.

Si locus in iubendo iudicare non est comprehensus: videtur eo loco iudicare iussise,

fisse, quo solet iudicari sine incommodo litigantium, ff. eod. l. si locus. 59.

Exigere dotem mulier debet illic, vbi maritus domicilium habuit, non vbi instrumentum dotale conscriptum est, nec enim id genus contractus est, vt eum locum spectari oporteat, in quo instrumentum dotis factum est: quam cum in cuius domicilium & ipsa mulier per conditionem matrimonii erat reditura, ff. eod. l. exigere. 65.

Inter litigantes non aliter lis expediri potest, quam si alter petitor, alter possessor sit: esse enim debet, qui onera petitoris sustineat, & qui commodo possessoris fungatur, ff. eod. l. inter. 62.

In tribus iudicii familiæ erciscundæ communi diuidundo, & finium regundorũ quæritur, quis actor intelligatur, quia par causa omnium videtur? sed magis placuit eum uideri actorem, qui ad iudicium prouocasset sed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res discerni solet, ff. eod. l. in tribus. 13. cum l. seq.

Qui appellat prior agit, ff. eod. l. qui appellat. 29.

Vbi cœptum est semel iudicium, ibi & finem accipere debet, ff. eodem. l. vbi acceptum est, 30.

Non quemadmodum fideiussoris obligatio impendenti potest esse, vel de his rebus, quæ postea in obligationem aduenturæ sunt nam nemo dubitas est, quin fideiussor ante obligationem rei accipi posit: iudicium vero ante, quã aliquid debeatur, non posse, ff. eod. l. non quemadmodum. 35.

Interdum ex iuris causis, & certis personis sustinendæ sunt cognitiones, veluti si instrumenta litis apud eos esse dicantur, qui Reipublicæ, causa aberunt. Ideo diui fratres rescripserũt. humanum esse propter fortuitos casus, dilationem accipi, veluti quod pater litigator filium vel filiam, vel vxor virim, uel filius parentem amisit, & in similibus causis cognitionem ad aliquem modum sustineri, ff. eod. l. interdum. 36. in prin.

Si de ui & possessione quæratur, prius cognoscendum, de vi, quam de proprietate rei, Diuus Adrianus rescripsit, ff. eod. l. si de vi. 37.

Cum furiosus iudex additur non ideo minus iudicium erit, quod hodie non potest iudicare, scilicet vt suæ mentis effectus, quod sententiæ dixerit, rarum sit neque enim in addendo præsentia vel scientia iudiciis necessaria est, ff. eod. l. cum furiosus. 39. in prin.

Non quidquid iudicis potestati permittitur, id subiicitur iuris necessitati. Iudex si quid aduersus legis præceptum in iudicando dolo malo prætermiserit, legẽ offendit, ff. eod. l. non quidquid. 40.

In omnibus bonæfidei iudicis cum nondum dies præstandæ pecuniæ venit, si aliquis agat ad interponendam cautionem, ex iusta causa condemnatio fit, ff. eod. l. in omnibus. 41.

Licet verum procuratorem in iudicio rem deducere verissimam est, tamen, & si quis, cum procurator non esset, litem contestatus sit, deinde ratum dominus habuerit, videtur retro res in iudicium rectè deducta, ff. eod. l. licet. 56.

Rectè defendi hoc est, iudicium accipere vel per se, vel per alium, sed cum satisdatione, nec ille uidetur defendi, qui quod iudicatũ est, non soluit. ff. e. l. rectè. 63.

Tam ex contractibus, quam ex delictis in filiumfamilias competit actio, sed mortuo filio post litis contestationem, transfertur iudicium in patrem, duntaxat de peculio, & quod in rem, eius uersum est, certe si quasi procurator alicuius filius familias iudicium acceperit, mortuo eo, in eum, quem defenderit, transaxatio uel sindicati datur, ff. eod. l. tam ex contractus. 57.

Soluitur, uetante eo, qui iudicare iusserat, uel etiam eo, qui maius imperium in eadem iurisdictione habet, vel etiam si ipse iudex eiusdem imperii esse cœperit, cuius erat, qui iudicare iussit, ff. eod. l. soluitur. 58.

Solemus quidem dicere, id venire in iudicium, de quo actum est inter litigantes: sed Celsus ait, periculosè ex persona rei hoc meriti: qui semper, ne condemnetur, hoc dicit, non conuenisset. Quid ergo? melius est dicere, id venire in iudicium, non de quo actum est, vt veniret: sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret. ff. eod. l. solemus. 61.

Non ab iudice doli æstimatio ex eo, quod interest, sed ex eo, quod in litem iuratur. denique, & prædoni depositi & commodati ob eam causam competere actionem, non dubitatur si quis alio iudicio acturus, iudicatum solui satis acceperit, deinde alio iudicio agat: non committetur stipulare quia de alia re cautum videtur, ff. eod. l. non ab. 64.

Edictum dare, quod ab antecessore datum est, in numero trium edictorum connumerari debet, planè licet omnis ab antecessore numerus finitus sit: solet tamen successor vnum edictum dare, ff. de iud. l. edictum. lv.

Ad peremptorium edictum hoc ordine venitur: ut primo quis petat post absentiam aduersarii edictum primum mox alterum. Per interuallum non minus decem dierum, & tertium quibus propositis, tunc peremptorium impetret, quod inde hoc nomen sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est vltra non pateretur aduersarium tergiuersari. ff. eodem. l. ad peremptorium. 68. cum duabus sequen.

In peremptorio autem comminatur is, qui edit: etiam absente diuersa parte cogniturum se, & pronuntiaturum. ff. eod. l. in perempto. 71.

Nonnunquam antem hoc edictum, post tot numero edicta, quæ præcesserunt, datur, nonnunquam post unum, vel alterum. nonnunquam statim, quod appellatur VNVM PRO OMNIBVS. Hoc eutem æstimare oportet eum: qui ius dixit, pro conditione causæ, uel personæ, uel tempores, & ita ordinem edictorum uel compendium moderari, ff. eod. l. nonnunquam. 72.

Et post edictum peremptorium impetratum, cum dies eius superuenerit, tunc absens citari debet. & siue responderit, siue non responderit, agetur causa, & pronunciabitur, non utique secundum præsentem, sed interdum uel absens (si bonam causam habuit) uincet. ff. eod. l. & post. 73. in prin.

Quod si is, qui edictum peremptorium impetrauit, ab sit die cognitionis: is uero, aduersus quem impetratum est, ad sit: tum circunducendam erit edictum peremptorium, neque de causa cognoscetur, neque secundum præsentem pronunciabitur. circunducto edicto uideamus, an amplius reus conueniri posit, an uero salua quidem lis sit, uerum instantia tantum edicti perierit, & magis est, ut instantia tantum perierit, ex integro autem litigari posit, dicta. l. & post. §. quod si is.

Sciendum ex peremptorio absentem condemnatum, si appellet, non esse audiendum, si modo per contumaciam defuit, si minus audietur, d. l. & post. §. fi.

De qua cognouerit iudex, pronunciare quoque cogendus erit, ff. eod. l. de qua re. 74. in princip.

Iudex qui usque ad certam summam iudicare iusus est, etiam de maiori re iudicari potest, si inter litigatores conueniat, d. l. de quare. §. Iudex.

Cũ absentẽ defendere uellem iudicium mortuo eo iam accepi, & cõdẽnatus solui quęsitũ est, an hæres liberaret; itẽ q̃ actio mihi aduersus eũ cõpeteret? Respõdit Iulianus

Iulianus iudicium quod iam mortuo debitore per defenſorem eius accipitur, nullum eſſe: & ideo hęredem non liberari. Defenſorem autem, ſi ex cauſa iudicati ſoluerit, repetere quidem non poſſe: negotiorum tamen geſtorum ei actionem competere aduerſus hæredem, quia ſane exceptione doli mali tueri ſe poſſit, ſi ab actore conueniatur, d.l. de qua re, §. cum abſentem.

Si prætor iuſſerit eum, a quo debitum petebatur, adeſſe: & ordine edictorum peracto pronuntiauit, abſentem debere: non vtique iudex, qui de iudicato cognoſcit debet de prætoris ſententia cognoſcere: alioquin luſoria erunt huiuſmodi edicta & decreta prætorum. MARCELLVS NOTAT. Si per dolum ſciens falſo aliquid allegauit, & hoc modo conſecutum eum ſententia prætoris, liquido fuerit ad probatum exiſtimo debere iudicem querelã rei admittere. PAVLVS NOTAT. ſi aut morbo impeditus, aut Reipublicæ cauſa euocatus, adeſſe non potuit reus: puto vel actionem iudicati eo caſu in eum denegandam, vel exequi prætorem ita iudicatum non debere, ff. de iud. l. ſi prætor. 75.

Proponebatur ex his iudicibus, qui in eadem re dati eſſent, nonnullos cauſa audita excuſatos eſſe, inq; eorum locum alios eſſe ſumptos, & quærebatur, ſingulorum iudicum mutario eandem rem, an aliud iudicium feciſſet. Reſpõdit: Alphenus non modo ſi vnus aut alter, ſed & ſi omnes iudices mutari eſſent, tamẽ & rem eadem, & iudicium idem, quod antea fuiſſet, permanere. Neque in hoc ſolum euenire, vt partibus commutatis, eadem res eſſe exiſtimaretur: ſed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi deceſsiſſent, duorum in locum alii ſubiecti eſſent: & populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuiſſet, cum ex illis nemo nunc viueret. Itẽ quæ ſi nauis adeo ſæpe refecta eſſet, vt nulla tabula eadem permaneret, quæ non noua fuiſſet: nihilominus eandem nauem eſſe exiſtimari. Quod ſi quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri ſore, vt ex eius ratione noſipſi non iidem eſſemus, qui ab hinc anno fuiſſemus propterea quod (vt philoſophi diſcerent) ex quibus particulis minimis conſiſteremus, eæ quotidie ex noſtro corpore decederent, aliæque extrinſecuus in earum locum accederent. Qua propter cuius rei ſpecies eadem conſiſteret, rem quoque eandem eſſe exiſtimari, ff. eod. l. proponebatur. 76.

Eum quem temere aduerſarium in iudicium vocaſſe conſtiterit: viatica, litiſque ſumptus aduerſario ſuo reddere opportebit, ff. eo. l. eum quem. 79. in prin.

Nonnunquam ſolent magiſtratus populi Romani viatorem nominatim vice arbitri dare, quod raro, & non niſi re vrgente faciendum eſt, ff. eod. l. fin.

Lis nulla nobis eſſe poteſt cum eo, quem in poteſtate habemus niſi, ex caſtrenſi peculio, ff. eod. l. quarta.

Si a me fuerit adrogatus, qui mecum erat litem conteſtatus, vel cum quo ego ſolui iudicium, Marcellus lib. tertio Digeſtorum ſcribit, quoniam nec ab initio inter nos potuit conſiſtere, ff. eod. l. ſi a me. 11.

Si filiusfamilias iudex litem ſuam faciat: in tantam quantitatem tenetur, quæ nũc in peculio fuit, cum ſententiam dicedat, ff. eod. l. filius. 15. in prin.

Iudex tunc litem ſuam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis ſententiam dixerit, dolo malo autem videtur hoc facere: ſi euidens arguatur eius gratia, vel inimicitia, vel etiam ſordes: vt vetam æſtimationem litis præſtare cogatur, d. l. filius. §. iudex.

Iulianus etiam in hæredem iudiciis, qui litem ſuam fecit putat actionem competere, quæ ſententia vera non eſt, & a multis notata eſt. ff. eo. l. Iulianus. 16.

Iudicio cœpta, pro interesse stipulatio pro interesse non est perempta superest igitur, vt debitorem eius temporis quod non est in iudicium deductum, conuenire posis, C.eod.iud.l.prima.

Licet iudice accepto cum tutore tuo egisti, ipso iure actio tutelæ sublata non est, & ideo si rursus eundem iudicem petieris contra vtilem exceptionem rei iudicatæ si de specie, de qua agis, in iudicio priore tractatum non esse allegas, non inutiliter replicatione doli mali vteris. C.eod.l.secunda.

Cum tibi precium prædiorum a curatoribus comparatorũ reputaretur, & instrumenta emptionis traderentur, quæstionem omisse euictionis non mouisti: intelligis, semel finitam litem instaurari non posse, C.eod. l.quarta.

Si quis intentione ambigua, vel oratione vsus sit: id quod vtilius ei est, accipiendum est, ff.eod.l.si quis.66.

Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ æquitatisque scriptę, quam stricti iuris rationem, C.eod.l.placuit, 8.

Iudices oportet in primis rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc vtranque partem sæpius interrogare, nunquid noui addere desideret, cum hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, siue definienda causa per iudicem, siue ad maiorem potestatem referenda sit, C.eod.l.iudices.9.

Nulli prorsus audientia præbeatur, qui causæ continentiam diuidet, & ex beneficii prærogatiua id quod in vno eodem quæ iudicio poterat terminari, apud diuersos iudices voluerit ventilare, pœna ex officio iudiciis imminente ei, qui cõtra hanc supplicauerit sanctionem atque alium super possessione, alium super principali quæstione iudicem postulauerit, C.eod.l.nulli.x.

Omnes lites super pecuniis quantæcunque quantitatis, siue super conditionibus, siue super iure ciuitatis, seu priuatorum fuerint illatæ siue super possessione, vel domino, vel hypotheca, seu super seruitutibus, seu pro aliis quibusdam casibus, pro quibus hominibus inter se litigandam est, exceptis tantummodo causis, quæ ad ius fiscale pertinent, vel quid ad publicas functiones respiciat nõ vltra triennii metas post litem contestatam protrahendæ sunt, C. de eo.l.properandum, in prin.

Et si quidem pars actoris cessauerit, quatenus multiplici dilatione reus fatigetur & triennii metæ post litem contestatam iam prope finem veniant, vt semestre tempus tantum ei supersit, licentia erit iudici per executores negocii actorẽ requirere, parte fugiente ex vna parte actoris absentiam incusante, & iudicibus omnimodo suas aures huiusmodi quæstioni referẽtibus, & si per tres vices hoc fuerit subsecutum, decem dierum spatio per vnumquemque introitum destinato, & nec ita pars actoris fuerit inuenta, & neq; per se neq; per procuratorẽ instructum peruenerit, tunc iudex negocii acta apud se confecta conspiciet, & siquidem nihil sufficiens actitatum esse, ex quo posit termino causæ certa fieri coniectura non solis partem fugientem ad obseruatione iudicii relaxabit, sed etiam in omnes expensas, quæ consueto modo circa lites expenduntur, eũ condemnabit, vera quantitate earum sacramento fugientis manifestanda, & omni cautela, quam super lite reus exposuit, reddenda, quæ & si remanserit, viribus euacuabitur, d.l.properandum, §.& si quidem.

Sin autem ex gestis apud se habitis, parte actoris minime inuenta, poset inuenire viam, ex quo manifestum ei fiat, quid statuendum sit, etiam actore absente, si eum meliorem causam habere prospexerit, proferre sententiam non meretur & p̃sentẽ reũ absenti actori cõdẽnare: expensis tantummõ litis, quas reus legi-

legitimæ se expēdisse iurauerit, condēnatione excipiēdis: qa hæc pœna actori, meliorem causam habenti, propter solam absentiæ contumatiam imponimus. nullæ ponitur ei regressu ad eandem litem conseruando: sed actor contumax cadat omnimodo de lite, si reus absoluitur sin vero aliqua condemnatio contra reum pro absente actore proferatur, quam forsitan non sufficientem sibi actor putauerit fugitiuus: nullo modo iterum eandem litem resusitare conceditur, & hæc quidem pœna actori sit imposita, d.l. properandum, §. sinautem reus.

Cum autem eremodicium ventilatur: siue pro actore, siue pro reo examinatio sine vllo obstaculo celebretur. Cum enim terribiles in medio proponuntur scripturæ, litigatoris absentia dei præsentia repleatur: nec pertimescat iudex appellationis obstaculum, cum ei, qui contumaciter obesse noscitur, nulla sit prouocationis licentia: quod & in veteribus legibus esse statutum, manifestissimi, iuris est. Huiusmodi autem sententia propè finem triennii proferatur, pro quo & præsens lex lata est. si enim in anteriore tempore, in quo larga temporis superest dilatio, & spes absenti relicta fuerit reuertendi, alterutra pars cessauerit, in sola expensarum datione & absolutione forsitam præstetur pœnalis sententia, non autem tunc mors litis & condemnatio in absentem introducatur, quæ in his tātummodo casibus accidunt, in quibus triennii effluentis imminet formido, d.l. properandum, §. cum autem.

Siue autem alterutra parte absente, siue vtraq; præsente lis fuerit decisa omnes iudices condemnabunt, quantum pro solitis expensis litium iurauerit: non ignorantes, quòd si hoc prætermiserint, ipsi de proprio huiusmodi pœnæ subiacebunt & reddere eam parti læsæ coartabuntur, d.l. properandum, §. sinautem.

Sinautem vtraq; parte imminente, & litem peragere cupiente, iudex eam accipere noluerit, vel propter amicitias, vel inimicitias, vel turpissimi lucri gratia, vel propter aliud duodpian vitium, quod miserrimis animis huiusmodi iudicum innasci potest, litem ipse ausus fuerit protelare, & propter hoc triennium fuerit transactum: si quidem iudex in magistratu positus est, vel in maiore dignitate, vsq; ad illustratus gradum: decem libras auri pœnam multabitur, si autem iudex minor fuerit: trium librarum auri multaplectetur, & eo remouendo, alter iudex in locum eius subrogetur sub similis pœnæ formidine, his omnibus locum habentibus, cum unus iudex omnem causam ab initio peragit, d.l. properandum, §. sinautem.

Sinautem in medio triennio, vel morte iudicis, vel alia inrecusabili occasione iudicium fuerit mutatum: tunc siquidem ex triennio annale tempus, vel amplius residet in quo, alius iudex ei causæ imponitur intra reliquum tempus causa finiatur. sinautem minus, quàm annale sit: tunc omne, quod deest, repleatur, ut non in minore, quam perfecti anni, tempore litem posit subrogatus iudex, tàm discutere, quàm terminare, d.l. properandum, §. sinautem in modo.

Illud proculdubio obseruando, vt si neq; per alterum litigantium partem, nec per judicem steterit, quominus lis suo morte decurrat, sed per patronos causarum: licentia datur iudici, & eos duarum librarum auri pœna afficere publicis rationibus aggreganda: ipso uidelicet iudice in sua sententia hoc ipsum manifestante, quod per patronos causæ, vel fugientis vel agentis dilatio facta est, vel per omnes, vel per cosdam ex iis, necessitate aduocatis imponenda, ex quo litem peragendam susceperint, eam vsq; ad terminum (nisi lex, vel iusta causa impediat) implere, ne ex eorum recusatione fiat causa dilatio: honorariis scilicet à clientibus, qui dare possunt, disertissimis togatis omnimodo præstandis, &

(si cessa-

(si cessauerit) per executores negociorum exigendis, ne per huiusmodi machinationem causæ merita protrahantur: nisi ipse litigator alium pro alio patronum eligere maluerit. Hæc autem in his à nobis cauta sunt, quibus perfectæ ætatis constitutis arbitrium suum pro omnibus sufficit, d.l. properandū. §. illud.

Si vero causæ vel pupillorum, vel adulterum sunt, vel aliorum sub cura agentium, masculorum vel fœminarum, vt per tutores, vel actores, vel curatores, vel procuratores eorum agantur, & eorum desidia triennium fuerit elapsum, & causa ceciderint: litem quidem nihilominus suum habere vigorem: omnem autem iacturam, quę ex causa hac oritur, ad tutores, & curatores, aut eorum fideiussores, hæredesq́;, & res eorum, & omnes, quorum in hac causa legitimæ interest, redundare. sin autem non sufficiat pupillis, vel minoribus eorum substantia: tunc in id, in quo fuerit detrimentum perpessi, in integrum restitutionis auxilium eis superesse, d.l. properandum, §. fin.

Omnes omnino iudices iuris disceptatores, non aliter, litium primordium accipere, nisi prius ante sedem iudicialem sacrosanctæ deponantur scripturæ, & hę permaneant non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus vsq; ad ipsum terminem, & definitiuæ sententiæ recitationem. sic etenim attendentes ad sacrosanctas scripturas, & dei præsentia consecrati ex maiore præsidio lites diriment: sciturì, quòd non magis, quàm partibus iudicium terribile est: si quidem litigatores sub hominibus, ipsi autem deo inspectatore adhibito causas proferunt trutinandas, C. de iud. l. rem non nouam, in prin.

Patroni autem causarum qui vtrique parti suum pręstantes ingrediuntur auxiliū, cum lis fuerit cōtestata, post narrationem propositam & contraditionem obiectam, in qualicunque iudicio maiore, seu minore, vel apud arbitros, siue ex compromisso, vel aliter datos, vel electos: sacrosanctis euangeliis tactis iuramentum præstent, quòd omni quidem virtute sua, omniq́ue ope, quod iustum & verum existimauerint, clientibus suis inferre procurent, nihil studii relinquentes, quod sibi possibile est: non autem credita sibi causa cognita, quod improba sit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesq́; mala conscientia liti patrocinentur. sed & si certamine procedente aliquid sibi tale cognitum fuerit, à causa recedant, ab huiusmodi communione sese penitus separantes. hocq́ue subsecuto: nulla licentia concedatur spreto litigatori ad alterius aduocati patrocinium conuolare, ne melioribus contemptis improba aduocatio subrogetur. sin autem pluribus patronis adhibitis. & iuramento ab omnibus præstito, quidam ex his causa procedente patrocinandum esse crediderint, quidam recusauerint: exeant quidem recusantes uolentes autem remaneant: causæ etenim terminus manifestare poterit, qui timidius, quiq; audacium iudicium vel reliquerunt, vel protulerunt: nec in hac parte litigatoribus danda licentia alios pro recusantibus subrogare, d.l. rem non nouam, §. patroni.

Si quando absens persona citata postea aparuerit iudices non aliter ei iudicialem aditum debent reuelare, sed omnem claudere ei iudiciorum copiam, nisi prius omnia damna restituat eius huiusmodi uitio aduersarii eius inflicta siue circa ingressus litis, siue circa honoraria aduocatorum, vel alias causas, quæ in iudicio versantur: extimationem iudicis quantitate eorum definienda, post quam iuratum ab eo fuerit, qui fecit expensas: executoribus negotiorum modis omnibus dispositiones eorum ad implentibus, quod si iudices hoc prætermiserint ex substātia sua hmōi detrimētū læsis resarcire cōpellent, C. eo. l. sancimus, 13.

Apertissimis

Apertissimis iuris est licere litigatoribus iudiciis antequam lis inchoetur recusare, vt ad alium curratur libello recusationis ei porrecto: Et per iudicem ordinarium necessitas imponitur partibus arbitros eligere ad eos venire, & ibi litem apetere quasi arbitri fuerint ab Imperiali culmine delegati, C. eo. l. apertissimi. 14.

Cum specialis iudex, in aliqua prouincia in qua incusatus degit, datus est, & una pars, suspectum eum sibi esse dicit: ne fortè absente persona iudicis, & in alia ciuitate eiusdem prouinciæ commorante, compellantur longo itinere emenso recusationis libellum ei incusatus offerre: si quidem præsto est præses prouinciæ in illa ciuitate, vbi de ea re dubitatur: licet ei, qui suspectum sibi iudicem esse dicit, ipsum præsidem adire, & hoc facere in actis manifestum. si autem non est moderator prouinciæ in præfactio loco, hæc eadem apud defensorem locorum, apud eos habitis, & celebrare, & iudicem quidem eum recusare. illico autem, idest intra triduum proximum, siue vlla dilatione compelli arbitrum vel arbitros eligere, & apud eos litigare : ne & datus iudex remoueatur, & alter non eligatur. Eletione videlicet arbitri, si uariatum fuerit inter partes, simili modo, vel præsidis prouinciæ (si adest) vel defensoris locorum, vel magistratuum municipii arbitrio dirimenda: & executore, cui mandata est, huiusmodi causæ exactio, imminente, & statuta ab arbitris effectui mancipante, in fuerit prouocatum. tunc enim ipse, qui antea iudicem dedit, qui suspectus uisus, est, appellatione trutinata formam causæ imponat legitimam, C. eod. l. fin.

DE IVREIVRANDO PROPTER CALVMNIAM DANDO. Titulus Id.

IN omnibus causis, siue propter literas fuerit certatum, siue propter instrumenta, siue propter quidquam aliud, in quo necessitas probationis incumbit sancitum est non aliter easdem probationes præstare compelli, nisi prius, qui eas exposuit, iuramẽtum de calumnia præstiterit, quod non causam differendo huiusmodi allegationem proposuit. nam sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur, C. de iud. iur. propter calum. l. prima.

Cum statutum sit iudices non aliter causas dirimere, nisi sacrosanctis euangeliis propositis & patronos causarum prius iurare. & ita perferre causas necessariũ est legem ponere per qua sanciatur in omnibus litibus non aliter, nec actorem neque fugientem in primo exordio litis exercere certamina nisi post narrationem & responsionem, antequam vtriusque partis aduocati sacramentum legitimum præstent, ipse principales personæ subeant iusiurandum : & actor quidem iuret, non calumniandi animo litem mouisse, sed existimando bonam causam habere: reus autem non aliter suis allegationibus utetur, nisi prius, & ipse iurauerit, quod putans se bona instantia uti, ad reluctandum peruenerit: & postea vtriusque partis uiros disertissimos aduocatos (quod ante dispositum est) iuramentum præstare, sacrosanctis videlicet Euangeliis ante iudicem positis. sin autem vel dignitas, vel sexus personæ non concesserit eam ad iudicẽ peruenire: in domo litigatoris sacramentum procedit, altera uidelicet parte, vel procurator eius præsente, C. eo. l. fi. in princ.

Quod obseruari oportet, & si tutores, vel curatores, vel aliæ quædam sint personę, quæ administrationem alienarum rerum autoritate legitima gerunt. Conuenit enim & ipsos iureiurando affici, quia ipsi causam scientes, ita ad eam perueniunt.

niunt. neque enim pupillus, neque adultus, vel aliæ huiusmodi personæ, sed ipsi, qui pro eis tutelam, vel curam, vel aliam legitimam gerunt administrationē, scire possunt causam, & ita ad iudicium peruenire: eo quod ex animi sui scientia iurent. & licet vera causa natura forsitam alia est: tamen quod quisque credit, & existimat, hoc esse iurandum, d. l. fin. §. quod obseruari.

Si autem abfuerit alterutra pars, & per procuratorem causa agatur: non ante licentiam habet actor litem exercendam suo procuratori mandare, nisi prius actis interuenientibus in prouincia, in qua dedit, sacramentum calumniæ iubeat. similique modo si reus abfuerit, & forsitam per iudicatum solui stipulationem procuratorem ordinauerit, vel defensor pro eo interuenerit: & ipse vel præsente actore per se, vel instructam procuratorem, vel etiam absente eo (si hoc iudex perspexerit) inter acta iuramentum præstet, quod reum dare antea dispositum est, d. l. fi. §. si autem.

Omnes iudices, licet ex compromisso cognoscant, vigorem suum exercentes (quia non pro commodo priuatorum, sed pro communi utilitate præsens lex polita est) minimè pati debent tale sacramentum remitti, sed omnimodo hoc & ab actore & fugiente exigi: ne paulatim videatur huiusmodi res defraudari, & sacramentum vel principalium personarum, vel aduocatorum ex quacunq; parte mutilari, d. l. fin. §. sed quia.

Si quis pro alio litem mouere voluerit, nullo mandato prolato, sed per fideiussionem ratam rem dominum habiturum suam personam firmauerit: ne uel ex hac machinatione lex circunscribi uideatur (siue pro vna persona quis litem mouere voluerit, siue pro aliquo corpore, vel vico, vel alia vniuersitate) fideiussorem quidem solitam præstare litem autem vlterius minimè procedere, nisi iudices intra statuendum tempus faciant principales personas sacramentum subire, vel præsente aduersario (si hoc maluerit) vel alio pro eo agente, vel penitus altera parte cessante, inter acta apud defensorem locorum huiusmodi sacramentum, vel ab ipso, pro quo agitur, vel à plurima parte, vel idonea uniuersitatis procedit, d. l. fi. §. hoc etiam.

Quod si actor noluerit subire sacramentum calumnia, & hoc legitimè fuerit adprobatum, non licebit ei penitus ad litem peruenire, sed cadet ab instituta actione, quasi improbus litigator, & tristitia iudicum ei cum summa interminatione occurrat, & ab iudicio eum, quàm longissimè expellat. si autem reus hoc sacramentum subire recusauerit: in iis capitulis, quæ narratione comprehensa sunt, pro confessa habeatur: & liceat iudici sententiam proferre, quemadmodum ei, & ipsa rei qualitas suggesserit. sic enim non lites solam, sed etiam calumniatores minuentur: sic pro iudiciis putabunt se se homines in sacrariis sisti. si enim & ipse principales litigantium partes per iuramentum lites exerceant, & patroni causarum præbeant sacramentum, & ipsi iudices propositis sacrosanctis scripturis, tàm causæ totius faciunt examinationem, quàm suum proferant arbitrium: quid aliud, nisi pro hominibus deum esse in omnibus causis iudicem, credendum est, d. l. fin. §. quod si actor.

DE

DE RECEPTIS ARBITRIS, QVI ARBITRIVM RECEPERunt, vt sententiam dicant. Tit. III.

Compromissum ad similitudinem iudiciorum redigitur, & ad finiendas lites pertinet, ff. de recep. arb. qui arbit. recep. l. prima.

Ex compromisso placet exceptionem non nasci, sed pœnæ petitionem, ff. eod. l. secunda.

Labeo ait si compromisso facto, sententia dicta est, qua quis à minore, 25. annis tutelæ absolueretur: ratum id à prætore non habendum, neq; pœnæ eo nomine commissæ petitionem dari, ff. eo. l. tertia, in prin.

Tametsi neminem prætor cogit arbitrium recipere (quoniam hæc res libera & soluta est, & extra necessitatem iurisdictionis posita) attamen vbi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam & ad solicitudinem hanc rem pertinere prætor putat: non tantum quod studeret lites finiri verum quoniam deberet decipi, qui eum quasi vinum bonum disceptatorem inter se elegerunt. Finge enim post causam iam semel, atq; iterum tractatam, post nudata vtriusq; intima, & secreta negocii aperta: arbitrum, vel id gratiæ dantem, vel sordibus corruptum, vel ex alia causa nolle sententiam dicere: quisquam nè potest negare æquissimum fore, prætorem interponere se, vt officium, quod in se recepit, impleatur, d. l. tertia, §. tametsi.

Ait prætor, QVI ARBITRIVM POENA COMPROMISSA RECEPERIT, tractemus de personis arbitrantium, & quidem arbitrum cuiusque dignitatis coget officio perfungi, quod suscepit, etiam si sit consularis: nisi forte in aliquo magistratu positus, vel potestate (consul forte uel prætor) quoniam in hoc Imperium non habet. Nam magistratus superiores, aut pari Imperio, qui sunt, nullo modo possunt cogi, nec interest: ante, an in ipso magistratu arbitrium susceperint, sed inferiores possunt. sed & si filiusfami. compelleretur, d. l. tertia, §. cum duabus seq.

Quinetiam & de re patris dicitur filiumfam. arbitrum esse. nam & iudicem eum esse posse, plerisque placet, ff. eo. l. sexta.

Sed neque in pupillum, neque in furiosum, aut surdum, aut mutum compromittetur, ut Pomponius scribit, ff. eo. l. sed si, 9. §. sed neque.

Mulieres suæ pudicitiæ memores & operum, quæ eis natura permisit, & à quibus iussit eas abstinere, licèt summæ atq; optima opinionis constitutæ in se arbitrium susceperint, ab omni iudiciali agmine separantur, vt earum electione nulla pœna, nulla pacti exceptio aduersus iustos earum contemptores habeatur, C. eod. l. fina.

Si quis iudex sit: arbitrium recipere eiusdem rei, de qua iudex est, inue se compromitti iubere prohibetur lege Iulia: & si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio, d. l. sed si, §. si quis.

Sunt & alii, qui sententiam dicere non coguntur. vtputa si sordes, aut turpitudo arbitri manifesta sit: Iulianus ait, si eum infamarunt litigatores: non omnimodo prætorem debere eum excusare, sed causa cognita, idem & si spreta authoritate eius ad iudicium. Vel alium arbitrium, litigatores ierunt, mox ad eundem arbitrium redierunt: prætorem non debere eum cogere, inter eos disceptare, qui ei contumeliam hanc fecerint, vt eum spernerent, & ad alium irent, d. l. sed & si, §. fin. cum l. x. & l. seq. in princ.

Quod ait prætor POENA COMPROMISSA accipere nos debere, non si

non si vtrinq; pœna nūmaria, sed & si alia res vice pœnæ, si quis arbitri senten tiæ non steterit, promissa sit: Pomponius scribit. Quid ergo, si res apud arbitrū depositæ sint eo pacto, vt ei daret, qui vicisset: vel vt eam daret, si non pareretur sententiæ? an cogendus sit sententiam dicere? cogendus est. tantundem est, & si quantitas certa ad hoc apud eum deponatur. proinde & si alter rem, alter pe cuniam stipulanti ꝓmiserit, plenum compromissum fit, & cogetur sententiam dicere, ff. eo. l. litigatores, xi. §. quod ait.

Interdum (vt Pomponius scribit) rectè nudo pacto fiet compromissum, vtputa si ambo debitores fuerunt: & pacti sunt, ne petat, quod sibi debetur, qui sententiæ arbitri non paruit. Item Iulianus scribit non cogendum arbitrum sententiam dicere, si alter promiserit, alter non. idem dicit, & si sub conditione fuerit pœna compromissa: veluti si nauis ex Asia venerit tot, milia. non enim prius arbitrum cogendum sententiam dicere, quàm conditio extiterit: ne sit inefficax deficiente condictione, & ita Pomponius scribit. Quo casu ad prætorem pertinebit in eo forsitam solo, vt si possit dies compromissi proferri, proferatur, d. l. litigatores, §. interdum vsq; ad finem, cum l. seq.

Pomponius ait, & si alteri accepto lata pœna sit compromissi, non debere eum compelli sententiam dicere. Idem Pomponius scribit, si de meis solis controuersiis sit compromissum, & de te pœnam sim stipulatus: uidendum, ne non sit compromissum. Sed cui rei moueatur, non video. nam si ideo, quia de unius controuersiis solum compromissum sit, nulla ratio est. licet. n. & de una re compromittere: si verò, quia ex altera duntaxat parte stipulatio interuenerit, est ratio: tanquam si petitor sit, qui stipulatus est, possit dici plenum esse compromissum: quia is, qui cōuenitur, tutus est, pati exceptione: is verò, qui conuenit, si arbitrio non pareatur, habet stipulationem. sed id uerum non est. neq; enim sufficit exceptionem habere, vt arbiter sententiam dicere cogatur, ff. eod. l. Pomponius, xiii. in princ.

Recepisse autem arbitrium videtur (vt Pedius libro nono dicit) qui iudicis partes suscepit, finemque se sua sententia controuersiis impositurum pollicetur quod si (inquit) hactenus interuenit, vt experiretur, an consilio suo, vel authoritate discuti litem paterentur, non uidetur arbitrium recepisse, d. l. Pomponius, §. recepisse.

Arbiter ex compromisso his diebus non cogitur sententiam dicere, quibus iudex non cogeretur, nisi dies compromissi exitura sit, nec proferri possit. Proinde si forte vrgeatur à prætore ad sententiam: æquissimum erit, si iuret sibi de causa nondum liquere, spacium ei ad pronunciandum dari, d. l. Pomponius, §. si.

Sed si compromissum sine die cōfectum est, necesse est arbitrio, omnimodo diem statuere, partibus consentientibus, & ita demum causam disceptare, quod si hoc prætermissum sit: omni tempore cogendus est sententiam dicere, ff. eod. l. sed si compromissum, xiv.

Licet autem prætor districtè dicat, sententiam se arbitrum dicere coacturum: attamen interdum rationem eius habere debet, & excusationem recipere, causa cognita, vtputa si fuerit infamatus à litigatoribus, aut si inimicitiæ capitales inter eum, & litigatores, aut alterum, & litigatoribus intercesserint: aut si ætas, si valetudo, quæ postea contingit, id ei munus remittat, aut occupatio negociorum propriorum, vel profectio vrgens, aut munus aliquod reip. causa, ff. eodem, l. licet, xv.

Et si qua alia incommoditas ei post arbitrium susceptum incidat, sed in causa valetudinis,

letudinis, similibusve, causa cognita differre cogit, ff. eo. l. aut si qua, 16. ī prin.

Arbiter iudicii sui nomine, quod publicum, vel priuatum habet, excusatus esse debet à compromisso: vtiq; si dies compromisi proferri non potest. Quod si potest, quare non cogat, eum, cum posit proferre? quod sine vlla districtione ipsius interdum futurum est. si tamen vterq; velit eum sententiam dicere: an (quamuis cautum non sit de die proferenda) non aliàs impetret (quia iudicium habet, ne cogatur) quàm si consentiat denuo in se compromitti? hæc si dies exitura est, d. l. & si qua, §. arbiter.

Item si vnus ex litigatoribus bonis suis cedat Iulianus scribit non esse cogendum arbitrum sententiam dicere: cum neque agere, neque conueniri posit, ff. eod. l. item si unus, 17. in prin.

Si multò post reuertantur ad arbitrũ litigatores: non esse cogendum sententiam dicere Labeo scribit, d. l. item, §. si multò.

Item si plures sunt, qui arbitriũ receperunt: nemo vnus cogendus erit sententiam dicere: sed aut omnes, aut nullus. inde Pomponius ad edictum quærit: si ita sit compromissum, vt quod Titio disceptatori placet, id Seius pronunciet, quis sit eorum cogendus? sed tale arbitrium non ualebit, in quo libera facultas arbitri sententiæ futura non est, sed si ita sit compromissum, arbitratu Titii, aut Seii fieri. Pomponius scribit, compromisum valere: sed is erit cogendus sententiam dicere, in quem litigatores consenserint, d. l. item si plures sunt, §. item si.

Si in duos fuerit compromissum. sicut si dissentirent, tertium adsumant, tale compromissum non ualeat. Nam & in adsumendo possunt dissentire, sed si ita sit, vt tertius adsumeretur, Sempronius: valet compromissum, quoniam in adsumendo dissentire non possunt, d. l. item si, §. si in duos.

Principaliter tamen, si in duos arbitros sit compromissum: non debet prætor eos cogere sententiam dicere: quia res ferè sine exitu futura est, propter naturalẽ hominum ad dissentiendum facilitatem. In impari. n. numero idcirco compromissum admittitur: non quoniam consentire omnes facile est, sed quia (& si dissentiant) inuenitur pars maior, cuius arbitrio stabitur: sed tamen vsitatum est, etiam in duos compromitti, & debet prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam personam, certam eligere, cuius authoritati pareatur, d. l. item, §. si principaliter.

Celsus scribit, si in tres fuerit compromissum, sufficere duorum consensum, si præsens fuerit, & tertius: alioquin absente eo, licet duo consentiant, arbitrium nõ valere, quia in plures fuit compromissum, & potuit præsentia eius trahere eos in aliam sententiam, d. l. item si, §. fin.

Sic & tribus iudicibus datis, quod duo ex consensu absente tertio, iudicauerunt: nihil valet. quia ità demũ, quod maior pars omnium iudicauit, ratum est cum & omnes iudicasse palàm est, ff. de recep. qui arbit. l. sic & 18.

Qualem autem sententiam dicat arbiter ad prætorem non pertinere Labeo ait: dummodo dicat, quod ipsi videtur. Et ideo si sic fuit in arbitrum compromissum, ut certam sententiam dicat: nullum esse arbitrium, nec cogendum sententiam dicere, Iulianus scribit, ff. eo. l. qualem, 19. in princ.

Dicere autem sententiam existimamus eum, qui ea mente quid pronunciat, ut secundum id discedere eos à tota controuersia velit, sed si de pluribus rebus sit arbitrium receptum, nisi omnes controuersias finierit, non uidetur dicta sentẽtia, & adhuc erit à prætore cogendus, d. l. qualem, §. dicere.

Vnde videndum erit, an mutare sententiam posit, & alias quidem est agitatum, si arbi-

si arbiter iussit dari, mox vetuit. vtrum eo, quod iussit, an eo, quod vetuit stari debeat. & Sabinus quidem putauit posse. Cassius vero sententiam magistri sui bene excusat. Et ait de ea sententia Sabinum non sensisse, quæ arbitrium finiat, sed de præparatione causæ: vtputa si iusserit litigatores Kalendis adesse, mox idibus iubeat. nam mutare eum diem posse. cæterum si condemnauit, vel absoluit, quando arbiter esse desierit, mutare sententiam non posse. Quia arbiter, & si errauerit in sententia dicenda, corrigere eam non potest, d.l. qualem, §. vnde cum l. sequen.

Quid tamen si de pluribus controuersiis sumptus est, nihil sibi communibus, & de una sententia dixit, de aliis nondum? nunquid desiit esse arbiter? Videamus igitur, an in prima controuersia possit mutare sententiam, de qua iam dixerat. Et multum interest de omnibus simul, vt dicat sententiam, compromissum sit, an non. nam si ut de omnibus: poterit mutare. nondum enim dixit sententiam. Quod si ut separatim, quia plura sunt compromissa, & ideo (quantum ad illam controuersiam pertinet) arbiter esse desiit. ff. eo. l. quid tñ, xi. in prin.

Si arbiter ita pronunciasset, nihil videri Titium debere Seio, tametsi Seium non vetuisset petere, tamen si quid petisset, videri contra sententiam arbitri fecisse & id Offilius, & Trebatius responderunt, d.l. quid tamen, §. si arbiter.

Solutioni diem posse arbitrum statuere placet, & ita etiam Trebatius uidetur sentire. Pomponius ait, inutiliter arbitrum incertã sententiam dicere, vtputa quãtum ei debes, redde: Diuisioni uestræ stari placet: pro ea parte, quam creditoribus tuis soluisti, accipe, d.l. quid tamen, §. solutioni.

Item si arbiter pœnam ex compromisso peti vetuerit non ualet, & habet rationẽ, quia non de pœna compromissum est, d.l. quid tamen, §. item si arbiter.

Papinianus ait, si cum dies compromissi finiretur, prolato die litigatores denuo in eum compromiserint, nec secundi compromissi arbitrium recepitit: non esse cogendum recipere, si ipse in mora non fuerit, quominus partibus suis fungeretur, quod si per eum factum sit: æquissimum erit, cogi eum à prætore sequens recipere. Quæ quęstio ita procedit: si nihil in priore compromisso de die proferendo cauebatur. cæterum si cauebatur, & ipse protulit, mansit arbiter, d. l. quid tamen, §. Papinianus.

Plenum compromissum appellatur, quod de rebus, controuersiisve omnibus compositum est. nam ad omnes controuersias pertinet, sed si fortè de una re sit disceptatio: licet pleno compromisso actum sit, tamen ex cæteris causis actiones supersunt. id enim venit in compromissum, de quo actum sit, ut ueniret. sed est Tutius, si quis decertare compromissum facturus sit, de ea re sola exprimere. non debent autem in compromisso obtemperare litigatores, si arbiter aliquid inhonestum iusserit, d.l. quid tamen, §. plenum.

Si intra diem compromissi aditus arbiter, post diem compromissi adesse iusserit: pœna non committitur, d.l. quid tamen, §. si intra.

Si quis ex litigatoribus ideo non adfuerit, quod ualetudine, uel Reip. causa absentia impeditus sit, aut magistratu, aut alia iusta causa, pœnam committi Proculus, & Atilicinus aiunt, sed si paratus sit in eundem compromittere: actionem denegari, aut exceptione tutum fore, sed hoc ita demum verum erit, si arbiter recipere in se arbirrium fuerit paratus. nam inuitum non esse cogendum Iulianus scribit. Ipse autem nihilominus pœna absoluitur, d.l. quid tamen, §. si quis.

Si arbiter iusserit (puta) in prouincia adesse litigatores, cum Romæ esset in eum compromissum, an ei impunè non pareatur, quæritur. Et est verius, quod Iulianus ait

nus ait libro quarto: eum locum compromiſſo ineſſe, de quo actum ſit, cum compromitteretur. Impunè igitur ei non parebitur, ſi alio loco adeſſe iuſſerit. quid ergo, ſi non appareat, de quo loco actum ſit? melius dicetur, eum locum contineri, vbi compromiſſum eſt. Quid tamen ſi eo loci, qui ſit circa vrbem, adeſſe iuſſerit? Pegaſus admittit valere iuſſum. Quod verum eſt, ſi eius ſit authoritatis arbiter: vel in ſe ceſsibus ſoleat agere, & litigatores facilè eo loci venire poſsint, d.l. quid tamen, §. ſi arbiter.

Sed & ſi in aliquem locum inhoneſtum adeſſe iuſſerit. puta in popinam, vel lupanarium: ſine dubio (vt Iulianus ait) impune ei non parebitur, quam ſententiam & Celſus probat. Vnde eleganter tractat. ſi is ſit locus, in quem alter ex litigatoribus honeſtè venire non poſsit, alter poſsit: & is non uenerit, qui ſine ſua turpitudine eo venire poſsit, & is venerit, qui inhoneſtè venerat: an committatur pœna compromiſsi, quaſi non præbita opera, & rectè putat non committi. abſurdum enim eſſe, iuſſum in alterius perſona ratum eſſe, in alterius non, d.l. quid tamen, §. ſed etſi.

Intra quantum autem temporis, niſi detur, quod arbiter iuſsit, committatur ſtipulatio, uidendum eſt, & ſi quidem adiectus dies non ſit, Celſus ſcribit ineſſe, quoddam modicum tempus, quod vbi præterierit, pœna ſtatim peti poſsit. vt tamen (inquit) ſi dederit ante acceptum iudicium agi ex ſtipulatu non poſsit, vtiq; niſi eius interfuerit, tunc ſolui, d.l. quid tamen, §. fi. cum l. ſeq.

Celſus ait, ſi arbiter intra Kalendas Septembris dari iuſſerit. nec datum erit: licet poſtea offeratur. attamen ſemel commiſſam pœnam compromiſsi non euaneſcere: quoniam ſemper verum eſt intra Kalendas datum non eſſe. ſi autem oblatum acceperit, pœnam petere nō poſſe, aut doli exceptione remouendum, contrà vbi duntaxat dari iuſsit, ff. de recep. qui arbit. l. Celſus, 23. in princ.

Idem ait ſi iuſſerit me tibi dare, & valetudine ſis impeditus, quominus accipias, aut alia iuſta cauſa, Proculum exiſtimare, pœnam non committi, nec ſi poſt Kalendas te parato accipere, non dem, d.l. Celſus, §. idem ait.

Sed ipſe rectè putat, duo eſſe arbitri præcepta: vnum pecuniam dari, aliud intra Kalendas dari, licet igitur in pœnam non committas, quod intra Kalendas nō dederis, quoniam per te non ſteterit: tamen committis in eam partem, quod non das, d.l. Celſus ait, §. ſed ipſe rectè.

Idem ait, nihil aliud eſſe, arbitri ſententiæ ſtare: quam id agere (quantum in ipſo ſit) ut arbitri ſententiæ pareatur. idem Celſus ait ſi arbiter me tibi certa die pecuniam dare iuſſerit, tu accipere noluiſti: poſſe defendi ipſo iure, pœnam non committi, ſed ſi poſtea paratus ille ſit accipere, non impunè me non daturum. non enim ante feceram, d.l. Celſus, §. fi. cum l. ſeq.

Labeo ait: ſi arbiter, cum in compromiſſo cautum eſſet, ut in eadem die, de omnibus ſententiam diceret, & ut poſſet diem proferre, de quibuſdam rebus dictā alioquin ſententia, de quibuſdam non dicta, diem protulit, valere probationē diei, ſententiæq; eius poſſe impunè nō pateri, & Pomponius probat Labeonis ſententiam, quæ vera uidetur: quia officio in ſententia functus non eſt. Hæc autem clauſula, DIEM COMPROMISSI PROFERRE, nullam aliam dat arbitro facultatem, quam diem prorogandi. & ideo conditionem primi compromiſsi, neq; minuere, neq; mutare poteſt. & ideo cætera quoq; diſcutere debet, & pro omnibus unam ſententiam ferre, ff. eo. l. Labeo ait, 25.

Si per fideiuſſores fuerit cautum in primo compromiſſo, & ſequens ſimiliter proferendum Labeo ait, ſed Pomponius dubitat, utrum iiſdem, an & aliis tam ido-

neis. quid enim (inquit) si iidem fideiubere noluerint, sed si fideiubere noluerint, tunc aliis non absimiles adhibendi sunt. Ne in potestate sit fideiussorum postea se non obligantium, vt pœna committatur, idemque & si decesserint. d. l. Labeo. §. fi. cum l. seq.

Si hæredis mentio, vel cæterorum facta in compromisso non fuerit. morte soluetur compromissum. nec vtimur Labeonis sententia, qui existimauit: si arbiter aliquem pecuniam dare iusserit, & is decesserit, antequam daret: pœnam committi, licet hæres eius paratus sit offerre, ff. eo. l. diem, 27. §. si hæredis mentio.

Stari autem debet sententiæ arbitri, quàm de re dixerit, siue æqua, siue iniqua sit & sibi imputet, qui compromisit. Nam vt Diui Pii rescriptio adiicitur, vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet, d. l. diem, §. stari.

Si plures arbitri fuerint, & diuersas sententias dixerint, licebit sententiæ eorum non stari, sed si maior pars consentiat, ei stabitur. alioquin pœna committitur. Inde quæritur apud Iulianũ, si ex tribus arbitris, vnus quindecim, alius decem, tertius quinq; condemnent, num sententiæ stetur? & Iulianus scribit quinq; debere p̃stari: quia in hanc summam omnes consenserunt, d. l. diem, §. si plures.

Si quis litigatorum defuerit, quia per eum factum est, quominus arbitretur, pœna committetur. Proinde sententia quidem dicta non coram litigatoribus, non valebit, nisi in compromisso hoc specialiter expressum sit, ut uel uno, vel utroq; absente sententia promatur. pœnam autem is, qui defuit, committit: quia per eum factum est, quominus arbitretur, d. l. diem, §. si quis litigatorum.

Coram autem dicere sententiam videtur, qui sapientibus dicit. cæterum coram furioso, vel demente non vr̃ dici. item coram pupillo non videri sñiam dictam nisi tutor præsens fuerit: & ita de aliis oĩb. Iulianus scribit, d. l. diem, §. coram.

Et si quis præsens arbitrum sententiam dicere prohibuit, pœna committitur, sed si pęna non fuisset adiecta compromisso, sed simpliciter sententię stari quis promisisset: incerti aduersus eum foret actio, d. l. diem, §. & si quis.

Non autem interest: certa, an incerta summa promissa sit; vtputa quanti ea res erit, ff. eod. l. non autem, 28.

Aduersus sententiam arbitri fit, si petatur ab eo, à quo arbiter peti vetuit. ergo si à fideiussore eius petatur, pęna committitur? & ita Sabinus scribit, sed si cum fideiussore compromisi, & à reo petam, nisi intersit fideiussoris, pœna non committetur. ff. eod. l. aduersus, 29.

Si quis rem de qua compromissum sit, in iudicium deducat, quidam dicunt, prætorem non interuenire, ad cogendum arbitrum sententiam dicere, quia iam pœna non potest esse, atq; si solutum est compromissum, sed si hoc obtinuerit futurum est, vt in potestate eius, quem pœnitet, compromisse, sit compromissum eludere. Ergo aduersus eum pœna committenda est: lite apud iudicem suo ordine peragenda, ff. eod. l. si quis, 30.

Ita demum autem committitur stipulatio, cum aduersus eam quid fit: si sine dolo malo stipulantis factum est. sub hac enim conditione committitur stipulatione quis doli præmium ferat. sed & si quidem compromisso adiiciatur. SI QVID DOLO IN EA RE FACTVM SIT, ex stipulatu conueniri, qui dolo fecit, potest. Et ideo siue arbitrum, quis corrupit, vel pecunia, vel ambitione, vel aduocatum diuersæ partis, vel aliquem ex his, quibus causam suam commiserat, siue aduersarium callidè circunuenerit, & omnino si in hac lite dolo versatus est locum habebit ex stipulatu actio. Et ideo si velit de dolo actionẽ aduersarius exercere, non debebit, cũ habeat ex stipulatu actio-

tu actionem.quod si huiusmodi clausula in compromisso adscripta nō est,tunc de dolo actio,vel exceptio locum habebit. hoc autem compromissum plenum est,quod etiam doli habet mentionem,ff.eo.l.ita demum,31.

Non distinguemus in compromissis,minor,an maior sit pœna, quàm res, de qua agitur,ff.eod.l.non distinguemus, 32.in prin.

Non cogetur arbiter sententiam dicere,si pœna commissa sit, d.l. non distinguemus,§.non cogetur.

Si mulier alieno nomine compromittat,non erit pœna compromissa propter intercessionem,d.l.non distinguemus,§.si mulier.

Summa rei est,vt prætor se non interponat:siue initio nullum sit compromissum, siue sit, sed pendeat, an ex eo pœna exigi possit: siue postea deficiat pœna, compromisso soluto die,morte,acceptilatione,iudicio, pacto, d.l. non distinguemus,§.summa.

Sacerdotio obueniente,videbimus,an cogatur arbiter sententiā dicere, id enim non tantum honori personarum,sed & maiestati dei indulgetur,cuius sacris uacare sacerdotes oportet.cæterum si postea.suscepit:iste quoq; omnimodo sententiam ferre debet,d.l.non distinguemus,§.sacerdotio.

Item non est cogendus si de negocio transactum est, vel equus mortuus est, de quo erat compromissum:nisi si posteriori casu aliquid litigantium intersit, d. l.non distinguemus,§.item non est.

Iulianus indistinctè scribit,si per errorem de famoso delicto ad arbitum itum est, vel de ea re,de qua publicum iudicium constitutum sit (veluti de adulteriis sicariis,& similibus) vetare debet prætor sententiam dicere, nec dare dictæ executionem,d.l.non distinguemus,§.Iulianus.

Item si quis Romæ compromiserit,mox Romam in legationem venerit: non est cogendus arbiter sententiam dicere:non magis,quam cogeretur, si litem ante contestatus esset,nunc eam exercere, nec interest, tunc quoq; in legatione fuerit,an non.sed si in legatione compromittat,cogendus arbiter erit, dicere sententiam: quia & si iudicium sponte accepisset,cogeretur peragere. sunt tamen, qui de isto non rectè dubitant.qui vtiq; nullo modo dubitabunt, si de ea re in legatione compromisit,quam in legatione contraxit, quia & iudicium eo nomine accipere cogeretur. Illud in prima specie potest dispici, an si antea compromisit legatus,cogendus sit arbiter sententiam dicere,si ipse legatus postulet quod prima ratione potuerit videri iniquum, vt in ipsius potestate sit. sed hoc tale erit,quale si actionem velit dictare, qđ facere ei licet. sed compromissum comparauimus ordinariæ actioni: vt non alias audiatur desiderans, ut arbiter sententiam dicat,quàm si se defendat,d.l.non distinguemus,§. item si quis.

Si is faciat controuersiam hæreditatis,qui cum defuncto compromiserat: futurum est præiudicium hæreditati,si arbiter sententiam dicat,ergo interea inhibendus est arbiter,d.l.non distinguemus,§.si is faciat.

Si arbiter te se cælare tentauerit, prætor eum inuestigare debet: & si diù non apparuerit,multa aduersus eum indicenda est,d.l.non distinguemus , §. si arbiter se se cælare.

Cum in plures compromissum est,ea conditione,vt quam quilibet, vel vnus sententiam dixisset,ei staretur,absentibus cæteris, nihilominus, qui præsens est, cogetur. Atsi ea conditione,vt omnes dicant, vel quod de maioris partis sententia placuerit: non debet singulos separatim cogere. quia singulorum sententia ad pœnam non facit,d.l.non distinguemus,§.cum in plures.

Cum quidam arbiter ex aliis causis inimicus manifestè apparuisset: testationibus etiam commentus, ne sententiam diceret: nihilominus, nullo cogente, dicere perseuerasset, libello cuiusdam id quærentis Imp. Antoninus subscripsit, posse eum uti doli mali exceptione. Et idem cum à iudice consuleretur, apud quem pœna petebatur, rescripsit etiam si appellari non posset, doli mali exceptionem in pœnæ petitionem obstaturam. Per hanc ergo exceptionem quædam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri, d.l. non distinguemus, §. cum quidam.

Arbitrorum ex compromisso sententiæ non obtemperans, si sordes, vel emidens gratia eorum, quia arbitrati sunt, intercesit: aduersus filiam tuam agentem ex tipulatu exceptione doli mali, vti poteris, sed ex doli clausula, quæ compromissi stipulationi subiici solet, filiam tuam conuenire nō vetaberis, C.eo.l.tertia.

De officio arbitri tractantibus, sciendum est omnem tractatum ex compromisso sumendum. nec enim aliud illi licebit, quā quod ibi, ut efficere possit, cautum est. non ergo quodlibet statuere arbiter poterit, nec in qua relibet: nisi de qua re compromissum est, & quatenus compromissum est, d.l. non distinguemus, §. de officio arbitri.

Quæsitum est de sententia dicenda, & dictum non in quolibet: licet à quibusdam variatum sit. sed vere non committitur si dicat ad iudicem de hoc eundum, vel se, vel alium (in) se vel in alium compromittendum. nam & Iulianus impunè ait ei non pareri, si iubeat ad alium arbitrum iri, ne finis non sit, sed nec si hoc modo dixerit: ut arbitrio publici Mæuii fundus tradatur, aut satisdatio detur: parendum esse sententiæ. Item Pedius probat: ne propagentur arbitria, aut in alios, interdum inimicos agentium, transferantur: sententia sua finem controuersiæ eum imponere oportet: non autem finiri controuersiam, cum aut differatur arbitrium, aut in alium transferatur: partemq; sententiæ esse: quemadmodum satis ei detur, quibusq; fideiussoribus: idq; delegari non posse, nisi ad hoc compromissum sit: vt arbiter statueret, cuius arbitratu satisdaretur. itē si iubeat, sibi alium coniungi, cum id in compromisso non sit, non dicit sententiam. nam sententia esse debet de re compromissa, de hoc autem compromissum non est, d.l. non distinguamus, §. quæsitum.

Si domini, qui inuicem stipulati sunt percuratores suos agere apud arbitrum velint: potest iubere ipsos etiam adesse, d.l. non distinguamus, §. si domini.

Arbitri officio continetur, & quemadmodum detur vacua possessio. An & satis rem ratam dominum habiturum? Sextus pedius putat, quòd nullam id rationem habeat, nam & si ratum non habeat dominus committitur stipulatio, d.l. non distinguamus, §. arbitri officio.

Arbiter nihil extra compromissum facere potest. Et ideo necessarium est, adiici de die compromissi proferenda: cæterum impunè iubenti non parebitur, d.l. non distinguamus, §. fin.

Arbiter ita sumptus ex compromisso, ut & diem proferre possit: hoc quidem facere potest, referre autem contradicentibus litigatoribus non potest, ff. de receptis, l. arbiter, 33.

Diem proferre, vel præsens, vel per nuncium, vel per epistolam potest, ff. eod. l. diem, 27. in princip.

Dies compromissi proferri potest, non ex conuentione, sed cum iussu arbitri eam proferri necesse est, ne pœna committatur, ff. eodem. l. non distinguamus, §. dies compromissi.

Si duo

Si duo rei sunt,aut credendi,aut debendi, & vnus compromiserit, isque vetitus sit petere,aut ne ab eo petatur, videndum est,an si alius petat, vel ab alio petatur,pœna committatur.Idem in duobus argentariis,quorum nomina simul erunt.& fortasse poterimus ita fideiussoribus coniungere, si socii sint,alias nec a te petitur,licet ego peram,nec meo nomine petitur,liceta te petatur. Semel commissa pœna,solui compromissum,rectios dicitur, nec amplius posse committi,nisi id actum sit,vt in singulas causas toties committatur, ff. eodem. l. si duo rei sunt.34.

Si pupillus sine tutoris authoritate compromiserit,non est arbiter cogendus pronunciare,quia & si contra eum pronunciatur,pœna non tenetur , præterquam si fideiussorem dedit,à quo pœna peti posset,idque & Iulianus sentit,ff.eod.l.si pupillus.35.

Si feriatis diebus cogente prætore arbiter dicat sententiam,& petatur ex compromisso pœna,exceptionem locum non habet constat, nisi alia lege eadem dies feriata,in qua sententia dicta est,fuerit excepta,ff.eod.l.si feriatis.36.

Quamuis arbiter alterum,ab altero petere vetuit, si tamen hæres petit, pœnam committet. non. n. differendarum litium causa sed tollendarum ad arbitros itur.ff.eod.l.quamuis.37.

Cum pœna ex compromisso petitur is, qui compromisit. damnandus est, nec interest an aduersarii eius interfuerit, arbitri sententia stari necue. ff. eodem. l. cum pœna,34.

Non ex omnibus causis,ex quibus arbitri sententiæ paritum non est,pœna ex compromisso committitur.sed ex his duntaxat,quæ ad solutionem pecuniæ, pertinent.Idem & contumaciam litigatoris arbiter punire poterit, pecuniam eum aduersario dare iubendo.Quo in numero haberi non oportet, si testium nomina ex sententia arbitri exhibita non sint.Cum arbiter diem compromissi proferri iussit,cum ei hoc permissum sit,mora alterius ad pœnam committendam prodest,ff.eod.l.non ex omnibus,39.

Arbiter Kalendis Ianuariis adesse iussit, & ante eum diem decessit.alter ex litigatoribus non adfuit,proculdubio pœna minimè commissa est.nam & Cassium audisse se dicentem,Aristo ait: in eo arbitro, qui ipse non venisset, non esse commissam.quemadmodum Seruius ait,si per stipulatorem stet, quominus accipiat,non committi pœnam,ff.eod.l.arbiter.xl.

Cum lege Iulia cautum sit,ne minor xxv.annis iudicare cogatur,nemini licet minorem xxv.annis compromissarium iudicem eligere, ideoque pœnam ex sententia eius nullo modo committitur.Maiori tamen xxv.annis,si minor xxv. sit, ex hac causa succurrendum,si temere adiutorium receperit, multi dixerunt, ff. eod.l.cum lege.41.

Arbiter intra certum diem æquos restitui iussit, quibus non restitutis, pœnę causa causa fisco secundum formam compromissi condemnauit. ob eam sententiam fisco nihil adquiritur,sed nihilominus stipulationis pœna committitur, quod ab arbitro statuto non sit obtemperatum,ff.eod.l.arbiter.42.

De rebus,controuersiisque omnibus compromissum in arbitrum à Lucio Titio, & Mæuio Sempronio factum est,sed errore quædam species in petitione à Lucio Titio ductæ non sunt, nec arbiter de his quicquam pronunciauit, quæsitum est,an species omissæ peti possint.Respondit Scæuola peti posse,nec pœnam ex compromisso committi quod si maligne hoc fecerit petere quidem potest,sed pœnæ subiungitur,ff.eod.l.de rebus.43.

Inter

Inter Castellianum,& Sæium controuersia de finibus orta est: & arbiter electus ut arbitratu eius res terminetur,ipse sententiam dixit præsentibus partibus, & terminos posuit. quæsitum est an. si ex parte Castilliani arbitrio paritum non esset,pœna ex compromisso commissa esset, respondit Scęuola si in eo, quod vtraque præsente arbitratus est,arbitrio paritum non esset, pœnam commissam,ff.eod.l.inter.44

In compromissis arbitrium personæ insertum,personam non transgreditur, ff. e. l. in compromissis.45.

De his rebus,& controuersiis & rationibus iudicare arbiter potest: quæ ab initio fuerunt inter eos,qui compromiserunt,non quæ postea superuenerunt, ff. eod.l.de his.46.

Si compromissum ita factum sit,vt pręsente vtroque aut hæredibus eorum arbiter sententiam dicat: & alter ex litigatoribus decesserit,hærede pupillo relicto, nõ aliter videtur sententia dicta esse,nisi tutoris authoritas interposita fuerit. Itẽ si alter ex compromittentibus furere cœperit. Arbiter ad ferendam sententiam non compelletur. Sed & interpellatur, quominus sententiam dicat: quia nihil coram furioso fieri intelligitur. Quod si furiosus curatorem habeat,vel habuerit adhuc litigatio pendente: potest quidem præsente curatore sententia dici,ff.eod.l.si compromissum.47.cum duab.seq.

Arbiter adesse litigatores vel per nuncium,vel per epistolam iubere potest. si ab altera duntaxat parte hæredis mentio comprehensa fuerit,compromissum soluetur morte cuiusuis ex litigatoribus,sicut solueretũ altero mortuo, si neutrius hæredis persona comprehenderetur,d.l.sed &.§. Arbiter.

Arbiter ex compromisso sumptus,cum ante eum diem qui compromisso constitutus erat,sententiam dicere non posset,diem compromissi proferri iusserit, alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat, consulebatur, possent ne ab eo pœna ex compromisso peti? respondit Alfenus non posse: id eo quod non esset arbitro in compromisso permisum,vt id iuberet. ff.eod.l.Arbiter.50.

Si de re sua quis arbiter factus, sit,sententiam dicere non potest: quia se facere iuberet aut petere prohiberet. neque autem imperante sibi, neque prohibere quisquam potest,ff.de receptis.l.penul.

Si quis ab arbitro iussus est ex compromisso soluere pecuniam & moram fecit: pœnam ex compromisso debet,sed postea soluendo,pœna liberatur, ff.eo.l.si.

Si contra compromissum aduersarius tuus apud electum arbitrum præsentiam sui facere detrectauit: placitæ pœnæ videtur obnoxius,C.eod.l.secunda.

Ex sententia arbitri ex compromisso iure perfecto additi appellari non posse,sæpe rescriptum est: quia nec iudicati actio inde præstari potest, & ob hoc inuicem pœna promittitur,vt metu eius a placitis non recedatur. sed si vltra diem compromisso comprehensum iudicatum est,sententia nulla est nec vllam pœnam committit qui ei non paruerit. C.eod.l.penul.

Si inter actorem & reum,nec non ipsum iudicem fuerit consensum,vt cum sacramenti religione lis procedat,& ipsi quidem litigatores in scriptis hoc suis manibus vel per publicas personas scripserint, vel apud ipsum arbitrum in actis propria voce deposuerint, quod sacramentis præstitis arbiter electus est, hoc etiam addito,quod ipse arbiter iuramentum præstiterit super lite cum omni veritate dirimenda eius dinifitio valida omnimodo custoditur, C. eodem. l. quarta,in princip.

Sin autem de arbitro nihil tale fuerit vel compositum,vel scriptum ipsæ autem partes

tes literis hoc manifestauerit, quod iuramenti nexibus se illigauerint, vt arbitri sententiæ stetur immutataque seruetur, literis videlicet eorum similem vim obtinentibus: siue ab initio hoc fuerit ab his scriptum, vel præfato modo depositum dum arbiter eligebatur, siue post definitiuam sententiam hoc scriptum inueniatur, quod cum sacramenti religione eius audientiam amplexi sunt, vel quod ea, quæ statuta sunt, adimplere iurauerit, d.l. quarta, §. sin autem.

Sed & si ipse solus arbiter hoc litigatoribus poscentibus, vel scriptis, vel depositionibus (vt dictum est) manifestam facientibus, præstiterit iuramentum, quod cum omni ueritate liti libramenta imponat similem, esse etiam in præsenti casu prioribus eius definitionem, & eam omnimodo legibus esse vallatam. Et in his omnibus casibus liceat vel in factam, vel conditionem ex lege, vel in rem vtilem instituere actionem, secundum quod facti qualitas postulauerit, dicta. l. quarta. §. sed si ipse iudex.

Sin autem in scriptura quidem, aut depositione nihil tale apparuerit, vna autem pars edicat iuramentum esse præstitum, quatenus arbitrali stetur sententiæ huiusmodi litigatorum vel solius arbitri sermones minime credendi sunt, cum & si quis iuramentum datum esse, non iudice supposito, nec hoc scriptura partium testante, concesserit: incertis certaminis compositio, quæ inter homines imperitos sæpe accidit, non aliquid vigoris rebus iudicatis inferat, sed in huiusmodi casu hæc obtinet, quæ veteres de arbitris eligendis sanxerunt, d. l. quarta, §. sin autem.

In arbitris eligendis quos neque pœna compromissi valebat, neque iudex dederat, sed nulla sententia præcedente communis electio, vt illorum sententiæ staretur procreabat, siquidem pro parte pulsata forma arbitralis procederet, exceptionem ei veluti pacti generari, sin autem pro actore calculus poneretur, nihil ex eo procederet ei præsidii sancitum est in eos arbitros quos prædiximus, & quos talis consensus elegerit sub eo pacto (vel in scriptis uel sine scriptis habito) ut eorum definitioni stetur: siquidem suo scripserint, postquam definitio processit, quod non displiceat ambabus partibus eorum sententia: non solum rei exceptionem ueluti pacti generari, sed etiam actori ex nostro numine in factum actionem quatenus, possit sententia eius executioni mandari, C. eodem. l. penul. in prin.

Sin autem post sententiam minime quidem subscripserint se arbitri formam amplecti, sed silentio eam roborauerint, & non intra decem dies attestatio missa fuerit vel iudici vel aduersario ab alterutra parte, per quam manifestum fiat, definitionem non esse amplectendam: silentio partium sententia roboratu erit, & fugienti exceptio, & agenti memorata actio competit altera autem parte recusante secundum præfatum modum, & implere statuta minime cupiente: nihil fiet, nec paratur exceptio reo, vel actori actio: exceptis videlicet arbitris, qui cum sacramenti religione electi sunt secundum nouellam constitutionem. tūc etenim ea omnia seruari oportet, quæ ea lege super huiusmodi audientia definita sunt. Nam plenius & generaliter definitum est, conuentum in scriptis apud compromissum iudicem factum, ita temporis interruptionem inducere, quasi in ordinario iudicio lis fuisset inchoata, d. l. pen. §. sin autem.

Item generaliter sancitum est in iis, quæ apud compromissarios acta sunt, sin si aliquid in factum respiciens, uel professum est, uel attestatum, posse eo, & in ordinariis uti iudiciis, d. l. pen. §. fin.

DE

DE PROBATIONIBVS, ET PRAESVMPTIONIBVS. Titulus V.

Voties quæreretur, genus vel gentem quis haberet, necnon eum probare oportet, ff. de prob. l. prima.

Cum tacitum fideicommissum ab eo datur qui tam in primo, quam in secundo testamento pro eadem parte, vel postea pro maiore hæres scribitur: probatio mutatæ voluntatis ei debet incumbere, qui conuenitur: cum secreti suscepti ratio plerunque dominis rerum persuadet, eos ita hæredes scribere, quorum fidem elegerunt, ff. eod. l. tertia.

Ab ea parte, quæ dicit aduersarium suum aliquo iure prohibitum esse: specialiter lege vel constitutione id probari oportet. Ideoque si quis neget emancipationem rite factam, ipse præstare debet probationem, ff. eod. l. quinta.

Si filius in potestate patris si esse neget, prætor cognoscit, vt prior doceat filius, & quia pro pietate, quam patri debet præstare hoc statuendum est, ff. e. l. si filius. 8.

Si pactum factum sit, in quo hæredis mentio non fiat quæritur, an id actum sit, vt ipsius duntaxat persona eo statueretur: sed quamuis uerum est, quod qui excepit, probare debeat, quod excipitur attamen de ipso duntaxat, ac non de hærede eius quoque conuenisse: petitor non qui excipit, probare debet: quia plerunque tam hæredibus nostris, quam nobismetipsis cauemus, ff. eod. l. si pactū.

Non est necesse pupillo probare, fideiussores pro tutore datos, cum accipiebantur, idoneos non fuisse. nam probatio exigenda est ab his quorum officii fuit prouidere, ut pupillo caueretur, ff. eod. l. non est si.

Quinqnaginta testamento tibi legata sunt. idem scriptum est postea in codicillis. refert duplicare legatum voluit, an repetere: & an oblitus se in testamento legasse, id fecerit, ab vtro ergo probatio eius rei exigenda est? prima frōte æquius videtur, ut petior probet, quod intendit. sed interdum probationes quædam, & reo exiguntur. nam si creditum petatur, ille respondeat, solutam esse pecuniam ipse hoc probare cogendus est, & hic igitur cum petitor duas scripturas ostendit, hæres posteriorem inanem, esse ipse hæres id ad probare iudicii debet, ff. eod. l. quinquaginta. xii.

Cum de ætate hominis quæreretur ab Imperatore rescriptum est. & durum, & iniquum esse, cum de statu ætatis alicuius quæritur, & diuersæ professiones proferantur: ea potissimum stare, quæ noceat. sed causa cognita veritatem excuti oportet: & ex eo potissimum annos computari, ex quo præcipue fidem in ea re constare, credibilius uidetur, ff. eod. l. cum de ætate. 13.

Quidam quasi ex Sæia susceptus Caio Seio, cum Caius fratres haberet, hæreditatem Caii inuasit: & fratribus eiusdem, quasi ex mandato defuncti, fideicommissa soluit, & cautionem accepit. qui postea cognito, quod filius fratris eorum non fuisset: quærebant, an cum eo de hæreditate fratris propter omissam ab eis manum, possint quasi cum filio agere? Modestinus respondit. cautione ex soluti fideicommissi statum eius qui probari posset, a fratribus, defuncti filius mortui non esse minime confirmatum esse. sed hoc ipsum a fratribus probari debet, ff. eod. l. quidam. xv.

Etiam matris possessio de ætate filiorum recipitur. sed hoc ipsum & aui recipienda est, ff. eod. l. etiam. 16.

Cum de lege Falcidia quæritur, hæredis probatio est, locum habere legem falcidiam. Quod cum probare non potest: merito condēnabitur, ff. e. l. cū de lege. 17.

Qui

Qui dolo dicit factum aliquid (licet in exceptione:) docere debet, ff. eod. l. quoties, 18. §. qui dolo.

Interrogationis factæ probationem actori imponi debere, id est ei, qui in iure interrogatum dixit respondidisse, si solum hæredem esse: sed & si tacuisse dicatur interrogatus, æque tantundem erit dicendum: imposita probatione nõ ei, qui excepit, se non respondidisse, sed actori, ff. eod. l. quoties. 18. §. si.

In exceptionibus dicendum est, reum partibus actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem velut intentionem implere vt puta si pacti conuenti exceptione vtatur: docere debet pactum conuentum factum esse, ff. eod. l. in exceptionibus, 19. in prin.

Cum quis promisit iudicio se sit & Reipublicæ causa abfuisse dicatur, & ob id non stetisse: uel dolo malo aduersarii factum, quo minus sisteretur: uel ualetudinem sibi impedimento fuisse, vel tempestatem probare, id eum oportet, d. l. in exceptionibus, §. si quis.

Sed & si procuratoria quis exceptione vtatur, eo quod non licuisset aduersario dare, vel fieri procuratorem: probare id oportet obiicientem exceptionem. idem erit dicendum, & si ea pecunia petatur, quæ pensata dicitur, d. l. in exceptionibus, §. sed & si.

Hoc amplius si iudicatæ rei, vel iurisiurandi condictio delata dicatur de eo, quod tunc petitur: siue in alea gestum esse contendatur, eum implere probationes oportet, d. l. in exceptionibus, §. si.

Ante omnia probandum est, quod inter agentem, & debitorem conuenit, vt pignori hypothecæve sit. sed & si hoc probet actor: illud probare debet, rem pertinere ad debitorem eo tempore, quo conuenit de pignore, aut ad eum, cuius voluntate hypotheca data est, ff. eod. l. ante omnia, 23.

Si chirographum cancellatum fuerit: licet præsumptione debitor libertus esse videtur: in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostendit, recte debitor conuenitur, ff. eod. l. si chirographum.

Ei incumbit probatio qui dicit non qui negat, ff. eod. l. secunda.

Verius esse existimatur, ipsum qui agit, id est legatarium probare oportere, scisse defunctum alienam se rem uel obligatam legare, non hæredem probare oportere, ignorasse alienam rem vel obligatam, quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit, ff. eod. l. verius est. 21.

Eum qui uoluntatem mutatam dicit, probare hoc debere uerum est, ff. eodem. l. eum qui. 22.

Possessiones, quas ad te pertinere dicis, more iudiciorum persequere nec enim possessori incumbit necessitas probandi, eas ad se pertinere, cum te in probatione cessante, dominium apud eum remaneat. C. eod. l. secunda.

Frustra ueremini, ne ab eo, qui lite pulsatur, probatio exigatur, C. eo. l. frustra. 8.

Actor, quod adseuerat, probare se non posse profitendo, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit. C. eod. l. actor. 23.

Cum de indebito quæritur, quis probare debet, non fuisse debitum res ita temperanda est. ut si quidem is, qui accepisse dicitur rem uel pecuniam indebitam, hoc negauerit, & ipse qui dedit, legitimis probationibus solutionem adprobauerit, sine ulla distinctione ipsum, qui negauit sese pecuniam accepisse (si uult adiri) compellendum esse ad probationes præstandos, quod pecuniam debitam acceperit, per enim absurdum est, eum qui ab initio negauit pecuniam suscepisse

ſcepiſſet: poſt quàm fuerit conuictus accepiſſe probationem non debiti ab aduerſario exigere. Sin uero ab initio quidem confiteatur ſuſcepiſſe pecunias, dicat autem, non indebitas ei fuiſſe ſolutas, præſumptionem videlicet pro eo eſſe, qui accepit, nemo dubitat. Qui enim ſoluit, nunquam ita reſupinus eſt, vt facile ſuas pecunias iactet, & indebitas effundat: & maxime ſi ipſe, qui indebitas dediſſe dicit, homo diligens eſt ſtudioſus paterfamilias, cuius perſonam incredibile eſt in eo aliquando facile erraſſe. & ideo eum, qui dicit indebitas ſoluiſſe: compelli ad probationes, quod per dolum accipientis, vel aliquam iuſtã ignorantiæ cauſam indebitum ab eo, ſolutum ſit: & niſi oſtenderit, nullam eũ repetitionem habere. ſin autem is, qui indebitum quæritur, vel pupillus, vel minor ſit, uel mulier, vel forte vir quidem perfectæ ætatis, ſed milles, vel agricultor, & forenſium rerum expers, vel alias ſimplicitate gaudens, & deſidiæ deditus: tunc eum, qui acceperit pecunias, oſtendere bene eas accepiſſe, & debitas ei fuiſſe ſolutas: & ſi non oſtenderit, eas redhibere. Sed hoc ita, ſi totam ſummam indebitam fuiſſe ſolutam is, qui dedit, contendat. Si autem pro parte quæritur, quod pars pecunię ſolutæ debita non eſt, vel quod ab initio quidem debitium fuerit, ſed uel diſſoluto deb.to poſtea ignarus iterum ſoluit, vel exceptione tntus errore eas pecunias dependit: ipſum hoc omnimodo oſtendere, quod vel plus debito perſoluit, vel iam ſolutam pecuniam per errorem repetita ſolutione dependit, vel tutus exceptione neſciens ſuam proiecit pecuniam. ſecundam generalem regulam, quæ eos, qui opponendas eſſe exceptiones affirmant uel ſoluiſſe indebita contendunt, hæc oſtendere exigit, ff. cod. l. cum de indebito, 25. in princip.

In omnibus autem uiſionibus (quas præpoſiſsimus) licentia concedenda eſt ei, cui onus probationis incumbit, aduerſario ſuo de rei veritate iuſiurandum inferre prius ipſo pro calumnia iurante: vt iudex iuramenti fidem ſecutus, ita ſententiam ſuam poſsit formare iure ſcilicet referendæ religionis eius ſeruando. Sed hæc vbi de ſolutione indebiti quæſtio eſt. ſin autem cautio indebitè expoſita eſſe dicatur, & indiſcrete loquatur, tunc is, in quem cautio expoſita eſt, cõpellitur debitum oſtẽdere, quod in cautionem deduxit, niſi ipſe ſpecialiter qui, cautionem expoſuit, cauſas explanauit, pro quibus eandem conſcripſit. Tunc enim ſtare eum oportet ſuæ confeſsioni, niſi euidentiſsimis probationibus in ſcriptis habetis, oſtendere paratus ſit, ſeſe hæc indebite promiſiſſe, d. l. cnm de indebito, 25. §. fin.

ocula cum magnæ quantitatis fideicommiſſum a fratre ſibi debi tnm, poſt mortem eius in ratione cum hæredibus penſare vellet: ex diuerſo, autem allegaretur, nunquam id a fratre, quamdiu vixiſſet, deſideratum, cum variis ex caſsis ſępe in rationem fratris pecunias ratio Proculæ ſoluiſſet: diuus commodus, cum ſuper eo negocio cognoſceret, non admiſit compenſationem, quaſi tacitè fideicommiſſum fratri fuiſſet remiſſum, ff. eod. l. procula. 26.

Qui teſtamentum faciebat, ei, qui vſque ad certum modum capere poterat, legauit licitam quantitatem. deinde ita locutus eſt. TITIO CENTVM DO LEGO, QVAE MIHI PROTVLIT: QVAE IDEO EI NON CAVI, QVOD OMNES FORTVNAS ET SVBSTANTIAM, SI QVAM A MATRE SVSCEPERAT IN SINV MEO HABVI SINE VLLA CAVTIONE. ITEM EIDEM TITIO REDDI ET SOLVI VOLO DE SVBSTANTIA MEA AVTEM QVINQVAGINTA, QVAE EGO EX REDDIBVS PRAEDIORVM EIVS, QVORVM IPSE FRVCTVM PERCEPI

PERCEPTI, ET DISTRAXI: ITEM DE KALENDARIO, SI QVA A MATRE RECEPERAT, TITIVS, IN REM MEAM CONVERTI. quæritur an Titius ea exigere potest? respondit Scæuola si Titius suprascripta ex ratione sua ad testatorem peruenisse probare potuerit: exigi videri enim eo, quod ille plus capere non poterat in fraudem legis hoc in testamento adiecisse, ff. eod. l. qui testamentum. 27.

Si arbiter animaduertere debeat, an operis facti memoria extet: hoc ei quærendum est, an aliquis meminerit, id opus factum esse PAVLVS. imo cum ab arbitrio quęritur, memoria facti operis extet, nec ne, non hoc quęritur, num aliquis meminerit, quo die aut quo consule factum sit: sed num hoc aliquo modo probari possit, quàm pridem id opus factum sit, & ita hoc, quod Græci dicere solent in laxitate & amplitudine, potest enim hoc memoria teneri, non intra aunum (puta) factum; cum interim nemo sit eorum, qui meminerit, quibus consulibus id viderit: sed cum omnium hæc est opino, nec audisse, nec vidisse, cum id opus fierei, neque ex his aud isse, qui vidissent, aut audissent: & hoc infinite similiter sursum versum accideret: cum memoria facti operis non extaret. ff. eod. l. si arbitror. 28.

Imperatores Antoninus, & Verus A A Claudio A Polinari rescripserunt in hæc verba, PROBATIONES, QVAE DE FILIIS DANTVR, NON IN SOLA ADFIRMATIONE TESTIVM CONSISTVNT: SED ET EPISTOLAS, QVAE VXORIBVS MISSE ALLEGANTVR SI DE FIDE EARVM CONSISTAT NNNNVLLAM VICEM INSTRVMENTORVM OBTINERE DECRETVM EST, ff. eod. l. Imparatore, in prin.

Mulier grauida separato matrimonio filium enixa absente marito, vt Spurium in actis professa est: quæsitum est, in is in potestate patris sit: & matre mortua intestata, iussu eius hæreditatem, matris adire possit, nec obsit professio a matre irata facta? respondit. Scæuola ueritati locum super fore, dicta lege Imperatores, §. finali. Intellige secundum ius Canonicum.

Commemoratio in chirographo pecuniarum, quæ ex alia causa deberi dicuntur facta vim obligationis non habet, ff. eod. l. fin.

Census, & monumẽta publica potiora testibus esse, Senatus censuit, ff. e. l. cẽsus. x.

Ex persona collegæ aui vestri conueniri non debetis, si eundem allegam tempore depositi officii soluendo fuisse ostenderitis, C. eod. l. tertia.

Proprietatis dominum non tantum instrumento emptionis, sed ex quibuscunque aliis legitimis probationibus ostenditur, C. eod. l. quarta.

Instrumenta domestica, seu priuata testatio, seu adnotatio, si non aliis quoque adminiculis adiuuetur, ad probationem sola non sufficit, C. eod. l. quinta.

Exemplo perniciosum est, vt ei scripturæ credatur, qua vnusquisque tibi ad adnotatione propria debitorem constituit. unde ueque fiscum, neq; alium quemlibet, ex suis subnotationibus debiti probationẽ præbere oportet, C. e. l. septima.

Rationes defundi, quæ in bonis eius inueniũtur, ad probationem sibi debitæ quãtitatis solas sufficere non posse, sæpe rescriptum est. Eiusdem iuris est. & si in vltima uoluntate defunctus certam pecuniæ quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi significauit, C. eod. l. sexta.

Si quis rerum suarum descriptione facta, siue manu propria, siue per alios quidẽ conscripta, a se uero consignata, aut testamẽti suis tabulis indita substantiæ suæ modum declarauerit, fortè hęredibus vel partim absentibus, partim præsentibus, uel etiam omnibus præsentibus: non licet hæredibus hęc adnuere, aut di-

cere, quod extra ea, quæ à defuncto edicta sunt, hæredum aliquis bona compilauerit. Sed si moriturus iusiurandum præbeat, aut in testamenti suis tabulis abiuret, nihil sibi præterea super esse, hæredes hoc amplectebuntur, siue liberi, siue etiam extranei fuerint. neque curiosius ageant, aut calumniam intentabũt suis cohæredibus, nempe cum & is substantiæ modus esse uideatur, quem testator iuramento designarit, & hanc solam testator inter hæredes diuidi uoluerit. nouel. consti. de iureiur. quod moriens præsti. xlviii. §. sancimus.

Cæterum hæc quidem inter hæredes, qui iidem quodammodo cum defunctis esse uidentur, obtinent non æque tamen tantum, hoc est inter creditorem: cum dictum sit in legibus, quæcunque pro se quisque uel dixerit, uel scripserit, ea neque ipsi profutura esse, neque creditoribus paritura præiudicium. Quin illis licentia esto omnia perscrutari, quo uolunt modo hæredes uero insistere his, quæ a testatore edicta sunt, d. Nouel. const. §. cęterum.

Atque esto sane inter hæredes facti pœna, ne qui his aduersatur, omnino possit ipsis relictis perfrui, imminente his necessitate, ut uel omnibus obtemperent, vel omnia respuant, neque partim ea agnoscant partim oppugnent, sed testatoris uoluntas ita ab eius hæredibus custodiatur, vt in nullo ei aduersari audeant. d. Nouel. const. xlviii. §. atque esto.

Cum res non instrumentis gerantur, sed in hæc gestæ rei testimonium conferatur: factam emptionem, & in uacuam possessionem inductum patrem tuum, preciumque numeratum, quibus potes, iure proditis probationibus docere debes, C. eod. l. cum res. 12.

Cum te minorem quinque & viginti annis proponas: adire præsidem prouinciæ debes, & de ætate probare, C. eod. l. cum te. 9.

Non epistolis necessitudo consanguinitatis, sed natalibus, vel adoptionis solennitate coniungitur: nec aduersus absentem hæreditas diuidendę gratia, petitus arbiter substantiæ perimit veritatem. C. eod. l. non epistolis. 13.

Non nudis adseuerationibus, nec ementita professione (licet utriq; consentiant) sed matrimonio legitimo concepti, adoptione solenni filii ciuili iure patri constituuntur. Si itaque hunc, contra quem supplicas, alienum esse confidis: per te, uel per procuratorem adfirmationem eius falsam detege, C. eodem. l. non nudis. 14.

Si scriptum hæredem ob amita tua, uel de testamenti uitio, uel quacunque alia ratione non posse obtinere hæreditatem, probari à te posse confidis: de hac hæreditate apud rectorem prouinciæ agere potes, C. eod. l. si scriptum. xi.

Siue possidetis prædia, quæ à patre communi sibi fratres emancipati donata contendentes, vindicant: ipsis incumbit facti probationis necessitas, siue ipsis ea prædia quasi a patre vestro sibi donata tenentibus, vos hæredes constituti patris, petitis, vt intentionem vestram non constituisse detegant: vnde domini facti sunt, emergente quæstione, docere compelluntur, C. eodem. l. siue possidetis. 16.

Cum precibus tuis significes ignorante te prædium eum, cuius meministi, sibi velut a te donatum instrumentis inseri fecisse: si uera sunt, quæ indidisti: nec ad nomen factæ donationis fundus iste peruenitur. vnde adito iudice competẽti probare te oportet, contra voluntatem tuam hunc fundum instrumento aduersarium tuum sibi adscribi laborasse, ut possis consequi sententiam. C. eo. l. cum precibus. 18.

Ad probationem dominii vti, aliena subtrahentes instrumenta, minime possunt, quippe

quippe cum horum lectio non recitantes, sed quem tenor scripturæ designat, adiuuet. Cum itaque nec cætera probationem indicia reprobentur iure competenti: prædiorum, quæ in quæstionem veniunt, dominium ad te ostende pertinere. nam res vindicantem ab emptore, suos numeratos numeros adseuerantem, erga probationem laborare conuenit: siquidem huiusmodi, licet probetur, factum intentioni nullum præbet adminiculum, C. eodem. l. ad probationem. 21.

Omnes, qui scripturas suspectas comminiscantur, cum quid in iudicio promunt, nisi ipsi adstrinxerint ueritatem, vt nefariæ scripturæ rei & quasi falsarii sunt detinendi, C. eod. l. penul.

Sciant cuncti accusatores, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, uel indiciis ad probationem indubitatis & luce clarioribus, expedita, C. eo. l. fi.

Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio: probari vero, postquam actor monstrauerit, quod adseuerat oportet. C. eod. l. exceptionem. 19.

DE FIDE INSTRVMENTORVM AMISSIONE EORVM. Titulus V.

INstrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest, & ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur, ff. de fide instr. l. prima.

In exercendis litibus eandem uim obtinent tam fides instrumentorum quam depositiones testium, C. eod. l. in exercendis. xv.

Quicunque a fisco conuenitur, non ex indice & exemplo alicuius scripturæ, sed ex authentico conueniendus est: vt ita contractus fides possit ostendi. Cæterum calumniosam scripturam vim in iudicio obtinere non conuenit, ff. eodem. l. secunda.

Repetita quidem die cautionem interponi non debuisse: sed falsi crimen, quantum ad eos, qui in hoc consenserunt, contractum non uideri, Paulus respondit cum inter præsentes & conuenientes res acti nata, sit, magisque debitor, quàm creditor deliquerit. ff. eod. l. tertia.

In re hypothecæ nomine obligata, ad rem non pertinet, quibus sit uerbis, sicuti est in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur. & ideo & sine scriptura si conuenit, ut hypothecæ sit, & probari poterit, res obligata erit, de qua conuenerunt fiunt enim de his scripturę, ut quod actum est, per eas facilius probari possit, & sine his autem ualet, quod actum est, si habeat probationem, sicuti & nuptiæ sunt, licet testatio siue scriptis habita est, ff. eod. l. quarta.

Si res gesta sine literarum quoque consignatione ueritate factum suum præbeat, non ideo minus ualebit, quod, instrumentum nullum de ea ea intercessit, ff. eodem. l. penul.

SI de tabulis testamentis deponendis agatur, & dubitetur, cui eas deponi oportet semper seniorem iuniori, & amplioris honoris inferiori, & marem fœminę præferemus, ff. eod. l. fi.

Debitores tuos quibuscunq; rationibus debere tibi pecuniā si probaueris, adsolutionē compellet aditus p̄ses prouinciæ, nec oberit sibi amissio instrumētorum

ſi modo manifeſtis probationibus eos debitores eſſe apparuerit. C. eo. l. prima.

Illatæ pecuniæ ſi ob omiſſorum inſtrumentorum caſum probatione defeceris: inſpectio rationum fiſcalium fidem demonſtrabit, C. eod. l. quarta.

Sicut iniquum eſt, inſtrumentis in ignis conſumptis, debitores quantitatem debitarum renuere ſolutionem, ita non ſtatim caſum conquerentibus facile credendum eſt. Intelligere itaque debitis, non exiſtentibus inſtrumentis, vos uel alii argumentis probare, fidem precibus ueſtris adeſſe, C. eod. l. quinta.

Si ſolennibus ſtipendiis honeſte ſacramento ſolutus es, licet ſuper huiuſmodi re inſtrumenta (vt dicis) facta perdita ſint tamen ſi aliis euidentibus probationibus veritas oſtendi poteſt, veteranorum priuilegia etiam te vſurpare poſſe, dubium non eſt, C. eod. l. ſeptima.

Si conſtiterit proprietatem poſſeſsionis, de qua agitur, apud vos eſſe: prouidebit iudex ex perſona fructuariæ nullum præiudicium domino comparari propter amiſsionem inſtrumentorum, C. eod. l. 8.

Emancipatione facta, & ſi actorum tenor non exiſtat: ſi tamen aliis in dubiis probationibus vel ex perſonis vel ex inſtrumentorum incorrupta fide factam eſſe emancipationem probari poſsit: actorum interitu veritas conuelli non ſolet, C. eod. l. emancipatione. xi.

Apud eos, qui rem geſtam ignorauerant, amiſſorum inſtrumentorum habita teſtatio nihil ad probationem veritatis prodeſſe poteſt. C. eod. l. apud. 13.

Si vteris inſtrumento, de quo alius accuſatus falſi victus eſt, & paratus eſt (ſi ita viſum fuerit) a quo pecuniam petis, eiuſdem criminis te reum facere, & diſcrimen periculi pœnæ legis Cornelia ſubire: non oberit ſententia, a qua nec is, contra quem data eſt, appellauit: nec tu, qui tunc criminis non eras ſubiectus, appellare debuiſti, C. eod. l. ſecunda.

Si aduerſarius tuus apud acta præſidis prouinciæ, cum fides inſtrumenti, quod proferebat, in dubium reuocaretur, non uſuram ſe conteſtatus eſt: uereri non debes, ne ex ea ſcriptura, quam nec eſſe veram etiam profeſsione eius conſtitit, negocium denuo repetatur, C. eod. l. tertia.

Inſtrumentis etiam non interuenientibus, ſemel diuiſio recta facta non habetur irrita, C. eod. l. inſtrumentis.

Cum inſtrumentis etiam non interuenientibus uenditio facta rata maneat: conſequenter amiſsis etiam, quę interceſſerant, non tolli ſubſtantiam ueritatis placuit, C. eod. l. cum inſtrumentis. x.

Non idcirco minus, in uacuam inductus prædi poſſeſsionem donationis cauſa, quod eius facti prætermiſſum inſtrumentum adſeueratus, hanc obtinere potes. C. eod. l. non idcirco. 12.

Scripturæ diuerſę fidem, ſibi inuicem derogantes, ab vna eademque parte prolatæ nihil firmitatis habere poterant. C. eod. l. ſcripturæ. 14.

Contractus uenditionem, vel per mutationum, vel donationum, quas intimari eſt neceſſarium: dationes etiam arrarum, vel alterius cuiuſcunque cauſæ, quas tamen in ſcriptis fieri placuit, tranſactionem etiam, quas in inſtrumento recipi conuenit: non aliter vires habent, niſi inſtrumenta in mundum recepta, ſubſcriptionibusq; partium confirmata, & ſi per tabellionem conſcribantur, et ab ipſo completa, & poſtremo partibus abſoluta ſint: vt nulli liceat prius, q̃ hæc ita pceſſerint, uel a ſcleda conſcripta (licet literas vnius partis uel ambarũ habeat) vel ab ipſo mũdo, ꝙ necdũ eſt impletũ uel abſolutũ, aliq̃d ius ſibi ex eodẽ cõtractu vel trãſactione uindicare. Adeo, vt nec illud in huiuſmodi vẽditionibus liceat, dicere

dicere, quod pretio statuo necessitas venditori imponatur, uel contractum uenditionis perficere, vel id, quod emptoris interest. persoluere hoc addito, & si quæ arræ super facienda emptione cuiuscunque rei datæ sunt, siue in scriptis, siue, sine scriptis, licet non sit speciali ter adiectum, quid super his arris non procedente contractu oporteat fieri, tamen & qui vendere pollicitus est, venditionem recusans, induplum eas reddere cogitur, & qui emere pactus est, ad emptione recedens, datis à se arris cadat: repetitione earum deneganda. C.eod.l.contractus.16.

Plures apochis redituum perceptis si quando super his dubitatio fuerit exorta, eas habere se negando, ius agentium faciunt vacillare cum coloni ad dominũ certantes, & si iniquam forte libertatem vindicantes, ad easdem inficiationes perueniunt. Prouidendo igitur dispositum est, vt si voluerit is, qui apocham cõscripsit, vel exemplar cum subscriptione eius, qui apocha suscepit, ab eo accipere, vel antapocham suscipere: omnis ei licentia hoc facere concedatur necessitate imponenda apochæ susceptori antepocham reddere: ita tamen, vt si hoc is, qui apocham, conscribit, facere neglexerit, vel non curauerit: nullum ei præiudicium ex eo, quod antepocham non receperit, generetur: cum hoc quod pro quibusdam introductum est, inferre eis iacturam, minime rationi cõuenit æquitatis, C. de fide instr.l.plures.xviii.

Comparationis literarum ex chirographis fieri, & aliis instrumentis, quæ nõ sunt publice confecta, satis abunde quæ occasionem criminis falsitatis dare, & in iudiciis & in contractibus, manifestum est. Ideoque sancitum est. non licere comparationes literarũ ex chirographis fieri, nisi trium testium habuerint subscriptiones: vt prius literis earum fides imponatur, vel ex ipsis hoc deponentibus, siue cunctis, siue omnimodo duobus ex his, sine comparatione literarum testiũ procedente: & tunc ex huiusmodi chartula iam probata comparatio fiat. aliter etenim fieri comparationem nullo conceditur modo, licet in semetipsum aliquis chartam conscriptam proferat: sed tantummodo ex forensibus, vel publicis instrumentis, uel huiusmodi chirographis, quæ enumerauimus, comparationem trutinandam. Omnes autem comparationes non aliter fieri cõceditur, nisi iuramento antea præstito ab his, qui comparationem faciunt, fuerit adfirmatam: quod neque lucri causa, neque inimicitiis, neque gratia tenti huiusmodi faciunt comparationem, C.eod.l.comparationes.xix.

Cum quidam instrumentum protulerit, vel aliam chartulam, eique fidem imposuerit, postea autem persona, contra quam ista chartula vel instrumentum prolatum est, quasi falsum hoc constitutum redarguere nitatur: ne diutius dubitetur, vtrum necessitatem ei, qui protulit, imponi oporteat repetita vice hoc proferre an sufficiat fides iam adprobata: sancitum est, si quid tale eueniat eũ, qui petita eam chartam proferri, prius sacramentum præstare, quod existimans se posse falsum redarguere, quod prolatum est, ad huiusmodi veniat. Quid .n. si cũ nosset deperditam esse chartam, vel forte concrematam, vel alio modo diminutam hanc requiri adsimulans & ad difficultatem productionis respiciens, huiusmodi faciat petitionem? Et postquam hoc ab actore uel petitore fuerit iuratum, & inscriptionum pagina apud competentem iudicem deposita: tunc necessitatem imponi ei, qui protulit chartam, de qua quæritur, iterum eam apud iudicem criminis proferre quatenus possit apud eũ crimen falsitatis vẽtilari. Si aũt dicat sibi non esse possibile eam ostẽdere quia per fortuitos casus huius copia ei abrepta sit: tunc subeat sacramentũ, ꝙ nec habeat eandem chartulam,

nec alii eam dederit, nec apud alium uoluntate eius constituta sit, nec dolo malo fecerit, quominus appareat ea, sed reuera ipsa chartula siue omni dolo sit, deperdita, & productio eius sibi impossibilis sit. & si tale subeat sacramentum: ab huiusmodi necessitate relaxatur. Quod si prædictum iusiurandum subire minime maluerit, tunc quasi falsa chartula nullas habeat vires aduersus eum, contra quē ꝓlata est, sed sit penitus euacuata. neq;. n. vlterius pœna produci tuis cō tra eos qui nō iurauerint, cū forsitan quidam subtili reuerentia tenti, nec uerum sacramentum præstare patiuntur. Eadem autem copia ei præstatus, donec causa apud iudicem uentilatur. si. n. iam plenissimum finem accepit, & neq; per appellationem suspensa est, neque per solitam retractationem adhuc lis viuere separatur tunc satis durum est huiusmodi querellæ indulgeri: ne in infinitum cautæ retractentur, & sopita iam negocia per huiusmodi uiam iterum aperiant.

Ex nouella constitutione. lxxiij.

Si quis vult deponere: non solum scripturæ depositum recipientis fidem habeto, sed etiam testes aduocato quod ad fieri potest, graues & fide dignos, non minus quam tres, ne de scriptura tantummodo & eius per comparationem examinatione pendeatur sed suppetat quoque a testibus auxilium: quippe talia testimonia desiderantur, in quibus prodeuntes testes dicant, se præsentibus subscripsisse, eum qui instrumentum confecerat, quodque id ita factum sciant. Nouel. cōsti. lxxiii. Quomodo instr. &c. siue de instr. caut.

Sed & si quis instrumentnm mutui, aut alterius contractus conficiat, neque id uelit componi in foro, non suapte natura pro mutuo dato scriptum instrumentū fidem habere uidetur, nisi & fide dignorum non minus quam trium testium habeat præsentiam ut siue ipsi prodeant, & suis testimonium præbeant subscriptionibus, siue alii quidam testificentur, se præsentibus instrumentum esse ita compositum, utroque modo contractus fidem accipiet, non quod penitus reiicienda sit ipsa scripturæ per comparationem examinatio, sed quia sola non sufficit, & per accessionem testium confirmanda est, d. Nouel. const. lxxiii. §. sed & si quis.

Certe si usu veniat & aliud quidem præ se ferat literarum comparatio, aliud autem testimonia: tunc quidem quæ viua voce & cum iuramento proferuntur, multo fide digniora sunt quam ipsam per se scripturam nihilominus tamē hoc adiudicantis prudentiam simul & religionem pertinebit, vt ueris potius fidē habeat, quam istiusmodi. d. Nouel. const. lxxiii. §. certe si usu.

Verum si quis cum uel deponit, uel mutuam dat, vel aliter contrahit, contentus sit sola scriptura eius, qui cum contrahit, eo loco erit, vt sciat, se fiduciam contraxisse, & de illius fide se totum pendere. Et quamquam formę & scriptura sufficiens fides apponi non uideatur: non tamen quod ita gestum est, irritum redditur: vt maxime testium præsentia, coram quibus contractum celebratus est, aut extremum forte eius rei refugium, quod scilicet ex iuramentis peti solet, opē illis non ferat. d. Nouel. const. lxxiii. §. verum enim uero.

Sed & si instrumenta in foro & publice conficiantur, licet per tabelliones absoluta sint: assumunto tamen & ipsa, antequam summa imponitur manus, scriptis designatam testium prẹsentiam, oportet vero iudices conari, vt si qua chartis signa adscripta inuenerint: ipsa quoque disquirant, & recognoscant, cum ex illis etiam multa elucescant. neque temere scripturam fidem ex aliarum comparatione admittere. d. Nouel. const. lxxiii. §. sed & si.

Certè si ad unum omnes testes mortui sint, aut etiam absint fortè, aut alioqui per testes, qui subscripserũt, fidem imponere facilè non sit, neq; tabellio, qui id absoluit (siquidem forense & publicum fuit) superstit, vt à se confectis præstare testimonium possit, aut non agat domi, vt per omnia necesse sit comparationem literarum, vel eorum, qui absoluerunt, vel qui subscripserunt, assumere: tunc æquum est ad literarum collationes progredi (neq; enim in vniuersum prohibentur) vt tamen cum summa & exactissima diligentia procedant. & si fidem illis habendam putauerint: & iusiurandum deferant proferenti, quod neq; vllius sibi in prolato à se instrumento peruersitatis conscius, neq; quo magis circa collationem fraus aliqua admitteretur, annisus, in hoc tantum eo vtatur, vt neq; omnino quidquam perimatur, & per omnia rebus addatur certitudo, d. nouel. const. 73. §. certè si ad unum.

Sanè in instrumentis, quæ in foro & publicè conficiuntur, si quidem tabellio progressus, iuramento præstito testetur, non per se, sed per quendam suorum ministrorum id conscripsisse: progreditor & ille, si quidem superest, & omnino possibile est, vt veniat, neq; causa alia ꝑgressum eius impediat, fortè vehementior morbus, aut alioqui casus fortuitus, quales multi obuenire solent hominibus, d. nouel. 73. §. sanè in instrumentis.

Si autem instrumentum & numeratorem habeat: accedito & ille, vt iam tres sint, qui testentur non unus, si uero neq; numerator accessit, & tabellio instrumentum ipse totum per se conscripsit, & absoluit, aut etiam, qui id conscripsit, vel abest, vel alias adesse nequit: ipse (cum iuramento tamen) confessioni à se absolutæ testimonium præbeto, ne locum habeat collatio. Et sunto instrumenta sic etiam fidei plena. Nam testimonium viua uoce absoluentis prolatum, & adiunctum habens iusiurandum, vtiq; causæ non nihil adferat momenti, d. nouell. const. 73. §. si autem.

Cæterum si tabellio mortuus fuerit, & absoluti instrumenti testimonium habeatur ex alterius comparatione: siquidem ita quoq; superstitem habeat eum, qui illius mandati instrumentum composuit, & item numeratorem prodeunto, & illi, si domi agant, & scriptum tam ex comparatione eorum per quæ ab illo instrumenta absolui consueuerunt, quam per testes fidem obtineto, d. nouel. consti. 73. § cæterum.

Si nemo horum sit: tunc peragitor quidem eorum, quæ instrumentum absolutum ostendunt, inter se comparatio. sola autem hæc non sufficiunto, sed insuper, & aliorum, qui vel alioqui subscripserunt, vel etiam contraxerunt, scripturæ examinator: vt ex multis comparationibus, tam eius, quod instrumentum absolutum ostendit, quàm eorum, qui vel subscripserunt fortè, vel etiam cõtraxerunt vna quædã ex omni parte fides colligatĩ efficiaturq;, d. nou. const. 73. §. si nemo.

Si nihil aliud inueniatur, quam instrumentorum inter se comparatio, quod vsq; adhuc obtinuit, procedito: vt qui id instrumentum ad peragendam cum aliis comparatione profert, solenniter iuret. Vt autem omnino ea res additamentum quoddam accipiat: ac maiorem rei fidem faciendam insuper, & is, qui hæc fieri desiderat, iurato quod omni alia probatione destitutus, ad instrumentorũ inter se comparationem deuenerit, neq; circa hanc quidquam egerit, aut machinatus sit, quod probabiliter fortè ueritatem possit abscondere. Atq; his cõtrahentis liberari, ipsis in manu est, si velint, & vtriq; in hoc conueniant, ut instrumenta insinuent, & apud acta profiteantur, quo magis ipsi contrahentes perfidia, & adulteratione, & falsitatibus liberentur: his, quæ de literarum com-

parationibus ex instrumentis priuata manu conscriptis peragendis, iam sancita sunt, in sua virtute manentibus; proculdubio & in his, qui literas nesciunt, quæ olim valent in iudiciis, suum robur obtinentibus, simul atq; ex iudiciali forma talia conuenientem examinationem ceperunt, d. nouel. consti. 73. §. si nihil aliud inueniatur.

Oportet autem in his, qui literas nesciunt, per omnia tabularios simul (in quibus scilicet locis sunt tabularii) & testes adhiberi, maximè autem testes, qui contrahentibus ignoti nō sint: quo magis illi quidem pro literarum imperito, aut parum literis instructo scribant, hi verò testentur se etiam præsentibus ista confecta esse, quodq; ipsum in re præsenti aspexerint. Et ita demum horum instrumentorum fides suscipiatur: cum perspicuum sit, in talibus infra quinq; testes adhibendos non esse, inter quos etiam is erit, qui pro contrahente, vel totum, vel post paucas in chartam ab illo collocatas literas scribit, ne quid omnino de summa diligentia, a subtilitate intercidat, d. nou. const. 73. §. oportet autem.

Atq; hæc de contractibus loquimur scriptura interueniente celebratis. Nam si quis sine scripto qualemcunq; celebrare contractum voluerit: dubium non est, quin uel per testes, vel per delatum & præstitum iuramentum fidem accipiat, actore quidem producente testes, reo vero iuramentum vel subeunte, vel referente, prout iudex causam ordinauerit, ne uel ex his aliquid emendatione careat, d. nouel. const. 73. §. atq; hæc.

Porrò illud quoq; legi apponere pulcrum fuerit, ut si intra unam auri libram contractus versetur, ne istiusmodi in hoc obseruatio custodiatur: sed secundum id, quod vsq; adhuc in Republica obtinuit, res peragatur: ne exiguis de rebus magnas homines attritiones sufferant, d. nou. const. 73. §. porrò.

DE TESTIBVS. Tit. VI.

Testimoniorum vsus frequens ac necessarias est, & ab his præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat. Adhiberiq; testes possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniariis litibus, sicubi res postulat: & hi, quibus non interdicitur testimonium, nec vlla lege à dicendo testimonio excusantur. Quanquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus est: tamen ex constitutionibus principum hæc licentia ad sufficientem numerum testium coartatur: vt iudices moderentur, & eum solum testium numerum, quem necessarium esse putauerint, euocari patiantur: ne effrenata potestate ad uexandos homines, superflua multitudo testium protrahatur, ff. de testibus, l. prima.

In testimoniis autem fides, dignitas, mores, grauitas examinanda est. & ideo testes, qui aduersus fidē testationis suæ uacillant, audiendi non sunt, ff. eo. l. scda.

Testium fides diligenter examinanda est, ideoq; in persona eorum exploranda erant: in primis conditio, cuiusq;: vtrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpatæ uitæ, an uero quis notatus & reprehensibilis: an locuples, vel egens sit, vel lucri causa, quid facile admittat: uel an ei inimicus sit aduersus quem testimonium fert, vel amicus ei, pro quo testimonium dat. Nam si careat suspicione testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit, vel propter causam, quod neq; lucri, neq; gratię, neque inimiciriæ causa fiat: admittendum est, ideoq; Diuus Hadrianus Iunio Varo legato prouinciæ

Ciciliæ

Ciciliæ rescripsit: eum, qui iudicat, magis scire posse; quanta fides habenda, sit testibus. Verba epistolæ hæc sunt. TV MAGIS SCIRE POTES, QVANTA FIDES HABENDA SIT TESTIBVS. QVIN ET CVIVS DIGNITATIS, ET CVIVS EXISTIMATIONIS SINT: ET QVI SIMPLICITER NISI SVNT DICERE, VTRVM VNVM EVNDEMQVE ET PRAEMEDITATVM SERMONEM ATTVLERINT: AN AD EA, QVAE INTERROGAVERAS EX TEMPORE VERISIMILIA RESPONDERINT, ff. eo. l. tertia, in prin.

Quæ argumenta, ad quem modum probandæ cuiq; rei sufficiant nullo certo modo satis definiri potest. sicut non semper, ita sæpe sine publicis monumentis cuiusq; rei veritas deprehenditur: alias numerus testium, alias dignitas & authoritas aliàs veluti consentiens fama confirmat rei de qua quæritur, fidem. hoc ergo solum scribi potest summatim: non vtiq; ad unam probationis speciem cognitio statim alligari debet, sed iudex ex sententia animi sui existimare oportet quid, aut credat, aut parum probatū sibi opinetur, d. l. tertia, §. eiusdē quoq;.

Item Diuus Adrianus Iunio Rufino proconsuli Macedoniæ rescripsit, testibus se; non testimoniis crediturum. Verba epistolæ ad hanc partem pertinentia hæc sunt. QVOD CRIMINA OBIICIEBAT APVD ME ALEXANDER A PRO, ET QVIA NON PROBABAT, NEC TESTES PRODVEBAT, SED TESTIMONIIS VTI VOLEBAT, RELEGARETVR, d. l. tertia, §. idem Diuus.

Gabinio quoque Maximo in hæc verba, idem princeps rescripsit, ALIA EST AVTHORITAS PRAESENTIVM TESTIVM, ALIA TESTIMONIORVM, QVAE RECITARI SOLENT. TECVM ERGO DELIBERA, VT SI DETINERE EOS VELIS DES EIS IMPENDIA, d. l. tertia, §. Gainio.

Lege Iulia de ui cauetur, ne hac lege testimonium dicere liceat ei, qui impubes erit: quiq; iudicio publico damnatus erit, qui eorum in integrum restitutus non erit: quive in vinculis, custodiave publica erit: queve palàm quæstum faciat, feceritve, quive ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse iudicatus, vel conuictus erit. nam quidam propter reuerentiam personarum, quidam propter lubricum consilii sui, alii verò propter notam & infamiā vitæ suæ, admittēdi non sunt ad testimonii fidem, d. l. testiū, §. lege Iulia.

Testes non temere euocendi sunt per longum iter: & multo minus milites auocandi sunt à signis, vel muneribus, perhibendi testimonii causa. idq; Diuus Adrianus rescripsit, sed & si Diui Fratres rescripserunt. Quod ad testes euocandos pertinet: diligentiæ iudicantis est explorare, quæ consuetudo in ea prouincia, in qua iudicat, fuerit: nam si probabitur, sæpe in aliam ciuitatem testimonii gratia plerosq; euocatos: non est dubitandum, quin euocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit, qui iudicat, d. l. tertia, §. testes.

Lege Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denuncietur, ut testimonium litis dicat aduersus socerum, generum, uitricum, priuignum, sobrium, sobriam, sobrinove natum, eosve, qui priore grada sint, ff. eod. l. quarta.

In legibus, quibus excipitur, ne gener, aut socer inuitus testimonium dicere cogatur: generi appellatione sponsum filiæ, quoque contineri placet: item soceri sponsæ patrem, ff. eo. l. quinta.

Idonei non uidentur esse testes, quibus imperari potest, vt testes fiāt, ff. eo. l. sexta.

Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est, ff. eo. l. testis, ix.

Parentes

Parentes, & liberi inuicem aduersus se, nec volentes ad testimonium admittendi sunt, C. eod. l. quinta.

Etiam iuri ciuili domestici testimonii fides improbatur, C. eo. l. secunda.

Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem iusta summouerunt, C. eodem, l. omnibus, ix.

Inuiti testimonium dicere non coguntur, senex ualetudinarii, uel milites, uel illi, qui cum magistratu Reipublicæ causa absunt, vel quibus uenire non licet, ff. eod. l. inuiti, viii.

Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, ff. eo. l. nullus, x.

Ad fidem rei gestam faciendam ēt non rogatus testis intelligitur, ff. eo. fidem, xi.

Vbi numerus testium non adiicitur, etiam duo sufficient. pluralis enim locutio duorum numerum contenta est, ff. eo. l. ubi numerus, 12.

Quæsitum est, an in publicis iudiciis calumniæ danti, testium iudicio publico perhibere posint, sed neq; lege Remnia prohibentur: & lex Iulia de ui, & repetundarum, & peculatus, eos homines testimonium dicere non uetuerunt. veruntamen quod legibus omissum est, non omittetur religione iudicantium, ad quorum officium pertinet, eius quoq; testimonii fidem. quod integræ prontis homo dixerit, perpendere, ff. eo. l. quæsitum, 13.

Tractatum est, an ad testamentū faciendum adhiberi posit adulterii damnatus. Et sanè iustè testimonii officium interdictum erit, & ergo neque iure ciuili testamentum ualebit ad quost huiusmodi testis processit: neq; iure prætorio, quod ius ciuile subsequitur: & neque hæreditas adiri poterit, ff. eodem. l. scio quidem, xiiii.

Sola testatione prolatam, nec aliis legitimis adminiculis causam adprobatam nullius esse momenti, certum est, C. eo. l. tertia.

Eos testes ad ueritatem adiuuandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ & potentatui fidem religioni iudiciarum debitam posint proponere, C. eod. l. quarta.

Nimis graue est, quod petitis urgeri partem aduersam ad exhibitionem eorum, per quos sibi negocium fiat. vnde intelligitis, quod intentionis uestræ proprias adferre debetis probationes, non aduersus se, ab aduersariis adduci, C. eodem. l. sexta.

Iusiurandum religione testes prius, quàm perhibeant testimonium, iamdudum artari præcipitur, & ut honestioribus potius testibus fides habeatur. simili modo sancitum est, vt unius testimonium nemo iudicum in quacunque causa facilè patiatur admitti. & disponitur vt unius omnino testis responsio non audiatur, etiam si præclaræ curiæ honore profulgeat, C. eo. l. octaua.

Quoniam testes ad causas postulantur alienas, si socii & participes criminis non dicantur, sed fides ab his notitiæ postulatur: in exhibitione necessariarum personarum, hoc est testium talis debet esse cautio iudicantis, ut his uenturis ad iudicium per accusatorem, vel ab his, per quos fuerant postulari, sumptus competentes dari præcipiant. Idem iuris est, & si in pecuniaria causa testes ab alterutra parte producendi sunt, C. eo. l. quoniam, x.

Si quis testium usus fuerit, iidemq; testes aduersus eum in alia producantur: nō licebit ei personas eorum excipere: nisi ostenderit inimicitias inter se, & illos postea emersisse, ex quibus testes repelli leges præcipiunt: non admittenda, s. ei licentia, ex ipsis depositionibus testimonium eorum arguere, sed & liquidis probationibus datione vel promisione pecuniarum eos corruptos esse ostenderit: etiam eam allegationem integrā ei seruare p̄cipitur, C. eod. l. si quis, 13.

Cum

Cum apud compromiſſarios iudices teſtes fuiſſent producti, variatum erat vtrũ deberet eorum depoſitionibus in iudicio litigator vti, an non eſſet audiendus. Vnde ſancitum eſt, ſiquidem in compromiſsi aliquid pro huiuſmodi cauſa ſtatutum eſt, hoc obſeruari, ſinautem nihil conuentum eſt in huiuſmodi caſibus: ſiquidem ſuperſint teſtes: licentiam habere eum, contra quem depoſitiones eorum proferantur ſi eos accuſauerit, concedere teſtes iterum aduci, & non opponi eis, quod iam teſtimonium ſuum dederint, vel ſi hoc concedere minimè maluerit: depoſitiones eorum quaſi factas accipere: omni iure legitimo, quod ei competit, aduerſus eas ſeruato. ſinautem ab hac luce omnes ſuo tracti ſunt: nunc neceſsitatem ei imponi, fide ſcripturæ adprobata, in qua depoſitiones eorum referuntur, eas quaſi factas accipere, ſi uero res permiſtæ fuerint, & quidam ex his mortui, alii uiuentes: tunc inſuperſtitum quidem teſtimoniis eandem electionem ſeruari litigatori, aduerſus quem teſtimonia proferuntur. In morientium autem perſonas depoſitiones eorum non eſſe reſpuendas: omni, aduerſus eas & teſtes, legitimo iure, quod ei competit, aduerſus quem proferuntur, integro reſeruato, C. eo. l. fin.

Ex Nouella conſt. XC. de teſtibus.

Sancitum eſt, vt qui in teſtimonium adhibentur; illæſa exiſtimatione ſint, atq; tales, qui ob conſtantem ſibiq; conſentientem famam dignitatis, militię, opulentiæ, aut profeſsionis omnem longe calumniam ſuperent, aut ſi tales non ſint, ſaltem ab aliis, quod fide digni exiſtant, teſtimonium habeant: non autem ſedentarii, aut humi repentes, & prorſus reiectæ condicionis homines ad dandum teſtimonium procedant, ſed quorum ſtudia facile poſsint (ſi quid incidat dubii) eorum uitam, qui ad dicendum teſtimonium acceſſerunt, inculpatam ac honeſtam oſtendere. Nouel. conſt. de teſtibus, xc. §. corroborantes.

Si vero ignoti ſint, & vndequaq; obſcuri, videanturque omnino aliquid de ueritate in proferendo teſtimonio corrumpere voluiſſe: poſſunt etiam tormentis ſubiici, & iudices, qui cum magiſtratu ſint, ipſi hoc faciant. hæc ſaltem fini nihil de veritate ocultent, aut hac etiam ratione deprehendantur accepta pecunia teſtimonium dixiſſe, aut alioqui dolo circa ipſam verſari eſſe, d. nouel. conſti. de teſtibus, §. ſi uero.

Si debitum ſcriptura interueniente contractum ſit, ſolutionis, ſine ſcriptura celebratæ ptobatio per teſtes tantum prætendatur à litigatoribus, ea apud iudices tunc demum ſuſcipitur eum ad hoc ipſum teſtes aſſumpti ſunt, ut celebratæ ſolutioni: vel mentioni eius, quod facta iam aliqua ſit ſolutio, cum id ille, qui pecuniam inſolutum acceperat, profiteretur, homines fide digni teſtimoniũ præberent, aut etiam ſuo teſtimonio manifeſtum facerent. Vana autem illa, & veluti per tranſennam atque obiter concepta teſtimonia nulla ratione obtinent: nec huiuſmodi fugiant teſtimonia, quod cum per aliam quandam neceſsitatem interueniſſent, audierint hunc dicentem, accepiſſe ſe ab hoc aurum inſolutum, aut ſe huic debere. manifeſtè enim ea ſuſpecta ſunt ex nullius eſſe precii eſſe videntur. & maximè ſi cum magnæ pecuniæ ſumma ſoluta eſſe diceretur duo tantum tabularii ſe id audiſſe aiebant, nullo teſte præſente, quamquam debitum ſcriptura intercedente contractum eſſet, & is, qui ſolutionem peregerat, ſciret ſcribere, poſſetque per propriam ſcripturam iſta manifeſta facere.

Quapropter

Quapropter neq; huiusmodi testimoniis, neq; confeßionibus iurato apud tabularios (vt diximus) depositis credimus, vbi literarum peti sunt, qui iurato confeßionem deposuisse dicuntur, cum in manu sit, vel scribere, vel constituto iudicio id profiteri, & negotio fidem extra omnem controuersiam positam tribuere: ET exigitur, vt testes ab eo, qui producit ad hoc ipsum rogati sint, & hoc testimoniis comprobetur, sintque (quemadmodum in testamento moris est) & ipsi rogati & existimatione illæsa, negocium quæ ita demum per ipsos probationem suscipiat, non vero testimonium solo audito obiter conceptum, nullam testium præsentiam, & in iudicio factam depositionem, & subscriptionem habens de cætero ualeat, d. nou. const. §. & quamuis.

Si qui planè contraria sibi ipsis, aut inter se pugnantia protulerint, maximè ad eam rem iudices aduertant animum, & si circa potiorem causæ partem testiũ contrarietates deprehenderint, istiusmodi testimonia reiiciant, his solis intenti, quæ à pluribus & maiore fide dignis prolata sunt: si dedita opera dolo uideantur agere, & ea occasione in contrarietatem incidere, ne impunitos eos relinquant, si destinata malitia, non (ut potest fieri) errore aliquo contraria dixisse comprobati fuerint, d. nouel. const. §. si qui planè.

Si ab eo, qui testes produxit, & iis renunciatur: testificataq; percepit, testes petantur, iudices hos non admittent nimirum existente suspicione nè quando ille, si priores quid omisserint, quod per publicationem testimoniorum manifestũ factum sit, non iam productionem testium, sed priorum vel non testificatorum quandam appendicem, vel testificatorum emendationem appetat, d. nouell. consti. §. quia vero.

Cæterum si is, qui testes produxit, testificata non percipiat, neque eorum habeat inspiciundi copiam, neque ipse, neque aliquis aduocatorum eius, aduersarius vero præceperit solus, & exceptiones aduersus ea opposuerit, non ei tamen, qui tertiò iam producendorum testium potestatem nactus est, hasce edat, quominus is, qui hosce produxit per exceptiones re comperta, ea denuo, quæ testificatis suis desunt, apponat, tunc quarta etiam productio testium hanc petenti dãda est: præstito prius ab ipso iuramento, quod testificata, neque perceperit, neque horum inspiciundi copiam habuerit, neque ipse, neque aliquis aduocatus, quive eius gerat negocia: neque dolo aliquo, aut machinatione, aut arte quartam testium productionem fieri petat, sed quia testimoniis per denunciationem petitis prius vti non potuerit. Ac si id factum fuerit, vsq; ad quartam quidam productionem testium licentia sit, vti testibus, sed non post longum temporis interuallum, ne per hanc causam lites nimium protrahantur, sed omnino ipsis quædam adhibeatur celeritas, prout iudex id faciendum putauerit, d. nouell. const. §. cæterum.

Illud sanè in confesso est, quod si quis vel semel, aut bis duntaxat productis testibus, renunciatione facta, testificata percipiat consideretque, vel exceptionibus aduersus ea ab aduersario propositis, ipse his perceperit, exindeque testificata perdidicerit: nullam omnino licentiam habebit, ut ulterius testium productione utatur, neq; si sacra hoc iusio adiecerit, d. nou. const. §. illud sanè.

Si quis hic litem exerceat, necesseq; habeat certam litis partem comprobare in prouincia, licet iudice decernendæ, & sufficiens spacium temporis definiente testes producere in prouincia & translatis actis causam huc remittere, quo ab eodem disceptetur iudice. Et hoc propter maiorem copiam probationum. Vt tamen testificata in ipsis prouinciis non edantur, sed gesta quæ traduntur testes producen-

producentibus, aut eorum aduersariis, apud actorum publicorum monumenta sigilla suscipiant, & ita vel huc, vel in prouincias à iudicibus remittantur: ne quando (ut potest fieri) causæ natura aliis porrò testibus indigeat, & propter editionem testium excludatur accessio, d. nouel. const. §. porrò.

His omnibus intelligendis in causis pecuniariis, in criminalibus enim vbi de maximis rebus versatur periculum, omnibus modis necesse est, testes prodire in conspectum iudicis, & ibi, quæ comperta habent, ac cognita edocere: quo casu forte & tormentis & cuicunq; alii obseruationi locus erit, & occasio, d. §. porrò. l. his omnibus.

Et quod dispositum est in testibus, etiam seruatur in illis, qui prolatis instrumentis fidem adhibere exiguntur, vt si poposcerint in aliis locis, id eis facere permittatur. & hoc si iustè peti iudex inuenerit: proferatur sententia, ut in testibus, vt postquam in locis opportunis fides instrumento data, vel minus data fuerit, referatur negocium ad priorem iudicem, C. de fide instru. l. iudices, 17.

Insuper si quis eum, qui ad dicendum prodit testimonium, inimico aiant contra se esse animo, & fortè ab ipso in crimen publico postulatam iudicio, si protinus ostendatur criminalem inter ipsos causam agitari: non procedito inter testes is, qui in tantum alienato ab hoc est animo, ut etiam de crimine ipsum publico postulet iudicio. si alioqui inimicitias alere dicatur, aut actione contendere pecuniaria: non prohibetur, quominus is testetur. huiusmodi tamen quęstiones in tempus exceptionum reseruantur, d. nou. const. §. insuper.

Si vtraque pars in testimonium eius, qui mediator illorum factus est, consentiat, seque contentos fore his, quæ dixerit, vel inuitus ipse testimonium perhibere compellitur, d. nouel. const. §. præterea.

Si querela proposita ab aliquabus, quod ad hoc contra leges tractati, aut alioqui affecti iniuria, damnove inuoluti sint, velint eius rei testes sistere. at ne posterius ipsius obiiciatur, quod gesta ex una tantam parte constiterit: oportet & illum in eadem degentem vrbe, vbi præstantur testimonia, à præside, aut defensore ciuitatum, sistendis interesse testimoniis. Nam Sācitum est, vt huiusmodi testimonia, ita obtineant, quasi non ex una parte affectæ, sed ipso etiam præsente perfectæ essent. Nam si venire recuset, neq; velit audire, quæ à testibus deponuntur, quæq; insuper deposita supplicātur, non ex ineuitabili aliqua necessitate accedere impeditus: perinde futurus est, ac si interuenisset: neq; aliquam ex contumacia sua utilitatem sentiet, sed uideatur collato quodammodo pede cominus inter se constitisse, quæcunq; vero illi exceptiones competent his arbitratu suo utitor: eo solo opponi nequeunte, quod cum à testimoniis audiendis obstinatione quadam animi se ipsum absentarit, per contumaciam eius ex una tantum parte factæ uideantur, d. nouel. const. §. scimus deniq;.

Finis Libri Secundi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Tertius.

QVOMODO ET QVANDO IVDEX SENTENTIAM PROferre debeat præsentibus partibus, vel vna parte absente. Tit. I.

NON semper compellitur iudex aduersus absentem pronunciare propter subscriptionem Seueri Imper. quia significauit etiam contra absentes sententiam dari solere. id. n. eo pertinet, vt etiam absentem damnare possit, non vt omnimodo necesse habeat, C. quo. & quando iudex, l. prima.

Ab eo iudicato recedi non potest, quod uobis absentibus & ignorantibus atq; indefensis dicitur esse prolatum, si ubi primum cognouistis, non illicò de statutis querelam detulistis. ita enim firmitatem sententia, quæ ita prolata est, non habebit, si ei non sit commodatus ad sensus, C. eo. l. tertia.

Si (vt proponis) pars diuersa, die feriato, absente, vel ignorante te à iudice dato, ferri sñiam pro partibus suis, quasi contumaciter deesses impetrauit: nō immeritò pses denuo negociū alterius iudicis notioni terminādū cōmisit, C. e. l. iiii.

Si (vt proponis) præses prouinciæ, cùm certum locum causæ cognoscendæ dedisset, alibi per obreptionem aditus, sententiam aduersus te absentem protulit quod ita gestum est, ad effectum iuris spectare minimè oportet, C. eo. l. quinta.

Si præses quasi desertam ab adultis tuis causam appellationis, q̃ ab adiutore suo acta fuerat, circunduxit eo tempore, quo adulti curatores non habebant repetitus notionem suam exhibebit. neq; n. debet adultis nocere, quidquid eo tpe statutū est, q͂ defensione iusta & curatorio auxilio fuerāt destituti, C. e. l. sexta.

Ea, quæ statuunt aduersus absentes, non p contumaciam, s. denuntiantibus, nequaq̃ ex more cōuentos, iudicatæ rei firmitatē nō obtinere, certū est, C. e. l. septim.

Consentaneum iuri fuit, temporibus ad præsentiam diuersæ partis præscriptis, præsidem prouinciæ (impleta iuris solennitate, & aduersario tuo trinis literis, vel uno pro omnibus peremptorio edicto, ut præsentiam sui faceret, commonefacto) si in eadem contumacia perseuerauerit, præsentis allegationes audire. quod vel successor eius facere curabit. A quo ter citatus, si contumaciter p̃sentiam sui facere neglexerit, non ab re erit, vel ad cogendum eum, ut sese representet, vel possessionem bonorum, cui incumbit, ad te transferre, & aduer

sarium

ſarium petitorem conſtituere: vel auditis defenſionibus tuis id, quod iuris ratio exegerit iudicare, C.eo.l.conſentaneum.8.

Tres denuntiationes ad peremptorii edicti uicem aduerſus contumaces conualeſcere, ſalubriter ſtatutum eſt. C.eo.l.tres, ix.

Cum non uoluntatis tuæ arbitrio, ſed neceſsitate profectus ſis: quid quid contra te abſentem ſtatutum fuerit, quando abſentiæ cauſa neceſſaria fuit, officere tibi iuris ratio non permittit. C.eod.l.penul.

Cum præſentibus partibus litem inchoatam proponas: ſi poſtea, quàm contra te, licet abſentem, pronunciatum eſt; præfinitum diem non appellaſti: latam ſententiam reſcindi poſtulanti multæ ſacræ conſtitutiones refragant̃, C.eo.l. fina.

DE SENTENTIIS, EX BREVICVLO RECITANDIS. Titulus II.

ARbitris nulla ſententia eſt, quàm ſcriptam edidit litigatoribus ſi nõ ipſe recitauit, ſi igitur nihil fallis: omiſſa prouocationis mora, ex integro iudicari, impetrabis à rectore prouinciæ, C.de ſent. ex breui. reci.l.prima.

Ordinandum eſt, vt iudices, quos cognoſcendi & pronunciandi neceſsitas tenet, non ſubitas, ſed deliberatione habita poſt negocium ſententias ponderatas ſibi ante forment: & emendatas ſtatim in libellum ſecuta fidelitate conferant, ſcriptasq́; ex libello partibus legant, ſed nec ſit eis poſt hac copia corrigendi vel mutandi: exceptis tam viris eminentiſsimis præfectis prætorio, quàm aliis illuſtrem adminiſtrationem gerentibus, cæterisq́; illuſtribus iudicibus, quibus licentia conceditur, etiam per officium ſuum & eos, qui miniſteriũ ſuum eis accommodant, ſententias definitiuas recitare, C.eo.l.ſecunda.

Statutis generalibus vniuerſi iudices, quibus reddendi iuris in prouinciis permititur facultatem, cognitis cauſis debent ultimas definitiones deſcripti recitatione proferre, & huic adiicitur ſantioni, ut ſententia, quæ dicta fuerit, cũ ſcripta non eſſet, nec nomen q̃dem ſñiæ appellationis ſolennitas req̃rat̃, C.eo.l.fi.

DE SENTENTIIS, ET INTERLOCVTIONIBVS OMNIVM iudicium. Tit. III.

NOn uidetur rationem habere ſententia deceſſoris tui, qui cum cognouiſſet inter petitorem, & ꝓcuratorem, non procuratorem, ſed ipſam dominam litis condemnauit, cuius perſona in iudicio non fuit. potes igitur, vti re integra, de cauſa cognoſcere, C. de ſent. ex interloc. om. iud. l. prima.

Si arbiter datus à magiſtratibus, cum ſñiam dixit, in libertate morabat̃: q̃uis poſtea in ſeruitutẽ depulſus ſit: ſñia tñ ab eo dicta, hẽt rei iud. authoritatẽ, C.e.l.2.

Præſes prouinciæ non ignorat definitiuam ſententiam, quæ condemnationem, vel abſolutionem non continet pro iuſta non haberi, C.eo.l.tertia.

Prolatam à præſide ſententiam contra ſolitum iudiciorum ordinem, authoritatem rei iudicatæ non obtinere, certum eſt, C.eo.l.quarta.

Cum eorum, qui principaliter fiſco tenebantur, bona ea lege fideiuſſoribus procurator tradi iuſſerit, vt ipſi indemnitatem fiſco præſtarent, nec à ſententia eius interceſſerit ꝓuocatio: conſequens eſt, datæ formæ obtemperari, C.eo.l.q̃nta.

Cum ſententia præſidis irritam eſſe dicis, quod non publicè, ſed in ſecreto loco, officio eius non præſente, ſententiam ſuam dixit: nullum tibi ex iis, quæ ab eo decreta ſunt, præiudicium generandum eſſe conſtat, C eo.l.ſexta.

Ex ſtipulatione parta actione, paciſci proximis perſonis ſuadendo, præſes prouin-

ciæ verborum obligationem, quam certo iure tolli tantum licet, extinguere nõ potest: nec uox omnis iudicis iudicati continet authoritatem, cum potestatem sententiæ certis finibus concludi, sæpe constitutum sit: quapropter si nihil causa cognita secundum iuris rationem pronunciatum est, vox pacisci suadentis præsidis actionem ꝑimere (si quam habuisti) minimè potuit, C. eo. l. septima.

Post sentētiam, quæ finibus certis concluditur ab eo, qui pronunciauerat, vel eius successore, de quæstione, quæ iam decisa est, statuta rei iudicatæ non obtinent authoritatem. nam nec de possesione pronunciata proprietati ullum præiudicium adferrunt, nec interlocutiones ullam causam plerunq; permisit, C. eod. l. post sententiam, 9.

Nulli, qui statuēdi non hēt facultatē, interdicere patriæ cuiq̃ ꝑmittit, C. e. l. nulli.

Cum iudex indefinitiua sententia iusiurandam solummodo præstari præcipiat, non tamen addat, quid ex recusatione, vel præstatione sacramenti fieri oportet huiusmodi sententiam nullam vim obtinere, palam est, C. eo. l. cum iudex, xi.

Nemo iudex vel arbiter existimet, neq; consultationes, quas non ritè iudicatas esse putauerit, sequendum, & multò magis sententias eminentissimorum præfectorum, vel aliorum procerum. non. n. si quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum iudicum vicium extendi oportet: vera non exemplis, sed legibus iudicandum sit, C. eo. l. nemo, 12.

Cum Papinianus summi ingenii uir in quæstionibus suis rite disposuerit, non solum iudicem de absolutione rei iudicatæ, sed & ipsum actorem, si è contrario fuerit obnoxius inuentus condemnare: huiusmodi sententia non solum roboranda, sed etiam augenda est, vt liceat iudici vel contra actorem ferre sententiam, & aliquid eum daturum, vel facturum pronunciare nulla ei apponenda exceptione, quòd non competens iudex agentis esse cognoscatur. cuius enim in agendo obseruat arbitrium, eum habere, & contra se iudicem in eodem negocio non dedignentur, C. eo. l. pen.

Cum solitum est in sententiis iudicium sic interlocutionem proferri, ut non liceat partibus ante definitiuam sententiam ad appellationis uel recusationis venire auxilium quidam putabant, non licere ante litem contestatã, nec iudicem recusare, quemadmodum nec ab eo appellare, cum. n. simul vtrunq; vocabulũ ponitur, tàm appellationis, quam recusationis, prouocatio autem ante litem contestatam non potest porigi. putabant, quod nec recusare quidem iudicem cuiquam conceditur ante litem contestatam: quòd minime uetitum est. Caueat itaq; iudices huiusmodi sermonem simul & sine certa distinctione proferre. C. eod. l. final.

DE SENTENTIA, QVAE SINE CERTA QVANTITATE profertur. Tit. IIII.

CVm iudicem, quo ad pecunia condemnationis soluta fuisset, de pendendo interesse legem dixisse profitearis: non con tra iuris formam sententiam datam, palàm est. C. de sen. quæ sine cer. quant. l. prima.

Quanquam pecuniæ quantitas sententia curatoris reipublicæ nõ continetur sententia tamen eius rata est, quoniam indemnitatem Reipublicæ præstari iussit. C. eod. l. seruanda.

Hæc sententia OMNEM DEBILI QVANTITATEM CVM INTERESSE COMPETENTI SOLVE, iudicati actionem parere non potest: cum apud iudices ita demum sine certa quantitate facta condemnatio authoritate rei iudicare censeatur, si parte aliqua actorẽ certares q̃titas cõprehensa. C. e. l. tertia.

Hæc

Hæc ſententia, QVAE BONA FIDE ACCEPISTI, SOLVE, cum incertum eſſet, quid accepiſſet, quantunq; ab eo peteretur præſertim cum ipſe, qui extra ordinem iudicabat, interlocutus ſit dotem datam, quę repeteretur, non liquidam eſſe: iudicati authoritate non nititur. Cum igitur is, qui poſtea iudicabat, contra te certam ſententiam protulit, neq; à ſtatutis prouocaueris: ipſa tuo facto confirmaſti iudicatum, C. eod. l. fin.

DE SENTENTIIS, QVAE PRO EO, QVOD INTEREST proferuntur. Tit. V.

CVm pro eo, quod intereſt, dubitationes antiquæ in finium productæ ſint: melius uiſum eſt, huiuſmodi prolixitatem, prout poſsibile eſt, in anguſtum coartare Sancitum eſt, itaq; in omnibus caſibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, veluti in venditionibus, & locationibus, & omnibus contractibus: hoc, quod intereſt, dupli quantitatem minimè excedere. in aliis autem caſibus, qui incerti eſſe uidentur iudices, qui cauſas dirimendas ſuſcipiunt, per ſuam ſubtilitatem requirere, ut hoc, quod reuera inducitur, damnum hoc reddatur, & non ex quibuſdam machinationibus, & immodicis peruerſionibus in circuitus in extricabiles redigatur: nedum in infinitum computatio reducitur, pro ſua impoſsibilitate cadat: cum ſciamus eſſe naturę congruam, eas tantummodo pœnas exigi, quæ vel cum competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine concluſæ ſtatuuntur. Et hoc non ſolum in damno, ſed etiam in lucro hæc amplectitur conſtitutio: quia & ex eo ueteres id, quod intereſt, ſtatuerunt, C. deſunt, quæ pro eo quod inter. l. unica.

SI A NON COMPETENTE IVDICE, IVDICATVM ESSE dicatur. Tit. VI.

IVdex ad certam rem datus, ſi de aliis pronunciauerit, quam quod, ad eam rem pertinet, nihil egit, C. ſi à non comp. iud. l. prima.

Similitaris iudex ſuper ea cauſa, de qua ciuilibus actionibus diſceptandum fuit, non datus à quo dari poterat cognouit: etiam remota appellatione, id quod ab eo ſtatutum eſt, firmitatem iudicati non habet, C. eodem, l. ſecunda.

Si de proprietate datus iudex aduerſus te, nihil ſuper hæc ſtatuit: rector prouinciæ aditus cauſam hanc cognoſcere, ſuaq; decidere ſententia curabit: cum & ſi quid de poſſeſsione pronunciatum probetur, hoc cauſæ proprietatis minimè noceat, C. eo. l. tertia.

Et in priuatorum cauſis huiuſmodi forma ſeruetur, ne quemquam litigatorum ſententia non à ſuo iudice dicta conſtringat, C. eo. l. fin.

SENTENTIAM RESCINDI NON POSSE. Tit. VII.

NEq; ſuum, neq; deceſſoris ſui ſententiam quenquam poſſe retractare, in dubium non uenit: nec neceſſe eſſe ab huiuſmodi decreto interponere prouocationem, explorari iuris eſt, C. ſen. reſcind. non poſſe, l. prima.

Peremptorias exceptiones omiſſas in initio, ante quàm ſententia feratur, opponi poſſe, perpetuum edictum manifeſtè declarat. qnod ſi aliter actum fuerit, in integram reſtitutio permittitur. nam iudicatum contra maiores annis vigintiquinque non oppoſito præſcriptionis velamento, citra remedium appellationis reſcindi non poteſt, C. eo. l. ſecunda.

Impetrata reſcripta non placet admitti, ſi deciſæ ſemel cauſę fuerint iudiciali ſen

tentia, quam prouocatio nulla suspendit: sed eos qui tale rescriptum meruerunt, etiam limine iudiciorum repelli, C. eo. l. fin.

DE RE IVDICATA, ET DE EFFECTV SENTENTIARVM, & de interlocutionibus. Tit. VIII.

Res iudicata dicitur, quæ finem controuersiarum pronuntiatione iudicis accipit: quod vel condemnatione, vel absolutione contingit, ff. de re iudic. l. prima.

Si se non obtulit procurator: iudicati actio in eum denegabitur, & in dominum dabitur, si se obtulit: in ipsum dabitur detulisse autem videtur se liti, non is, qui in rem suam procurator datus sit: nam hic alia ratione recusare iudicati actionem non potest, quia hic non in alienam: sed in suã rem procurator factus est. Tutor quoq; vel curator in ea conditione sunt, vt non uideantur videri se liti contulisse: idcircoq; debet denegari in eos iudicati actio. actor municipium potest rem iudicatam recusare. in municipes enim iudicati, actio dabitur, ff. eo. l. quarta, in prin.

Ait prætor, CONDEMNATVS, VT PECVNIAM SOLVAT. à iudicato ergo hoc exigitur, vt pecuniam soluat. quid ergo, si soluere quidem paratus non sit, satisfacere autem paratus sit, quid dicemus? & ait Labeo, debuisse hoc quoq; adiici, NEQVE EO NOMINE SATISFACIAT. fieri enim posse, vt idoneum expromissorem habeat, sed ratio pecuniæ exigende hæc fuit, quod noluerit prætor obligationes ex obligationibus fieri. idcirco ait, VT PECVNIA SOLVATVR. ex magna tamen & idonea causa accedendum erit ad Labeonis sententiam, d. l. quarta, §. ait prætor.

Si ex conuentione litigantium cautum sit, post rem iudicatam ei, cui quis condẽnatus est: euenenict, vt hic etiam recedatur: si modo nouatio intercessit. cæterum si non nouandi causa id factum est: manebit ordo executionis. sed & si pignora accepta sint, vel fideiussores in rem iudicatam: consequens erit dicere, non cessare executionem: quippe cum accesserit aliquid rei iudicatæ, non est à re iudicata recessum. Idem obseruandum est in eo, cuius procurator condemnatus sit, d. l. quarta, §. si ex conuentione.

Si quis condemnatus sit, ut intra certos dies soluat, vnde ei tempus iudicati actionis computemus, quæritur: vtrum ex quo sententia prolata est: an vero ex quo dies statutus præteriit? Sed si quidem minorem diem statuerit iudex: tempore legitimo repletur ex lege, quod sententiæ iudicis de est. Sin autem ampliorem numerum dierum in sua difinitione iudex amplexus est: computabitur reo & legitimũ tẽpus, & quod supra: id iudex præstitit. d. l. quarta. §. si quis.

Condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia ualeat: cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit: dicendum est cõdemnationis uerbum non tenere. d. l. quarta. §. condemnatum.

Soluisse accipere debemus, non tantũ eum, qui soluit: uerũ omnẽ omnino, qui ea obligatione liberatus est quæ ex caussa iudicati descendit. d. l. quarta. §. soluisse.

Ait prætor, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO EST. melius scripsiset, cuius DE EA RE NOTIO EST. etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui iurisdictionem non habent: sed habent de qua uis alia caussa notionem. ff. eod. l. quinta, in princip.

Si iudex aliquem sic condemnet, ut quod habet ex testamento uel codicillis Mæuii, resti-

tui, restitueret Titio: sic accipiendum est, quasi quantitatem nominauerit, quæ testamento uel codicillis relicta est. Sed & si fideicommissum sine scriptura pronunciatum est: idem erit probandum, d.l. quinta, §. si iudex.

Miles qui sub armata militia stipendia meruit, condemnatus eatenus, quia facere potest, cogitur soluere, ff. eod. l. sexta, in prin.

Decem aut noxe dedere condemnatus, iudicati in decem tenetur. facultatē enim noxe dedendæ ex lege accipit. is autem qui stipulatus est decem, aut noxe dedere non potest decem petere: quia in stipulatione singula per se ueniunt, eaque singula separatim stipulari possumus. at iudicium solius noxe deditionis nullum est, sed pecuniariam condemnationem sequitur. & ideo iudicati in decem agitur. his enim solis condemnatur. noxæ autem dedicio in solutione est, quæ è lege tribuitur, d.l. sexta. §. decem.

Intra dies constitutos quamuis iudicati agi non posit, tamē multis modis iudicatum liberari posse, hodie non dubitatur: quia constitutorum dierum spacium pro iudicato, non contra iudicatum per legem constitutum est, ff. e. l. septima.

Quod iusit, vetuitve prætor, contrario imperio tollere & remittere potest: sed de sententiis contra, ff. eod. l. quod iusit. 14.

A Diuo Pio rescriptum est magistratus populi Romani: vt iudicum à se datorum, vel arbitrorum sententiam exsequitur hi, qui eos dederunt, ff. eod. l. A Diuo. 15. in princip.

Sententiam Romæ dictam etiam in prouinciis posse præsides, si hoc iusi fuerint, ad finem persequi: imperator rescripsit, d.l. à diuo. §. sententiam.

In venditione itaque pignorum captorum facienda, primo quidem res mobiles & animales capi pignori iubent: mox distrahi. quarum precium si sufficerit: bene est. si non sufficerit: etiam soli pignora capi iubent, & distrahi. quod si nulla mouentia sint: a pignoribus soli initium faciunt. sic denique interloqui solent: si mouentia non sint, vt soli quoque capiantur. nam à pignoribus soli initium faciendum non est. quod si nec quæ soli sunt, sufficiant, vel nulla sint pignora soli: tunc peruenietur etiam ad iura exequuntur itaque rem iudicatam præsides isto modo, d.l. a diuo. §. in uenditione.

Si pignora, quæ cæpta sunt, emptorem non inueniant, rescriptum est ab imperatore vt addicantur ipsi, cui quis condemnatus est addicantur autem vtique ea quantitate, qua debetur. nam & si creditor maluerit pignora in creditum posside, hisque esse contentus, rescriptum est non posse eum, quod amplius sibi debetur, petere, quia velut pacto transegisse de cætero videatur, qui cōtentus fuerit pignora posidere, nec posse eum in quantitatem certam pignora tenere, & superfluum petere, d.l. a Diuo. §. si pignora.

Si rerum, quæ pignoris iure capte sint, controuersia fiat, constitutum est ab imperatore ipsos, qui rem iudicatam exequuntur, cognoscere debere de proprietate. & si cognouerint eius fuisse, qui condemnatus est, rem iudicatam exequantur. Sed sciendum est, summatim eos cognoscere debere, nec sententiam eorū posse debitori præiudicare, si forte hi dimittendam eam rem putauerint, quasi eius sit, qui controuersiam mouit, non eius, cuius nomine capta est, nec eum, cui restituta est, statim habere per sententiam debere, si forte iure ordinario cœperit ab eo res, peti sic eueniet, ut omnibus integris tantum capioni res iudicata proficiat. Sed & illud debet dici, vbi controuersia est de pignore, id dimitti debere, & capi aliud, si quod est sine controuersia, d.l. A Diuo. §. si rerum.

Quod si res fuerit pignorata, quæ pignori capta est, uidendum est, an sic distrahi posit

posſit, vt dimiſſo creditore, ſuperfluum in cauſam iudicati conuertatur & quã- quam non cogatur creditorem, quam pignori accepit diſtrahere, tamen in iu- dicati executione ſeruatur, vt ſi emptorem inuenerit res quæ capta eſt, qui di- miſſo priore creditore ſuperfluum ſoluere paratus ſit: admittenda ſit huiuſmo di quoque rei diſtractio. nec videtur deterior conditio creditoris fieri ſuum cõ ſecuturi, nec prius ius pignoris dimiſſuri, quàm ſi ei fuerit ſatisfactum. d. l. A Diuo. §. quod ſi res.

Si poſt addictam pignus aliqua controuerſia emptori moueatur: an ſit cognitio eiuſdem iudicis, qui ſententiam executus fuerit vidẽdum eſt. & cum ſemel em ptio perfecta ſit, eiusque qui ſic comparauit, periculum verſetur: non eſt locus cognitioni: certe poſtea quàm inductus eſt emptor in poſſeſsionem, nonne ceſ ſabunt partes eorundem iudicum? idem quæ & ſi ipſi, cui quis iudicatus eſt, res fuerit addicta, d. l. à Diuo. §. ſi poſt.

Sed ſi emptor, cui pignora ſunt addicta, exſequente iudice precium non ſoluat: utrum aduerſus emptorem porrigere manus debeant iidem iudices, qui ſen- tentiam exſequuntur, videndum eſt. & non poſſunt vltra procedere. Cæterum longe res abibit. quid enim dicemus? condemnabunt emptorem, & ſic exſequẽ tur aduerſus eum ſententiam: an ſtatim pro iudicato habebunt? & quid, ſi ne- get ſe emiſſe, aut exſoluiſſe contendat? melius igitur erit, ſi non ſe interponant maximè cum nec habeat actionem aduerſus eum is, cui iudicatum fieri deſide- ratur, nec iniuria adficietur, oportet enim res captas pignori & diſtractas præ- ſente pecunia diſtrahi: non ſic, vt poſt tempus pecunia ſoluatur, certe ſi ſe inter ponant: actenus debebunt interuenire, vt ipſam rem addictam, capiant & diſtra hant, quaſi nondum vinculo pignoris liberatam, d. l. a diuo. §. ſi emptor.

Sic quoque iudices exequentur iudicatum, vt nomina iure pignoris capiant: ſi ni hil aliud ſit, quod capi poſsit. poſſe enim nomen iure pignoris capi, Imperator reſcripſit. ſed vtrum confeſſum nomen tantum capi poſsit, an etiam ſi neget quis ſe debere ei, videamus. & magis eſt, vt id duntaxat pignori capiatur, quod confitetur. Cæterum ſi negetur: æquiſsimum erit diſcedi a nomine, niſi forte quis exemplum ſecutus corporalium pignorum vltra proceſſerit, dixerit- que ipſos debere iudices de nomine cognoſcere, vt cognoſcunt de proprieta- te. Sed contra reſcriptum eſt. Item quid dicemus? vtrum ipſi iudices conueniẽt nomen exigentque id, quod debetur, & in cauſa iudicati conuertent, an vero vendent nomen, vt pignora corporalia ſolent? & neceſſe eſt, vt quod eis facilius videatur ad rem exequendam, hoc faciant, d. l. a Diuo. §. ſi quoque.

Sed & ſi pecunia penes argentarios ſit, æquè capi ſolet. hoc amplius & ſi ſit penes alium quem deſtinata tamen ei, qui condemnatus eſt, ſolet pignoris iure capi, & conuerti in cauſam iudicati, d. l. a diuo. §. ſed & ſi.

Præterea pecuniam quoque depoſitam nomine condemnati, uel in arcam reclu- ſam ſolent capere, & iudicato ſatisfiat, hoc amplius & ſi pupillaris pecunia in arca repoſita ſit ad prædiorum comparationem, etiam citra permiſſum præto- ris ab eo, qui exequitur iudicatum, ſolet capi, & incauſſam iudicati conuerti, d. l. à Diuo, §. final.

Sunt qui in id, quod facere poſsunt, conueniuntur, id eſt non deducto ære alieno. & quidem ſunt hi ferre qui pro ſocio conueniuntur. Socium autem omnium bo norum accipiendum eſt parens item maritus de dote in id, quod facere poteſt conuenitur, ff. de re, eod. l. ſunt qui ea, l. cum ſeq.

Item miles, qui ſub armata militia ſtipendia meruit, condemnatus eatenus, qua

facere

facere poteſt,cogitur ſoluere,ff.eod.l.Item miles.18.

Inter eos,quibus ex eadem cauſa debetur, occupantis meliorconditio eſt nec deducitur quod eiuſdem conditionis hominibus debetur,ſicuti fit in actione de peculio.nam & hic occupantis melior cauſa eſt. Sed & ſi cum patre agatur:non eſt deducendum æs alienum: maxime quod eiuſdem conditionis perſonis debebitur,vt liberis is quoque,qui ex cauſa donationis conuenitur, in quantum facere poteſt,condemnatur,& quidem is ſolus deducta ære alieno.& inter eos quibus ex ſimili cauſa pecunia debetur,occupantis potior erit cauſa: imo nec totum,quod habet ei extorquendum eſt ſed & ipſi ratio habenda eſt,ne egeat, ff.eod.l.inter eos.19.

Non tantum dotis nomine maritus,in quantum facere poſsit: condemnatur: ſed ex aliis quoque contractibus ab vxore indictio conuentus inquantum facere poteſt condemnandus eſt ex diui Pii conſtitutione. quod & in perſona mulieris æqua lance ſeruari ęquitatis ratio ſuggerit,ff.eod.l.non tantum.xx.

Sicut autem cum marito agitur,ita & cum ſocero, vt non vltra facultates damnetur.ſed an ſi cum ſocero ex promiſsione dotis agatur,in id,quod facere poteſt, damnandus ſit,quod & id æquum eſſe videtur?ſed alio iure vtimur,vt Neratius ſcribit,ff.eod.l.ſicut.21.

Sed hoc ita accipiendum eſt,ſi à ſocero dos ex promiſsione petatur ſoluto matrimonio verum ſi matrimonio manente dos ab eo,qui promiſit,petatur: ſuccurrendum vtique eſt,vt ne maioris ſummæ condemnetur, quam quantum facere poſsit,ff.eod.l.ſed hoc.22.in prin.

Quod autem de ſociis dictum eſt, vt & hi,in quantum facere poſsint,condemnentur: cauſa. cognita ſe facturum prætor edicit,cauſæ autem cognitio in hoc erit, ut negantis ſe ſocium eſſe,aut ex doli clauſula obligato non ſuccurratur,d.l.ſed hoc.§.quod autem.

Si cum procuratore mariti de dote actum fuerit: ſi quidem viuo marito damnatio fiet: inquantum facere poteſt,condemnatur. nam & defenſor mariti in id, quod ille facere poteſt,damnatur mortuo uero marito,inſolidum,ff. eodem. l. ſi cum procuratore.23.

Et ſi fideiuſſor acceptus ſit rei vel actionis,non proderit ei: ſi perſona,pro qua fidé iuſsit,inquantum facere,poteſt condemnanda eſt.ſi maritus non fuerit ſoluendo,licet ipſi marito proſit quod facere non poſsit (id enim mariti perſonæ præſtatur) hæredi eius hoc non prodeſt,ff.eod.l.& ſi fideiuſſor.24.

Sciendum eſt,hęredes earum perſonarum non in id,quod facere poſſunt,ſed in integrum teneri,ff,eod.l.ſciendum.25.

Cum ex cauſa donationis promiſſa pecunia eſt· ſi dubium ſit, an eas re eo vſq; donationis facultates exhaurire poſsit,vt vix quid quam ei,in bonis relictum ſit, actio,in id,quod facere poſsit,danda eſt,ita, vt & ipſi donatori aliquid ſufficiẽs relinquatur,quod ipſum maxime & inter parentes,& liberos obſeruandum eſt. ff.eod.l.cum ex cauſa.30.

Neſennius Appollinaris,ſi te donaturum mihi delegauero creditori meo,an inſolidum conueniendus ſis?& ſi es inſolidum conueniendus,an diuerſum putes ſi non creditori meo,ſed ei,cui donare uolebam,te dellegauero?& quid de eo, qui pro muliere,cui donare volebat,marito eius dotem promiſerit reſpondit. Paulus nulla creditor exceptione ſubmouetur,licet is,qui ei delegatus eſt, poterit vti,aduerſus eum,cuius nomine promiſit, cui ſimilis eſt maxime maritus ſi conſtante matrimonio petat, & ſicut hæres donationis inſolidum condemnatur

natur & ipſe fideiuſſor, quem indonando adhibuit, ita & ei, cui non donauit, inſolidum condemnatur, ff. eod. l. Neſennius, 41. in prin.

Fundum quis donauit. ſi non reſtituat, vt quiuis poſſeſſor damnandus eſt. ſi autem fundum reſtituit: fructum nomine (ſi non eos conſumpſerit) inſolidum condemnandus eſt. potuit enim non pericliturí, ſi ſtatim reſtituiſſet. Si dolo deſiit præſidere: in litem iurabitur, & tanti ſequetur condemnatio, d. l. Neſennius. §. Fundum.

Inſolidum condemnatus donator actione iudicati, niſi inquantum facere poteſt, non tenetur beneficio conſtitutionis, d. l. Neſennius. §. fi.

Si conuenerit inter litigatores, quod pronuntietur: non ab re erit, iudicem huiuſmodi ſententiam proferre, ff. eod. l. Si conuenerit. 26.

Duo iudices dati diuerſas ſententias dederunt. Modeſtinus reſpondit. vtranque ſententiam impendenti eſſe, donec competens iudex vnam earum confirmauerit, ff. eod. l. duo iudices. 28.

Inter pares numero iudices ſi diſſonæ ſententiæ proferantur. ſtatutum obtinet pro eo quod & publicis iudiciis obtinere oportet, ff. e. l. inter pares. 38. in prin.

Si diuerſis ſummis condemnent iudices: minimam ſententiam ſpectandam eſſe, Iulianus ſcribit, d. l. inter. §. fi.

Duo ex tribus iudicibus, vno abſente, iudicare non poſſunt: quippe omnes indicare iuſsi ſunt. ſed ſi adſit, & contra ſentiat: ſtatur duorum ſententiæ quid enim minus verum eſt, omnes iudicaſſe, ff. eod. l. duo. 39.

Tempus, quod datur iudicato, etiam hæredibus eius, cæteriſque, qui in locũ eius ſuccedunt: tribuitur, videlicet quid, ex tempore deeſt: quia cauſæ magis, quàm perſonæ beneficium præſtituitur, ff. eod. l. tempus. 29.

Debitoribus non tantum petentibus dies adſoluendum dandi ſunt, ſed & prorogandi, ſi res exigat. ſi qui tamen per contumaciam magis, quàm quia non poſſint, explicare pecuniam, differant ſolutionem: pignoribus captis cõpellendi ſunt ad ſatisfaciendum ex forma, quam Caſsio proconſuli diuus Pius in hæc verba reſcripſit. HIS QVI FATEBVNTVR DEBERE, AVT EX RE IVDICATA NECESSE HABEBVNT REDDERE: TEMPVS AD SOLVENDAM DETVR, QVOD SVFFICERE, PRO FACVLTATE CVIVSQVE VIDEBITVR EORVM, QVI INTRA DIEM VEL AB INITIO DATVM, EX EA CAVSA POSTEA PROROGATVM SIBI NON REDDIDERINT, PIGNORA CAPI EAQVE, SI INTRA DVOS MENSES NON SOLVERINT, VENDANTVR. SI QVID ET PRECIIS SVPERSIT: REDDATVR EI, CVIVS PIGNORA VENDITA ERVNT. ff. eod. l. Debitoribus. 31.

Cum prolatis conſtitutionibus contra eas pronuntiat iudex ex eo, quod non exiſtimat cauſam de qua iudicat, per eas iudicari: non videtur contra conſtitutiones ſententiam dediſſe. ideoque ab eiuſmodi ſententia appellandum eſt. alioquin rei iudicatę ſtabitur, ff. eod. l. cum prolatis. 32.

Diuus Adrianus aditus per libellum à Iulio Tarentino & iudicante eo falſis teſtimoniis, conſpiratione aduerſariorum teſtibus pecunia corruptis, religionem iudicis circumuentam eſſe: in integram cauſam reſtituendam in hæc uerba reſcripſit. EXEMPLVM LIBELLI DATI MIHI A IVLIO TERENTINO MITTI TIBI IVSSI. TV SI TIBI PROBAVERIT, CONSPIRATIONE ADVERSARIORVM TESTIBVS PECVNIA CORRVPTIS OPPRESSVM SE: ET REM SEVERE VINDICA, ET SI QVOD A IVDICE

DICE TAM MALO EXEMPLO CIRCVMSCRIPTO IVDICATVM EST, IN INTEGRVM RESTITVE.ff.eod.l. Diuus.33.

Imperatores Antoninus, & Verus rescripserunt, quamquam sub obtentu nouorum instrumentorum restitui negocia minime oporteat: tamen in negocio publico ex causa permittere se huiusmodi instrumẽtis vti, ff.e.l.imperatores.35.

Paulus respondit rescindere quidem sententiam suam præcedentem prætorem non posse, reliqua autem, quæ ad consequentiam quidem iam statutorum pertinent, priori tamen sententiæ desunt: circa condemnandum eum, vel absoluẽdam debere supplere, scilicet eodem die, ff.eod.l. Paulus.42.

Actorum verba emendare, tenore sententiæ perseuerante, non est prohibitum, ff.eod.l.actor.46.

Cùm quærebatur? iudex si perperam iudicasset, an posset eodem die iterum iudicare: Alphenus respondit, non posse, ff.eod.l.cum quærebatur.62.

Paulus resdondit eos, qui vna sententia in vnam quantitatem condemnati sunt, pro portione vtili ex causa iudicati conueniri. & si ex sententia aduersus tres dicta Titius portionem sibi competentem exsoluit: ex persona cæterorũ ex eadẽ sentenia conueniri eum non posse, ff.eod.l. Paulus.43.

Ex contractu paterno actum est cum pupilla tutore authore, & condemnata est, postea tutores abstinuerunt eam bonis paternis, & ita bona defuncti ad substitutum vel ad cohæredes peruenerunt, quæritur, an hi ex causa iudicati teneantur respondit. Scæuola dandam in eos actionem: nisi culpa tutorum pupilla condemnata sit, ff.eod.l.ex contractu.44.

Contra indefensos minores, tutorem, vel curatorem non habentes nulla sententia proferenda est, ff.eod.l.acta.45.§.fin.

Contra pupillum indefensum, eumque qui Reipublicæ causa abest, vel minorem, vigintiquinque annis propositum peremptorium nihil momenti habet, ff.eod. l.contra.54.in prin.

De vno quoque negotio præsentibus omnibus, quos causa contingit, iudicari oportet, aliter enim iudicatum tantum inter præsentes tenet, ff. eodem.l. de vno.47.in princip.

Qui apud fiscum causam defendere sæpius conuenti neglexerint: rebus iudicatis subiiciendi sunt. quod eo apparet. si sæpe conuenti præsentiam sui facere voluerint, d.l.de vno quoque.§.fi.

Si quis creditorem missum in possessionem rei seruandæ causa non admiserit, & venditor præstiterit creditori, quanti eius interfuerit: quæsitum est, an debitor liberetur? & verum est improbum esse, qui velit iterum consequi, quod accepit, ff.eod.l.si quis si.§.si quis.

Iudex postea, quàm semel dixit sententiam, iudex esse desinit. & hoc iure utimur, ut iudex qui semel, uel pluris, vel minoris condemnauit, amplius corrigere sententiam suam non possit. Semel enim male seu bene functus est officio, ff.eod. l.iudex.lv.

Post rem iudicatam, vel iureiurando decisam, vel confessionem in iure factam, nihil quæritur post orationem Diui Marci, quia in iure confessi pro iudicatis habentur, ff.eod.l.post rem.56.

Quidam consulebant, an valeret sententia à minore vigintiquinque annis iudice data. Sed æquissimum est tueri sententiam ab eo dictam, nisi minor decem & octo annis sit. certe si magistratum minor gerit, dicendum est iurisdictionem eius non improbari. Et si forte ex consensu iudex minor datus sit, scientibus

his,

his, qui in eum consentiebant: rectissime dicitur valere sententiam proinde si minor prætor vel consul ius dixerit, sententiamve protulerit: valebit. princeps n. qui ei magistratum dedit, omnia agere decreuit, ff. eod. l. quidam. 57.

Si cùm nulla sententia præcessisset, capta sunt & distracta pignora, possunt reuocari, ff. eod. l. si cum nulla. 58.

Qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus iudicati seruat. Sed nonnunquã arctat, nonnunquam prorogat pro causæ qualitate & quantitate, vel personarum obsequio, vel contumacia sed perraro intra statutum tempus sententię exequentur: veluti si alimenta constituuntur, vel minori. xxv. annis subuenitur, ff. eod. l. secunda.

Qui damnare potest, is absoluendi quoque potestatem habet, ff. eod. l. tertia.

Si equus ex stipulatu petitus post litem contestatam decesserit: absolutionem non faciendam, & fructuum rationem habendam placet, ff. eod. l. si homo. 8.

Furioso sententia à iudice vel ab arbitro dici non potest, ff. eod. l. furioso. ix.

Qui cùm se pro patrefamilias fingeret, mutuam pecuniam accepit, & ex hęres à patre vel emancipatus sit: quamuis facere non possit debet condemnari, ff. eod. l. qui cùm x.

Si victum uel stratum inferri quis iudicato non patiatur, vtilis in eum pœnalis actio danda est, uel vt quidam putant iniuriarum cum eo agi poterit, ff. eod. l. si victum. 34.

Qui iudicati bona auctoritate sua distraxit pro furto, & vi bonorum raptorum ei tenetur, ff. eod. l. sexta. §. penul.

Iudicati actio perpetua est, & rei persecutionem continet. Item hæredi & in hæredem competit. d. l. sexta. §. finali.

Si Kalendis fieri aliquid stipulatus sum, nempe quandocunque post Kalendas accepto iudicio, tanti tamen ęstimanda lis est, quanti interfuit mea Kalendis id fieri, ex eo. n. tempore quidquid æstimatur, quod nouissime solui potuit, ff. eo. l. si Kalendis. xi.

In depositi vel commodati iudicio, quamquam dolo aduersarii res absit, condemnato succurri solet, vt ei actionibus suis dominus cadat, ff. eod. l. in depositi. xii.

Si quis ab alio decem, ab alio satisdari stipulatus est: æstimandum erit, aut minus aut interdum etiam nihil. ueque. n. vani timoris vlla æstimatio est, verum sorte soluta nullum iam pretium æstimationis est, vt quantum ex sorte fuerit solutum tantundem ex æstimatione decedet, ff. eod. l. si quis. 13. in prin.

Si quis promiserit prohiberi se, vt aliquid damnum stipulator patiatur & faciat, neque ex ea re damnum stipulator patietur & faciat, ita habeatur facit quod promisit, si minus, quia non facit quod promisit, in pecuniam numeratam condemnatur. Sicut euenit in omnibus faciendi obligationibus. dicta. l. si quis. 13. §. finali.

RES INTER ALIOS ACTA, VEL IVDICATA, ALIIS NE NOCEAT. Titulus IX.

SAepe constitutum est, res inter alios iudicatas aliis non præiudicare, quod tamen quandam distinctionem habet. nam sententia inter alios dicta, aliis quibusdam etiam scientibus obest, quibusdam vero, etiam si contra ipsos iudicatum sit, nihil nocet. nam scientibus nihil præiudicat, ueluti si ex duobus hæredibus debitoris alter condem-

condemnantur, nã alteri integra defensio est, ẽt si cũ cohærede suo agi scierit. Item si ex duobus petitoribus alter victus adq̃euerit, alterius petitioni non pͥiu dicatur: idq; ita rescriptum est. Sed scientibus sñia, quæ inter alios dicta est, ob est: cum q̃s de ea, re, cuius actio vel defensio primum sibi competit, sequentem agere patiatur, veluti si creditorem experiri debitor passus sit de proprietate pi gnoris, aut maritus socerum vel vxorem de proprietate rei in dotem acceptæ, aut possessor venditorem de proprietate rei emptæ. Cur autem his q̃dem scien tia noceat, superioribus non noceat, illa ratio est: ꝙ qui scit cohæredem suum agere, ꝓhibere eum, quominus vti velit propria actione, non potest, is vero, qui priorem dominum defendere causam patitur: ideo ꝓꝑ scientiã ꝑscriptione rei (q̃uis inter alios iudicatæ) submouet, quia ex voluntate eius de iure, ꝙ ex ꝑso-na agentis habuit, iudicatum est. Item si fundum à te Titius petierit, quem ego quoq; sed non ex ꝑsona Titii ad me pertinere dico. nam q̃uis cõtra Titium ne-sciente iudicatum sit: nullum tñ ꝑiudiciũ patior, q̃a neq; ex eo iure, quo Titius victus est, uindico, neq; potui Titio intercedere, quo minus suo iure vteretur, sicuti de cohærede supra diximus, ff. de rei iud. l. pen.

Inter alios res gestas, aliis non posse ꝑiudicium facere sæpe constitutũ est. vnde li-cet quosdã de hr̃dibus eius, quẽ debitorẽ tuũ fuisse significas soluisse cõmemo res, tñ cæteris nõ alias ad solutionẽ vrgẽt, nisi debitũ fuerit, C. res ĩter. l. prima.

Inter alios factam transactionem absenti non posse facere præiuiudicium, notis-simi iuris est. Quapropter adito ꝑside prouintiæ auiam tuam equũ tibi donasse proba, ac si hoc iure ad te pertinere ꝓspexerit, restitui tibi prouidebit. neq; .n. si te absente diuisionẽ eius fecerit, aliq̃d iuri tuo derogari poterit, C. e. l. secũda.

Si cum fratre tuo matri successisti, frater pro portione tua cum debitoribus hære ditariis paciscendo uel agendo, non ex tua voluntate, pro hæreditaria parte ti-bi quæsitam obligationem extinguere non potuit, C. eod. l. fin.

DE APPELLATIONIBVS, ET RELATIONIBVS. Tit. X.

APpellationem vsus q̃ sit frequens, quamq; necessarius: nemo est, qui nesciat, quippe cum iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigat, licet nonnun quam bene latas sententias in peius reformet. neque enim vtique melius pro nuntiat, q̃ui nouissimus sñiam laturus est. ff. de appellationum. l. prima. in prĩ.

Si ꝑses prouinciæ vel quis alius consuluerit, & ad consultationem eius fuerit re-scriptum: an appellandi ius superest, quid enim si inconsulendo mentitus est? de qua extat rescriptum diui Pii. SI QVIS PER EPISTOLAM NOS CONSVLVERIT, SIMVLQVE NOS ILLI QVIDPIAM RESCRI PSERIMVS OMNIBVS, QVI NOLENT ADVERSVS RESCRIPTVM PROVOCANDI COPIA ERIT. NAM SI QVAE EPISTOLA COM PRAEHENSA SVNT VEL FALSA, VEL ALITER SE HABERE DO CVERINT, NIHIL PER NOS PRAEIVDICII FACTVM ESSE PVTE TVR, QVI ITA RESCRIPSERIMVS. QVASI SCRIPTIS AD NOS RELATA ALITER SE HABVERIT. Hinc consequenter uidetur rescri-ptum, à consultationẽ iudicis non esse appellandum, si quis forte interlocutus fuerit, principem se consultaturum, cum posit post rescriptum prouocare, d. l. prima. §. quæsitum est.

Si quis appellatione errauerit, vt puta cum alium appellare deberet, alium ap-pellauerit: videndum est, an error ei nihil obfuit. Et si quidem cum maiorẽ iudicem appellare deberet, ita errauit, vt minorem appellet: error ei nocebit. si vero maiorem iudicem prouocauit: error ei nihil oberit, & ita multis consti-

Hæc nomina antiqua relinquuntur vt qui libet vtatur nominibus proprijs.

tutionibus continet. Deniq; cum qdã iudicẽ ex rescripto principis a cõsulibus accepisset, & pfectum vrbi appellasset: errori eius subuentum est ex rescripto diuorum fratrũ cuius uerba hęc sunt. CVM PER ERROREM FACTVM DICAS, VTI A IVDICE, QVEM EX RESCRIPTO NOSTRO AB AMPLISSIMIS CONSVLIBVS ACCEPERAS, AD IVNIVM RVSTICVM AMICVM NOSTRVM PRAEFECTVM VRBI PROVOCARES: CONSVLES AMPLISSIMIS PERINDE COGNOSCENT, ATQVE SI AD IPSOS FACTA ESSET PROVOCATIO. SI QVIS ERGO VEL PAREM, VEL MAIOREM IVDICEM APPELLAVERIT, ALIVM TAMEN PRO ALIO: IN EA CAVSA EST, VT ERROR EI NON NOCEAT SED SI MINOREM NOCEBIT, d.l. prima. §. si quis.

Libelli q dant, appellatorii ita sunt concipiendi: ut habeant scriptũ & à quo dati sunt, hoc est q appellet & aduersus quẽ, & à qua snĩa, sed si apud acta quis ipso die viua uoce appellauerit, satis erit, si dicat appello, d.l. prima. §. fi. cum l. seq.

Litigatoribus copia est, etia nõ scriptis libellis, illico appellare voce, cũ res poposcerit iudicata, tã in ciuibus q̃ in criminalibus. causis, C.e.l. litigatoribus. xiiii.

Si quis non addiderit in libello contra quem aduersarium appellet præscriptioni non subiacebit, ff. eod. l. tertia in prin.

Sed illud cecidit in quæstionem. si plures habuerit aduersarios, & quorundam nõ: an æque pscribi ei possit ab his quorum nomina comprehensa non sunt, quasi aduersus eos ipsos adquieuerit snĩæ & cum vna cã sit non est pscribendum. certe si plures hi sunt, aduersus quos pronuntiatur, & quorundam nomina in libellis sunt compræhensa, quorundam non: hi soli appellasse videbuntur, quorum nomina in libellis sunt cõprehensa. Quid ergo si causam appellandi certam dixerit: an liceat ei discedere ab hac, & aliã causam allegare? an non, quasi forma quadam abstrictus sit? sed tamen, cum semel prouocauerit, erit facultas, in agẽdo etiam aliam causam prouocationis reddere, persequiquæ prouocationem suam, quibuscunque modis potuerit, d.l. tertia. §. sed illud.

Ab executore sententiæ appellare non licet, sed ab eo, qui male sententiam iam interpretari dicitur, appellare licet, si tamen is interpræctandi potestatem habuerit, ita tamen, ut in causis appellationis reddenda hoc solum quæratur, an iure interpretatũ sit, idq; etiam Diuus Antoninus rescripsit, ff. e. l. quarta, in prin.

Alio condemnato, is cuius interest appellare potest, qua. is est, q p procuratorẽ expertus victus est nec procurator suo nomine appellat. Itẽ si emptor de proprietate victus sit eo cessante, auctor eius appellare potest aut si auctor egerit & victus sit: non est deneganda emptori appellandi facultas. Quid. n. si venditor, qui appellare noluit, idoneus nõ est? quin ẽt si auctor appellauerit, deinde in caussæ defensione suspectus sit visus? perinde defensio causæ emptori cõmittẽda est, atq; si ipse appellasset. idq; ita constitutũ est in psona creditoris, cũ debitor victus appellasset, nec ex fide causam defenderet. Quæ constitutio ita accipienda est, si incauerit. nam absenti creditori nullum præiudicium debitor facit, idque constitutum est. d.l. quarta. §. alio condemnato.

Si procurator, qui iudicio interfuit, uictus sit, an ipse quoq; per procuratorem appellare possit, videamus, quia constat procuratorem, alium procuratorem facere non posse. sed meminisse oportet, quod procurator lite contestata dominus litis efficitur, & ideo & per procuratorem appellare potest, d.l. quarta. §. fi.

A snĩa inter alios dicta appellari nõ põt, nisi ex iusta cã, ueluti si quis in cohæredũ piudiciũ se condẽnari patiat, vel similẽ ob cãm, q̃uis & sine appellatione tutus est cohæres, itẽ fideiussores p eo, p quo ĩteruenerũt, igit & vẽditoris fideiussor

emptore

emptore uicto appellabit licet emptor & venditor adquiescant,ff.eo.l.quinta.

Si hæres institutus victus fuerit ab eo,qui de inofficioso testamento agebat,legatariis,permittendum est appellare,si quærantur per collusionem pronuntiatũ: sicut diuus Pius rescripsit.idemq; rescripsit,legatarios causam appellationis agere posse.Sed & si in fraudem suam transactionem factam ab eo,qui appellasset,dicerent,idem dicendum est. Sed & sine appellatione si fuerit transactum idem dicendum est,d.l.quinta.§.si hæres.

Si quis ipso die inter acta voce appellauit,hoc ei sufficit si tñ hoc non fecerit:ad libellos appellatoris dandos biduũ vel triduum computandum est, d.l.q̃nta.§.si.

Cum quidam propter violentiam iudicis non ipsi a quo appellauit dedisset libellos,sed publicæ proposuisset:Diuus Seuerus veniam ei dedit, & permisit causam appellationis agere,ff.eod.l.septima.

Illud sciendum est: eum qui prouocauit nõ debere conuiciari ei,à quo appellauit, cæterum oportebit eum plecti & ita diui fratres rescripserunt,ff. eod. l.illud.8.

Cum ex causa iudicati soluta esset pecunia ex necessitate iudicis ab eo, qui appellatione interposita meruerit meliorem sententiam:recipere eum pecuniã, quam soluit,oportet,ff.eod.l.cum ex causa.xi.

Appellanti nihil obest,quod in libellis a qua parte sententię appellaret,non significauit nam non improbantur appellationes eorum, qui vel vnam causam appellandi probabilem habuerunt,ff.eod.l.appellanti.13.

Si perlusorio iudicio actum sit aduersus testamentum:an ius faciat iudex,videndum est.& Diuus Pius,cum inter coniunctas personas diceretur per colusionẽ necem legatariorum actum,appellare eis permisit,& hodie hoc iure vtimur,vt possint appellare,& agere causam apud ipsam iudicem, qui de testamento cognoscit:si suspicẽtur non ex fide hæredẽ causam agere,ff.e.l.si plusorio.in prin.

Quoties hærede non respondente secundum aduersarium sententia datur, rescriptum est,nihil nocere legatis, & hoc diuorum fratrum. epistola continetur in hæc verba. QVOD ABSENTE POSSESSORE NEC QVOQVAM NOMINE EIVS RESPONDENTE, PRONVNTIATVM EST: NON HABET REI IVDICATAE AVTHORITATEM, NISI ADVERSVS EVM SOLVM, QVI AD ESSE NEGLEXIT QVARE HIS, QVI TESTAMENTO LEGATA, VEL FIDEICOMMISSA ACCEPERVNT: SALVAE SVNT ACTIONES, SI QVAS HABVERVNT PERINDE AC SI NIHIL ESSET IVDICATVM: ET IDEO ADVERSVS EVM, QVI VICIT PERMITTIMVS EIS AGERE, d.l.si prolusorio,§.Quoties.

Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt appellationes, quę recto ad principem factæ sunt,omissis his,ad quos debuerunt fieri, ex imo ordine ad præsides remitti,idem rescripserunt:ab iudice, quem à præside prouincię quis acceperat,non recte imperatorem appellatum esse,ideoque reuerti eum ad præsidem debere,ff.eod.l.imperatores.21.in prin.

Si magistratus creatus appellauerit collegam eius interim vtriusq; officium sustinere debet si vterq; appellauerint,alius interim in locum eorum creandus est, & is,qui non iuste appellauerit,damnum agniturus est,si quod Reipublica passa sit.si vero iusta sit appellatio, & hoc pronuntietur,illi æstimabunt, cui hoc adscribendũ est.In locum aũt curatoris,qui annonã administraturus est,alius interim adsumetur,quoadusq; appellatio pẽdeat.d.l.imperatores.§.si magistratus.

Iidem rescripserunt:quamuis vsitatum non sit post appellationem fructus agri,de quo disceptatio sit,deponi:tamen cum populitarentur ab aduersario, æquum

ſibi videri, fructus apud ſequeſtres deponi, d.l. Imperatores, §.fi.

Ad principẽ remiſſa cognitio, ab eo circũdici põt, q̃ remiſit, ff.e.l.ad principẽ.22.

Ad imperatorem cauſam remiſſam partibus conſentientibus, præſes (ſi ad eius notionem pertinet) audire poteſt, ff. eod.l.ad imperatorem.26.

Ex conſenſu litigantium circa compromiſſum a præſide prouinciæ iudice dato, victus poteſt prouocare, ff. eod.l.ex conſenſu. 23.in prin.

Cum procurator Cæſaris, qui partibus præſidiis non fungebatur, in litem priuatorum ius dandi iudicis non habuiſſet fruſtra prouocatum ab ea ſententia cõſtitit, quæ non tenebat, d.l.ex conſenſu.§.cum procurator.

Filiumfamilias, cùm aduerſus patrem eius de bonis, quæ per ipſum poterant adquiri, pronuntiatum eſſet: reſpondit Papinianus non niſi patris nomine potuiſſe prouocare, d.l.ex conſenſu, §.filium.22.

Eum, qui cognouit edictum peremptorium ſecundum ordinis cauſam datam, placuit non rectè prouocaſſe: cùm in eius poteſtate fuerit, ante diem præſtitutum pro tribunali reſpondentem, aut defenſum edicti denunciationem rumpere, d.l.ex conſenſu, §.fi.

Iuſſus à iudice exibere, ſecundum præceptum pręſidiis prouinciæ rationes, quas apud ſe eſſe cauerat, inſtrumentorum gratia data dilatione, nec poſtea exibuit: ideoque ſecundum conſtitutionem recitatam (quia inſtrumenta per contumaciam non exibuerat) cum petitor, quanti ſua intereſſet exhiberi, iuraſſet, facta erat condemnatio. quæſitum eſt, an poſt iuſiurandum appellationem interponere poſſet? reſpondit Scæuola, nihil proponi, cur denegandum eſſet appellationis auxilium, d.l.fi.§.iuſſus.

Subſtituti tutores in locum legitimi tutoris experti cum eo tutellæ iudicio, cum arbiter inique condemnaſſet aliter, quàm rei æquitas exigebat: a ſententia eius prouocauerunt. pendente cauſa appellationis iuuenes adoleuerunt, quæſitum eſt, cum omnis excuſatio huius ad adultes pertineat, & cauſam ad ſe pertinentem idoneè tueri poſsint: an poſtulatio eorum, contra quos appellatũ erat, dicentium illos debuiſſe cauſas appellationis reddere, qui primi ſunt experti admittenda non ſit? Reſpondit Scæuola eos quorum tutella geſta eſſet, ſi vellent cauſam exſequi, non prohibendos. idem & in curatoribus obſeruandum eſt, ſi interim adultus ad legitimam ætatem perueniſſet, d.l.final.§.ſubſtituti.

Prius de poſſeſsione pronunciare, & ita crimen violentiæ excutere præſes prouinciæ debuit. quod cum non fecerit: iuſte ab eo prouocatum eſt, C. de appel. & conſult.l.prima.

Quamuis reſcripti principis authoritas interceſſerit, prouocandi tamen facultas non denegatur, C.eod.l.ſecunda.

Appellatione interpoſita, licet à iudice repudiata ſit, in præiudicum deliberationis nihil fieri debere, & in eo ſtatu omnia eſſe, quo tempore pronunciationis fuerint ſæpiſsime conſtitutum eſt, C.eod.l.tertia.

Eos, qui de appellationibus cognoſcent, ac iudicabunt, ita iudicium ſuum præbere conueniet, vt intelligant, quod cum appellatio poſt deciſam ſententia litem interpoſita fuerit, nõ ex occaſione aliqua remittere negocium ad iudicem ſuũ fas ſit, ſed omnem cauſam propria ſententia determinare conueniat: cum ſalubritas legis conſtitutæ ad id ſpectare videatur, vt poſt ſententiam ab eo qui de appellatione cognoſcit reuerſus fieri non poſsit ad iudicem, a quo fuerit prouocatũ. Quapropter remittendi litigatores ad prouincias remotã occaſionẽ atq; excluſam penitus intelligant: cũ ſuper omni cá interpoſitam prouocationem, vel

uel iniustam tantum liceat pronunciare, uel iustam. C.eod.l.sexta. in prin.

Si quid autem in agendo negocio minus se allegasse litigator crediderit, quod in iudicio acto fuit omissum: apud eum, qui de appellatione cognoscit persequatur: cum aliud in iudiciis, quàm iustitia locum habere debeat, necessaria res forte transmissa non excludenda videatur. Si quis autem post interpositam appellationem necessarias sibi putauerit esse personas, per quas apud iudicem, qui super appellatione cognoscet, veritatem posit ostendere, quam existimauit occultam, hocq; fieri iudex prospexerit: sumptus iisdem ad faciendi itineris expeditionem prębere debebit: cum id ipsa iustitia persuadeat ab eo hoc recognosci, qui euocandas personas sua interesse crediderit, d.l.vi.§. si quid.

Ne temere autem ac passim omnibus prouocandi facultas præbeatur arbitramur eum, qui malam litem fuerit persecutus mediocriter pœnam à competenti iudice sustinere, d.l.sexta.§.ne temere.

Sin autem in iudicio propriam quis fuerit causam persecutus, atq; superatus voluerit prouocare: eodem die vel altero libellos appellatorios offerre debebit. Is vero, qui negocium tuetur alienum, supradicta conditione et tertio die prouocabit. Apostolos autem post interpositam prouocationem etiam non petente appellatore, etiam sine aliqua dilatione iudicem dare oportet, cautione uidelicet de exercenda prouocatione imposterũ minime præbẽda, d.l.vii.§.pe.& fi.

Hi qui ad ciuilia munera, uel ad decurionatum, vel honores deuocantur: licet vacationem a principibus acceperint, si appellationis auxilio non vtantur, cõsensu suo nominationem confirmant. Cum igitur ad munus vocatus appellaueris apud præsidem prouinciæ iustæ te appellasse ostende. C.eod.l.vii.

Ciues & incolæ manifestas etiam excusationes habentes, si sub iusta nominatione non appellauerint: ad earum probationem nõ admittuntur, C.e.l.ciues.xi.

Si contra maiorem uigintiquinq; annis sñia prolata, prouocationis secutæ tpe præfinito causas non esse representatas, nec adpellatione pendente transactione finitum negocium rector prouinciæ animaduerterit: res iudicatas exequi curabit, C.eod.l.si contra.viii.

Dominus litis causam adpellationis quam procurator suus litigando interposuit etiam absente procuratore exequi potest, C.eod.l.dominus.ix.

Si actor a curatore ordinatus deteriorem calculum reportauerit. tam ipse, quàm curator ad prouocationis auxilium possunt peruenire, curator uero solus prouocationis litem exercebit. Sin autem interim adolescens ueniam ætatis impetrauerit, uel ad legitimã ætatem peruenerit: potest suo nomine appellationem exercere, C.eod.l.si actor.x.

Ex illo tempore, ex quo in ciuilibus causis, quæ inter priuatos mouentur, consultaturũ, uel relaturum te esse promiseris, uel appellationis à te interpositæ solemnia completa fuerint, nihil posthac tibi quodlibet speciale ac requisitũ, uel quibuscunque modis fauoris gratiam præferens audiendum sed obseruandum, ut iuxta priora statuta, solennitatis more expleto gesta ad comitatum omnia dirigantur, C.eod.l.Ex illo.xiii.

Ne causas, quæ ad principis uenerint scientiam, rursum transferri ad iudicia necesse sit: instructiones necessarias plene actis inseri præcipitur. nam cogitur à proferenda sententia temperare. quoniam uerendum est ne lis incognito negocio dirimatur, adempta copia conquerendi. Quare perennibus inuretur iudex notis, si cuncta, quæ litigatores instructionis probationisque causa recitauerint, indita actis, vel subiecta non potuerint inueniri, C.eod.l.Ne causas.xv.

Etiam eos, qui imaginem principalis disceptationis accipiunt, appellationum ad minicula necesse est accipere, C.eod.l. Etiam eos.xvi.

Quoniam nonnulli fisci debitores, cum iussi fuerint debitam summam exsoluere, interposito prouocationis auxilio vim executionis eludunt, nec iam opinionis exemplum, nec refutatorias preces curant petere, vel offerre: placuit, vt si intra dies solennitatibus pręstitutos ad facienda hæc appellatoris cura defuerit: deserta ab eo prouocatio existimetur, moxque debitum exigatur, C. eod. l.quoniam.xviii.

Et in maioribus & minoribus negociis appellandi facultas est. nec enim iudicem oportet iniuriam sibi fieri existimare eo, quod litigator ad prouocationis auxilium conuolauit, C.eod.l.Et in maioribus.xx.

Quoniam iudices ordinarii prouocationes existimant respuendas: placet, vt si quis suscipere recusauerit, quem non contra executionem, sed aduersus sententiam intentionem iurgiumque terminantem fuerit interposita: triginta auri pondo cogatur largitionibus inferre: triginta alia officio eius itidem soluturo, nisi ei pertinaciter restiterit, atque actis contradixerit, & quid sit constitutum ostenderit. C.eod.l.quoniam.xxi.

Lata sententia, quæ pertinet ad bona vacantia, & ad ea, quæ vt indignis legibus cogentibus afferuntur si quis putauerit prouocandum: vox eius debebit admitti, C.eod.l.lata sententia.xxii.

Iudicibus non solum appellationis suscipiendę necessitas videtur imposita, verumetiam triginta dierum spacia ex die sententiæ definita sunt, intra quę gesta vna cum relatione litigatoribus conuenit præstari: iudice, & officio eius si statuta fuerint aliqua parte mutilata, multæ subiacentibus, C.eodem.l.iudicibus uon solum.xxiiii.

Et in multis à iudicibus inferendis appellationes iubetur admitti, C. eodem.l. Et in multis.xxv.

A QVIBVS APPELLARE NON LICET. Titulus XI.

TRactandum est, à quibus appellare non licet. & quidem stultum est illud admonere, a principe appellare fas non esse: cum ipse sit, qui prouocatur. sciendum est, appellari non posse a senatu principum, idque oratione diui Hadriani effectum est. si quis ante sententiam professus fuerit, se a iudice non prouocaturum, indubitate prouocandi auxilium perdidit, ff.à quibus ap.non lice.l.prima.

Quæsitum est in arbitros, qui ad fideiussores probandos dantur, an appellare liceat: quamuis hoc casu & sine appellatione quidam putent ab eo, qui eos dedit, sententiam eius corrigi posse, ff.eod.l.fi.

QVIS A QVO APPELLETVR. Titulus XII.

QVod dicitur, eum appellari, qui dedit iudicem, sic accipiendum est, ut & successor eius posit appellari. Proinde & si præfectus urbi iudicem dederit, uel prætorio, ipse erit prouocandus, qui eum iudicem dederit, ff. quis a quo appel.l.prima.

Dato

Ab eo,cui quis mandauit iurisdictionem non ipse prouocabitur. nam generaliter is erit prouocandus ab eo cui mandata est iurisdictio qui prouocaretur ab eo qui mandauit iurisdictionem.d.l.prima.§.ab eo.

Dato iudice à magistratibus populi Romani, cuiuscunq; ordinis etiam si ex authoritate Principis,licet nominatim iudicem declarantis,dederint: ipsi tamen magistratus appellabuntur,ff.eod.l.fi.

QVANDO APPELLANDVM SIT, ET INTRA QVAE tempora. Titulus III.

SI quis tutor datus fuerit,vel testamento,vel à quo alio,qui ius dandi habet:non oportet eum prouocare.hoc.n. Diuus Marcus effecit,sed intra tempora præstituta excusationem allegandam habet: & si fuerit repulsa, tunc demum appellare debebit. cæterum ante frustra appellatur. Alia causa est eorum,qui ad aliquod munus,vel honorem vocantur,cùm dicant se habere excusationem.nam non aliter allegare possunt causas immunitatis suæ, quam si appellationem interposuerint, ff. quando appel.sit,l.prima,§.si quis tutor.

Si quis per absentiam ad honorum infulas,vel munus aliquod euocatus, ad prouocationis auxilium cucurrit: ex eo die interponendæ appellationis duorum mensium spacia ei computanda sunt,ex quo contra se celebratam nominationem dedicisse monstrauerit, nam præsenti qui factam nominationem cognouit, & appellare voluerit: statim debent duorum mensium spacia computari, C.de temp.& repar. appel.l.prima.

Solent plerunq; præsides remittere ad ordinem nominatum, scilicet ut Caium Seium creent magistratum,vel alius quis honor,vel munus in eum conferatur. vtrum igitur nunc appellandum est,cum ordo decretum interposuerit: an uero à remissione,quàm præses fecerit,appellatio sit interponenda? & magis est, vt tunc sit appellandum,cùm ordo decreuit.magis enim consilium dedisse præses videtur,quis sit creandus,quàm ipse constituisse. deniq; ipse erit appellandus,non ab eo prouocandum.Sed & si præses in ordine fuerit (ut fieri adsolet) cum ab ordine crearetur quis: ipse erit prouocandas quasi ab ordine, non ab ipso fiat appellatio,d.l.prima,§.solent.

Biduum uel triduum appellationis ex die sententiæ latæ computādum erit. Quid ergo,si sententia fuerit,sub conditione dicta: utrum ex die sententiæ latæ tempus computamus ad appellandum,an vero ex die, quo conditio sententiæ extitit? sanè quidem non est sub conditione sententia dicenda, sed si fuerit dicta: quid fiet?& est utile,statim tempora ad appellandum computari debere, d. l.prima,§.Biduum.

Quod in sententiis præceptum est,vt vel altera die,vel tertia prouocetur:hoc etiā in cæteris obseruandum est,ex quibus sententia quidem non profertur, appellari tamen oportere,& posse,supra relatum est,d.l.prima,§. quod in sententiis.

Dies autem istos,quibus appellandum est,ad aliquid utiles esse, oratio Diui Marci uoluit: si fortè eius,à quo prouocatur, copia non fuerit, ut ei libelli dentur, ait enim is dies seruabitur,quo primo adeundi facultas erit. quare si fortè statim post sententiam dictam copiam sui non fecerit is,qui pronunciauit, ut fieri adsolet: dicendum est nihil nocere appellatori.nam vbi primum copiam eius habuerit,prouocare poterit.ergo si statim se subduxit: similiter subueniendum

est.

eſt. Quid igitur eſt, ſi conditio horæ effecit, ut ſe reciperet ſi fortè dicta ſit ſententia iam ſuprema hora? vtiq; non videbitur ſe ſubtraxiſſe. Adeũdi autem facultatem ſemper accipimus, ſi in publico ſui copiam fecit. cæterum ſi non fecerit: an imputetur alicui, quod ad domum eius non uenerit, quodq; in hortos non acceſſerit, & alterius, quod ad uillam ſuburbanam? magiſq; eſt, vt non debeat imputari. quare ſi in publico eius adeundi, facultas non fuit: melius dicetur, facultatem non fuiſſe adeundi, d. l. prima, §. dies autem.

Si quis ipſius quidem, à quo appellauit adeundi facultatem non habuerit: eius autem, ad quem appellauit, habeat copiam: uidendum eſt, an ei præſcribi poſsit, quod eum non adierit, & hoc iure utimur, ut ſi alterius adeundi fuerit copia: præſcriptio locum habeat, d. l. prima, §. ſi quis.

In propria cauſa biduum accipitur. propriam cauſam ab aliena, quemadmodum diſcernimus? & palàm eſt, eam propriam eſſe cauſam, cuius emolumentum uel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet. quare procurator, niſi in rem ſuam datus eſt, tertium diem habebit, d. l. prima, §. in propria.

In ſuam autem rem datus magis eſt, vt alterum diem obſeruet. at ſi in partem proprio nomine, in partem pro alieno litigat: ambigi poteſt, utrum ne biduum, an triduum obſeruetur, & magis eſt, vt ſuo nomine biduum, alieno triduum obſeruetur, d. l. prima, §. in ſuam.

Tutores, item defenſores rerum publicarum, & curatores adoleſcentium, vel furioſi tertium diem habere debent: idcirco, quia alieno nomine appellant. ex hoc apparet, tertio die prouocandum defenſori: ſi modo quaſi defenſor cauſam egit, non ſuo nomine: cum obtentu alieni nominis ſuam cauſam agens, tertio die appellare poſsit, d. l. prima. §. tutores.

Si quis ſuſpectum tutorem faciens non obtinuerit: appellare eum intra triduum debere, Iulianus ſcribit, profecto quaſi pupilli defenſorem, ſi aduerſus abſentem fuerit pronunciatum, biduum uel triduum, ex quo quis ſcit, computandũ eſt, non ex quo pronunciatum eſt. Quod autẽ dicitur, abſentẽ poſſe prouocare, ex quo quis ſcit, ſic accipimus, ſi non in cauſa per procuratorem defenſus eſt: nam ſi ille non prouocauit: difficile eſt, vt hic audiatur, d. l. prima, §. ſi.

Si procuratorio nomine egeris, & uictus appellaueris, deinde iniuſta appellatio tua fuerit pronuntiata: poteſt dubitari, num ſecundo die appellare debeas: qa cum de tua iniuſta appellatione pronunciatum ſit, tua interfuiſſe uidetur, ſed rectius dicetur, tertia die appellare te poſſe, quia nihilominus alienam cauſam defenderis, ſed ſi alius, quàm qui iudicio expertus eſt, appellet: qualis eſt is cuius intereſt: an etiam tertia die appellare poſsit, uideamus, ſed dicendum eſt, ſecunda die appellare eum debere, quia verum eſt, eum ſuam cauſam defendere; contrarium eſt ei, ſi dicat idcirco ſibi licere intra triduum appellare, quia uidetur quaſi alieno nomine appellare: quando ſi velit cauſam ſuam alienam videri, ſemetipſum excludat: quia in aliena cauſa ei, qui iudicio expertus non eſt, appellare non liceat, ff. eo. l. ſecunda, in prin.

Illud uideamus: ſi cum Imperatori ſcriberetur, exemplum literarum litigatori editum ſit, neque is appellauerit, & poſtea contra eum reſcriptum ſit, an appellare à literis pridem ſibi editis poſsit. quia qui tunc non appellauit, uera eſſe, quæ ſcripta ſunt, conſenſiſſe videtur, nec audiendus eſt, ſi dicat euentum reſcripti ſe ſuſtinuiſſe, ff. eo. l. fina.

DE

DE APPELLATIONIBVS RECIPIENDIS, VEL NON. Titulus XIIII.

NOn solent audiri appellantes: nisi hi, quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negocium alienum gerũt, quod mox ratum habeatur: sed & si cum mater filii rem sententia euersam animaduerterit, prouocauit pietati dans: dicendum est, & hanc audiri debere, & si litem præparandam curare maluerit: intercedere non videtur licet ab initio defendere non potest, ff. de app. rec. l. prima.

Ante sententiam appellari potest, si quæstionem in ciuili negocio habendam iudex interlocutus sit: vel in criminali, si contra leges hoc faciat, ff. eo. l. secunda.

Intra triduum appellare licet ei, qui de suspecto tutore egit, uictusque appellat, ff. eod. l. tertia.

Eius qui ideo causam agere frustratur, quod dicit se libellum Principi dedisse, & sacrũ rescriptum expectare, audiri desiderium prohibetur, & si ob eam causam prouocauerit, appellatio eius recipi sacri cõstitutionibus uetat. ff. eo. l. quarta.

Ei cuius appellatio non recipitur sufficit, si possit dicere, appellationem suam nõ esse receptam, quod quaqua ratione doceat, admittetur ei appellatio. Non recepta autem appellatione, si quidem Principem appellari oportuit: Principi erit suplicandum. si uero alius appellabitur, quàm Princeps, ille erit adeundus, sed & si quid aliud post receptam appellationem impedimentum factum fuerit, eum adiri oportet, quem appellare quis debet. Planè si appellatione non recepta, non ipsum adierit, quem debuit, sed Principem pro eo habebitur, atque si is aditus sit, qui adiri debuit. idque rescripto Imperatoris Antonini declaratur. Planè si alium pro alio adiit, non Principem, nihil ei hic error proderit, licet non videatur cessasse. Intra constituta autem appellatoria tempora debet is, cuius appellatio non est recepta, uel competentem iudicem, vel Principem adire. ff. eod. l. sexta.

Sciendum est, cum appellatio non recipitur, præcipi sacris constitutionibus, omnia in eodem statu esse, nec quidquam nouari, etiam si contra fiscum appellatum sit, eumq;, qui appellationem, non recipit, opinionem suam confestim per relationem manifestare: & causam pro qua non receperit appellationem, eiusque exemplum litigatori reddere debere, mandatis cauetur. ff. eod. l. penul.

Si res dilationem non recipiat, non permittitur appellare: veluti ne testamentum aperiatur (vt Diuus Hadrianus constituit) ne furmentum in usum militum in annona subsidia contrahatur, nevè scriptus hæres in possessionem inducatur. Item si ex perpetuo edicto aliquid decernatur: in qno minus fiat, nõ permittit appellare. Item qđ minus pignus uendere liceat appellari non potest, ff. eo. l. fi.

DE TEMPORIBVS ET REPARATIONIBVS APPELLATIOnum, seu consultationum. Tit. XV.

TEmpora fatalium dierum emendata sunt. Nam primi quidem fatalis diei tempora, post appellationem sex mensium est. Quod si primo fatali die lapsus est appellator, tricesimumprimum diem alterũ fatalium debetur. Quod si in eo quoq; appellator exciderit, tertium similiter, totidem diebus intermissis fatalem obseruari decernitur. Quod si tertius quoque lapsus fuerit temporalis: quartum etiam fatalem

talem post tricesimumprimum diem obseruari decernitur. Quod si ita contigerit, vt quatuor fatalibus diebus, qui appellauit, exciderit: tunc intra trium aliorum mensium spacium Principe reparatio petitur. qua petita nec aduersarius admonendus est. vt trium mensium spacio ex quarto fatali numerando causa inducitur. Nec hoc parti nocebit aduersæ, cum non dubius, sed notus omnibus dies fatalis appareat. Illud etiam circa obseruationem fatalium dierum custodiri decernitur: ut si forte temporales in feriatos dies quoquo modo inciderint: præcedentes eos dies, vt temporales à litigantibus obseruentur. Quod si quis secus, ac iura præcipiunt, lapsus dies fuerit temporalis, & hoc primo loco à præsente aduersario, vel etiam iudice, si solus litigat, appellator, fuerit oppositum, probatumque pro eo habebitur appellator, ac si sententiam quoquo modo non coactus susceperit, C. de tempor. & repara. l. secunda.

Licentia quidem patet in exercendis consultationibus, tàm appellatori, quàm aduersæ parti, nouis etiam assertionibus utendi, vel exceptionibus, quæ non ad nouum capitulum pertinent, sed ex illis oriuntur, & illis coniunctæ sunt, quæ apud anteriorem iudicem non sunt propositæ, sed & si qua dicta quidem allegatio monstrabitur, vel instrumentum aliquod prolatum, probationes tamen illo quidem defuerunt tempore: verum apud sacros cognitores sine procrastinatione præberi potuerunt: id quoque eos admittere, quo exercitatis iam negociis pleniore subueniatur veritatis lumine, C. eod. l. quarta.

Ex Nouella const cxv.

Ex quo nonnunquam inter litigatores contingit, vt altera quidem partium suis allegationibus renunciet altera verò cognoscens, quod malam habitura sit causam post tractatam in iudicio litem, & dilationes, quas probationum causa leges concedunt, profiteri nolit, contentam se allegationibus esse, neque alia de causa, quàm ne celerius causæ qualitas agnoscatur: iubetur ut cum una partiũ suis renunciauerit allegationibus, altera verò pars dixerit habere se, quod adiicere debeat: causæ iudex omnibus modis eam partem, quæ dilatione utitur, compellat intra triginta dies, quam altera pars renũciauerit, citra ullam dilationem, quod vult proponere. quod si non fecerit: tunc vt improbitas eius superetur, alter ei mensis indulgetur à iudice. Si sic quoq; differat: item alterius ei mensis dilatio præbeatur, ita tamen, vt si intra prædictos tres menses, qui litem protelantibus litigatoribus conceduntur, allegationes, suas non proposuerit: iudex non amplius expectans, omnibus modis sententiam legibus conuenientem proferat, aut (si voluerit) referat: quominus litigatoribus improbo studio contendentibus liceat causarum euentus in longum protrahere. nou. const. cxv, ut cum de appel. cognoscitur, §. sed & hoc.

QVORVM APPELLATIONES NON RECIPIVNTVR. Titulus XVI.

Eius, qui per contumaciam absens, cum ad agendam causam vocatus esset, condemnatus est, negocio prius summatim perscrutato: appellatio recipi nõ potest, C. quorum appell. non recipi, l. prima

Nulli officialium à sententia proprii iudicis prouocatio tribuatur: nisi in eo tantum ne-

tum negocio, quod ratione ciuili super patrimonio forte apud proprium iudicem inchoauerit: scilicet, vt in eo tantum negocio in sententia eius, cui paret, iudicis, quis quis velit, officialis appellet. quod per procuratorem etiam persequi iure tribuitur, C. eo. l. tertia.

Abstinendum prorsus ab appellatione sancitum est, quoties fiscalis calculi satisfactio postulatur, aut tributariæ functionis solenne munus exposcitur: aut publici vel etiam priuati (dummodo euidentis, atque conuicti) rehibitio debiti flagitatur, aut necessario in contumacem vigor iudiciarius excitetur, C. eodem. l. quarta.

Ab executione appellari non posse, satis & iure & constitutionibus cautum est, nisi fortè executor sententiæ modum iudicationis excedat, à quo si fuerit appellatum: executione suspensa, decernendum est, vt si res mobilis est ad quam restituendam executoris opera fuerit indulta: appellatione suscepta, possessori res eadem detrahatur, & sequestro idoneo collocetur reddenda ei parti, pro qua sacer cognitor indicauerit. Quòd si de possessione, vel de fundis executio cessauerit, & eam suspenderit prouocatio: fructus omnes, qui tempore interpositæ prouocationis capti, vel postea nati erunt: in deposito collocentur, iure fundi penes eum, qui appellauerit, constituto. Sciant autem prouocatores sel, vel ab executione appellantes, vel ab articulo, si eos perperam intentionem cognitoris suspendisse claruerit: quinquaginta librarum argenti animaduersione multandos, C. eod. l. quinta.

Quisquis ne uoluntas defuncti testamento scripta referetur, vel ne ii, quos scriptos patuerit hæredes, in possessionem mittantur, ausus fuerit prouocare, interpositamque appellationem is, cuius de ea re notio erit, recipiendam esse crediderit uiginti librarum auri multa, & litigatorem, qui tàm importunè appellauerit, & iudicē, qui tàm ignauā continentiā adhibuerit, inuoluat, C. eo. l. sexta.

Ante sententiæ tempus & ordinem euentus, nec à discussore, nec à rationali appellari liceat, C. eo. l. penul.

Et publicarum necessitatum, & priuati ærarii deposcit utilitas, ne commoda quæ domui Principis debentur, callidis debitorum artibus differantur. Quamobrē eorum appellatione reiecta, qui apertè manifesteq; conuicti sunt: hoc obseruatur, ut ei quem constiterit esse publicum debitorem appellationis beneficium denegetur, C. eod. l. fin.

AN PER ALIVM CAVSAE APPELLATIONVM REDDI posint. Titulus XVII.

Qværi solet, an per alium causæ appellationis reddi posint. quæ res in rebus pecuniariis, & in criminibus agitari consueuit. & in rebus pecuniariis sunt rescripta, posse agi verba rescripti, ita se habent. DIVI FRATRES LONGINO. SI TIBI, QVI APPELLAVIT, MANDAVIT, VT EVM DE APPELLATIONE, QVAM POLLIA AD EVM FECIT, DEFENDERES, ET RES PECVNIARIA EST: NIHIL PROHIBET, NOMINE EIVS TE RESPONDERE. SIN AVTEM NON SIT PECVNIARIA CAVSA, SED CAPITALIS: PER PROCVRATOREM AGI NON LICET. SED ET SI EA CAVSA EST, EX QVA SEQVI SOLET POENA, VSQVE AD RELEGATIONEM NON OPORTET PER ALIVM CAVSAM;

AGI SED IPSVM ADESSE AVDITORIO DEBERE, SCIENDVM EST. Planè si pecuniaria causa est, ex qua ignominia sequitur: potest & per procuratorem hoc agi. idque erit probandum, & in ipso accusatore, si appellauerit, vel si aduersus eum sit appellatum. & generaliter, quæ causa per alium agi non potest, eius nec appellationem per alium agi oportet, ff. an. per. alium, causa appel. l. prima.

Si procurator absentis appellauerit, deinde rationes reddiderit: nihilominus ipse respondere debet: sed an eo cessante dominus litis respondere posit exemplo adolescentis, videamus magis tamen obseruatur, ut audiri debeat in causis appellationis reddendis is, cuius absentis procurator appellauit, ff. eo. l. fi.

SI TVTOR VEL CVRATOR, VEL MAGISTRATVS CREAtus appellauerit. Tit. XVIII.

SI quid ad munera publica nominati appellauerint, nec causas probauerint: sciant ad periculum suum pertinere si quid danni per moram appellationis Reipublicæ acciderit. quod si apparuerit eos necessario prouocasse: cui adscribendum sit, id damnum præses, vel Princeps æstimabit, ff. si tutor uel cur. appel. l. prima.

Tutor vel curator retentus si prouocauerit, & ante causam actam moriatur: propter periculum medii temporis successores eius causas appellationis necesse habent reddere, ff. eod. l. fin.

APVD EVM, A QVO APPELLETVR, ALIAM CAVSAM agere compellendum. Tit. XIX.

SI quis ex alia causa appellauerit à iudice, an in alia causa eundem iudicem habere necesse habeat, videamus. & hodie hoc iure vtimur, vt tametsi appellatio interposita sit: tamen apud eundem iudicem, à quo quis prouocauerit, compelletur alias causas, si quas habet, agere: nec utetur hoc prætextu, quasi ad offensum iudicem non debeat experiri, cum posit denuoque prouocare, ff. apud eum a quo appel. l. vnica.

SI PENDENTE APPELLATIONE MORS INTERVENERIT. Titulus. XX.

APpellare defuncto, siquidem sine hærede, cuiuscunque generis appellatio fuerit, euanescit. Quod si appellatori hæres extiterit, siquidem nullius alterius interest causas appellationis reddi: cogendus non est peragere appellationem, si uerò fisci, vel alterius, contra quem appellatio est, intersit: hæres causas appellationis reddere necesse habet. Nullius autem interest, veluti cum sine ademptione bonorum relegatus est. nam si ademptis bonis relegatus, vel insulam deportatus, prouocatione interposita, decesserit: Imperator Alexander Pilletorio militi, ita rescripsit. QVAMVIS PENDENTE APPELLATIONE MORTE REI CRIMEN EXTINCTVM SIT: DATA TAMEN ETIAM DE PARTE BONORVM EIVS SENTENTIA PROPONITVR ADVERSVS QVAM NON ALITER IS, QVI EMOLVMENTVM SVCCESSIONIS HABET,

BET, OBTINERE POTEST, QVAM SI IN REDDENDIS CAVSIS APPELLATIONIS INIQVITATEM SENTENTIAE DETEXERIT.

Tutor quoq; in negocio pupilli appellatione interposita, si decesserit, hæredẽ eius causas appellationis reddere necesse est, etiam si rationes tutelę hæres reddiderit: quia sufficit mortis tempore ad causas appellationis reddendas obligatum fuisse. sed diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt: non cogendũ tutorẽ post rationes redditas causas appellationũ reddere, ff. si pen. app. mor. l. uni.

Etiam post mortem eius, qui appellauit, necesse est hæredibus eius, vel reddere causas prouocationis, vel statutis adquiescere, C. eo. l. prima.

Eius, qui requirendus ad notatus appellauit, & ante actam causam mortuus est, bona ad successorem pertinere, placuit, C. eo. l. secunda.

Si is qui ademptis bonis in exilium datus est, appellauerit, ac pẽdente prouocatione defunctus est: quamuis crimen in persona eius euanuerit: tamen causam bonorum agi oportet. nam multum interest utrum capitalis pœna irrogata bona quoque reo adimat, quo casu morte eius extincto crimine, nulla quæstio superesse potest: an uero non ex damnatione capitis, sed speciali præsidis sententia bona auferantur. tunc etenim subducto reo, sola capitis causa perimitur, bonorum remanente quæstione, C. eo. l. tertia.

Si pater tuus ad decurionatum deuocatus appellationem interposuit, eaq; pendente concesit in factum: honoris eius quæstio morte finita est, C. eo. l. quarta.

Si unus ex litigatoribus adhuc pendente appellatione defunctus sit: nõ residuum tantum temporis hæredes eius habent, sed etiam alios quatuor menses. sin autem ad deliberationem hæreditatis certum tempus indulgetur, post elapsum eius temporis quatuor mensium spacium numerabitur: ne ignorantes negocium, vel etiam super adeunda hęreditate dubitantes, priusquam aliquod commodum sentiant damnis affici compellantur, C. eo. l. fin.

DE IIS, QVI PROPTER METVM IVDICIS NON APpellauerunt. Titulus XXI.

SI contra te iure pronunciatum est, nec appellationis auxilium imploratum est: intelligis adquiescere te statutis oportere. in sacro enim comitatu Principis timere nihil potuisti, C. de iis qui per met. iud. non appell, l. prima.

His, qui tempore competenti non appellant, redintegrandæ audientiæ facultas denegatur. omnes igitur, qui sub specie formidinis prouocationem non arbitrantur interponendam: à reuocanda lite repellantur. Qui uero uim sustinuerunt: contestatione publicè proposita, intra dies legitimos uidelicet, quibus appellare licet, causas appellationis euidenti adfirmatione distinguant: ut hoc facto tanquam interposita appellatione iisdem æquitatis adminicula tribuantur, C. eod. l. fin.

Imperator Alexander vniuersitati Græcorum in Bithinia. Quamquam non uideo quo pacto iudices prohibere possint, quominus quis prouocet, cum aliam viam capescenti, idem efficere, celeriusq; ad me peruenire liceat: ne tamen iniuria aut ui aduersus prouocantes vtantur, custodiaq; militari eos circumsistãt, & vt simpliciter dicam, aditũ illis ad nos obstruant, curatoribus principibusq; gentium prohibemus: obedientq; huic meæ promulgationi, scientes non magis mihi illorum beneuolentiam obedientiamq; curæ esse, quam subditorum libertatem, ff. de appell. l. Imperator, 25.

Minimè fas est, vt in ciuili negocio, libellis appellatoriis oblatis, aut carceris cruciatus, aut cuiuslibet iniuriæ genus, seu tormenta, vel etiam contumelia perferrat appellator: absq; iis criminalibus causis, in quibus etiam si prouocare posit, eum tamen statum debet obtinere, vt post prouocationem in custodia. (si fideiussoris idonei copiam non habeat) perseueret, C. de app. l. minimè. xii.

Si quis prouocatione interposita suspecti iudicis velit prolatam euictare sententiam: in hac voce liberam habet potestatem, nec timebit contumeliam iudiciorum, cum & ab ipsa iniuria posit facile prouocari, C. de appel. l. si quis, 30.

SI VNVS EX PLVRIBVS APPELLAVERIT. Tit. XXII.

SI iudici probatum fuerit, vnam eandemq; condemnationem eorum quoque, quorum appellatio iusta pronunciata est, fuisse, nec diuersirate factorum separationem accipere: emolumentum victoriæ secundum ea, quæ constituta sunt, ad te quoq; qui non prouocari pertinere non ignorabit, C. si unus ex pluri. appel. l. prima.

Si in una eademq; causa unus appellauerit, eiusq; iusta appellatio pronunciata est: ei quoque prodest, qui non appellauerit. Quod si ætatis auxilio vnus contra sententiam restitutionem impetrauerit: maiori, qui suo iure non appellauerit, hoc rescriptum non prodest, C. eo. l. fin.

Si qui separatim fuerint condemnati, quamuis ex eadem causa, pluribus eis appellationibus opus est, ff. de app. l. si qui. x.

Si quis cum una actione ageretur, quæ plures species in se habeat, pluribus summis sit condemnatus, quarum singulę notionem Principis non faciunt, omnes autem coniunctæ faciunt, quid dicendum est, & poterit ad Principem appellare, sed cum aduersus plures probatæ essent rationes, quæ eis nocerent sufficiat eis una appellatio: quia uno titulo comprobatarum rationum omnes conueniebantur, d. l. si qui, §. §. si quis.

Quoties autem plures in unam summam condemnantur, utrum una sententia est, & quasi plures in unam summam sint rei promittendi, ut vnusquisque eorum insolidum teneatur: an verò scinditur in personas eorum sententia, quæritur. & Papinianus respondit scindi sententiam in personas. atq; ideo eos, qui condemnati sint, viriles partes debere, d. l. si qui, §. quoties.

Quod rescriptum est in communi causa, quoties alter appellat, alter non, alterius victoriam etiam ei proficere, qui non prouocauit: hoc ita demum probandum est, si una eademq; causa fuerit defensionis. cæterum si diuersæ, alia causa est: ut in duobus tutoribus procedit, si alter tutelam gesserat, alter non attigerat: & is, qui non gesserat, prouocauit iniquum est enim eum, qui idcirco agnouerat sententiam, quoniam gesisse se scit, propter appellationem eius, qui non gesserat, obtinere, d. l. si quis, §. fin.

Cum in una causa separatim duplex sententia diuisa datur, ueluti una sortis, alia pro interesse: duplex appelatio necessaria est: ne alteram agnouisse, de altera prouocasse intelligatur, ff. eo. l. cam in una, 17. In prin.

SI DE MOMENTARIA POSSESSIONE FVERIT appellatum. Tit. XXIII.

CVm de possessione, & eius momento causa dicitur: & si appellatio interposita fuerit: tamen lata sententia sortitur effectum. ita tamen possessionis reformationem

formationem fieri oportet, vt integra omnis proprietatis causa seruetur, C. si de nomen. possess. fuit appel. l. vnica.

DE LIBELLIS DIMISSORIIS, QVI APOSTOLI DICVNTVR. Titulus XXIIII.

POst appellationem interpositam literæ dandæ sunt ab eo, à quo appellatum est ad eum, qui de appellatione cogniturus est, siue Principem, siue quem alium, quas literas, dimissorias, siue Apostolos appellant. sensus autem literarum talis est: appellasse (puta) Lucium Titium à sententia illius, quæ inter illos dicta est. sufficit autem petisse intra tempus dimissorias instanter & sæpius: ut & si non accipiat, idipsum contestetur. nam instantiam repetentis dimissorias, constitutiones desiderant. Aequum est igitur, si per eum steterit, qui debebat dare literas, quò minus det, ne hoc accipienti noceat, ff. de libel. dimiss. l. unica.

Præses prouinciæ ad quem appellasti, si non vicio negligentiæ uestræ tempus quod ad redendos Apostolos præscriptum est, exemptum esse animaduerterit, sed ex fatalis casus necessitate diem functo eo, qui eos perferebat, id accidisse cognouerit: iuxta perpetui iuris formam desiderio vestro medebitur, C. de appella. & consul. l. quinta.

Si quis libellos appellatorios ingesserit: sciat se habere licentiam arbitrium commutandi, & suos libellos recuperandi, ne iustæ pœnitudinis humanitas imputetur, C. eod. l. si quis, 28.

NIHIL IN NOVARIA APPELLATIONE INTERPOSITA. Titulus XXV.

APpellatione interposita, siue ea recepta sit, siue non: medio tempore nihil nouari oportet. siquidem fuerit recepta appellatio: quia recepta est. si verò non est recepta: ne præiudicium fiat, quoad deliberetur, utrum recipienda sit appellatio, an non sit. Recepta autem appellatione, tamdiù nil erit innouandum, quamdiù de appellatione fuerit pronuntiatum. si quis ergo forte relegatus fuerit, & appellauerit: nō arcebitur, neq; in Italia, neq; in Prouincia, qua relegatus est. Propter eandem rationem, & si quis deportatus fuerit ab eo, cui deportandi ius est, vel adnotatus, neq; uincula pacietur, neq; ullam aliam iniuriam, quam patitur, qui sententiæ non adquieuerat. integer enim status esse uidetur prouocatione interposita. Ergo & si abstinere ordine iussus sit, & prouocauerit eadem rationem pōt cetum participare: cum hoc sit constitutum, & sit iuris, ne quid pendente appellatione nouetur. si quis ex pluribus facinoribus condemnatus. propter quędam appellauit, propter quædam non, vtrum differenda pœna eius sit, an non, quæritur. & siquidem grauiora sint crimina, ob quæ appellatio interposita est, leuius autem id, propter quod quis non appellauerit: recipienda est omnino appellatio, & differenda pœna. si uerò grauiorem sententiam meruit: ex ea specie ex qua non est appellatum, omnimodo pœna imponenda est, ff. nihil in no. appel. l. unica.

NE LICEAT IN VNA EADEMQVE causa tertio prouocare, vel post duas sententias quas definitio iudicium roborauerit, Eas retractare. Tit. XXVI.

SI quis in quacunque lite iterum prouocauerit: non liceat ei tertio in eadem lite super iisdem capitulis prouocatione uti: licentia danda litigatoribus, arbitro dato, ipsius audientiam, qui eum dedit, ante litis contestationem inuocare, & huiusmodi petitione minimè prouocationis vim obtinente, C. ne liceat in una prouoc. lege unica.

QVAE SENTENTIAE SIN APPELLATIONE rescindantur. Et quando prouocare non est necesse. Titulus XXVII.

ILlud meminerimus: si quæratur, iudicatum sit, necne, & huius quæstionis iudex non esse iudicatum pronunciauerit: licet fuerit iudicatum, rescinditur, si prouocatam non fuerit. item si calculi error in sententia esse dicatur, appellare necesse non est: ueluti si iudex ita pronunciauerit, CVM CONSTAT TITIVM SEIO, EX ILLA SPECIE QVINQVAGINTA, ITEM EX ILLA SPECIE VIGINTIQVINQVE DEBERE: IDCIRCO LVCIVM TITIVM SEIO IN CENTVM CONDEMNO. nam cum error computationis est, nec appellare necesse est, & citra prouocationem corrigitur. Sed & si huius quæstionis iudex sententiam centum confirmauerit: si quidem ideo, quòd quinquaginta & uigintiquinque putauerit fieri cētum: adhuc idem error computationis est, nec appellare necesse est si uero ideo, quoniam & alias species uigintiquinque fuisse dixerit: appellationi locus est, ff. quæ sent. sine appell. l. prima, in princ.

Errorem calculi, siue ex uno contractu, siue ex pluribus emerserit, veritati non adferre præiudicium sæpe constitutum est. Vnde rationes etiam sæpe computatas denuo retractari posse si res iudicatæ non sunt, vel transactio non interuenit explorati iuris est. Sed & si per errorem calculi, vel ut debitum promisisti quantitatem cum esset indebita condictio liberationis tibi competit, C. de errorem calculi, l. unica.

Item cum contra sacras constitutiones iudicatur, appellationis necessitas remittitur. Contra constitutiones autem iudicatur, cum de iure constituto, non de iure litigatoris pronunciatur. nam si iudex uolenti se ex cura muneris, vel tutelæ beneficio liberorum, uel ætatis, aut priuilegii excusare dixerit, neque filios, neque ætatem, aut ullum priuilegium ad muneris, vel tutelæ excusationem prodesse, de iure constituto pronunciasse intelligitur. Quod si de iure suo probantem admisserit, sed idcirco contra eum sententiam dixerit, quod negauerit eū de ætate sua, aut de numero liberorum probasse: de iure litigatoris pronuntiasse intelligitur, quo casu appellatio necessaria est, d. l. prima, §. item cum contra.

Item cum ex edicto peremptorio, quod neq; propositum est, neq; in notitiam peruenit, absentis condemnatio fit: nullius momenti esse sententiam, constitutiones demonstrant, d. l. prima. §. item cum.

Si apud eundem iudicem inuicem petamus: si mea & tua petitio sine interesse fuit,

fuit,& iudex me priorem tibi condemnauit: quò magis tu prior me condemnatum habeas,non eſt mihi neceſſe pro hac cauſa appellare: quando ſecundum ſacras conſtitutiones iudicatum à me petere non poſsis priuſquam de mea quoque petitione iudicetur,ſed magis eſt, vt appellatio interponatur, dicta lege prima,§.finali.

Paulus reſpondit eum, qui in rebus humanis non fuit ſententiæ dictæ tempore, ineſficaciter condemnatum uideri.item reſpondit.aduerſus eum,qui in rebus humanis non eſſet,cum iudex datus eſt,neq; iudicis dationem valuiſſe, neque ſententiam aduerſus eum dictam uires habere,ff.eo.l.ſecunda.

Paulus reſpondit.impoſsibile præceptum iudicis nullius eſſe mouenti. Idem reſpondit.ab ea ſententia, cui pareri rerum natura potuit, ſine cauſa appellari. ff.eodem,l.fina.

Latam ſententiam dicitis,quam ideo uires non habere contenditis,quod contra res prius iudicatas,à quibus prouocatum non eſt lata ſit. Cuius rei probationem ſi promptam habetis: etiam citra prouocationis adminiculum, quod ita pronunciatum eſt,ſententiæ authoritate non obtinebit, C. quando prouoca. non eſt,l.prima.

Si (ut proponis) ſuſpenſa apud amplisſimos iudices cognitione prouocationis, quam te ob id interpoſuiſſe dicis,quod decurio nominatus eſſes,ad duumuiratum vocatus es,manifeſtum eſt præiudicium futuræ notioni memoratorum iudicum fieri non potuiſſe.C.eod.l.ſecunda,

Cum magiſtratus datos iudices, & unum ex iis pronunciaſſe proponas: non uidetur appellandi neceſsitas fuiſſe cum ſententia iure non teneat . C. eodem, l.tertia.

Certa ratione & ſine multare præſides poſſunt,quod ſi aliter & contra leg is ſtatutum modum præſes prouinciæ multam uobis irrogauerit: dubium non eſt, id, quod contra ius geſtum uidetur, firmitatem non tenere, & ſine appellatione poſſe reſcindi,C.eo.l.quarta.

Cum non ex eo die,quo præſes prouinciæ præcepit,iudex ab eodem datus pronũciauerit,ſed ductis diebus,alieniore tempore ſententiam dediſſe proponatur: ne ambages fruſtra interpoſitæ prouocationis ulterius negocium protrahant: præſes prouinciæ,ſuperſticioſa appellatione ſubmota,ex integro inter uos cognoſcet,C.eo.l.quinta.

Venales ſententias,quæ in mercedem à corruptis iudicibus profeurntur, & citra interpoſitæ prouocationis auxilium, iampridem à diuis principibus infirmas eſſe,decretum eſt,C.eo.l.ſeptima.

Si pater tuus,cum decurio creareris, non conſenſit, & quindecim annos ætatis agis: aditus præſes prouinciæ ſi inhabilem te ad eandem decurionatus honorem eſſe proſpexerit: quando huiuſmodi ætatis etiam prætermiſſa appellatione ſubueniatur: iniquam nominationem remouebit,C.eo.l.octaua.

Veteranis,qui in legione vel vexillatione militantes,poſt uiceſima ſtipendia honeſtam vel cauſariam miſsionem conſecuti ſunt, onerum & munerum perſonalium vacatio conceditur ea prouocandi neceſsitas remittitur , C. eodem, l.penultima.

Omnem honorem ſaluum iudicibus reſeruantes, ſi quando vna pars, quaſi læſa per definitiuam eorum ſententiam,prouocatione vſa fuerit : interdicimus alteri parti,quæ uicit,pro hoc tantummodo, quod nihil capere pro ſumptibus litis & detrementis,vel minus, quàm oportuerat, iuſſa eſt, pcouocationem of-

ferre, cum & ipsa decisionem litis rectè factam esse confiteatur iudicibus ordinariis, quibus pro minore litium æstimatione consultationes delegantur (si prospexerit, adiuuandum esse victorem sumptuum perceptione) etiam sine prouocatione eius hoc statuentibus, & iustam eorundem sumptuum quantitatem definientibus, sed nec occasione consultationis introducendæ uictori prouocare conceditur cum & priscis legibus liceat ei, & sine prouocationis auxilio eandem consultationem differente suo aduersario introducere, C. eodem, l. finali.

Nominationes libellis, vel edictis factæ citra consilium publicum non ualent, de quibus nec appellare necesse est, si solennitas deest, C. de appell. l. nominationes, 27.

Finis Libri Tertij.

COM-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omisſis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quartus.

DE OFFICIO IVDICIS. Titulus I.

SVPEREST, vt de officio iudicis diſpiciatur. Et quidem in primis illud obſeruare debet iudex, ne aliter iudicet, quàm legibus,aut conſtitutionibus,aut moribus proditum eſt. ideoq́ue ſi in rem actum ſit corã iudice, ſiue contra petitorem iudicauerit,abſoluere debet poſſeſſorem: ſiue contra poſſeſſorem,iubere ei debet,ut rem ipſam reſtituat cum fructibus ſed ſi poſſeſſor neget impreſenti ſe reſtituere poſſe & ſine fruſtratione videbitur tempus reſtituendi cauſa petere , indulgendum eſt ei,vt tamen delitis æſtimatione caueat cum fideiuſſore ſi intra tempus quod ei datum eſt non reſtituerit.Inſt.de officio iudicis.in prin.

Et ſi hæreditas petita ſit,eadem circa fructus interueniunt,quæ diximus interuenire de ſingularum rerum petitione illorum autem fructuum , quos culpa ſua poſſeſſor non perceperit ſiue illorum,quos perceperit, in vtraque actione, eadem ratio pœnæ habetur ſi prædo fuerit.ſi vero bonæfidei poſſeſſor fuerit,non habetur ratio,neque conſumptorum,neque non perceptorum. Poſt inchoatam autem petitionem etiam illorum fructuum ratio habetur , qui culpa poſſeſſoris percepti non ſunt,vel percepti conſumpti ſunt.Inſt.eod.§.& ſi hæreditas.

Si ad exhibendum actum fuerit,non ſufficit,ſi exhibeat rem is cum quo actum eſt ſed opus eſt,ut etiam rei cauſam debeat exhibere ideſt ut eam cauſam habeat actor,quam habiturus eſſet, ſi cum primum ad exhibendum egiſset , exhibita res fuiſset. Ideoque ſi inter moras exhibendi,vſucapta ſit res a poſseſsore nihilominus condemnabitur. Præterea fructuum medii temporis, ideſt, eius quod poſt acceptum ad exhibendum iudicium ante rem iudicatam interceſserit rationẽ debet habere iudex.Quod ſi neget reus,cum quo ad exhibendum actum eſt,impræſenti ſe exhibere poſse, & tempus exhibendi cauſa petat , idq́ue ſine fruſtratione poſtulare uideatur, dari ei debet vt tamen caueat ſe reſtituturum. Quod ſi neque ſtatim iuſſu iudicis rem exhibeat,neque poſtea exhibiturum ſe

caueat,

caueat, condemnandus sit in id quod actionis intereat, si ab initio res exhibita esset. Inst. eod. §. si ad exhibendum.

Si familiæ ercifcundę iudicio actum sit, singulas res singulis hæredibus adiudicare debet, & si alterius personam prægrauare videatur adiudicatio, debet hunc inuicem cohæredi certa pecunia (sicut iam dictum est) condemnare. eo quoque nomine cohęredi quisque suo condemnandus est, quod solus fructus hæreditarii fundi perceperit, aut rem hæreditariam corruperit. aut consumpserit. Quæ quidem similiter inter plures quoque, quam duos cohæredes subsequuntur. Inst. eod. §. si familiæ.

Eadem interueniunt, & si communi diuidundo de pluribus rebus actum sit. Quod si de vna re, veluti de fundo, si quidem iste fundus commode regionibus diuisionem recipiat, partes eius singulis adiudicare debet, & si vnius pars prægrauare videbitur, is inuicem certa pecunia alteri condemnãdus est. Quod si commode diuidi non possit, veluti si mulus erit, de quo actum sit, tunc totus vni adiudicandus est, & is inuicem alteri in certa pecunia condemnandus est, Institu. eodem. §. eadem.

Si finium regundorum actum fuerit, dispicere debet iudex, an necessaria sit adiudicatio: quæ sanè vno casu necessaria est, si euidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quàm olim fuissent distincti. Nam tunc necesse est, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adiudicari: quo casu conueniens est, vt is alteri certa pecunia debeat condemnari; eo quoq; nomine condemnandus est quisq; hoc iudicio, quod forte circa fines aliquid malitiosè cõmisit: verbi gratia, quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit. contumaciæ quoque nomine quisque eo iudicio condemnatur: veluti si quis iubente iudice metiri agros passus non fuerit. Quod autem istis iudiciis alicui adiudicatum fuerit, id statim eius fit, cui adiudicatum est. Inst. eod. §. si.

Quia interesse pecuniæ, & fructus officio iudicis præstantur. iste titulus continuatur post titulum. De officio iudicis mutato nomine de vsuris in interesse, ratione iam dicta prima parte. Lib. Sexto Tit. Decimo.

DE INTERESSE, ET FRVCTIBVS, ET CAVSIS ET OMnibus accessionibus, & mora. Titulus II.

CVM iudicio bonæfidei disceptatur, arbitrio iudicis interesse, modus ex more regionis, vbi contractum est, constituitur: ita tamen, vt legem non offendat, ff. de vsur. & fructi. &c. l. prima. in prin.

Socius si ideo condemnandus erit, quod pecuniam communem inuaserit, vel in suos vsus conuerterit omnimodo, etiam mora non interueniente, præstabitur interesse, d. l. prima. §. socius.

Nec tamen iudex iudicii bonęfidei recte iubebit interponi cautiones, vt si tardius sententiæ condemnatus paruerit, futuri temporis interesse præstatur cum in potestate sit actoris iudicatum exigere PAVLVS NOTAT. quid enim pertinet ad officium iudicis post condemnationem futuri temporis tractatus? PAPINIANVS circa tutelæ restitutionem pro fauore pupillorum latior interpretatio facta est. nemo enim ambigit hodie: siue iudex accipiatur, in diem sententiæ: siue sine iudice tutela restituatur, in eum diem, quo restituit interesse præstari. planè si tutelæ iudicio volentem experiri, tutor vltro conuenerit, & pecuniam obtulerit, eamque obsignatam deposuerit: ex eo tempore interesse non præstabit, d. l. prima, §. nec tamen.

Debitor

Debitor creditori pecuniam obtulit,& cum eam accipere noluiſſet,obſignauit ac depoſuit.ex eo die ratio non habebitur pro intereſſe.quod ſi poſtea conuentus vt ſolueret,moram fecerit,numi ſteriles ex eo tempore nō erunt,ff.e.l.ſeptima.

In iudicio negociorum geſtorum,vel mandati pro pecunia occioſa , intereſſe non præſtatur,ſi eam pecuniam depoſitam habuit idque,& conſuetudinem mandā tis feciſſet,ff.eod.l.qui ſemiſses.13.§.fin.

Cum intereſſe precii fundi ab eo,qui à fiſco emerat,peterentur, & emptor negare traditam ſibi poſſeſsionem imperator decreuit,iniquum quæ intereſſe ab eo exigi,qui fructus non percepiſſet,ff.eod.l.liberalitatis.16.§.fi.

Diuus Pius ita reſcripſit PARVM IVSTE INTERESSE PRAETERITVM PETIS CVM LONGI TEMPORIS INTERVALLVM INDICAT IPSVM OMISISSE QVI ILLVD A DEBITORE TVO VT GRATIOSIOR APVD EVM VIDELICET ESSES PETENDVM NON PVTASTI, ff.eod.l.cum quidam.17.§.Diuus.

In tacito fideicommiſſo omne emolumentum hæredi auferendum,& fiſco præſtādum Diuus Pius reſcripſit, & intereſse emolumentum auferetur hæredi, d.l. cum quidam.§.in tacito.

Si pupillo tutorem non habenti,fideicommiſſum ſolui non potuit:non videri morā per hæredē factam Diuus Pius reſcripſit ergo nec ei debetur, qui quod Reipublicæ cauſa habuerit,vel ex alia cauſa iuſta impeditus,ex qua reſtitutio indulgetur petere nō potuit. Quod enim poteſt imputari ei,qui ſoluere, etiam ſi vellet,non potuit?Nec ſimile videri poteſt,quod placuit:minoribus etiam in his ſuccurri quæ non adquiſierunt:intereſse enim non propter lucrum petentium ſed propter moram non ſoluentium infligitur, d.l.cum quidam.§.ſi pupillo.

Ex locato,qui conuenitur:niſi conuenerit,vt tardius pecuniæ illatæ intereſse deberet:non niſi ex mora intereſse præſtare debet,d.l.cum quidam.§.ex locato.

Fiſcus ex ſuis contractibus intereſse non dat,ſed ipſe accipit,vt ſolet à fornicariis qui tardius pecuniam inferunt: Item ex vectigalibus. Cum autem in locum priuati ſucceſsit,etiam dare ſolet,d.l.cum quidam.§.fiſcus.

Eos qui ex adminiſtratione rerum ciuitatum conueniuntur, pro intereſse obnoxios eſse ſatis notum eſt,d.l.cum quidam.§.eos,qui.

Si dies non ſit ab his,qui ſtatuas vel imagines ponendas legauerunt præfinitas à præſide tempus ſtatuendum eſt: & niſi poſuerint hæredes intereſse Reipublicæ pendent,d.l.cum quidam.§.fi.

Euictis agris,ſi initio conuenit,vt venditor precium reſtitueret intereſse quoque poſt euictionem præſtabitur quamuis emptor poſt dominii litem inchoatam fructus aduerſario reſtituerit. Nam incommodum medii temporis emptoris damnum eſt,ff.eod.l.euictus.18.in prin.

Poſt traditam poſseſsionem defuncto venditore cui ſucceſsor incertus fuit: medii quoque temporis intereſse precii,quod in cauſa depoſiti non fuit,præſtabitur,d.l.euictis.§.fin.

In bonæfidei contractibus ex mora intereſse debetur. Quid ergo ſi & filius familias,& pater ex perſona eius teneatur ſiue iuſsu eius cōtractum eſt,(ſiue in rem verſum eſt patris,vel in peculium) cuius perſona circa moram ſpectabitur?& ſi quidem pater duntaxat conuenitur ex mora ſua; non tenetur, in filium tamen dabitur actio in hoc, vt quo minus à patre actor conſecutus eſt, filius præſtet. Quod ſi filius morā fecerit:tunc actor vel cum ipſo inſolidū,vel cū patre dūtaxat de peculio actionem habebit. ſed ſi duo rei promittendi ſint:alterius mora

alteri

alteri nõ nocet.Itẽ ſi fideiuſsor ſolus morã fecerit: non tenet̃, ſicuti ſi æquũ ꝓ miſsũ acciderit: ſed vtilis actio in hunc dabitur, ff.e.l. mora.32.§.in bonæfidei.

SI bene collocatæ ſunt pecuniæ publicæ in ſortem, inquietari debitores non debent,& maxime ſi pariunt intereſſe ſi non parient: proſpicere Reipublicæ ſecuritati debet præſes prouinciæ: dummodo non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat ſed moderatum, & cum efficacia benignũ, & cũ inſtantia humanum. nam inter inſolentiam iniurioſum multum intereſt præterea proſpicere debet, ne pecuniæ publicæ credantur ſine pignoribus idoneis vel hypothecis, ff.eo.l.ſi bene.33.

Intereſſe vicem fructuum obtinet,& merito non debent à fructibus ſeparari: & ita in legatis,& fideicommiſsis,& in tutellæ actione, & in cæteris iudicis bonæ fidei ſeruatur. hoc in cæteris obuenientibus dicemus. Et in contraria negotiorũ geſtorum actione intereſſe venit ſibi mutuatus ſin pecuniã, vt creditorem tuum abſoluam, qui aut in poſleſsionem, mittẽdus erat bonorum tuorum, aut pignora venditurus. quid ſi domi habens propter eandem cauſam ſolui? verum eſt ſi liberaui te magno incommodo, debere dici intereſſe venire quod in ragione frequentatur. ſed ſi mutatus dedi illud intereſſe veniet quod ipſe pendo: vtiq; ſi plus tibi pręſtauerim cõmodi q̃ ex intereſſe colligatur, ff.e.l.& in cõtraria.37.

In eum diem, quo creditor pignora diſtraxit, rectè intereſſe fiet computatio, ff.eodem.l.in eum.40.

Tutor condemnatus per appellationem traxerat executionem ſententiæ. Herennius Modeſtinus reſpondit. eum, qui de appellatione cognouit potuiſſe (ſi fruſtratoriam morandi cauſa appellationem interpoſitam animaduerteret etiam pro intereſſe medii temporis eum condemnare, ff.eod.l.tutor.41.in prin.

Lucius Titius cum centum,& intereſſe aliquanti temporis deberet minorem pecuniam quàm deberet obſignauit quæritur an Lucius Titius pecuniæ, quàm obſignauit, intereſſe præſtare non debeat? Modeſtinus reſpondit. ſi non hac lege mutua pecunia data eſſet, vt liceret,& particulatim exſoluere: non retardari totius eius debiti intereſſe præſtationem, ſi (cum creditor paratus eſſet totum ſuſcipere) debitor, qui in exſolutione totius ceſſabat, ſolam partem depoſuit, d.l.tutor.§.Lucius Titius.

Herennius Modeſtinus reſpondit, eius temporis, quod ceſsit, poſtquàm fiſcus debitum percepit, eum, qui mandatis à fiſco actionibus experitur intereſſe quod in ſtipulatum deductum non eſt petere poſſe, ff.eod.l.Herennius.43.

Pœnam pro intereſſe ſtipulari nemo ſupra licitum modũ poteſt, ff.e.l.pęnam.44.

Conſtitutionibus ſacris quæ vltra certum modum intereſſe pecuniæ exigi prohibent mandatoribus etiam vel fideiuſſoribus ſubueum eſt quibus quaſi mandator, vel fideiuſſor conuentus vti poteſt, C.eod.l.conſtitutionibus.xx.

Lite conteſtata intereſſe currit, ff.eod.l.lite.35.

Generaliter obſeruari conuenit: bonæfidei iudicium non recipere præſtationes, quæ contra bonos mores deſiderantur, ff.eod.l.quinta.

Vulgo receptum eſt, vt quamuis in perſonam actum ſit poſt litem tamen conteſtatam cauſa præſtetur. cuius opinionis ratio redditur: quoniam quale eſt, cum petitur, tale dari debet: ac propterea poſt ea captos fructus, partumq; editum reſtitui oportet, ff.eod.l.ſecunda.

In fideicommiſsi perſecutione, cum poſt iudicis ſententiam moram feciſſet hæres, iuſsit Imperator Marcus Antoninus intermiſſo legitimo tempore, quod condemnatis præſtatur) vt uſque ad ſententiam fideicommiſſarius accipiat.

Quod

Quod decretum ita accipi oportet, si ante iudicis sententiam mora non interuenit. tametsi non facile euenire posit, vt mora non præcedente, perueniatur ad iudicem. sed puta legis falcidiæ rationem interuenisse. cæterum si antequàm ad iudicem perueniretur, in mora hæres fuit, exinde fructuum præstandorum necessitate adstrictus qua tandem ratione, quoniam & sententia victus est, legitimi temporis spatio fructibus liberabitur cum ea temporis intercapedo iudicato dilationem, dare non lucrum adferre debeat? In his quoque iudiciis, quæ non sunt arbitraria, nec bonæfidei, post litem contestatam actori causa præstanda est, in eum diem, quo sententia dicitur. Certe post rem iudicatam tẽpus à fructibus dependendis immune est, ff. eod. l. tertia. in prin.

Nonnunquam euenit & quamquam fructus hæreditarii aut pecuniæ interesse nominatim relictum non sit nihilominus debeatur, vt puta si quis rogetur post mortem suam quidquid ex bonis supererit, Titio restituere. vt enim ea quæ bonafide deminuta sunt, in causa fideicommissi non comprehenduntur, si pro modo cæterorum quoque bonorum deminuantur, ita quod ex fructibus supererit iure voluntatis restitui oportebit. d. l. tertia. §. Nunquid.

Cũ Pollidius à propinqua sua hæres institutus, rogatus fuisset, filiæ mulieris, quidquid ex bonis eius ad se peruenisset cum certam ætatem puella complesset, restituere, idq; sibi mater ideo placuisse testamento comprehendisset ne filiæ tutoribus, sed potius necessitudini res committeretur eundemq; Pollidium fundum retinere iussisset: præfectis prætorio suasit Papinianus fructus, qui bonafide à Pollidio ex bonis defunctæ percepti essent, restitui debere: siue quod fundum ei tantum prælegauerat, siue quod lubrico tutelæ fideicommissi remediũ mater prætulerat, d. l. tertia, §. cum Pollidius.

Si auro vel argento facto per fideicommissum relicto, mora interuenerit interesse æstimatio facienda est. Plane si materiam istam ideo reliquit, vt ea distracta pecunia fideicommissa solueretur, aut alimenta præstarentur. nõ oportere frustrationem impunitam esse responsum est. Quod si forte ideo reliquit, vt is vasis vteretur: non sine rubore desiderabitur interesse ideoq; non exigetur, d. l. tertia. §. final.

Pro auro & argento, facto chirographo licitum solui & promitti interesse iussit Constantinus Imp. C. eod. l. pro auro. 25.

Si stipulatus sim, REM DARI, VACVAMQVE POSSESSIONEM TRADI: fructus postea captos actione incerti ex stipulatu propter inferiora verba consecuturam te suadet, ff. eod. l. quarta in prin.

Equis per fideicommissum relictis, post moram fœtus quoque præstabitur, vt fructus: sed fœtus secundus, vt causa, ff. eod. l. equis.

Equis per fideicommisum legatis, post moram hæredis fœtus quoque debetur. Equitio autem legato, etiam si mora non intercedat in cremento gregis fœtus accedunt, ff. eod. l. equis. 39.

In pecudum fructu etiam fœtus est, sicut lac, pili, & lana. Itaque agni, & hædi, & vituli statim pleno iure sunt bonæfidei possessoris, & fructuarii, ff. eod. l. in pecudum. 28. in princip.

Videamus, an in omnibus rebus petitis, in fructus quoque cõdemnandus sit possessor, quid enim, si argentum, aut vestimentum aliamve similem rem? quid præterea, si vsumfructum, aut nudam proprietatem, cum alienus vsusfructus sit, petierit? neque enim nudæ proprietatis (quod ad proprietatis nomen attinet) fructus vllus intelligi potest. neque vsusfructus rursum fructus eleganter computabitur.

putabitur, quid igitur, si nuda proprietas petita sit? ex quo perdiderit fructuarius vsumfructum, æstimabuntur in petitione fructus. Item si vsusfructus petitus sit, Proculus ait, in fructus perceptos condemnari Præterea Gallus Aelius putat, si vestimenta aut scyphus petita sint, in fructu hæc numeranda esse, quod locata ea re mercedis nomine cœpi potuerit. Iter quoque & actus si petitus sit: vix est, vt fructus vlli possint æstimari, nisi si quis commodum in fructibus numeraret, quod habiturus esset petitos, si statim eo tempore, quo petisset, ire agere non prohiberetur. quod admittendum est, ff. eod. l. videamus. 19.

Qui scit fundum cum alio sibi communem esse: fructus, quos ex eo perceperit, inuito vel ignorante socio: non maiore ex parte suos facit, quam ex qua dominus prædiis est: nec refert ipse, an socius, an vterq; eos seuerit: quia omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. & quemadmodum si totum fundum alienum quis sciens possideat, nulla ex parte fructus suos facit, quoquo modo sati fuerint: ita qui communem fundum possidet, non faciet fructus suos pro ea parte, qua fundus ad socium eius pertinebit. ff. eo. l. qui sit. 25. in prin.

In alieno fundo, quem Titius bonafide mercatus fuerat, furmentum seui, an Titius bonæfidei emptor, perceptos fructus suos faciat? respondit Iulianus, quoniam in percipiendis fructibus magis corporis ius: ex quo percipiuntur, quàm seminis, ex quo oriuntur inspicitur. Ideo nemo vnquam dubitauit, quin si in meo fundo furmentum tuum seuerim: segetes. & quod ex messibus collectum fuerit meum fieret. Porro bonæfidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cum ad fructuariũ ptineant fructus a quolibet sati: quanto magis hoc in bonæfidei possessore recipiendum est, qui plus iuris in perficiendis fructibus, cum fructuarii quidem non fiant, antequam ab eo percipiantur: ad bonæfidei autem possessorem pertineant, si quoquo modo a solo separati fuerint. sicut eius, qui vectigalem fundũ habet fructus fiunt, simul atque a solo separati sunt, d. l. qui scit, §. in prin.

Bonæfidei emptor seuit & antequam fructus perciperet, cognouit fundum alienum esse an perceptione fructus suos faciat, quæritur? Responsum est bonæfidei emptorẽ, quo ad percipiendos fructus, intelligi debere, quamdiù euictus fundus non fuerit. d. l. qui scit. §. bonæfidei.

Venationem in fructu fundi negatum est, nisi fructus fundi ex venatione constaret, ff. eo. l. Venationem. 26.

Prædiorum Vrbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur, ff. e. l. prædiorũ. 36.

Videamus generatim, quando in actione, quæ est in personam, etiam fructus veniant, & quidem si fundus ob rem datus sit, veluti dotis causa, renuntiata adfinitate, fructus quoque restituendi sunt: vtique si qui percepti sunt, eo tempore quo sperabatur adfinitas. sed & posteriores. si in re mora fiat ab illo, qui reddere debeat omnimodo restituendi sunt. sed & si per mulierem stet, quo minus nuptiæ contrahantur: magis est, vt debeat fructus recipere. Ratio autem hæc est: quod si sponsus non conueniebatur ad restituendos fructus, licuerat ei negligere fundum, ff. eod. l. videamus. 38. in prin.

Item si indebitum fundi solui & repeto, fructus quoque repetere debebo. Idemq; est, si mortis causa fundus sit donatus & reualuerit, qui donauerit, atque ita condictio nascatur, d. l. videamus. §. Item si.

In fauiana quoque actione, & Pauliana: per quam, quæ in fraudem creditorũ alienata sunt, reuocantur: fructus quoque restituuntur. nam prætor id agit, vt perinde sint omnia atque si nihil alienatum esset. quod non est iniquum. Nam &

verbum

uerbum. RESTITVAS. quod in hac re prætor dixit: plenam habet ſignificationem, vt fructus quoque reſtituantur, & ideo cum reſtitui prætor vult veluti in interdicto VNDE VI etiam fructus ſunt reſtituendi, d.l. videamus. §. in Fauiana.

Item ſi ui metusve cauſa rem tradam: non aliter mihi reſtituiſſe videtur quam ſi fructus reſtituat: nec mora mea, mihi aliquid aufert, d.l. videamus, §. Item ſi ui.

Si actionem habeam ad id conſequendum, quod meum non fuit? (veluti ex ſtipulatu:) fructus non conſequor, etiam ſi mora facta ſit. quod ſi acceptum eſt iudicium tunc Sabinus, & Caſsius ex æquitate fructus quoque poſt acceptum iudicium præſtandos, vt cauſa reſtituatur, d.l. uideamus, §. ſi actionem.

Ex cauſa etiam emptionis fructus reſtituendi ſunt. ſed etiam in ſocietate fructus communicandi ſunt, d.l. Videamus. §. ex cauſa.

Si poſſeſsionem naturalem reuocem, proprietas mea manet videamus de fructibus. & quidem in depoſito, & commodate fructus quoque præſtandi ſunt ſicut diximus. d.l. uideamus. §. ſi poſſeſsionem.

Interdicto quoquæ. QVOD VI AVT CLAM. clam magis eſt, ut omnis cauſa, & fructus reſtituantur, d.l. uideamus. §. interdicto.

Ante matrimonium quoque fructus percepti doctis fiunt & cum eo reſtituuntur eadem ratio eſt in fructibus prediorum vrbanorum. d.l. uideamus. §. ante matrimonium.

Si dos prælegata fuerit: ante nuptias percepti fructus in cauſa legati veniunt, d.l. videamus. §. finali.

Item ſi diuidere tecum fundum velim tu nolis, & colam, fructus diuidi debent poſt deductionem impenſarum, d.l. videamus. §. item ſi diuidere.

Quod in fructus redigendæ impenſum eſt, non ambigitur ipſos fructus de minuere debere, ff. eod. l. quod in fructus. 46.

In cæteris quoque bonæfidei iudiciis fructus omnimodo præſtantur, d. l. uideamus. §. penul.

Herennius Modeſtinus reſpondit fructus, qui poſt adquiſitum ex cauſa fideicommiſsi dominium ex terra percipiuntur, ad fideicommiſſarium pertinere, licet maior pars anni ante diem fideicommiſsi cedentem præteriſſe dicatur, ff. de vſu. & fructibus, &c. l. Herennius. 42.

Fructus percipiendo vxor vel uir ex re ſibi donata, ſuos, facit illos tantum, quos ſuis operis adquiſierit (veluti ſerendo) Nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſylua ceciderit non fit eius, ſicuti uel cuiuslibet bonæfidei poſſeſſoris, quia non facto eius is fructus naſcitur, ff. eod. l. fructus. 45.

Martius vxori ſuæ uſumfructum tertię partis & cum liberos, habuiſſet proprietatem legauit eam vxorem hæredes falſi teſtamenti & aliorum criminum accuſauerunt qua re impedita eſt legatorum petitio, interea filius ei mulieri natus eſt eo quæ conditio legati extitit cum teſtamentum falſum non eſſe apparuerit etiam fructus mulieri præſtari debent, ff. eod. l. penul.

Fructus rei eſt, uel pignori dare licere, ff. eod. l. finali.

Sciendũ eſt non oẽ, quod differendi cauſa optima ratione fit moræ ad numerãdũ. Quid enim, ſi amicos adhibendos debitor requirat, vel expediendos debiti, vel fideiuſſoribus rogandis vel exceptio aliqua allegetur, mora facta non videtur. Si modo idipſum non fraudandi cauſa ſimuletur, ff. eodem. l. ſciendum. 21. cum. l. ſequen.

Sed & ſi Reipublicæ cauſa abeſſe ſubito coactus ſit, vt defenſionem ſui mandare

non posſit, moram facere non videbitur, siue etiam in vinculis hostiumve poteſtate eſſe cœperit, ff. eod. l. ſed & ſi. 23. in prin.

Aliquando & in re mora diſcerni ſolet: ſi forte non extat, qui conueniatur, d. l. ſed & ſi. §. final.

Si quis ſolutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit: nõ feciſſe videtur moram, vtique ſi iuſte ad iudicium prouocauit, ff. eod. l. ſi quis. 24. in prin.

Cum reus moram facit, & fideiuſſor tenetur, d. l. ſi quis. §. cum reus.

Paratus iudicium accipere, ſi ab aduerſario ceſſatum eſt, moram facere non videtur, ff. eod. l. paratum. 47.

Mora uidetur creditori fieri: ſiue ipſi, ſiue ei, cui mandauerat, ſiue ei qui negotia eius gerebat, mora facta ſit. nec hoc caſu per liberam perſonam adquiri videtur ſed officium impleri tum cum procurator interpellauerit promiſſorem æqui perpetuam facit ſtipulationem, d. l. ſi quis, §. Mora.

Cum patrifamilias mora facta ſit iam in hærede eius non quæritur mora: nã tunc hæredi proximo hæreditario iure ea competet, ideoque adcæteros quoque deinceps tranſmittitur, ff. eod. l. cum patri. 27.

Mora fieri intelligitur non ex re, ſed ex perſona: ideſt, ſi interpellatus opportuno loco, non ſoluerit. quod apud iudicem examinabitur. Nam (ut & Pomponius ſcripſit) difficilis eſt huius rei definito. Diuus quoq; Pius Tullio Balbo reſcripſit, an mora facta intelligatur, neque conſtitutione vlla, neque iuris authorum quæſtione decidi poteſt, cum ſit magis facti, quàm iuris, & non ſufficit ad probationem more ſi procuratori debitoris abſcentis denuntiatum ſit a creditore procuratoreve; eius cum etiam ſi ipſi (inquit) domino denuntiatum eſt, cæterum poſtea cum is ſui poteſtatem faceret omiſſa eſſet repetendi debiti inſtantia, nõ protinus per debitorem mora facta intelligatur. ff. e. l. mora. 32. in prin.

Si interrogatione præcedente promiſsio intereſſe rectè facta probetur: licet inſtrumento conſcripta non ſit: tamen optimo iure debetur, C. de vſur. l. prima.

Emptor cui poſſeſsio tradita eſt, ſi precium uenditori non obtulerit, quamuis pecuniam obſignatam in depoſiti cauſam habuerit: æquitatis ratione intereſſe præſtare cogitur, C. eod. l. ſecunda.

Si creditrici quæ ex cauſa pignoris obligatam ſibi rem tenuit pecuniam debitam cum intereſſe teſtibus præſentibus obtuliſti eaque non accipiente obſignatam eam depoſuiſti: intereſſe ex eo tempore, quo obtuliſti, præſtare non cogeris. abſente uero creditrice: præſidem ſuper hoc interpellare debueras, C. eo. l. ſexta.

Si per te non ſtat, quominus intra tempora præfinita pecuniam minorum ſolueres intereſse, ſed per tutores filiorum creditoris, qui cum accipere noluerunt, idque apud iudicem datum eius temporis, quo per te non ſtetiſſe apparuerit, intereſſe non exigitur. Quod ſi etiam ſortem depoſuiſti: exinde, ex quo id factum apparuerit pro intereſſe non conuenieris, C. eod. l. ſi per te. ix.

Ex prædiis pignori obligatis creditor poſt oblatam ſibi iure pecuniam, quam non ſuſcepit, ſi fructus accepit: exonerari ſortis debitũ, certum eſt. C. e. l. ex pdiis. xi.

In bonæfidei iudiciis, quale eſt etiam negociorum geſtorum intereſſe rationem haberi certum eſt. Sed ſi finitum eſt iudicium ſententia: quamuis minoris condemnatio facta eſt, non adiecto intereſſe nec prouocatio ſecuta eſt: finita retractanda non ſunt, nec eius temporis, quod poſt rem iudicatam fluxerit, intereſſe vllo iure poſtulatur, niſi ex cauſa iudicati. C. eod. l. In bonæfidei. 13.

Si ea lege poſſeſsionem mater tua apud creditorem ſuum obligauit, vt fructus inuicem

uicem interesse consequeretur: obtentu maioris percepti emolumũti, propter incertum fructuum præuentum rescindi placita non possunt, C. eodem. l. si ea lege possessionem. xvii.

Acceptam mutuo sortem cum interesse licito creditoribus post contestationem offeras: at si non suscipiat consignatam in publico depone, vt cursus legitimi interesse inhibeatur. In hoc autem casu publicum intelligi oportet, vel sacratissimas ædes, vel vbi competens iudex super ea re aditus deponi eas disposuerit quo subsecuto: etiam periculo debitor liberabitur, & ius pignorum tollitur, cũ Seruiana etiam actio manifeste declaret pignoris inhiberi persecutionem, uel solutis pecuniis, vel si per creditorem steterit, quo minus soluantur. C. eodem. l. acceptam. 19.

Si pignori dato conueneat interesse præstari, & incontinenti numeratione facta postea vel ante, propter quod debitum solutionem feceras non designasti: habuit creditor pro interesse tibi accepto ferendæ solutæ quantitatis facultatem, C. eod. l. vsuras. xxi.

Pignoribus quidem interuenientibus interesse, quod sine stipulatione peti non poterat, pacto retineri potest. Verum hoc iure constituto, cum huiusmodi nullo interposito pacto, tantummodo certæ summæ præstari pœnam conuenisse, proponas: nec peti, nec retineri quidquam amplius posse, & ad pignoris solutionem urgeri te disciplina iuris perspicis, C. eod. l. pignoris. 22.

Si mater tua maior annis constituta negocia, quæ ad te pertinent, gesserit: cum omnem diligentiam præstare debeat. interesse pecuniæ tuæ, quam administrasse fuerit comprobata, præstare, compelli potest, C. eod. l. si mater. 24.

Nulli omnimodo licet interesse præteriti temporis vel futuri in sortem redigere, & illius iterum interesse stipulari: sed & si hoc fuerit subsecutum, interesse quidem super interesse & nullum incrementum aliud interesse sentiet sorti autem antiquæ tantummodo incrementum interesse accedere, C. eodem. l. final. uersic. quapropter.

DE POENA TEMERE LITIGANTIVM. Titulus IIII.

NVNC admonendi sumus, magnam curam egisse eos, qui iura sustinebant, ne facile homines ad litigandum procederint, quod & nũc studio est. idque eo maxime fieri potest, quod temeritas tam agentium, quam eorum cum quibus agitur, modo pecuniaria pœna, modo iusiurandum omnibus, qui conueniuntur, defertur. Nam reus, aliter suis allegationibus vtitur, nisi prius iurauerit, quod putans se bona instantia vti ad contradicendum peruenit. At aduersus inficiantes, ex quibusdã causis dupli, uel tripli actio constituitur, ueluti, si damni iniuriæ, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur. item actionis quoque calumnia coercetur. Nam etiam actor pro calumnia iurare cogitur. Vtriusque etiam partis aduocati iusiurandum subeunt, & ut improbus litigator, & damnum, & impensas litis inferre aduersario suo cogitur. Instit. de pœn. tem. litig. in princip.

Ex quibusdã iudicis dãnati, ignominiosi fiunt, veluti furti, vi bonorũ raptorũ iniuriarũ, de dolo itẽ tutelæ mãdati depositi, directis nõ cõtrariis actionib. Itẽ ꝓ socio. q̃ ab vtraq; parte directa est: & ob id q̲libet ex sociis eo iudicio dãnatus igno

minia notatur. Sed furti q̄dē, aut vi bonorū raptorū, aut iniuriarū, aut de dolo non solū damnati notantur ignominia, sed & pacti, & rectè. plurimum. n. interest, utrum ex delicto aliquis an ex contractu debitor sit. Inst. e. §. ex quibusdam.

Contumacia eorum, qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coercetur contumax est, qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus (quod vulgo peremptorium appellatur) literis euocatus præsentiam sui facere contēnit. Pœnam contumaciæ non patitur, quem aduersa ualetudo, uel maioris causæ occupatio defendit, ff. de re iud. l. contumacia. 53. in prin.

Contumaces non videntur, nisi qui cum obedire deberent nō obsequunt: idest q̄ ad iurisdictionem eius, cui negant obsequi, pertinent, d. l. contumatia. §. fin.

Contra pupillum indefensum, eumq; qui Reipublicæ cā abest, vel minorē vigintiquinque annis propositum peremptoriū, nihil momenti habet is qui ad maius auditorium vocatus est, si litem inchoatam deseruit contumax non videtur, ff. eod. l. contra. 54.

Si quis ex edicto peremptorio post mortem sit condēnatus non valet snīa, quia morte rei peremptorium soluitur ideoq; ut in re integra de causa notio præstabitur, & quod optimum putauerit, statuetur, ff. eod. l. in sententiis. 59. §. fin.

Quæsitum est, cum alter ex litigatoribus febricitans decessisset, & iudex absente eo pronunciasset: an iure videretur pronūtiasse: respōdit Iulianus morbus sonticus ēt inuitis litigatoribus ac iudice, diē differt. Sonticus aūt existimandus est, qui cuiusq; rei agendæ impedimento est. Litiganti porrò quid magis impedimento est, q̄ motus corporis contra naturā, quem febrem appellant. Igitur si rei iudicandæ tp̄e alter ex litigatoribus febrem habuit: res non vr̄ iudicata. Potest tn̄ dici, esse aliquam & febrium differentiam. nam si quis sanus alias ac robustus tp̄e iudicandi leuissima febre correptus fuerit: aut si quis tam veterem quartanam habeat, vt in ea omnibus negociis superesse soleat: poterit dici morbum sonticum non habere, ff. eod. l. quæsitum. lx.

Odiosæ contrahentium calliditates amputandæ sunt vnde si quis certa quātitate sibi debita super ampliore pecunia per dolum & machinationem cautionē exegerit, & ad iudicium debitorē vocauerit, siquidem ante inchoatā litem caliditatis eum peniteat, & debiti verā quantitatem confessus fuerit, nullo is dispēdio prægrauatur sin autem liti præbuit exordium & in certaminibus negotiis p̄manens arguatur de adiecta falsa quantitate, non solum ea, sed ēt toto debito defraudatur trāsactionibus scilicet, & secundis cōfessionibus, siue insinuatę sint, siue non, ēt in hoc casu suam obtinentibus firmitatem. talibus etenim cautionibus hoc obiicere non oportet, C. de plus petic. l. vnica.

DE EXTRAORDINARIIS COGNITIONIBVS. Tit. IIII.

PRæses prouinciæ de mercedibus ius dicere solet sed p̄ceptoribus tātum studiorū liberaliū. vnde Rhetores continebuntur, Grāmatici, Geometræ, Medicorum quoq; eadem cā est, quæ & professorū, nisi quod iustior. Cum his solutis hominum agant, illi studiorum curā. & ideo his quoq; extra ordinem ius dici debet. Sed & obstetricē audiunt, quæ vtiq; medicinam exhibere videtur. Medicos fortassis quis accipiet ēt eos, qui alicuius partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur, ut puta si auricularius, si fistulæ, vel dentium. non tn̄ si incantauit, si imprecatus est, si (vt uulgari uerbo utamur) exorcitauit, nō sunt ista medicinæ Genera tametsi sint, q̄ hos sibi profuisse cū p̄dicatione adfirmēt. ff. de extraor. cog. l. prima. ī pri.

Si

Si Medicus cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum per aduersa medicamenta inferendo compulit, vt ei possessiones suas contra bonam fidem æger venderet, in ciuile factum præses prouinciæ coerceat, remque restitui iubeat, ff. eod. l. tertia.

Philosophi professorum numero non sunt: aut quia non religiosa res sit, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. proinde ne iuris quidem ciuilis professoribus ius dicent. Est. n. quidem res sanctissima ciuilis sapientia, sed q̃ precio numario non sit æstimanda, nec dehonestanda, dũ in iudicio honor petitur, qui ingressu sacramenti offerri debuit. Quædam. n. tametsi honeste accipiantur, inhoneste tamen petuntur, ff. eodem. l. prima. §. an & philosophi.

Ludi quoque literarii magistris, licet non sint professores, tamen vsurpatum est, vt his quoque ius dicatur: tametsi librariis, & notariis, & calculatoribus, siue tabulariis, sed & cæterarum artium opificibus, siue artificibus, quæ sunt extra literas vel notas positæ, nequaquam extra ordinem ius dicere præses debebit. d. l. prima. §. ludi quoque.

Sed & si comites salarium petent, idem iuris est, quod in professoribus placet, sed & aduersus omnes ipsos cognoscere præses debet. quia vt aduersus aduocatos adeantur diui fratres rescripserunt, d. l. prima. §. sed & si comites.

In honorariis aduocatorum ita versari iudex debet, vt pro modo litis proq; aduocati facundia, & fori consuetudine, & iudicii, in quo acturus erat, æstimationẽ adhibeat dummodo licitum honorariũ quantitas non egrediatur, ita. n. rescripto Imperatorum continetur, cuius verba ita se habent. SI IVLIVS MATERNVS, QVEM PATRONVM CAVSAE TVAE ESSE VOLVISTI FIDEM SVSCEPTAM EXHIBERE PARATVS EST, EAM DVNTAXAT PECVNIAM, QVAE MODVM LEGITIMVM EGRESSA EST, RAPETERE DEBES. Aduocatos accipere debemus oẽs omnino, qui causis agendis quoquo studio operantur, non tamen qui pro tractatu non adfuturi causis accipere quid solẽt, aduocatorũ numero erũt, d. l. prima. §. in honorariis.

Si cui cautum est honorarium, vel si quis de lite factus est: videamus an petere possit, & quidem de pactis rescriptum est. Litis causa malo more pecuniam promissam esse si suspensa lite societatem futuri emolumenti cautio pollicetur. si vero post causam actam cauta est honoraria summa: peti poterit vsque ad probabilem quantitatem. Et si nomine palmarii cautum sit: sic tamen, vt computetur id, quod datum est, cum eo, quod debetur, neutrumq; compositum licitam quãtitatem excedat, d. l. prima §. si cui cautum.

Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis vsq; ad centum aureos. Diuus Seuerus ab hæredibus aduocati eo mortuo prohibuit mercedem repeti, quia per ipsum non steterat, quominus causam ageret. d. l. prima. §. licita autẽ.

Ad nutricia quoque officium præsidis, vel prætoris deuenit. namq; & nutrices ob alimoniam infantium apud pręsides, quod sibi debetur, petunt sed nutricia eousque producemus quoad infantes vberibus aluntur. Cæterum post hæc cessant partes prætoris, vel præsidis. d. l. prima. §. fi.

De vsu aquæ, deq; riuis nouis inciuiliter institutis item de equis alienis à sciente possessis fœtuq; earum, & de damno dato per immissos in prædium suum vniuersos homines eos, qui in plurium prædia distribuit debuerunt (si modo id non ex authoritate eius, qui iubere potuerit factum est) præsidem prouinciæ doceri oportere respõsum est, ut is secundum rei æquitatem, & iurisdi-

ctionis ordinem conuenientem formam rei det, ff. de extraord. cogn. l. secũda. Diuus Antoninus Pius rescripsit, iuris studiosos, qui solaria petant, hæc exigere posse, ff. eod. l. quarta.

Cognitionũ numerus, cum ex uariis causis descendat, in genera diuidi facile nõ potest, nisi summatim diuidatur, numerus ergo cognitionem in quatuor fere Genera, diuidi potest. aut enim de honoribus, siue muneribus gerendis agitur. aut de pecuniaria re disceptatur, aut de existimatione alicuius cognoscitur, aut de capitali crimine quæritur. Existimatio est dignitatis illesæ status legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro, authoritate legum aut minuitur, aut consumitur minuitur existimatio quoties manente libertate circa statum dignitatis pœna plectimur, sicuti cum relegatur quis, vel cum ordine mouetur, vel cum prohibetur honoribus publicis fungi, vel cum plebeius fustibus ceditur, vel cum in eam causam quis incidit, quæ edicto perpetuo inter infamiæ causas numeratur. Consumitur vero quoties magna capitis deminutio interuenit, veluti cum aqua, & igni interdicitur, quod in persona deportatorum euenit, ff. eodem. l. penul.

Finis Libri Quarti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quintus.

DE PVBLICIS IVDICIIS. Titulus I.

PVBLICA iudicia, neq; per actiones ordinantur, neq; omninò quicquam ſimile habent cum cæteris iudiciis, de quibus locuti ſumus: magnaq; diuerſitas eorum eſt, & in inſtituendis, & in exercendis. Publica autem dicta ſunt, quòd cui vix ex populo executio eorum plerunq; datur. Inſtit. de publi. iud. in princi.

Non omnia iudicia, in quibus crimen vertitur, & publica ſunt: ſed ea tantum, quæ ex legibus iudiciorum publicorum veniunt, ff. de publ. iud. l. prima, in princ.

Publicorum iudiciorum quædam capitalia ſunt, quædam non capitalia: capitalia ſunt, ex quibus pœna, mors, aut exilium eſt, hoc eſt aquæ, & ignis interdicto. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. nam cætera non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur. tūc enim & ciuitas retinetur. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna eſt, ff. eo. l. ſecunda.

Interdum euenit, vt præiudicium iudicio publico fiat: ſicut in actione legis Aquiliæ, & furti, & vi bonorum raptorum & interdicto, vnde vi, & de tabulis teſtamenti exhibendis. nam in his de re familiari agitur, ff. eo. l. quarta.

Is, qui reus factus eſt, purgare ſe debet: nec antè poteſt accuſare, quàm fuerit excuſatus. conſtitutionibus enim obſeruatur, vt non relatione criminum, ſed innocentia reus purgetur. illud incertum eſt: vtrum ita demum accuſare poſsit, ſi fuerit liberatus, an & ſi pœnam ſubierit. eſt enim conſtitutum ab Imperatore poſt damnationem, accuſationem quem inchoare non poſſe. ſed hoc ad eos demum pertinet, qui vel ciuitatem, vel libertatem amiſerant. Inchoatas planè delatio-

nes

nes ante damnationem implere eis, & post damnationem permissum est, ff. eodem, l. quinta.

Publia accusatio reo, vel rea antè defunctis permittitur, ff. eo. l. tertia.

Defuncto eo, qui reus fuit criminis, & pœna extincta est, in quacunque causa criminis extincti debet is cognoscere, cuius de pecuniaria re est cognitio, ff. eodem, l. sexta.

Infamen non ex omni crimine sententia facit: sed ex eo, quod causam habuit, itaque ex eo crimine, quod iudicii publici non fuit damnatam infamia non sequetur, nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in priuato iudicio infamiam condemnato importat: veluti furti, vi bonorum raptorum, & iniuriarum, ff. eod. l. septima.

Ordo exercendorum publicorum iudiciorum capitalium in vsu esse desiit, durante tamen pœna legum, cum extra ordinem crimina probantur, ff. eodem, l. ordo exercendorum, 8.

Inter accusationem & reum cognitione suscepta, excusatio pro absente iustis rationibus admittitur: nec per triduum, per singulos dies ter citatus reus damnatur, vel de accusatoris absentis præsente reo calumnia pronunciatur, ff. eodem, l. inter accusationem, x.

Accusatore defuncto, reus ab alio, iudicante præside prouinciæ, peragi potest, ff. eod. l. penul. in princ.

Ad crimen iudicii publici persequendum frustra procurator interuenit: multòq; magis ad defendendum, sed excusationes absentium ex S.C. iudicibus allegantur, & si iustam rationem habent, sententiam differunt, d. l. pen. §. fi.

Si socer generum veneficii accusat, & pronunciat calumniam intulisse, inter infames pater defunctæ non est habendus, quoniam & si publicum iudicium de morte filiæ constitisset citra periculum pater uindicaret, ff. eo. l. fi.

Publica sunt iudicia, crimen læsæ maiestatis in eos, qui contra Imperatorem, vel Remp. aliquid moliti sunt. Crimen adulterii: crimen sicariorum, siue homicidum. Item veneficii, qui artibus odiosis, tàm venenis, quàm susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publicè vendiderint, crimen patricida, crimen de falsis, in eos, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, subiecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit, sciens dolo malo, delictum de ui publica, sed priuata eorum, qui vim, vel armatam, vel sine armis commiserint, Instit. de publicis iudic. §. publica sunt.

Si autem per uim raptus uirginis, vel uiduæ, vel santimonialis, vel alterius fuerit perpetratus; raptores, & ii, qui opem huic flagitio dederint capite puniuntur. Item puniuntur, qui publicam pecuniam, vel rem sacram furati fuerint. Itē puniuntur iudices, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint non solum hi, sed etiam, qui ministerium eis ad hæc exhibuerint, vel qui subtractas ab his scientes susceperint, Inst. eod. §. si autem.

DE CRIMINE LAESAE MAIESTATIS. Titulus II.

PRoximum sacrilegio crimen est. Quod Maiestatis dicitur. Maiestatis autem crimen est illud, quod aduersus populum Romanum, vel aduersus securitatem eius committitur quo tenetur is, cuius opera dolo malo consilium initum

erit,

erit, quo obsides iniussu Principis interciderint: quo armati homines cum telis lapidibusve in vrbe sint, conueniantve aduersum Rempublicam locave occupent. vel templa: quove cætum conuentusve fiat, hominesve ad seditionem conuocentur. cuiusve opera & consilio dolo malo consilium initum erit, quoquis magistratus populi Romani, quive Imperium potestatemve habet, occidatur: quove, quis contra Rempublicam arma ferat: quive hostibus populi Romani nuntium, literasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo, quo hostes populi Romani consilio iuuentur: aduersus Rempublicam: quive milites solicitauerit, concitauerit ve, quo seditio tumultusve aduersus Rempublicam fiat. Quive de prouincia, cùm ei successum esset, nō discessit: aut qui exercitum deseruit, vel priuatus ad hostes perfugit: quivè sciens falsum conscripsit, vel recitauit in tabulis publicis, nam & hoc capite primo legis maiestatis enumeratur, ff. ad l. Iul. maiest. l. prima, & secunda.

Lex duodecim tabularum iubet eum, qui hostem concitauerit, quive ciuem hosti tradiderit, capite puniri. lex autem Iulia maiestatis præcipit eum, qui maiestatē publicam læserit, teneri: qualis est ille, qui in bellis cesserit: aut arcem tenuerit, aut castra concesserit: eadem lege tenetur, & qui iniussu Principis bellum gesserit: delectumve habuerit, exercitumve comparauerit: quive cùm ei in prouincia successum esset, exercitum successori non tradiderit, quive Imperium exercitumve populi Romani deseruerit: quive priuatus pro potestate magistratumve quid sciens dolo malo gesserit: quive quid eorum, quæ suprascripta sunt, facere curauerit, ff. eo. l. tertia.

Cuiusq; dolo malo iureiurando quis adactus erit, quo aduersus Rempublicam faciat: cuiusq;, dolo malo exercitus populi Romani in insidias deductus, hostibusve proditus erit: cuiusve dolo malo factum dicitur, quominus hostes in potestatem populi Romani veniant, cuiusve opera dolo malo hostes populi Romani commeatu, armis, telis equis, pecunia, aliave qua re adiuti erunt, vtve ex amicis hostes populi Romani fiant: cuiusve dolo malo factum erit, quo Rex exteræ nationis populo Romano minus obtemperet, cuiusve opera dolo malo factum erit, quo magis obsides, pecunia, iumenta hostibus populi Romani dentur aduersus Rempublicam. Item qui confessum ī iudicio reum & propter hoc in vincula coniectum emiserit, ff. eo. l. quarta.

Maiestatis crimine accusari potest, cuius ope consilio dolo malo prouincia, vel ciuitas, hostibus prodita est, ff. eo. l. pen.

Is, qui in reatu decedit, integri status decedit, extinguitur enim crimen mortalitate, nisi quis fortè maiestatis reus fuit. nam hoc crimen nisi à successoribus purgetur, hæreditas fisco vindicatur. planè non quisquis legis Iuliæ reus est, in eadem conditione est, sed qui perduelionis reus est, hostili animo aduersus Rempublicam, vel Principem animatus. cæterum si quis ex alia causa legis Iuliæ maiestatis reus sit, morte crimine liberatur, ff. eo. l. fin.

Iudex si contra constitutionem Principis pronunciat, non tenetur crimine læsæ maiestatis, C. eod. l. prima.

Si quis alicui maiestatis crimen intenderit, cùm in huiusmodi re conuictus, minimè quisquam priuilegio dignitatis alicuius à strictiore inquisitione defendatur: sciat se quoq; tormentis esse subdendum (si aliis manifestis indiciis accusationem suam non potuerit comprobare) cum eo, qui huius esse temeritatis deprehenditur illum quoque tormentis subdi oportet, cuius consilio atq; instinctu ad accusationem accesisse uidebitur, vt ab omnibus commissi conscijs

ſciis inſtituta vindicta poſsit reportari, C. eodem, l. tertia.

Quiſquis cum militibus, vel priuatis, vel barbaris etiam ſceleſtam inierit factionem, aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum, vel dederit, de nece etiam virorum illuſtrum, qui conſiliis & conſiſtorio interſunt, Senatorum etiam (nam & ipſi pars corporis Principis ſunt) vel cuiuslibet poſtremo, qui militant, cogitauerit (eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum, puniri iura voluerunt) ipſe quidem, vtpotè maieſtatis reus gladio feriatur, bonis eius omnibus fiſco additis, C. eo. l. quinta, in prin.

Filii vero eius, quibus vita Imperiali ſpecialiter lenitate conceditur (paterno. n. debent perire ſuplicio, in quibus paterni, hoc eſt hæreditarii ciminis exempla metuentur) à materna, vel auia, omnium etiam proximorum hæreditate, ac ſucceſsione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuo egentes, & pauperes, infamia eos paterna ſemper committetur, ad nullos vnquam honores, nulla ſacramenta perueniant. ſint poſtremo tales, vt his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & uita ſupplicium, d. l. quinta, §. filii vero eius.

Ad filias ſanè eorum, quotlibet numero fuerint falcidia, tantum ex bonis matris, ſiue teſtato, ſiue inteſtato defecerit, peruenit, ut habeant mediocrem potius filiæ allimoniam, quàm integrum emolumentum, ac nomen hæredis. mitior. n. circa eas debet eſſe ſententia, quia pro infirmitate ſexus minus auſuras creditur, d. l. quinta, §. ad filias.

Emancipatio, quæ à prædictis, ſiue in filios (poſt legem duntaxat latam) ſiue in filias fuerit collata, non ualeat. dotes, donationes, quarumlibet poſtremo rerum alienationes, quas ex eodem tempore qualibet fraude, vel iure factas eſſe conſtiterit, quo primum memorati de ineunda factione, ac ſocietate cogitauerint, nullius ſtatuitur eſſe momenti, d. l. quinta, §. emancipatio.

Vxores ſanè prædictorum recuperata dote, ſi in ea conditione fuerint, ut quæ à uiris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reſeruare: tempore, quo vſuſfructus abſumitur, omnia fiſco noſtro ſepelicturus eſſe cognoſcant, quæ iuſta legem debebantur: falcidia etiam ex his rebus filiabus, tantummodo, non etiam filiis deputata, d. l. quinta, §. uxores ſanè.

Id, quod de prædictis eorumq; filiis cautum eſt, etiam de ſatelitibus conſciis, ac miniſtris filiisq; cenſetur de ſatelitibus ſuis, ac miniſtris filiisq; eorum ſimili ſeueritate cenſetur, d. l. quinta, §. pen.

Sane ſi quis ex is in exordio initæ factionis, ſtudio veræ laudis accenſus, initam prodiderit factionem: præmio & honore donabitur: is vero qui vſus fuerit factione, ſi uera (tamen incognita adhuc) conſiliorum arcana patefecerit: abſolutione tantum, ac uenia dignus habebitur, d. l. quinta, §. fin.

Meminiſſe oportebit, ſi quid contra maieſtatem Imperatoris commiſſum dicatur etiam poſt mortem rei, id crimen inſtaurari ſolere, poſtea quam Diuus Marcus Drantiani, vtpotè Senatoris, qui Craſsiani furoris ſocius fuerat, bona poſt mortem fiſco uindicari iuſsit, C. eo. l. pen.

Poſt Diui Marci conſtitutionem hoc iure vti cœpimus, vt etiam poſt mortem nocentium hoc crimen inchoari poſsit: ut conuicto mortuo, memoria eius damnetur, & bona eius ſucceſſori eius eripiantur, nam ex quo ſceleratiſsimum quis conſilium cœpit exinde quodammodo ſua mente punitus eſt. vnde ex quo quis tali crimen contraxerit, neque alienare poteſt, vel ei ſoluere iure poteſt debitor, C. eod. l. finali.

DE

DE CRIMINE ADVLTERII. Titulus III.

MArito iure mariti accusanti illa pscriptio obiicitur: SI LEGEM PRODIDISSE DICATVR OB HOC, QVOD AGGRESSVS ACCVSATIONEM ADVLTERII DESTITIT. Lenocinii quidem crimen lege Iulia de adulteriis præscriptum est: cum sit in eum maritum pœna statuta, qui de adulterio vxoris suæ, quid cæperit. cæterum qui patitur uxorem suam delinquere, matrimoniumq; suum contemnit, quiq; contaminationi non indignatur: pœna adulterum non infligitur, ff. ad l. Iul. de adul. l. secunda, §. marito.

Qui hoc dicit Lenocinio mariti se fecisse, releuare quidem vult suum crimen, sed non est huiusmodi compensatio admissa. ideo si maritum velit reus adulterii Lenocinii reum facere, semel delatur non audietur, d. l. secunda, §. qui hoc dicit Lenocinio.

Si publico iudicio maritus uxorem ream faciat: an Lenocinii allegatio repellat maritum ab accusatione, sed non repellit Lenocinium igitur mariti ipsum onerat, non mulierem excusat. vnde quæri potest: an is, qui de adulterio cognoscit, statuere in maritum ob Lenocinium possit. & verum est posse, d. l. secunda, §. si publico iudicio.

Nupta quoque muliere, tametsi Lenocinii uir prior non postuletur adulterii crimen contra adulterum ab extraneo poterit inferri in matrimonio quoque defuncta uxore vir iure adulterum inter reos recipi postulat, ff. eo. l. vim passu, 39. §. nupta quoque.

Si simul ad accusationem ueniant maritus, & pater mulieris: quem præferri oporteat, quæritur. & magis est, ut maritus præferatur. nam & propensiore ira & maiore dolore executurum eum credendum est: in tantum, ut & si pater præuenerit, & libellos inscriptionis deposuerit, marito non negligente, nec retardante, sed accusationem parante, & probationibus instruente, atq; muniente, ut facilius iudicantibus de adulterio probetur: idem sit dicendum. sed & quoties alii, qui post maritum & patrem accusare possunt, ad accusandum prosilierint: lege expressum est, ut is cuius de ea re notio est, de iusto accusatore constituat. Nisi igitur pater maritum, aut infamen arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quàm ex animo accusare, postponetur marito, d. l. secunda, §. si simul cum l. seq.

Pater uero sine periculo calumniæ agere non potest, ff. eo. l. pater, 30.

Si maritus præuenerit, accusareq; instituerit: tempora non cedunt patri: quia accusationem instituere non potest. sic tamen, ut quod unus occupat utriq; tempora cedant. ubi uerò maritus occupauit: residua tempora ei, qui occupare nō potest, non cedant. Quod & in eo dici potest, qui ab adultero, uel ab adultera cæpit. nam aduersus eum, aduersus quem non cæpit, desinunt ei tempora cedere. hæc in maritis & patribus dicta sunt, ff. eo. l. quarta, in prin.

Constante matrimonio ab his, qui extra maritum ad accusationem admittuntur accusari mulier adulterii non potest. probatam enim à marito uxorem, & quiescens nisi prius Lenocinii maritum accusauerit. derelictam verò à marito accusationem etiam ab alio excitari utile est, ff. eo. l. constante, 26.

Extraneis át, q. accusare pñt, accusādi facultas post maritū & patrē cōcedit̃. nā post sexagita dies, quatuor mēses extraneis dant̃ & ipsi utiles, ff. e. l. quarta. §. extran.

Si antè

Si antè extraneus instituerit accusationem: an superueniente marito permittatur accusatio quæritur. & magis est, hoc quoq; casu maritum audiendum, si non negligentia præuentus est. & ideo si accusationem instituta absoluta sit mulier extraneo accusante, tamen marito debet permitti restaurare accusationem, si idoneas causas allegare posšit, quibus impeditus non instituit accusationem, d.l. quarta, §. final.

Si maritus sit in magistratu, potest præueniri à patre, atquin non oportet. & putat Pomponius debere dici, quoad maritus magistratum gerit, patris quoq; accusationem impediendam: ne præripiatur marito ius, quod cum eo æquale habet. igitur non cedent sexaginta dies patri, cum accusare non potest, ff. eodem, l. si maritus, 15.

Lex stuprum & adulterium promiscuè & abusiuè aliquantum appellat. sed propriè adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum composito nomine. stuprum vero in virginem viduamve committitur, ff. eod. l. sexta, §. lex stuprum.

Adulterium in nupta admittitur, stuprum in uidua, vel uirgine, vel puero, ff. eodem, l. stuprum, 34 §. fin.

Stuprum committit, qui mulierem cupidinis causa non matrimonii continet excepta concubina, d. l. stuprum, 34. in prin.

Filiusfamilias igitur maritus ab eo, qui sui iuris est, in ea lege non separatur, d. l. sexta, §. filiusfamilias.

Maritus, & si duos reos ex alio crimine habeat, poterit iure uiri tertium accusare: quoniam ea causa non cedit in numerum cæterarum, d. l. sexta, §. fin.

Qui domum suam, vt stuprum adulteriumve cum aliena matrefamilias, vel cum masculo fieret, sciens præbuerit, vel quæstum ex adulterio uxoris suæ fecerit: cuiuscunque sit conditionis, quasi adulter punitur. Appellatione domus habitationem quoq; significari, palàm est, ff. eo. l. qui domum, 8.

Et si amici, quis domum prebuerit, tenetur. sed & si quis in agro alieno, vt stuprũ fieret, prębuisset: comprehendi debet. sed & si in domum aliquem soliti fuerint conuenire ad tractandum de adulterio: & si eo loco nihil admissum fuerit: uerumtamen videtur is domum suam, vt stuprum adulteriumve committeretur, præbuisse: quia sine colloquio illo adulterium non committeretur, ff. eodem, l. & si amici, 9.

De crimine adulterii pacisci non licet, & par delictum est accusatoris præuaricatoris, & refugientis ueritatis inquisitionem, qui autem precium pro comperto stupro accepit pœna legis Iuliæ, de adulteriis tenetur, C. eo. l. de crimine, x.

Miles, qui cum adultero vxoris suæ pactus est, solui sacramento, deportarique debet. Militem, qui sororis filiam in contubernio habuit, (licet non in matrimonio) adulterii pœna teneri, rectius dicitur. Ea quæ inter reas adulterii recepta est, absens defendi non potest, ff. eo. l. mulier, 11.

Hæc verba legis: NE QVIS POSTHAC STVPRVM ADVLTERIVMVE FACITO SCIENS DOLO MALO, & ad eum, qui suasit, & ad eum, qui stuprum vel adulterium intulit, pertinent, ff. eo. l. hæc uerba, 12.

Is, cuius ope, & consilio dolo malo factum est, ut uir fœminave in adulterio deprehensa, pecunia, aliave qua pactione se redimeret: eadem pœna damnatur, quæ constituta est in eos, qui Lenocinii crimine damnantur, ff. eodem. l. is cuius, 14. in principio.

Si uir infamandæ uxoris suæ causa adulterum subiecerit, vt ipse deprehenderit: & uir

vir, ac mulier adulterii crimine tenentur ex senatuconsulto de ea re facto, d.l. is cuius, §. si uir.

Quidam accusare volebat adulterii mulierem: & postulabat, ne sibi computarentur dies, quibus in custodia fecisset: responsum est utiles dies accusatori computandos esse, id est, quibus potuit accusationis solemnia implere. quare sine dubio dies, quibus quis in custodia fuit, extra computationem vtilium dierum existimandi ubi constitutos, contradici non debuit, d.l. miles, §. quidam accusare uolebat.

Sexaginta dies, qui marito accusanti vtiles computantur, feriatis quoque diebus (si modo facultatem præsidis adeundi accusator habuit) numerari certum est: quoniam de plano quoque libellus dari potest. quod priuilegium si amiserit: non prohibetur intra alios quatuor menses querelam suam apud iudices deferre, d.l. miles, xi. §. sexaginta.

Accusaturus adulterii, si circa inscriptionem errauerit, si quidem tempora largiantur emendare non prohibetur, ne causa aboleatur, ff. eodem, l. accusaturus adulterii. 35.

Si negauerint se pater & maritus accusaturos intra diem sexagesimum: an statim incipient tempora extraneo cedere? & primus Pomponius putauit, admitti ad accusationem extraneum posse statim, atq; isti negauerint, cui adsentiendũ est. fortius enim dicitur: eum, qui se negauerit acturum postea non audiendum, ff. eo. l. is, §. si negauerint.

Iure mariti adulterii accusare volenti sexaginta dies vtiles computantur: quibus in publico eius facultas fuerit apud quem reus, vel rea postulari potest, & cum præterierint dies isti utiles, maritus quoque iure extranei agere potest, & qui confidit accusationi, calumniæ notam timere non debet, C. eod. l. sexta.

Defuncto marito, adulterii rea mulier postulatur, d.l. miles, §. defuncto.

Quæ propter impuberem filium vult dilationem ab accusatore impetrare: non ui detur confugere ea mulier ad iustam defensionem, quæ ætatem filii prætendit ad elidendam legitimam accusationem, nam non utique crimen adulterii, quod mulieri obiicitur, infanti præiudicat: cum posit & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse, d.l. miles, §. quæ propter.

Mulier cum absentem virum audisset uita functũ esse, & alii se iunxisset, mox maritus reuersus est: quæritur, quid aduersus eam mulierem statuendum sit? & respondit tàm in iuris, quàm facti quæstionem moueri. nam si longo tempore transacto sine ullius stupri probatione falsis rumoribus inducta, quasi soluta priore vinculo, legitimis nuptiis secundis iuncta est: quod verisimile est deceptam eam fuisse, nihil vindicta dignum videri potest, quod si ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis præstitisse probabitur: cum hoc facto pudicitia laboret, iudicari debet pro admisi criminis qualitate, d.l. miles, §. mulier cum absentem.

Si quis uxorem suam, cum apud hostes esset, adulterium commisisse arguat: benignius dicetur, posse eum accusare iure uiri: sed ita demum adulterium maritus uindicabit, si vim hostium passa non esset. cæterum quæ uim patitur, non est in ea causa, ut adulteri, vel stupri damnetur, ff. eodem, l. si vxor, 13. §. si quis planè.

Vim passam mulierem sententia præsidis continebatur, sed Papinianus respondit in lege Iulia de adulteriis non commisisse licet iniuriam suam protegen-

de pudicitiæ causæ confestim marito renuntiare prohibuit. ff. eodem. l. vim passam, in principi.

Legis Iuliæ de adulteriis capite septimo ita cauetur. NE QVIS INTER REOS REFERAT EVM, QVI TVNC SINE DETRECTATIONE REIPVBLICAE CAVSA ABERIT. neque enim æquum uisum est absentem Reipublicæ causa inter reos referri: dum Reipublicæ operatur. necessario adiicitur, SINE DETRECTATIONE. cæterum si quis euitandi criminis causa id egerit, ut Reipublicæ causa abesset: nihil illi commentum hoc proficiet. quod si quis præsens sit, uice tamen absentis habeatur, vtputa qui in vigilibus, vel urbanis castris militat: dicendum est deferri hunc posse. neque enim laborare habet, ut se representet. Et generaliter dicendum est. eorum demum absentiam excusatam esse, qui in alia prouincia Reipublicæ causa absunt, quàm in ea in qua deferuntur. proinde si quis in prouincia, in qua agit, adulterium commiserit, accusari poterit: nisi sit ea persona, quæ ad præsidis cognitionem non pertineat, ff. eo. l. si maritus, 15. §. legis.

Si quis in honore ministeriove publico sit, reus quidem postulatur, sed differtur eius accusatio, ut cautione in iudicio sistendi causa promittatur in finem honoris. & hoc ita Tyberius Cæsar rescripsit, ff. eodem. l. si adulterium 38. §. final.

Si dum in tuo matrimonio uxor tua esset, se adulterio poluit: in ea prouincia in qua idipsum factum est more solito persequi debet, C. eodem, l. si dum in tuo matrimonio. xiiii.

Si quondam uxor tua antè quàm crimine adulterii accusaretur prouinciam excessit, nec absens accusari potest, nec in eam prouinciam, in qua stipendium facis, transmitti iure deposcitur. sanè cùm per occupationem militarem non licuerit accusare eam solenniter poteris. nec enim tempus quo muneribus militaribus occuparis, uindictam tibi quam maritali dolore percussus deposcit debet auferre. C. eod. l. si quondam. xv.

Si in uiduitate mulier perseuerat: in accusatoris est arbitrio, à quo velit incipere: vtrum ab adultero, an ab adultera. d. l. si maritus, §. si in viduitate.

Si quis & adulterum, & adulteram simul detulerit, nihil egit, poteritque quasi neutrum detulerit rursus: à quo uelit, initium facere, quia nihil agit prima delatione, d. l. si maritus §. final.

Reos adulterii duos, simul marem & fœminam, ex eadem causa fieri lex uetat; sed ordine pagi vtrosq; licet, C. eo. l. reos viii.

Quæritur, an alius adulteram, alius adulterum postulare possit, ut quamuis ab eodem ambo simul postulari non possunt, à diuersis tamen singuli possint? sed non ab re est hoc probare, diuersos accusatores admitti posse: dum si ante denunciationem nupserit, prior mulier accusari non possit. expetabit igitur mulier sententiam de adultero latam. si absolutus fuerit: mulier per eum vincet, nec ultra accusari poterit. si condemnatus fuerit: mulier non est condemnata, sed aget causam suam: fortasis & obtinere, vel gratia, uel iustitia, uel legis auxilio poterit. quid enim si adulter inimicitiis oppressus est, uel falsis argumentis, testibusque subornatis apud præsidem grauatus, qui aut noluit, aut non potuit prouocare: mulier uerò, iudicem religiosum sortita pudicitiam suam defendat: sed si antequam condemnetur, vel antequam cum eo agi cœperit, adulter diem suum obierit: constitutum est, et mortuo adultero sine perscriptione mu-

ne mulierem posse accusari. sed & si non mors, sed pœna alia reum subtraxerit: adhuc dicimus posse ad mulierem ueniri, ff. eo. l. denunciasse, 17. §. quæritur, cum l. seq. & l. adulter, 19. in principio.

Plectitur, & qui precium pro comperto stupro acceperit, nec interest, vtrum maritus sit, qui accepit, an alius quilibet. quicunque enim ob conscientiam stupri accepit aliquid, pœna erit plectendus. cæterum si gratis quis remisit, ad legem non pertinet, ff. eo. l. mariti, 29. §. plectitur.

Qui quæstum ex adulterio uxoris suæ fecit, plectitur. nec enim mediocriter deliquit, qui Lenocinium in uxorem exercuit. Quæstum autem ex adulterio vxoris facere uidetur, qui quid acceperit, ut adulteretur uxor: & siue sæpius, siue semel accepit, non est eximendus. Quæstum enim de adulterio uxoris facere propè ille existimandus est, qui aliquid accepit, ut uxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere. quod si patiatur uxorem delinquere, non ob quæstum, sed ob negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem: extra legem positus videtur, dict. leg. marit. §. qui quæstum, ex adulterio.

Hoc amplius senatusconsulto adiectum est: ut si plures eundem postulauerint: & eius, qui perseuerauerit reum reamve facere, postulationis dies prima exigatur, scilicet ut qui accusat, suos libellos accusatorios expectet, non alienos, d. l. mariti, § hoc amplius.

Eum, qui per uim stuprum intulerit, vel mari, vel fœminæ: sine præfinitione huius temporis accusari posse, dubium non est: cum eum publicam vim committere, nulla dubitatio est, d. l. mariti, §. fin.

Si minor annis adulterium commiserit: lege Iulia tenetur, quoniam tale crimen post pubertatem incipit, ff. eo. l. si minor, 36.

Filiumfamilias publico iudicio adulterium in uxorem sine voluntate patris arguere posse, constitutum est. uindictam enim proprii doloris consequitur, ff. eod. l. filiumfamilias, 37.

Si adulterium cum incestu committatur: vtputa cum priuigna, nuru, nouerca: mulier similiter quoque punietur. id enim remoto etiam adulterio eueniet, ff. eo. l. si adulterium, 38. in princ.

Si maritus uxorem in adulterio deprehensam, impetu tractus doloris interfecerit: non utique legis Corneliæ de sicariis pœnam excipiet: unde ultimum supplicium remitti potest: cum sit iustum dolorem temperare, & magis, quia plus fecerit, quàm quia se uindicare non debuerit, puniendus sit, d. l. si adulterium, §. Imperator.

Gracchus, quem Numerius in adulterio noctu deprehēsum interfecit, si eius conditionis fuit, ut per legem Iuliam impunè occidi potuerit: quod legitimè factū est, nullam pœnam meretur, idemq; filiis eius, qui patri paruerunt, præstandum est. Sed si legis authoritate cessante inconsulto dolore adulterum interemit: quamuis homicidium perpetratum sit: tamen quia & nox, & dolor iustus factum eius releuat, in exilium dari potest, C. eo. l. quarta.

Nihil interest adulteram filiam prius pater occiderit, an nondum vtrunque occidat. nam si alterum occidit lege Cornelia reus erit, quod si altero occiso, alter vulneratus fuerit: uerbis quidem legis non liberatur, sed Imperatores rescripserunt impunitatē ei concedi, quia licet interempto adultero mulier superuixerit post tam grauia uulnera, quæ ei pater infixerat: magis facto, quàm uoluntate eius seruata est: quia lex parem in eos, qui deprehensi sunt

 indigna-

indignatione exigit, & seueritatem requirit, ff. eo. l. nihil interest, 32. in prin.

Defuncta quoq; socru gener incesti postulabitur, vt adulter post mortem mulieris, ff. eo. l. fina.

Et si crimine adulterii damnatus restitutus non esset, vt proponis: si tamen soror tua, cum qua adulterium commissum dicebatur, non est accusata: nec pœnæ, nec infamiæ subiici potuit: & multo magis cum & accusatorem uita esse defunctum proponas, C. eod. l. & si, 13.

Ea, quæ inter reas adulterii recepta est, absens defendi non potest, ff. eodem. l. miles, xi, §. ea, quæ.

Iudex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudicè uiuens, mulieri quoque bonos mores colendi author fuerit. periniquum enim videtur esse, vt pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. quæ res potest & uirum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter vtrosq; communicare, ff. eo. l. si uxor. 13. §. Iudex.

Lex Iulia de adulteriis specialiter quosdam adulterii accusare prohibet: ut minores annis, 25. nec enim visus est idoneus accusator, qui nondum robustæ ætatis sit, quod ita uerum est, si non matrimonii sui iniuriam exsequatur. cæterum si suum matrimonium vindicare velit: quamuis iure extranei ad accusationem veniat tamen audietur. nec enim ulla præscriptio obiicitur suam iniuram uindicanti. sanè si iuuenili facilitate ductus, vel etiam feruore ætatis accensus, ad accusationem prosiliit: accusanti ei non facilè, calumniæ pœna irrogabitur. Minorem, xxv. annis & eum accipimus, qui annum uicesimumquintum ætatis agit, ff. eo. l. si maritus, xv. §. lex Iulia.

Præscriptiones, quæ obiici solent accusantiibus adulterii, ante solent tractari, quàm quis inter eos recipiatur, cæterum postea, quàm semel receptus est, non potest præscriptionem obiicere, d. l. si maritus, §. præscriptiones.

Publico iudicio non habere mulieres, adulterii accusationem, quamuis de matrimonio suo uiolato quæri uelint, lex Iulia declarat, quæ cum masculis iuri mariti accusandi facultatem detulisset, non idem fœminis priuilegium detulit, C. eodem. l. prima.

Adulter post quinquenium, quàm commissum adulterium dicitur, quod continuum numeratur, accusari non potest, easque præscriptiones legibus reis datas auferri non oportet, C. eo. l. quinta.

Præscriptione quinq; annorum crimen incesti coniunctum adulterio non excluditur, ff. eo. l. vim passam, 39. § præscriptione.

Propter violatam uirginem adultam, qui postea maritus esse cæpit, accusator iustus non est. & ideo iure mariti crimen exercere non potest: nisi puella uiolata sponsa eius fuerat. sed si ipsa iniurias suas sustinentibus curatoribus, per quos etiam negocia eius gerenda sunt, persequatur: præses prouinciæ pro debita tanto delicto (si probetur) seueritate examinabit, C. eo. l. septima.

Abolitionem adulterii criminis postulans, præsidem in cuius officio accusatio fuerit statuta, adire debes. Cæterum erras tu marite. existimans etiam si simpliciter idest sine abolitione destitisses, senatusconsulto in persona tua futarum locum non fuisse: diuersum enim Diui Principes sæpe sanxerunt. Quin hoc amplius scias, nullam fuisse ulterius potestatem statuendæ huiusmodi accusationis: quia decreto patrum, & lege Petronia ei, qui iure uiri delatum adulterium non peregit, nunquam postea hoc crimen deferre permittitur, C. eodem, l. abolitionem, xvi.

Eum,

Eum,qui duas ſimul habuit vxores,ſine dubitatione committatur infamia in ea namq; re non iuris effectus,quo ciues noſtri matrimonia contrahere plura prohibentur,ſed animi deſtinatio cogitatur. Veruntamen ei, qui te ficto cœlibatu cum aliam matremfamilias in prouincia reliquiſſet, ſolicitauit ad nuptias: crimen etiam ſtupri,à quo tu remota es,quòd uxorem te eſſe credebas, ab accuſatore legitimo ſolemniter inferetur. Cæterum res omnes, quas ab eo interceptas matrimonii ſimulatione deploras, reſtitui tibi omni ex actionis inſtantia imperrabis à rectore prouinciæ.nam ea quidem, quæ ſe tibi, ut ſponſæ daturū promiſit, quō repetere cū effectu potes quaſi ſponſa,C.eo.l.cū qui, 18.

Quamuis indubitati iuris ſit,quoties adulterii crimen intenditur,præſentiam accuſatoris præcedere oportere, tamen quando cognoſcitur, uxorem præpoſiti viatoris habitis quæſtionibus adulterium commiſiſſe detectam ſub ipſa prolatione ſententiæ uiatoris ipſius præſentiam poſtulaſſe: confecto pœnæ iudicio, facinore etiam agitata quæſtione conuicto præpoſitus ab excubiis limitis non reuocabitur, C.eo.l.quamuis, 19.

Fœdiſsimam earum nequitiam,quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt, non etiam earum, quæ per vim ſtupro comprehenſæ ſunt, irreprehenſa voluntate eſſe placuit, C.eo.l.fœdiſsimam, 20.

Ob commiſſa adulteria atq; accuſandas vxores certa tempora, quæ vtiliter computari ſolent,præſcripta ſunt. Si igitur per occupationes publicas accuſationē inſtruere non potuiſti,nec ante creditum tibi munus præſcripta tempora trāſacta ſunt: poſt depoſitam ſollicitudinem, qua detineris, integram accuſandi poteſtatem habebis.ad quam cum uocare cæperis: properare debebis,ne effrenata licentia ad terrendam aduerſariam futuræ accuſationis ſpeciem prætendas,C.eod.l.ob commiſſa, 21.

Adulterii accuſatione propoſita præſcriptiones ciuiles,quibus aut dos repeti fingitur,aut ratione aliqua debitum affligatur, quæ occurrere, atque perſtrepere examini conſueuerunt iubetur ſequeſtrari, nec earum obice aliquid negocio tarditatis afferri,ſed accuſatione hoc eſt,cum conſtiterit quo iure, id eſt mariti ne,an extranei, quove tempore accuſatio fuerit intromiſſa: diſcutiatur crimen,facti qualitas publicetur: cum & iurgia, quæ magnitudine ſuperantur, & ciuilis actio criminali iure poſtponatur. Idem tamen, cum competere cœperit, habitura momenti: dummodo non obſit huic examini,C.eo.l.adulterii,33.

Cum vir nubit,in fœmina viros paritura quid cupiatur, vbi ſexus perdidit locū? Vbi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire? Vbi Venus mutatur in alteram formam? Vbi amor quæritur,nec videtur,iubetur inſurgere leges, armari iura gladio vltore,vt exquiſitis pœnis ſubdant infames q̃ futuri ſunt rei, C.eo.l.cū uir, 31.

Ex Nouella conſtitutione, cxxxiiij.

De ſubſtantia adulteri,ſi uxorem habeat,dos ei donatioq; ante nuptias conſeruetur: aut ſi dotalia inſtrumenta non interuenerunt portio, quæ defertur legem. Reliquam eius ſubſtantiam deſcendentes, aut aſcendentes (ſi qui ſunt) vſque ad tertium gradum capiant ſecundum ordines & gradus ſuos. ſi nulli huiuſmodi ſuperſint, fiſco hæc addici iubetur. Nouell.conſt. 134 § præterea.

Mulier,quæ adulterium commiſit: competentibus ſubdita pœnis, in monaſteriū coniiciatur.atque ſi maritus intra biennium eā recipere voluerit datā ei huius agendi licentia, vt & in matrimonio eā habeat,neq; ullum ex hoc uereatur

 periculum:

periculum: matrimonio quoq; per ea, quæ medio tempore facta sunt, non lædendo, d. nouell. const. 134. §. mulier vero.

Sed si prædictum tempus prætereat, aut maritus, antequam vxorem recipiat, uitam finierit: iubetur, ut ea tondeatur, & monasticum habitum assumat, & per omne tempus vitæ suæ in eo monasterio habitet. Vnde si descendentes habuerit, duas quidem portiones substantiæ eius ipsi capiant, partiẽdas secundum legum ordinem: reliqua vero tertia pars monasterio assignetur, in quod conijcitur. si descendentes non sint, sed ascendentes inueniantur, qui huiusmodi impiamento non fauerint, opemve tulerint: hi triẽtem capiant secundum legum diuidendum ordinem: bes vero tribuatur monasterio, in quo talis mulier includitur. si neque descendentes, neque ascendentes habeat, aut ascendentes tantæ impietati opem tulerint: omnem eius substantiam capiat monasterium, illo obseruando, ut per omnes casus marito pacta conuenta, quæ dotalibus comprehensa sunt instrumentis, salua sint, d. nouel. const. §. sed si prædictum.

DE CRIMINE SICARIORVM, VEL HOMICIDVM. Titulus IIII.

Diuus Hadrianus, eum qui hominem occiderit, si non occidendi animo hoc admiserit, absolui posse, & qui hominem non occiderit, sed vulnerauerit, at occidat pro homicida damnandum, & ex re constituendum hoc. nam si gladium strixerit & in eo percusserit indubitate occidendi animo id eum admisisse. sed si claui percussit, aut cucurra in rixa: quamuis ferro percusserit, tamen nõ occidendi animo: leuiendam pœnam eius, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admiserit, ff. ad l. corn. de sicar. l. prima, §. Diuus.

Diuus Hadrianus rescripsit eum, qui stuprum sibi uel suis per uim inferentem occidit dimittendum, sed & in eum, qui vxorem deprehensam in adulterio occidit Diuus Pius leuiorem pœnam irrogandam esse scripserit & humiliore loco positum in exilium perpetuum dari iussit in aliqua dignitate positum ad tempus relegari, d. l. prima, §. item Diuus.

Frater vester rectius fecerit, si se præsidi prouinciæ obtulerit, qui si probauerit, nõ occidendi animo hominem à se percussum esse: remissa homicidii pœna, secundum disciplinam militarem sententiam proferret. crimen. n. contrahitur, & si voluntas nocendi intercedat. cæterum ea, quæ ex improuiso casu potius, quàm fraude accidunt: fato plerunq; , non noxæ imputantur, C. eo. l. prima.

In lege Cornelia dolus pro facto accipitur: neque in hac lege culpa lata pro dolo accipitur. quare si quis ab alto se præcipitauerit, & super alium uenerit, eumq; occiderit: aut putator ex arbore, cum ramum deiiceret, non proclamauerit, & prætereuntem occiderit: ad huius legis coercitionem non pertinet, ff. eodem, l. septima.

Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit: eam in exilium præses prouinciæ exiget, ff. eo. l. si mulierem, 8.

Infans, vel furiosus, si hominem occiderit, legis corneliæ non tenetur: cum alterum innocentia cõsilii tuetur, alterũ fati infelicitas excusat, ff. eo. l. infans, 12.

Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat, ff. eo. l. nihil interest. 15.

Si in rixa percussus homo perierit: ictus vniuscuiusq; in hoc collectorum contemplari oportet, ff. eo. l. fin.

Diuus

Diuus Hadrianus in hæc verba reſcripſit in maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus, ff. eod. l. Diuus. 14.

Is, qui aggreſſorem, vel quemcunque alium in dubio vitæ diſcrimine conſtitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet, C. eod. l. ſecunda.

Si quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit: non vt homicida tenetur, quia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe uidetur, C. eod. l. tertia.

Si (vt allegas) latrocinantem peremiſti, dubium non eſt, eum qui inferendæ cædis uoluntate præceſſerat, iure ceſſum videri, C. eod. l. quarta.

Eum, qui adſeuerat homicidiũ ſi non voluntate, ſed caſu fortuito feciſſe, cum calcis ictu mortis occaſio prædita uideatur, ſi hoc ita eſt, neque ſuper hoc ambigi poterit, omni metu ac ſuſpicione, quam ex admiſſæ rei diſcrimine ſuſtinet liberabitur, C. eod. l. quinta.

Si quis te reum Corneliæ legis de Sicariis fecerit, innocentia purgari crimen, nõ adulta ætate defendi conuenit, C. eod. l. ſexta.

Is, qui cum telo ambulauerit hominis necandi cauſa ſicut is, qui hominem occiderit, vel cuius dolo malo factum erit commiſſum, legis Corneliæ de Sicariis pœna coercetur, C. eod. l. ſeptima.

Si quis necandum infantis piaculum aggreſſus aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum, C. eod. l. penul.

Transfugas licet (ubicunque inuenti fuerint) quaſi hoſtes interficere, ff. eodem. l. tertia, in fine.

DE VENEFICIIS. Titulus V.

QVI malum venenum necandi hominis cauſa fecerit, vel uendiderit uel habuerit, plectitur eiuſdem legis pœna adficitur, qui in publicum mala medicamenta vendiderit, uel hominis necandi cauſa habuerit. Adiectio aũt iſta VENENI MALI oſtendit eſſe quædã & non mala uenena, ergo nomen medium eſt, & tam id quod ad ſanandum, quàm id, quod occidendum paratum eſt, continet, ſed & id, quod amatorium appellatur. Sed hoc ſolum notatur in ea lege, quod hominis necandi cauſa habet, ſed ex Senatuconſulto relegari iuſſa eſt ea, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat, deceſſerit. Alio S. C. effectum eſt, ut pigmentarii, ſi cui temere cicutam, Salamandram, aconytum, pituo campes aut buproſtim, mandragoram, at id quod luſtramenti cauſa dederint cantharidas pœna teneantur huius legis, ff. ad l. cor. de ſic. & venefi. l. tertia in prin.

DE PARICIDIIS. Titulus VI.

SI ſiente creditore ad ſcelus committendum pecunia ſit ſubminiſtrata: ut puta ſi ad veneni mali comparationem, vel etiam vt latronibus aggreſſoribusque daretur, qui patrem interficerent: paricidii pœna tenebitur, quique quæſierit pecuniam, quique eorum ita crediderit, aut à quo ita cauerit, ff. de l. Pompei. de paricid. l. ſeptima.

Parricidii poſtulatus, ſi interim deceſſerit, ſiquidem ſibi mortem conſciuit: ſucceſſorem fiſcum habere debebit. Si minus eum, quem voluit: ſi modo teſtamen

tum

tum fecit, Si intestatus decesserit: eos hæredes habebit, qui lege vocantur, ff. eodem. l. octaua.

DE CRIMINE DE FALSIS. Titulus VII.

POENA legis Corneliæ irrogatur ei, qui falsas testationes faciendas, testimoniave falsa inuicem dicenda dolo malo coierit, ff. ad l. Cornel. de falsis. l. prima in prin.

Item, qui ob instruendam aduocationem testimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium, ex Senatusconsulto coercetur, d. l. prima. §. Item qui.

Sed & si quis ob renuntiandum, remittendumve testimonium, dicendum vel nō dicendum pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adficitur, d. l. prima. §. sed & si quis.

Et qui iudicem corruperit, corrumpendumve curauerit, sed & si iudex constitutiones Principum neglexerit, punitur, d. l. prima. §. & qui.

Qui in rationibus, tabulis, cereisve, uel alia qua re sine consignatione falsum fecerint, uel rem amouerit, perinde ex his causis, atque si erant falsarii, puniuntur. Sic & Diuus Seuerus lege Cornelia de falsis damnauit præfectum Aegipti quod instrumentis suis cum præerat prouinciæ falsum fecerit, dicta. l. prima, §. qui in rationibus.

Is, qui apparuerit viui testamentum, legis Corneliç. pœna tenetur, dicta. l. prima. §. is qui.

Is, qui deposita instrumenta apud alium, ab eo rodita esse aduersariis suis dicit, accusare eum falsi potest, d. l. prima. §. is qui.

Ad testamentum militum Senatusconsultum pertinet, quo lege Cornelia tenentur, qui legatum sibi fideive commissum lege Cornelia tenentur, qui legatum sibi fideivecommissum adscripserit, d. l. prima. §. ad testamenta.

Inter filium & extraneum testamentum scribentes hoc interest, quod in extraneo, si specialiter subscriptio facta est, QVOD ILLI DICTAVI, ET RECOGNOVI. pœna cessat, & capi potest. in filio vel generalis subscriptio sufficit, & ad pœnam euitandam, & ad capiendum, d. l. prima. §. inter filium.

Ex illa quoque causa falsi pœnæ quis subiicitur, vt diui quoque Seuerus & Antonius constituerunt vt tutores, & curatores, & hi, qui officio deposito non restituerunt tutelam, vel curationem, eum fisco contrahere non possunt. At si quis aduersus hunc legem præfectus ærario obrepserit: vt perinde puniatur, ac si falsum commisisset. Sed ad illos hoc non pertinet (vt iidem Principis rescripserunt) qui ante, quàm tutelam susciperent, hæc gesserunt. nec enim excusationes admisisse, sed fraudes exclusisse videntur. iidem Principes rescripserunt: ita demum eum, qui rationem tutelæ vel curæ nondum reddidit, cum fisco cō trahere non debere) si uiuat is, cuius tutela administrata est, nam si decesserit licet nondum hęredi eius rationem reddiderit. iure eum contrahere. Sed & si iure hæreditario successerunt, in fiscalem contractum, tutor, vel curator, licet ante rationem redditam pœna non habet locum licet adhuc viuat is, cuius tutela, uel cura administrata est, d. l. prima, §. ex illa.

Qui testamentum amouerit, celauerit, rapuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quive testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit, immutauerit,

mutauerit dolo malo,cuiusve dolo malo id factum erit, legis Cornelia pœna damnatur,ff.eod.l.secunda.

Qui ignorans falsum esse testamentum,vel hæreditatem adiit,vel legatum accepit,uel quoque modo agnouit: falsum testamentum dicere non prohibetur, ff. eodem.l.tertia.

Licet ex tabulis,quas sub nomine patris tui vxorem eius , idest nouercam tuam, subrepto vero testamento,falsas protulisse allegas,cum crimen admissum ignorares legatum adscriptum tibi consecutus sit:tamen non impedieris accusationem contra eam,impletis solemnibus instituere,C.eod.l.tertia.

Si quis cum falso sibi legatum adscribi curasset,decesserit : id hæredi quoque extorquendum est,inde quoque Diuus Marcus rescripsit, cum quidam à patre hæres institutus codicillos intercidisset, & decessisset: fisco tantum putauit esse vindicandum, quantum per codicillos erogari potuisset, id est vsque ad dodrantem,ff.eod.l.quarta.

Senatus pœnam remisit ei, qui legata à se testamento data codicillis sua manu scriptis ademerat.Sed quia & iussu patris id fecerat,& annorum vigintiquinq; erat,hæreditatem quoque ei capere permissum est,ff.eod.l.quinta.

Si quis legatum sibi adscripserit:tenetur pœna legis Corneliæ, quamuis inutile legatum sit:nam & eum teneri constat, qui eo testamento, quod postea ruptũ est,uel etiam quod initio non iure fiebat,legatum sibi adscripsit.hoc tamen tũc uerum est,cum perfectum testamentum erit:cæterum si nõ signatum fuerit: magis est,vt Senatusconsulto locus non sit:sicuti nec interdictum de tabulis testamenti exhibendis locum habet.prius enim oportet esse aliquod testamentum,uel non iure factum,vt Senatusconsulto locus sit. nam & falsum testamentum id demum rectè dicitur:quod si adulterinum non esset uerum tamen testamentum rectè diceretur.similiter igitur & non iure factum testamentum id appellatur in quo,si omnia rite facta essent,iure factum diceretur, ff.eod.l. sexta. in princip.

Si institutus hæres exhæredationem nominatim filii vel aliarum personarum adscribit: Senatusconsulto tenetur,d.l.sexta.§.si institutus.

Si vxor dotem,vel creditor id,quod in diem sibi deberetur, sibi adscripserit: & similiter venia impetrata abstinere se à legato iubeatur,aut mulieri dos,aut creditori actio sua denegari non debeat:ne eorum vterque merito debito careat, d.l. sexta.§.nec tamen.

Pæna legis Corneliæ irrogatur ei, qui quid aliud,quàm in testamento,sciens dolo malo falsum signauerit, signarive curauerit: item qui in falsas testationes faciendas testimoniave falsa inuicem dicenda dolo malo coierit, ff. eodem.l. Cornelia.9.§.pæna.

Qui delatorem submisit in causa pecuniaria: eadem pæna tenetur, qua tenentur hi,qui ob instruendas lites,pecuniam acceperunt,d.l. Cornelia.§.si.

De eo, qui ei,in cuius potestate est,adscripserit : nihil Senatusconsultis cauetur. Sed hoc quoque casu committitur in legem : quia huius rei emolumentum ad patrem pertinet, ad quem pertineret, si filius sibi adscripsisset. Illud constat: si extraneo quis adscripserit legatum,licet postea viuo testatore in potestate eũ habere cæperit,Senatusconsulti locum non esse,ff.eod.l.de eo qui.

Si Pater filio suo militi,quem habet in potestate,testamento commilitonis filii aliquid adscripserit,quem commilitonem in militio nouit, quia patri non adquiritur,extra pænam est,& cum matri filius adscripserit, diui fratres scripserunt,

cum

cum iussu testatoris hoc scripsit, impunitum eum esse, matremque posse capere, ff. eod. l. si pater xi.

Diuus Claudius edicto præcepit, adiiciendum legi Corneliæ, vt si quis cum alterius testamentum vel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu scripserit, perinde teneatur ac si commisisset in legem Corneliam. & ue vel his venia daretur, qui se ignorasse edicti seueritatem prætendant. scribere autem sibi legatum videri non solum eum, qui manu sua id facit, sed etiam qui per filium, quẽ in potestate habet, dictante testatore legato honoratur, ff. e. l. Diuus. xv. in prin.

Si quis duobus hæredibus institutis adiecerit, vt si alteruter hæres sine liberis decessisset ei, qui superesset, & liberos haberet, hæreditas redderetur, vel si sine liberis vterque decessisset, hæreditas deinde alia manu scriptori testamenti restitueretur, placet testamentario pœnam legis Corneliæ remitti. Sed benignius est, ut etiam ea, quæ suprascripta sunt simili modo consequatur, d. l. Diuus, §. si.

Paulus respondit instrumentorum subreptorum crimen non esse publici iudicii, nisi testamentum alicuius subreptum arguatur. Paulus respondit. legis Corneliæ pœna omnes teneri, qui etiam extra testamentorum cætera falsa signasset. Sed & cæteros, qui in rationibus, tabulis, literis publicis, aliave qua re, sine consignatione falsum fecerunt, vel ut uerum non appareat, quid celauerunt subripuerunt, subiecerunt, resignauerunt: eadem pœna adfici solere, dubium non esse, ff. eod. l. Instrumentorum. 16. §. Paulus.

Vxori legatum in alieno testamento adscribere non prohibemur, ff. eodem. l. Vxori. 18. in prin.

Qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripsit: & si suspectus esse præsumitur, quod tutelam ultro videatur adfectasse, tamen si idoneus esse adprobetur, non ex testamento, sed ex decreto tutor dandus est, nec excusatio eius admittetur, quia consensisse videtur voluntati testatoris, d. l. vxori, §. qui se filio.

Si ei filio, qui apud hostes est, adscripserit pater legatum: dicendum est, reuerso eo, incidere in pœnam S.C. quod si ibi decesserit: innocens pater existimatur. Sed si emancipato filio adscribit, recte id faciet. item in adoptionem dato, ff. eod. l. impuberem. 22. §. si ei filio.

Sed & ille, qui cum Titio fundus legaretur, adiicit sua manu conditionem pecuniæ sibi dandæ, in voluntatem Senatusconsulti incidit. Qui autem voluntate patris se exhæredat, vel legatum sibi adimit, neque uerbis Senatusconsulti, neq; sententia continetur, d. l. impuberum. §. finali.

Si quis patris sui testamentum aboleuerit, & quasi intestatus decessisset, pro hærede gesserit, atque ita diem suum obierit, iustissime tota hæreditas paterna hæredibus eius eripietur, ff. eod. l. si quis. 26.

Lege Cornelia testamentaria obligatur, qui signum adulterinum fecerit, sculpserit. De partu supposito soli accusant parentes, aut hi, ad quos eas res pertineat nõ quilibet ex populo, vt publicam accusationem intendat, ff. e. l. Cornelia. 30.

Qui falsas tabulas dixerit, nec obtinuerit, ad defuncti iudicium adspirare non potest, C. eod. l. sexta.

Si falsos codicillos ab iis, contra quos supplicas, factos esse contendis: non ideo accusationem euadere possunt. quod si illis negent uti, nam illis prodest instrumenti vsu abstinere, qui non ipsi machinatores falsi esse dicuntur, & quos periculo solus vsus adstrinxerit. qui autem compositis per scelus codicillis in seueritatem legis Corneliæ inciderunt, non possunt defensiones eius recusando, crimen euitare, C. eod. l. qui falsos. 8.

Si

Si docueris apud præsidem prouinciæ ab intestato te hæredem eius extitisse, qui codicillos scripserat: ordinarium est, vt in hæreditatis possessione constitutus, fideicommissa præbeas, quæ iure relicta sunt: nisi consilium est condicillos falsos arguere, quod si criminaliter cœptum interuentu indulgentiæ, sopitū est, habes tamen residuam indagationem, & potest de fide scripturæ ciuiliter quæri, C. eod. l. si docueris. 9.

Eum qui celauit, uel amouit testamentum, committere crimen falsi publicè notū est, C. eod. l. eum qui. 14.

De fide testamenti duplex via litigandi tributa est, quamuis itaque per procuratorem accusationem persequi non potes: disceptatione tamen parata de eiusdē fide quæri non prohiberis, cum reus ita conuentus non tantum ab alio iuste, sed & ab eo, qui ciuiliter egit, solenniter accusari possit, C. eod. l. de fide. 16.

Sicut falsi testamenti vel codicillorum scriptura temporis interuallo firmari non potest, ita vera, quæ in iure substitit, non euanescit. si itaque de fide delicti vel per accusationem vel per priuatum iudicium quæreris, rector prouincię tunc demum eos exhiberi, de quibus interrogatio fieri potest, iubebit, si prius cæteris iudiciis fuerit commotus, C. eod. l. sicut. 17.

Falsi nominis vel cognominis adseueratio pœna falsi coercetur, ff. eodem. l. falsi. 13. in princip.

Falsi pœna coercentur, & qui ad litem instruendam aduocatione testibusve pecuniam acceperunt, obligationem, pactionem fecerunt, societatem inierunt, & vt aliquid eorum fieret, curauerunt, ff. eod. l. falsi. 20.

Qui duobus insolidum eandem rem diuersis contractibus vendiderint pœna falsi coercentur, & hoc Diuus Hadrianus constituit. his adiungitur & is, qui iudicem corruperit, sed remissius puniri solent, & ad tempus relegantur, nec bona illis auferuntur, ff. eod. l. qui duobus. 21.

Impuberem in hoc ædictum incidere, dicendum non est, quoniam falsi crimine uix poterit teneri cum dolus malus in eam ætatem non cadit, ff. eod. l. impuberem. 22. in prin.

Quid sit falsum, quæritur & uidetur id esse, si quis chirographum alienum immittetur, aut libellum, vel rationes intercidat vel describat, non qui alias in computatione, uel in ratione mentitur, ff. eod. l. quid sit. 23.

Qui nomine prætoris literas falsas reddidisse, edictum vel falsum proposuisse dicetur, ex causa actione in factum pœnali tenetur, quamquam legis Corneliæ reus sit, ff. eod. l. qui nomine. 25.

Eos, qui inter se diuersa testimonia præbuerant, quasi falsum fecerint, & præscripto legis Corneliæ teneri, pronuntiatum est. & eum, qui contra signum suum falsum præbuit testimonium pœna falsi teneri pronuntiatum est, ff. eod. l. eos qui, 27. in prin.

De imprudentia eius, qui diuersa duobus testimonia præbuit cuius ita anceps fides vacillat, quin crimine falsi teneatur, nec dubitandum est, dicta. l. eos qui. §. de imprudentia.

Qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus est vsus, uel falso duplomate uias commeauit, pro admissi qualitate grauissime, puniendus est, d. l. eos qui. §. fin.

Qui à debitore prolato die pignoris obligatio mentiatum falsi crimini locus est, ff. eod. l. qui à debitore. 28.

Si quis obrepserit præsidi prouinciæ, tam per acta, quàm per libelli interpellationem nihil agit imo si accusatus fuerit pænam temeratoris luit. Perinde enim

punitur,

punitur, atque si falsum fecerit. sunt enim rescripta de ea re, sufficit autem vnũ argumenti causa referre, cuius verba hæc sunt. Alexander Augustus. Iulio Marilo. si libello dato aduersarius tuus veritatem in precibus ab eo datis non adiecit: subscriptione, vti non potest. imo si accusatus fuerit & pœnam inferre debet, ff. eod. l. si quis, 29.

Diuus Pius Claudio rescripsit, pro mensura cuiusque delicti constituendum in eos, qui apud iudices instrumenta protulerunt, quæ, probari non possint. at si plus eos meruisse videatur, quàm ex forma iurisdictionis pati possint: vt imperatori describatur, æstimaturo, quatenus coerceri debeant, sed diuus Marcus cum fratre suo pro sua humanitate hanc rem temperauit, ut si (quod plerunq; euenit) per errorem huiusmodi instrumenta proferantur. ignoscatur eis qui tale quidquam protulerint, ff. eod. l. Diuus. 31.

Si venditor mensuras publice probatas vini, furmenti, vel cuiuslibet rei, aut emptor corruperit, dolove malo fraudem fecerit: quanti ea res est, cuius duplo cõdemnatur, decretoque diui Hadriani præceptum est in insulam eos relegari, qui pondera aut mensuras falsaslent, ff. eod. l. penul.

Si quis falsis constitutionibus nullo authore habito vtitur lege Cornelia aqua ei & igni interdicitur, ff. eod. l. fin.

Maiorem seueritatem exigit, vt merita, eorum, qui falsis rescriptionibus vtuntur, digna pœna coerceantur. Sed qui deceptus est per alium: si suam innocentiam probat, & eum à quo accipit, exhibet: se liberat, C. eod. l. quarta.

Nec exemplum precum edictionis aliter per errorem scriptum, cum non nisi dolo falsum committentes crimini subiugentur, cognitionem dati iudicis moratur, C. eod. l. nec exemplum. 20.

Accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur: nec interest, decesserit, nec ne ea, quæ partum subdidisse contenditur, ff. eodem. l. qui falsas. 19. §. accusatio.

Si partus suppositi crimen diuersæ parti obiicitis: causa capitalis in tempus pubertatis pueri differri non debuit: nec enim verisimile est, eam, quæ arguitur, non ex fide causam suam defensuram, cum periculum capitis subeat, C. eodem. l. prima.

Cum suppositi partus crimen patrui tui vxori moueas: apud rectorem prouinciæ instituta accusatione id proba, C. eod. l. cum suppositi. x.

De partu supposito soli accusant parentes, aut hi, ad quos ea res pertinet non quilibet ex populo, vt publicam accusationem intendat, ff. eod. l. lege. 3. §. fi.

Cum morandæ solutionis gratia à debitore falsi crimen obiicitur, nihilominus salua executione criminis debitorem ad solutionem compelli oportere satis rescriptis principum declaratum est, C. eod. l. secunda.

Falsi quidem crimen, vel aliud capitale mouere filiis matri non possunt. Sed ea res pecuniarium compendium non aufert. Si enim de fide scripturæ, vnde mater vestra fideicommissum sibi vindicat, dubitatio est: inquiri fides veritatis etiam sine metu criminis potest, C. eod. l quinta.

Ipse significas, cum primo aduersarii instrumenta protulerunt, fidem eorum te habuisse suspectam, facta igitur transactione, difficile est, vt is, qui prouinciam regit, velut falsum cui semel adquieuisti, tibi accusare permittat, C. eo. l. septima.

Si lis pecuniaria apud pedaneos iudices remissa est, etiam de fide instrumenti ciuiliter apud eos iuxta responsum viri prudentissimi Pauli requiretur, C. eodem. l. si lis. xi.

Querela

Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicut cætera quoque fere crimi na, C. eod. l. quærela. xii.

Qui velut præsentem scripsisse res recepisse suas, cum absens esset, conscripsit. nõ ignorãti quid quam aufert, sed se criminis obligat periculo, C. e. l. qui velut. 13.

Si creditor colludẽs cũ debitore suo, sibi p̃diũ venũdedit: falsũ cõmisit, & sibi nihil officit, sed se magis criminis accusati oni fecit obnoxiũ, C. e. l. si creditor. 15.

Ex initio falsi cõmisi iussa possessio non parat̃, vnde contra eos, quos de dño fundi tecũ contendere proponis, accusationẽ instituere potes, C. eo. l. ex initio. 18.

Et si ad te negotium pertinuit, etiam atque etiam tecum deliberare debueras, ne improbam institueres accusationem, hoc instrumentum, in quo subscripseras falsum arguere contendens, at cum mulieribus in alia causa falsi non sit concessum accusare, tu autem hæc eadem prædia te prius aliis donasse proponas, fieri tibi facultatem accusandi contra iuris postulas formam, C. eod. l. & si. 19.

Si quis decurio testamentum, uel codicillos, aut aliquam deficientis scripserit voluntatem, uel conscribendi publicis priuatisque instrumentis præbuerit officium, si falsi quæstio moueatur, decurionatus honore se posita quæstioni (si ita poposcerit causa) subdatur. Sed non statim definit esse decurio, qui in huiusmodi facto fuerit, quantum enim ad municipales pertinet necessitates: decurio permanet. quantum ad rem gestam & veritatem referandam, uti decurionatus honore non poterit nec uerò is, qui ante fuerit tabellio, ad eludendam quęstionem, super iis, quæ ante conscripsit, factus decurio defendi hac poterit dignitate, quoniam scripturæ veritas, si res poposcerit, per ipsum debet probari authorem, C. eod. l. si quis. 21.

Vbi falsi examen inciderit, tunc accerrima fiat indago argumentis testibus, scripturarum collatione aliisq; uestigiis ueritatis, nec accusatori tantum quæstio incumbat, nec probationis ei tota necessitas indicatur, sed inter utranq; personam iudex medius, nec vlla interlocutione diludicet, quæ sentiat sed tanquam ad imitationem relationis, quæ solum audiendi mandat officium, prębeat notionem, postrema sententia, quid sibi liqueat, proditurus. Vltimum autem finis strepitus criminalis compendioso spatio limitatur, quem litigantem fas nõ sit excedere, cuius exordium nascetur auspitio contestatæ actionis apud iudicem competentem, capitali post probationem supplicio, si id exigat magnitudo cõmissi, uel deportatione ei, qui falsum cõmiserit, imminẽte, C. e. l. vbi falsi. 22.

Datur licentia litigantibus, si apud iudicem proferatur scriptura de qua oritur aliqua disputatio, profitendi vtrum de falso criminaliter statuat, qui dubitet, de instrumenti fide, experiri, an ciuiliter. Quod si expetens vindictam falsi crimen intenderit, tunc quæstione ciuili per sententiam terminata, criminis fiat indago, vt si quis tabula testamenti, chirographa, attestationesque necnon & rationes priuatas vel publicas, pacta, & epistolas, uel ultimas uoluntates, donationes, uenditionesve, uel si quid prolatũ ad instituere conabit̃: habeat accusãdi facultatẽ. ciuilis autẽ inquisitionis inter utrasque partes confligentium lenior examinatio procedat: cũ iudex, qui pęerit questioni, intentiones actoris falsas & cõfectu crimina reorũ ex legibus pœnis cõpetẽtibus ulcisci. C. e. l. pen.

Præbet̃ licẽtia, ut siue ciuiliter, siue criminaliter (ut actor elegerit) sup ꝑlatis codicillis uel aliis instrumẽti requirat: incũbat ꝓbatio fidei ĩstrumẽti ei primitus, q̃ scripturã obtulerit: deĩde ei, q̃ ĩstructa ĩstãtia falsũ arguere paratus sit, C. e. l. si.

Pœna falsi, uel quasi falsi, deportatio ẽ, & oĩum bonorũ publicatio, ff. e. l. prĩa. §. si.

DE VI PVBLICA SEV PRIVATA. Titulus VIII.

LEGE Iulia de vi publica tenetur, qui arma, tela, domi suæ agrove in villa, præter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis coegerit excipiuntur etiam arma, quæ quis promertii causa habuerit, hæreditateve ei, obuenerint, ff. de vi publ. l. prima. cum l. seq. In eadem causa sunt, qui turbæ, seditionisve faciendæ consilium inierint, hominesve in armis habuerint, ff. eod. l. tertia, in prin.

Eadem lege tenetur, qui pubes cum telo in publico fuerit. in eadem causa sunt, qui pessimo exemplo conuocata seditione villas expugnauerint, & cum telis ac armis bona rapuerint, item tenetur, qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam præterea punitur huius legis pœna, qui puerum, uel fœminam, uel quenquam per uim stuprauerit. Sed & qui in incendio cum gladio aut telo rapiendi causa fuerit, vel prohibendi res suas dominum seruare eadem pœna tenetur eadem lege tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo agrove suo uel naui sua deiecerit, excusserit, expugnauerint concursu utive id fieret, homines commodauerit, d. l. tertia. §. eadem lege, cum l. seq.

Qui cœtu, concursu, turba, seditione incendium fecerit: quique hominem dolo malo incluserit, obsederit: quive fecerit, quominus sepeliatur, quo magis fugauerit, nam eam obligationem lex rescindit, ff. eod. l. quinta, in prin.

Si de ui, & possessione, uel dominio quæratur: ante cognoscendum de ui, quàm de proprietate rei, Diuus Pius rescripsit. Sed & decrepit, ut prius, de ui quæratur, quam de iure dominii, siue possessionis, d. l. quinta, §. si de vi.

Armatos non utique eos intelligere debemus, qui tela habuerint: sed etiam eos, qui habent, quod nocere potest, ff. eod. l. armatos. 9.

Qui dolo malo fecerit, quo minus iudicia tuto exerceantur, aut iudices vt oportet iudicent: uel is, qui potestatem Imperiumve habebit, aliter quàm ei ius erit decernat imperet, faciat, qui ludos pecuniamve ab aliquo inuicto polliceri publice, priuatimque per iniuriam exegerit. Item qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut ubi iudicium publicè exercebitur, ff. eodem. l. qui dolo. x. in principio.

Hac lege tenetur, & qui conuocatis hominibus uim fecerit, quo quis uerberetur, & pulsetur, & neque homo occisus sit, d. l. qui dolo. §. fin.

Hi, qui ædes alienas aut uillas expilauerint, effregerint, expugnauerint; si quidem in turba cum telis fecerint: capite puniuntur: telorum autem appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt, accipiuntur, qui telum tutandæ salutis suæ causa gerunt, non uidentur hominis occidendi causa portare, ff. eodem. l. penul.

Qui noua uectigalia exercent, lege Iulia de ui publica tenentur, ff. eodem. l. §. finali.

Quoniam multa facinora sub vno violētiæ noīe continentur, cū aliis vim inferre certantibus, aliis cū indignatione resistentibus, verbera cædesq; crebro detegātur admissæ: placuit si forte quis vel ex possidentis parte, vel ex eius qui possessionē temerariæ tētauerit interemptus sit: in eū suppliciū exerceri, quæ vim facere tentauerit, & alterutri parti causam malorum præbuerit: & non tam relegatione

gatione, aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat, nec interposita prouocatione sententiam, quæ in eum fuerit dicta suspendat, C.eod.l.Iul.de vi pub.uel.priu.l.sexta.

De vi priuata.

Lege de vi priuata tenetur, qui conuocatis hominibus uim fecerit, quo quis verberetur, pulsetur: neque homo occisus erit, ff.ad l.Iul.de vi priua.l.secunda.

Legis Iuliæ de ui priuata crimen committitur, cum cætum aliquis & concursum fecisse dicitur, quo minus quis in ius produceretur: & ideo moderatius edicto prætoris de iniuris vtendum esse Labeo ait, ff.eod.l.quarta.

Si quis aliquem deiecerit ex agro suo hominibus congregatis sine armis: vis priuatæ postulari possit, ff.eod.l.quinta.

Ex Senatusconsulto Volusiano, qui improbè coeunt in alienam litem, vt quidquid ex condemnatione in rem ipsius redactum fuerit, inter hos communicarentur: lege Iulia de vi priuata tenentur, ff.eod.l.sexta.

Creditores si aduersus debitores suos agant: per iudicem id, quod deberi sibi putant, reposcere debent. alioquin si in rem debitoris sui intrauerint, nullo id cõcedente, Diuus Marcus decreuit, ius crediti eos non habere. verba decreti, hæc sunt. OPTIMVM EST, VT SI QVAS PVTES TE HABERE PETITIONES, ACTIONIBVS EXPERIARIS. INTERIM ILLE IN POSSESSIONE DEBET MORARI, TV PETITOR ESSE ET CVM MARTIANVS DICERET. VIM NVLLAM FECI: CAESAR DIXIT, TV VIM PVTAS ESSE SOLVM, SI HOMINES VVLNERENTVR? VIS EST ET TVNC, QVOTIES, QVIS ID QVOD DEBERI SIBI PVTAT, NON PER IVDICEM REPOSCIT. NON PVTO AVTEM NEC VERECVNDIAE, NEC DIGNITATI, NEC PIETATI TVAE CONVENIRE QVIDQVAM NON IVRE FACERE. QVISQVIS IGITVR PROBATVS MIHI FVERIT, REM VLLAM DEBITORIS, NON AB IPSO SIBI TRADITAM, SINE VLLO IVDICE TEMERE POSSIDERE, (VEL ACCEPISSE) SIBIQVE IVS IN EAM REM DIXISSE, IVS CREDITI NON HABEBIT. ff.eod.l.penul.

Si creditor, qui sine authoritate iudicis res debitoris occupet: hac lege tenetur, & in tertia parte bonorum multatur, & infamis fit, ff.eod.l.fin.

Latoris tui lege Iulia de re priuata armati si tertia pars bonorum fisco vindicata, est tutelæ actionem pro ea portione aduersus fiscum dirige modo si nulla præscriptio locum habeat nam successio pro oneribus portionis suæ respondet, C.ad l.Iul.de vi pub.uel.priu.l.secunda.

Ob debitum viri vel ciuile munus res vxoris, qui pignori capiunt, uim contrahere videntur, C.eod.l.prima.

Si confidis sponsam filii tui, raptam esse, vel filiuum tuum inclusum, instituere solenni more legis Iuliæ de vi accusationem apud præsidem prouinciæ non prohiberis, ff.eod.l.tertia.

In possessionem fundi, licet creditor, per vim ingrediatur: Iuliæ legis uis priuatæ reus deferri potest, C.eod. l.quinta.

Si quis à te fundum, vel quodcunque aliud adserit pertinere, ac restitutionem sibi competere possessionis putat: aut ciuiliter super posidendo agat, aut impleta solennitate iuris crimen violentiæ opponat: non ignarus eam se sententiam subiturum, si crimen obsectum non potuerit comprobare, quàm reus

debet excipere. Quod si omissa interpellatione, vim posidenti intulerit, ante omnia violentię causa examinatur, & in ea requiritur quid ad quem peruenerit posidentem: ut ei, quem constiterit expulsum amissę possessionis iura reparentur, eademque protinus restituta, si criminalis quæstio agitetur, violentus pœnæ non immerito destinatus, in totius litis terminum differatur, ut agitato negocio principali si contra eum fuerit iudicatum in insulam deportetur, bonis omnibus abrogatis, C. eod. l. septima.

Crimen non dissimile est rapere, & ei, qui rapuit, raptam rem scientiam delictum seruare, C. eod. l. penul.

DE RARTV VIRGINVM SEV VIDVARVM VEL SANCTIMONIAlium. Titulus IX.

RAptores virginum honestarum, siue iam desponsatæ fuerint, siue nō uel quarumlibet uiduarum fœminarum pessima criminum peccantes capitis supplicio plectendi sunt. & maxime si deo fuerint virgines, uel uiduæ dedicatæ quod non solum ad iniuriam hominum sed ad ipsius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur maxime cum virginitas, vel castitas corrupta restitui non posit. & merito mortis damnantur supplicio, cum nec ab homicidii crimine huiusmodi raptores sint uacui. C. de raptu. virgin. l. Vnica, in princip. & Insti. de publ. iudic. §. sin autem per vim.

Sed ne sine uindicta talis crescat infamia sancitum est, ut ii, qui, huiusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium inuasionis tempore præbuerint, vbi inuenti fuerint in ipsa rapina, & adhuc flagrante crimine compræhensi, & à parentibus Virginum vel viduarum, vel quarumlibet fœminarum aut earum consanguineis aut à tutoribus, & curatoribus conuicti interficiantur, d. l. Vnica. §. ne igitur.

Quæ multo magis contra eos obtinere sancitum est, qui nuptas mulieres ausi fuerint rapere, quia duplici crimine tenentur, tam adulterii, quàm rapinæ, & oportet acerbius adulterii crimen ex hac adiectione puniri. Quibus connumeratur etiam is, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit, d. l. Vnica. §. quæ multo magis.

Sin autem post commissum tam detestabile crimen aut potentatu raptor se defendere, aut fuga euadere potuerit. Omnes uiri spectabiles, & duces & uiri clarissimi, rectores prouinciarum, necnon alii cuiuslibet ordinis iudices, qui in illis locis inuenti fuerint, studium cum magna sollicitudine adhibeant, ut eos posint comprehendere, & comprehensos in tali crimine post legitimas & iuri cognitas probationes sine fori præscriptione durissimis pœnis afficiant, & mortis condemnent supplicio. Quibus & si appellare voluerint nulla datur licentia secundum Constantinianæ legis definitionem, dicta. l. Vnica. §. sin autem post.

Omnes res mobiles, seu & immobiles, & se mouentes, tam raptorum, quàm etiā eorum, qui eis auxilium præbuerunt, ad dominium raptarum mulierum transferantur, prouidentia iudicum, & cura parentum earum, vel maritorum, vel tutorum, seu curatorum, d. l. Vnica. §. sin autem.

Et si non Nuptæ mulieres alii cuilibet præter raptorem legitime coniungentur in dote mulierum easdem res, uel quantas ex iis voluerint procedere.

siue maritum nolentes accipere, in sua pudicitia remanere voluerint pleno dominio eis applicatur nemine iudice vel alia quacunque persona hoc audente contemnere, d.l. vnica.§.& si non nuptæ.

Ne sit in facultate raptæ virgini, uel viduæ, uel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere: sed cui parentes, excepto raptore, eam legitimo copulent matrimonio: qooniam nullo modo, nulloque tempore datur licentia eis consentire, qui hostili more in nostra Republica matrimonium student sibi coniungere, d.l. Vnica.§. ne sit facultas.

Pœnæ autem prædictæ id est mortis & bonorum amissionem non tantum aduersus raptores, sed etiam contra eos, qui hos commiati in ipsa inuasione & rapina fuerint constituitur. Cæteri autem omnes, qui consilii & ministri huiusmodi criminis reperti & conuicti fuerint, uel qui eos susceperint, vel quicunque opem eis intulerint siue masculi, siue fœminæ sint, cuiuscunque conditionis, uel gradus, uel dignitatis: pœnæ tantummodo capitali subiiciuntur & huic pœnæ omnes subiaceant, siue volentibus siue nolentibus virginibus, siue aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum. Si enim ipsi raptores metu, uel atrocitate pænæ se ab huiusmodi facinore temperauerint: nulli mulieri siue uolenti siue nolenti peccandi locus relinquetur: quia hoc ipsum velle mulieris ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam inducitur. Nisi etenim eam sollicitauerit nisi odiosis artibus circumuenerit: non facit, eam velle intantum dedecus sese prodere, d.l. Vnica.§. proponas autem.

Parentibus, quorum maxime uindicta intererat, si patientiam præbuerint, ac dolorem remiserint, deportatione plectendis, d.l. Vnica.§. parentibus.

Ex institutionibus, eod. tit. de pub. iud.§ publica sunt ita habetur.

Sunt præterea Publica iudicia de ambitu & repetundorum de Annora & de Residuis. Inst. de publ. Iud.§. penul.

DE CRIMINE AMBITVS.
Titulus X.

HAEC lex cessat quando ad Curam Principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem quod si in municipio contra hanc legem magistratum, quis petierit: per Senatusconsultum centum aureis cum infamia punitur. qua lege damnatus si alium conuicerit: in integrum restituitur, non tamen pecuniam recipit. item is, qui nouum vectigal instituerit, ex Senatusconsulto hæc pœna plectitur. Sed si quis reus vel accusator domum iudicis ingrediatur. per legem Iuliam iudiciariam in legem ambitus committit, & aureos centum fisco inferre iubetur, ff. de leg. Iul. amb. l. Vnica.

Nullus omnino Principatum, uel numeratum, seu commentariensis gradum, uel cætera officia repetere audeat: cum publicæ disciplinę semel gesta sufficiant. At si quispiam promotorum denuo ad munus etiam per sacras literas irrepserit, quod ante docebitur gessisse: cassatis, quæ hoc modo sunt impetrata, ad solutionem debiti primitus vrgeatur: & qui contra fecerint, pœnam deportationis ad instar legis Iuliæ ambitus excipiant, C. eodem. l. vnica.

DE CRIMINE REPETVNDARVM.
Titulus XI.

LEX Iulia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas, quis in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepit, vel cum ex cohorte cuius eorum est. Excipit lex, à quibus licet accipere: à sobrinis, proprioreve gradu cognatis suis, vxore, ff. de l. Iul. repet. l. prima.

Datur ex hac lege & in hæredes actio intra annum duntaxat à morte eius, qui arguebatur, ff. eod. l. secunda.

Lege Iulia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob iudicandum, uel non iudicandum, decernendumve acceperit, uel quo magis aut minus quid ex suo officio faceret, ff. eod. l. tertia, & quarta.

In comites quoque iudicum ex hac lege iudicium datur, ff. eod. l. quinta.

Eadem lege tenentur, qui ob denuntiandum, vel non denunciandum, testimoniũ pecuniam acceperint, ff. eod. l. sexta in prin.

Hac lege damnatus testimonium publicè dicere, aut iudex esse, postulareve prohibetur, d. l. sexta. §. hac lege.

Lege Iulia repetundarum cauetur, ne quis ob militem legendum, mittendumve æs accipiat: neve quis in Senatu, consiliove publico dicendam pecuniam accicipiat, vel ob accusandum, vel non accusandum: vtque Vrbani magistratus ab omni sorde se abstineant, neve plus doni munerisve in anno accipiant, quàm quod sit aureorum centum, d. l. sexta. §. fi.

Lex Iulia de repetundis præcipit, ne quis ob iudicem arbitrumve dandum, mutãdum, iubendumve, vt iudicet: neve ob non dandum, non mutandum, non iubendum, vt iudicet: neve ob hominem in vincula publica coniiciendum, vinciendum, vincirive iubendum, vel ex vinculis dimittendum, neve quis ob hominem condemnandum, absoluendumve, neve ob litem æstimandam, iudiciumve capitis pecuniæue faciendum, uel non faciendũ aliquid acceperit. Apparet autem, quod lex ab exceptis quidem in infinitum capere permittit. ab his autem, qui hoc capite enumerantur, à nullo, nec ullam quantitatem capere permittit, ff. eod. l. septima, in prin.

Illud quoque cauetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum publicè dandum, præbendum, ad probandum, sarta tecta tuenda, antequã perfecta, probata, præstita lege erunt, d. l. septima, §. Illud.

Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur & plerunque uel exilio puniuntur, uel etiam durius, prout admiserint. quid. n. si ob hominem necandum pecuniam acceperint. uel licet non acceperint, calore tamen inducti interfecerint uel innocentem, uel quem punire non debuerant? capite plecti debent, uel certè insulam deportari, ut plerique puniti sunt. d. l. septima. §. hodie.

Quod contra legem repetundarum proconsuli, uel prætori donatum est, non poterit usucapi. Eadem lex uenditiones, item locationes eius rei causa pluris minorisue factas irritas facit: impeditque usucapionem, priusquàm in potestatem eius, à quo profecta res sit, hæredisve eius ueniat, ff. eod. l. penul.

Qui munus publice mandatum accepta pecunia ruperunt, crimine repetundarum postulantur, ff. eod. l. fin.

Vt vnius pœna metus possit esse multorum: ducem, qui male egit, ad prouinciam, quam nudauerit, cum custodia competenti ire præcipitur, vt non solum

quod eius domesticus, aut manipularius & minister accepit, uerum, & quod ipse à principalibus rapuit, aut sustulit in quadruplum exsoluat inuitus, C. eodem, l. prima.

Sciant iudices, super admissis propriis, aut à se, vel ab hæredibus suis, pœnam esse repetendam, C. eo. l. secunda.

Omnes cognitiones & iudices à pecuniis, atque patrimoniis manus abstineant, neque alienum iurgium putent suam prædam. Etenim priuatarum quoque litium cognitor idemque mercator statutam legibus cogetur subire iacturam, C. eod. l. tertia.

Ad prouincias regendas uiri accedere debent, qui ad honoris insignia non ambitione, vel precio, sed probatæ vitæ testimonio solent promoueri: ita sanè ut quibus hi honores fuerint commissi iurati inter gesta depromant, se pro administrationibus sarciendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos vnquam postmodum fore, siue per se, siue per interpositam personam in fraudem legis sacramentique aut venditionisve titulo, aut alio velamento cuiuscunque contractus. Et ob hoc exceptis solis salariis, nihil penitus tam in administratione positos, quam post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quam gratuito meruerint, accepturos. Et licet neminem diuini timoris contemnendo iusiurandum arbitrandus sit immemor, ut saluti propriæ ullum commodum anteponat: tamen ut ad salutis timorem etiam necessitas periculi subiungatur: si quis ausus fuerit præbita sacramenta negligere, non modo aduersus accipientem, sed etiā aduersus dantem accusandi cunctis, tanquam crimen publicum facultas conceditur: quadrupli pœna eo, qui conuictus fuerit modis omnibus feriendo, C. eo. l. fin.

DE CRIMINE ANNONAE. Titulus XII.

Lege Iulia de annona pœna statuitur aduersus eum, qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo annona carior fiat. Eadem lege continetur, ne quis nauem nautamve retineat, aut dolo malo, faciat quo magis detineatur: & pœna uiginti aureorum statuitur, ff. de lege Iul. de annona, l. secunda.

Imperator Antoninus & Verus Augusti, rescripserunt minime æquum esse decuriones ciuibus suis frumentum vilius, quàm annona exigit, vendere. Item rescripserunt, ius non esset ordini cuiusque ciuitatis precium grani, quod inuehitur, statuere. Item rescripserunt & si non soleant hoc genus nuntiationis mulieres exercere, tamen quia mulier demonstratura se, quæ ad utilitatem annonæ pertinent pollicetur: præfectum annonæ docere potest, ff. eo. l. fi.

DE CRIMINE PECVLATVS, DE SACRI legis, & de residuis. Titulus XIII.

Lege Iulia peculatus cauetur, ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve intercipiat, neve in rem suam vertat: neve faciat, quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat: cui vtique lege licebit, neve quis in aurum, argentum, æs publicum quid indet, neve immisceat, neve quo quid indatur, immisceatur, faciat sciens dolo malo, quod id peius fiat, ff. Ad l. Iul. pecul. l. prima.

Peculatus

Peculatus pœna aquæ & ignis interdictionem, in quam hodie succeſsit deportatio, continet. porrò qui in eum ſtatum deducitur, ſicut omnia priſtina iura, ita & bona amittit, ff. eo. l. tertia.

Lege Iulia peculatus tenetur, qui pecuniam ſacram abſtulerit, vel interceperit. ſed & qui donatum deo immortali abſtulerit, peculatus pœna tenetur, ff. eod. l. quarta, in princip.

Si de re ciuitatis aliquid ſurripiatur conſtitutionibus diuorum Principum Traiani, & Hadriani cauetur, peculatus crimen committi: & hoc iure utimur, d. l. quarta, §. ſi de re ciuitatis.

Qui cum in moneta publica operarentur, extrinſecus ſibi ſignant. pecuniam forma publica, vel ſignatam furantur: hi non uidentur adulterinam monetam exercuiſſe, ſed furtum publicæ monetæ feciſſe: quod ad peculatus crimen accedit, ff. eo. l. ſexta, §. qui cum.

Si quis ex metallis Cæſarianis aurum argentumve furatus fuerit: ex edicto diui Pii exilio ex metallo pro dignitate perſonæ punitur. is autem qui furanti ſignũ præbuit: perinde habetur, atque ſi manifeſti furti condemnatus eſſet, & famoſus efficitur. qui autem aurum ex metallo habuit illicitè, & conflauerit: in quadruplum condemnatur, d. l. ſexta, §. fin.

Peculatus crimen ante quinquennium admiſſum obiici non oportet, ff. eodem, l. ſeptima.

Qui tabulam æream legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutauerit: lege Iulia peculatus tenetur. Eadem lege tenetur, quiquid in tabulis publicis deleuerit, vel induxerit, ff. eodem. l. qui tabulam æream, 8.

Labeo peculatum definit pecuniæ publicæ, aut ſacræ furtum, non ab eo factum, cuius peculio fuit. & ideo edictuum in his, quæ ea tradita ſunt, peculatum nõ admittere. idem inferius ſcribit: non ſolum pecuniam publicam, ſed etiam priuatam crimen peculatus facere, ſi quis, quod fiſco debetur, ſimulans ſe fiſci creditorem accepit, quamuis priuatam pecuniam abſtulerit. is autem, qui pecuniã traiiciendam ſuſcepit, vel quilibet alius, ad cuius periculum pecunia pertinet, peculatum non committit, ff. eo. l. ſacrilegi, ix. §. Labeo.

Senatus iuſsit lege peculatus teneri eos, qui iniuſſu eius, qui ei rei præerat, tabularum publicarum inſpiciendarum, deſcribendarumque poteſtatem fecerint. eum quoque, qui pecuniam publicam in vſus aliquos retinuerit, nec erogauerit, hac lege teneri, Labeo ſcribit, d. l. ſacrilegi. §. ſenatus.

Qui perforauerit muros, vel inde aliquid abſtulerit: peculatus actione tenetur, ff. eod. l. qui perforauerit, xi.

Peculatus nequaquam committitur, ſi exigam ab eo pecuniam, qui & mihi & fiſco debet. non enim pecunia fiſci intercipitur, quæ debitori eius aufertur. ſcilicet quia manet debitor fiſci nihilominus, ff. eo. l. peculatus, xii.

Is, qui prædam ab hoſtibus captam ſubripuit: lege peculatus tenetur, & in quadruplum damnatur, ff. eo. l. pen.

Iudices, qui tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerunt, lege Iulia peculatus obnoxii ſunt, & capitali animaduerſionis ſubdi iubetur iis, qui miniſterium eis ad hoc adhibuerunt, vel qui ſubtractas ab iis ſcientes ſuſceperunt, eadem pœna percellendis, C. de crimine peculatus, l. unica.

De sacrilegis.

Mandatis cauetur, Principum de sacrilegiis, ut præsides sacrilegos latrones conquirant,& ut prout quisq; deliquerit in eum animaduertant, & Sic cauetur constitutionibus,vt sacrilegi,extra ordinem digna pœna puniantur, ff. ad l. Iul. pecul.& de sacril.l.quarta,§.mandatis.

Diuus Seuerus & Antoninus Cassio sexto rescripserunt res priuatorum, si in ædem sacram deposita, subreptæ fuerint: furti actionem, non sacrilegii esse, ff. eodem,l.quinta.

Sacrilegii pœnam debebit proconsul pro qualitate personæ,proque rei conditione,& temporis,& ætatis,& sexus, vel seuerius, vel clementius statuere, ff. eod. l. sexta,in princ.

Sacrilegi capite puniuntur. sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilauerunt. atqui priuata sacra, vel qui ædiculas incustoditas tentauerint: amplius quam fures,minus quam sacrilegi merentur.quare quod sacrum, quodve admissum in sacrilegii crimen cadat: diligenter considerandum est, ff. eodem.l. sacrilegi,9.in prin.

Diuus Seuerus, & Antoninus quendam clarissimum iuuenem cum inuentus esset arculam in templo ponere,ibique hominem includere,qui post clausum templum de arca exiret,& de templo multa subtraheret,& se in arculam iterum referret: conuictum in insulam deportauerunt, ff.eo.l.hac lege,x.§.diuus.

Qui diuinæ legis sanctitatem,aut nesciendo omittunt, aut negligendo uiolant, & offendunt sacrilegium committunt, C.de crimine sacrilegii,l.prima.

Disputarem de principali iudicio non oportet. sacrilegii enim instar est dubitare,an is dignus sit,quem elegerit Imperator,C.eo.l.secunda.

Ne quis sine sacrilegii crimine desiderandum intelligat gerendæ,ac suscipiendæ administrationis officium, intra eam prouinciam, in qua prouincialis & ciuis habeatur,nisi hoc cuipiam vltronea liberalitate per diuinos affatus Imperator indulgeat, C.eo.l.fin.

De residuis.

Lege Iulia de residuis tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in usum aliquem retinuit,neque in eum consumpsit,ff.ad l. Iul.penul.de sacrileg.& de residuis,l.secunda.

Lege Iulia de residuis tenetur is,apud quem ex locatione,emptione, alimentaria ratione,ex pecunia, quam accepit, aliave qua causa pecunia publica resedit. sed & qui pecuniam publicam in vsu aliquo acceptam retinuerit, nec erogauerit: hac lege tenetur qua lege damnatus amplius tertia parte,quam debet, punitur,ff.eo.l.quarta,§.lege Iulia.

Cum eo autem,qui cum in prouinciam abiret,pecuniam, quæ pœnes se esset, ad ærarium professus,retinuerit: non esse residuæ pecuniæ actionem,quia eam priuatus fisco debebat.,& ideo, inter debitores eum referri: eamque ab eo is, qui hoc Imperio utitur,exigeret scilicet pignus capiendo, corpus retinendo multam dicendo. sed eam quoque lex Iulia residuorum post annum residuam esse iussit,ff.eo.l.sacrilegi.9.§.cum eo.

Publica iudicia peculatus, & de residuis, & repetundarum, similiter aduersus hæredem exercentur, nec immerito: cum in his quæstio principalis ablatæ pecuniæ moueatur, ff. eod. l. finali.

DE ACCVSATIONIBVS ET INSCRIPTIONIBVS. Titulus XIIII.

QVI accusare possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt itaque prohibentur accusare alii propter sexum vel ætatem vt mulier, vt pupillus. alii propter sacramentum, vt qui stipendium merentur, alii propter magistratum, potestatemve, in qua agentes sine fraude in ius euocari non possunt alii propter delictum proprium, ut infames ali propter turpem quæstum, ut qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habent, numos ve ob accusandum, uel non accusandum acceperint, ff. de accusa. l. qui accusare. 8.

Non est permissum mulieri publico iudicio quemquam reum facere nisi scilicet parentum, liberorumque mortem exequatur, ff. de accus. l. prima.

Certis de causis concessa est mulieribus publica accusatio, ueluti si mortem exequantur eorum earumque, in quos ex lege publicorum testimonium inuitæ nō dicunt. idem & in lege Cornelia testamentaria Senatus statuit. Sed & de testamento paterni liberi uel materni mulieribus publico iudicio dicere permissum est, ff. eod. l. secunda. in prin.

Mulier propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri à præfecto annonæ deferentem, Diuus Hadrianus, & Antoninus rescripserunt famosi quoque accusantes sine ulla dubitatione admittuntur. milites quoque qui causas alienas deferre non possunt qui pro pace excubant, uel magis ad hanc accusationem admittendi sunt, ff. eod. l. mulierem. 13.

In quæstionibus læsæ maiestatis etiam mulieres audiuntur coniurationem denique Sergii Catilinæ, Iulia mulier detexit. & Marcum Tullium Consulem indicium eius instruxit, ff. eod. ad l. Iul. maiest. viii.

De crimine quod publicorum fuerit iudiciorum, mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis, idest si suam suorumque persequatur iniuriam secundum antiquitus statuta tantum, de quibus specialiter eis concessum est, non exacta subscriptione. Vnde aditus præses prouinciæ in primis examinabit, an tale sit crimen, cuius accusationem mulier subire non prohibeatur, C. eodem. l. De crimine. 12.

Senatusconsulto permissum non est mulieri legis Corneliæ crimine reum facere, nisi res ad eam pertineat. Cum igitur filii tutores & curatores habent: ipsi deliberare debent, ad instrumenta, ex quibus aduersarium filiorum tuorum obtinuisse dicis, falsa esse accusare debeant, C. eod. l. quarta.

Non ignorat competens iudex eum, quæ vultionem & mortem filii sui persequi allegat, non temere ad accusationem esse admittendam, nisi prius matrem se esse probauerit, C. eod. l. non ignorat. 9.

Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillæ, aui sui mortem exequi concessum est lege testamentaria nam & de patris quidem testamento pupillis agere Diuus Vespasianus permisit. Sed & si non exhibeantur tabulæ, per interdictum possunt experiri, d. l. secunda, §. pupillis.

Non prohibentur milites accusationem quæ publici iudicii instar obtineat si suas

suas suorumque iniurias exequantur, C. qui accu. non possunt, l. viii.

Accusationem à qua discedere te professus est, repetere non debes, C. eo. l. sexta.

Si ea, quæ crimen intendit cognitionem moratur: certa perferendæ accusationis tempora competens iudex præstabit, intra quæ si agere supersederit, renunciasse causæ intelligitur, C. eo. l. septima.

Data opera partis aduersæ res vestras incendio exarsas esse adseuerantes, crimen legis Corneliæ de sicariis exequi potestis, C. eo. l. data, xi.

Si magnum & capitale crimen ac non leue frater contra fratrem instituit: non solum audiendus non est, C. eo. l. si magnum, 13.

Propter insidias, quas tuæ uitæ paratas contendis accusationem apud præsidem prouinciæ contra filium tuum (si pietas & ratio naturalis animi tui intentionem non reuocat) constituere potest, C. eo. l. propter, 14.

Criminis accusationem instruere cum periculo calumniæ, si tibi existimatio integra est, minimè prohiberis, C. eo. l. criminis, 15.

Is, qui iudicio publico damnatus est, ius accusandi nō habet, nisi liberorum, mortem eo iudicio, vel rem suam exequatur. sed & calumnia notatis ius accusandi ademptum est. Item qui artem ludricam, vel Lenocinium fecerint: quive præuaricationis calumniæve causa, quid fecisse iudicio publico pronunciatus erit quive ob accusandum, negociumve cui facendum pecuniam accepisse iudicatus erit, ff. eod. l. quarta.

Alii propter suspitionem calumniæ: ut illi, qui falsum testimonium subornati dixerunt, ff. eo. l. alii. 9.

Nonnulli propter paupertatem, ut sunt, qui minus, quam quinquaginta aureos habent, ff. eo. l. nonnulli, x.

Hi tamen omnes si suam iniuriam exequantur, mortemve propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur, ff. eo. l. hi tamen, xi. in prin.

Capitis reus suspenso crimine causam fisco deferre non prohibetur, ff. eo. l. pen.

Ab alio delatum alius deferre non potest: sed eum, qui abolitione publica, vel priuata interueniente, aut desistente accusatore, de reis exemptus est: alius deferre non prohibetur, ff. eo. l. hi tamen. § fin.

Famosi qui ius accusandi non habent, sine ulla dubitatione admittuntur ad hanc accusationem, sed & milites, qui causas alias defendere non possunt. nam qui pro pace excubant, magis ad hanc accusationem admittendi sunt, ff. ad l. Iuli. maiest. l. septima, in prin.

Qui de crimine publico in accusationem deductus est, ab alio super eodem crimine deferri non potest. Si tamen ex eodem facto plurima crimina nascuntur, & de uno crimine in accusationem fuerit deductum: de altero non prohibetur ab alio deferri. Iudex autem super vtroque crimine audientiam accommodabit. nec enim licebit ei separatim de uno crimine sententiam proferre, priusquam plenissima examinatio super altero quoque crimine fiet. C. eod. l. qui de crimine. nona.

Hisdem criminibus, quibus quis liberatus est, non debet præses pati eundem iterum accusari: & ita Diuus Pius saluio ualenti rescripsit. sed hoc uirum ab eodem, an nec ab alio accusari possit, videndum est. & putem (quoniam res inter alios iudicatæ, alii non præiudicant) si is, qui nunc accusato extitit suum dolorem persequatur, doceatque se ignorasse accusationem debere. si tamen alio crimine postuletur ab eodem, qui in alio crimine eum calumniatus est: puto, non facilè admittendum eum, qui semel calumniatus sit: quamuis filium ac

cusationis

cusatoris admitti oportere, aliam accusationem instituentem aduersus eum, quem pater accusauerat. Diuus Pius Iulio Candido rescripserit, ff. eodem, l. septima, §. hisdem.

Senatus censuit, nequis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret, ff. eodem, l. senatus. 14.

Si plures existant, qui eundem publicis iudiciis accusare uolunt: iudex eligere debet eum, qui accuset, causa scilicet cognita extimatis accusatorum personis, vel de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia, iusta de causa, ff. eo. l. si plures, 16.

In eum, qui dolo malo hominibus coactis damni, quid datum esse dicetur, non uebet cogi actor, omissa actione ciuili, crimen intendere, ff. eo. l. in eum, 15.

Cum Titia testamentum Caii fratris sui falsum arguere minaretur, & solennia accusationis non implesset intra tempus a præside prouinciæ præfinitum: præses iterum pronunciauit, non posse illam amplius de falso testamento dicere. aduersus quas sententias. Titia non prouocauit: sed dixit se post finitum tempus de irrito testamento dicere, quæritur posit ad falsi accusationem postea reuerti. Respondit? nihil apertè proponi, propter quod aduersus sententiæ authoritatem de falso agens, audienda sit, ff. eo. l. cum Titia, 18.

Diui fratres rescripserunt, non debere cogi hęredes accusatorum exequi crimina. item non oportere compelli accusationem plures reos facere, Diuus Hadrianus rescripsit, ff. eo. l. Diui. 19.

Ex iudiciorum publicorum admissis non alias transeunt aduersus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quam si lis contestata, & condemnatio secuta fuerit: excepto repetundarum & maiestatis iudicio, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exercere placuit, ut bona eorum fisco uindicentur: adeo ut Diui Seuerus & Antoninus rescripserint, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, eum posse. ex cæteris verò delictis pœna incipere ab hærede, ita demum potest, si niuo reo accusatio mota est, licet non fuerit condemnatio secuta, ff. eo. l. ex iudicio, 20.

Alterius prouinciæ reus apud eos accusatur, & damnatur, apud quos crimen cõtractum ostenditur. quod etiam in militibus esse obseruandum, optimi Principes nostri generaliter rescripserunt, ff. eo. l. fina.

Cum sacrilegium admissum esset in aliqua sua prouincia, deinde in alia, minus crimen: Diuus Pius Pontio Proculo rescripsit, postquam cognouisset de crimine in sua prouincia admisso: ut reum in eam prouinciam remitteret, ubi sacrilegium admisisset, ff. eo. l. septima, §. fin.

De inscriptionibus.

Libellorum inscriptionis conceptio talis est. consul & dies apud illum prætorem vel proconsulem Lucius Titius professus est se Mæuiam lege Iulia adulterii ream deferre: quod dicat eam cum Caio Seio in Ciuitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis, adulterium commisisse. utique enim & locus designandus est, in quo adulterium commissum est: & persona, cum qua admissum dicitur: & mensis. hoc enim lege Iulia publicorum cauetur. & generaliter præcipitur omnibus, qui reum aliquem deferunt. neque autem diem, neque horã inuitus comprehendet, quod si libelli inscriptionum legitimè ordinati non

fuerint:

fuerint rei nomen aboletur, & ex integro repetendi reum potestas fiet. Item subscribere debebit is, qui dat libellos, se professum esse: uel alius pro eo, si literas nesciat. Sed & si aliud crimen obiiciat: ueluti quod domum suam præbuit, vt stuprum materfamilias pateretur: quod adulterum deprehensum dimiserit: quod precium pro comperto stupro acceperit, & si quid simile, idipsum libellis comprehendendum erit, ff. de accus. & inscrip. l. tertia, in princ.

Si accusator decesserit, aliave causa eum impedierit, quominus accusare possit, & si quid simile est. nomen rei aboletur, postulante reo, idq; & lege Iulia de ui, & senatusconsulto cautum est: ita ut liceat alii ex integro repetere reum. sed intra ꝙ tps, videbimus. & utiq; xxx. dies utiles conseruandi sunt, d. l. tertia, §. fi.

Si cui crimen obiiciatur: præcedere debet in crimen subscriptio. quæ res ad id inuenta est, ne facilè quis prosiliat ad accusationem: cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. cauent itaq; singuli, quod crimen obiiciant, & præterea perseueraturos se in crimine, vsq; ad sententiam, ff. eo. l. septima, in prin.

Tunc conuenit potentiores viros adesse iudiciis cum eorum præsentiam in criminibus publicis per inscriptionem causa deposcat. licet in pecuniariis causis per procuratores litem sustineant, C. eo. l. tunc. 15.

In causis criminalibus dignum est, vt inscriptiones præponantur, quæ magnitudinem videlicet criminis, tempusq; designet, ut alterutram partem digna legum terrere posit authoritas. quod si statutum forte fuerit contemptum, hi, qui ex officio ingrediuntur secretarium, quinq; librarum auri condemnatione ferientur, C. eo. l. in causis, 16.

Quicunq; in discrimen capitis arcessitur: non statim reus, qui accusari potuit, existimatur. sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei iudice, vinculum inscriptionis accipiat, custodiæ similitudinem (habita tamen dignitatis existimatione) patiatur, nec impunitam fore nouerit licentiā mentiendi, cum calumniantes ad uindictam poscat similitudo supplicii. Nemo tamen sibi blandiatur obiectu cuiuslibet criminis de se in quęstione confessus veniam sperans propter flagitia adiuncti, vel pro communione criminis consortium personæ superioris optans, aut inimici supplicio in ipsa supremorum suorum sorte faciendus, aut eripi se posse confidens, aut studio, aut priuilegio nominati: cum veteris iuris authoritas de se confessor, nec interrogari quidē de aliorum conscientia sinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentem super conscientia scrutetur aliena. C. eo. l. fin.

Prius est, vt criminibus, quæ tibi ut grauiora ab aduersario tuo obiiciuntur, cædis atq; vulnerum respondeas: & tunc ex auentu causæ iudex æstimabit, an tibi permittendum sit eundem accusare, tametsi prior inscriptionem deposuisti, C. de iis, qui accu. non poss. l. prima.

Si cautiones, quibus secundius solutam ingenuo pecuniam probare se dicit, tutores vel curatores tui suspectas vel falsas habent: proprio nomine, cum non liceat alieno, non prohibentur in crimine falsi subscribere. nec enim facile uel tutores vel curatores, qui officio & periculo res pupillorum, vel adolescentium administrant, sententia notantur, nisi euidens eorum calumnia iudicanti apparebit, C. eo. l. secunda.

Neganda est accusatis, qui non suas suorumque iniurias exequuntur licentiæ criminandi in pari, vel minori, priusquam se crimine, quo præmuntur exuerint, ita tamen vt & ipsi inscriptiones contra eos, etiam pendente accusatio-

ne deponere posſint. C. eodem l. neganda. 19.

Qui crimen publicum inſtituere properant, non aliter ad hoc admittantur, niſi prius inſcriptionum pagina proceſſerit, & fideiuſſor de exercenda lite adhibitus fuerit. Sin uero poſt ſatiſdationem præſentes non fuerit edicto admonendi ſunt, vt veniant ad cauſam ingerendam: & ſi non adfuerint: non ſolum extra ordinem puniendi ſunt, ſed etiam ſumptus, quos in rem, & circa ipſum iter ad litem uocati fecerunt, dependere cogentur, C. eo. l. tertia.

Si crimen ad tuam tuorumque iniuriam pertinens exequeris ſolennibus te inſcriptionibus adſtringe vt pſidem prouinciæ hr̃e iudicem poſsit, C. eo. l. ſi crimē. x.

Non ideo minus criminis, ſeu atrocium iniuriarum iudicio tenetur is, qui iniuſtā accuſationem incidit, quod dicat, alium ſe huius facti mandatorem habuiſſe. nanq; hoc caſu prætor principalem reum mandatorem quoque ex ſua perſona conueniri poſſe, ignotum, non eſt, C. eo. l. quinta.

Ea quidem, qua per officium præſidibus denunciantur, & citra ſolennia accuſationem poſſe perpendi, incognitum non eſt verum ſi falſis nec ne notoriis inſimulatus ſit, ideſt accuſatus ſit: perpenſo iudicio diſpici debet, C. eo. l. ſeptima.

Reos capitalium criminum abſentes etiam per procuratorem defendi, leges publicorum iudiciorum permittunt. C. eod. l. tertia.

Si quando iniuriarum actio, quam inter priuata delicta ueteres iuris authores cō numerant, à quibuslibet illuſtribus viris militantibus, ſeu ſine ſcingulo conſtitutis, vel uxoribus eorum, uel liberis maſculini ſexus, vel filiabus (ſuperſtitibus uidelicet patribus aut maritis illuſtribus) uel ſi aduerſus aliquam huiuſmodi perſonam criminaliter fortè mouetur: ipſi quidem qui ſuper iniuria quæruntur, ſcribere, aliaque omnia, quæ in huiuſmodi cauſis de more procedunt ſolenniter obſeruabunt. licet autem. Illuſtri accuſatori uel reo, uel vxori, vel liberis maſculini ſexus, ſeu filiæ itidem illuſtris ſuperſtitis cauſam iniuriam in quocunque iudicio competenti per procuratorem criminaliter ſuſcipere, vel mouere: ſententiam iudice contra eum, qui procuratorem dederit (& ſi ipſe non adeſſet iudicio, ſed cauſam per procuratorem diceret) legibus prolaturo, C. de iniuriis, l. fini.

Si accuſatoribus abſentibus, & non per contumaciam adeſſe iudicio ceſſantibus, ex una poſtulatione aditus præſes prouintiæ non cauſa cognita ſententiam dixit, qua eum, de quo quærimoniam detuliſti, liberandum exiſtimauit: criminatione etiam nunc perſeuerante, quę contumatia uel ceſſatione accuſatorū non interueniente auferri non potuit, cauſa intentati criminis apud eundem uel ſucceſſorem eius more iudiciorum tractabitur, C. eo. l. quarta.

Abſentem capitali crimine accuſari non poſſe, ſed requirendum tantummodo adnotari ſolere, ſi deſit, vetus ius eſt, C. eo. l. ſexta.

Si quis de iniuriam ab aliquo paſſum putauerit, & querelam deferre uoluerit præſidalem adeat poteſtatem, aut libellos offerens, aut querelas ſuas apud acta, C. eod. l. ſi quis. viii.

Qui explicandi negocii ſpem, cuius finis in iudicis poteſtate ac motu ſitus eſt, pollicetur. non minus ob illicitam ſponſionem crimen contrahit, quam qui ad huiuſmodi promiſsionis commertium contra diſciplinam publicam adſpirat, C. eod. l. qui explicandi, x.

Si quis homicidii crimen exiſtimat perſequendum: ſecundum iuris publici formam debebit eum, qui in primordio homicidii poſtulauerit reum: neque

probauerit,

probauerit, ideóq; reus absolutus est præuaricationis arguere. Vel si id non putauerit agendum, adsequens crimen idest pastorum latronumve descendere eum coges, atq; id exequi iudicio tuo: cum siquidem id ab accusato appareat esse commissum, ob ultionem publicam obnoxius legibus fiat, C.e.l. si quis, xi.

Singuli vniuersiq; iudices cognoscant in publicis criminibus non oportere emendicatis suffragiis decretorum, aut relationibus à publicis personis destinandis credere, sed rei veritatem inquirere, C.eo.l. singuli, 14.

Factum sponte se precipitantis innocenti criminis periculum adferre non potest, C. eod .l. factum, 12.

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBVS. Titulus XV.

SOllicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, & si effectu sceleris potiri non possunt propter uoluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur, ff. de extra.ord.crimi.l. prima, in princ.

Fit iniuria contra bonos mores, veluti si quis fimo corrupto aliquem perfuderit, cęno luto obinuerit, aquas spurcauerit, fistulas, lacus quidve aliud ad iniuriam publicam contaminauerit, in quos grauiter animaduerti solet, d.l. prima, §. fit iniuria.

Qui puero stuprum, abducto ab eo, vel corrupto comite persuaserit: aut mulierem puellamve interpellauerit, quidve impudicitiæ gratia fecerit, donum præbuerit, preciumve, quo is persuadeat, dederit: perfecto flagitio, punitur capite: imperfecto, in insulam deportatur: corrupti comites summo supplicio adficiuntur, d.l. prima, §. qui puero.

Diuus Seuerus & Antonius rescripserunt: eam, quæ data opera partum abegisset, à præside in temporale exilium dandam. indignum enim videri potest, impune eam maritum liberis fraudasse, ff. eo.l. quarta.

Annonam attentare, & vexare, vel maxime dardanarii solent. quorum auaritiæ obuiam itum est, tàm mandatis, quàm constitutionibus. mandatis denique ita cauetur, propterea debetis custodire, ne dardanarii ullius mercis sint: ne aut ab his, qui coemptas merces supprimunt: aut à locupletioribus, qui fructus suos equis preciis uendere nolunt, dum minus vberes prouentus expectant: ne annona oneretur. pœna autem in hos varia statuitur nam plerunque, si negociantes sunt, negociatione tantum eis interdicitur, interdum & relegari solent: onerant annonam etiam stateræ adulterinæ de quibus Diuus Traianus edictum proposuit: quo edicto pœnam legis Corneliæ in eos statuit, perinde ac si lege testamentaria, quod testamentum falsum scripsisset, signasset, recitasset, damnatus esset. sed & Diuus Hadrianus eum, qui falsas mensuras habuerat, in insulam relegauit, ff. eo.l. sexta.

Saccularii, qui uetitas in saculis artes exercentes partem subducunt, partem subtrahunt: item qui derectarii appellantur, hoc est hi, qui in aliena cænacula se dirigunt furandi animo: plusquam fures puniendi sunt. idcirco aut fustibus castigantur & dimittuntur, aut ad tempus relegantur, ff. eo.l. septima.

Incirculatores, qui serpentes circunferunt & oroponunt, si cui ob eorum metum damnum datum est, pro modo admissi actio dabitur, ff. eo.l. fi.

DE CONCVSSIONE. Tit. XVI.

Concuſsionis iudicium publicum non eſt. Sed ſi ideo pecuniam accepit quis, quod crimen minatus ſit: poteſt publicum iudicium eſſe ex ſenatuſconſultis: quibus pœna legis Corneliæ teneri iubentur, qui in accuſationem innocentium coierint, quive ob accuſandum vel non accuſandum denuntiandum, vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam acceperint, ff. de concuſsion. l. ſecunda.

Si ſimulato præſidis iuſſu concuſsio interuenit: oblatum eiuſmodi terrore reſtitui præſes prouinciæ iubet, & delictum coercet, ff. eo. l. prima.

DE ABIGEIS. Tit. XVII.

De abigeis puniendis, ita Diuus Hadrianus proconſuli Beticæ reſcripſit. abigei cum duriſsimè puniuntur, ad gladium damnari ſolent. puniuntur autem duriſsimè, non vbiq;, ſed vbicunq; frequentius eſt, id genus maleficii, ff. de abigeis, l. prima. in prin. Abigei autem propriè hi habentur, qui pecora ex paſcuis, vel ex armentis ſubtrahunt, & quodammodo depredantur; & abigendi ſtudium quaſi artem exercent, equos de armentis, vel oues de gregibus abducentes. ceterum ſi quis bouem aberrantem, vel equos in ſolitudine relictos abduxerit: non eſt abigeus, ſed potius fur. Sed & qui porcum, vel capram, vel veruicem abduxit: non tã grauiter, q̃ q maiora animalia abigũt, plecti debent, d. l. prima, §. abigei.

Qui pecora, de quorum proprietate faciebat controuerſiam, abegit: vt ſaturninus quidem ſcribit, ad examinationem ciuilem remittendus eſt. ſed hoc ita demũ probandum eſt, ſi non color abigeatus quæſitus eſt. Sed uerè putauit ſua iuſtis rationibus ductus, d. l. prima, §. fin.

Abigeatus crimen publici iudicis non eſt. Sed quia plerunque abigi & ferro utuntur, ſi deprehendẽtur, ideo grauiter puniri eorum admiſſum ſolet, ff. eo. l. ſcďa.

Abaeti animalis accuſatio non ſolum cum inſcriptionibus, ſed etiam ſine obſeruatione proponitur, C. eod. l. vnica.

Oues pro numero ab actorum, aut abigeum, aut furem faciunt. quidã decem oues gregem eſſe putauerunt. porcos etiam quinq; uel quatuor abactos: equum, bouem uel unum abigeatus crimen facere. eumq; plenius coercendum, qui à ſtabulo abegerit domitum pecus, non à ſilua, nec grege. Qui ſæpios abegerunt, licet ſemper unum uel alterum pecus ſubripuerint, tñ ambiges ſunt, ff. eo. l. fina.

Receptatores abigeorum, quæ pœna plecti debeant Epiſtola Diui Traiani cauetur, vt extra Italiam decem annis relegarentur, d. l. fi. §. fi.

DE PRAEVARICATIONE. Tit. XVIII.

Præuaricator eſt, quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat prodita cauſa ſua. quod nomen Labeo à varia certatione tractum ait. nam qui præuaricatur, ex vtraq; parte conſtitit, quinimo ex altera. is autem præuaricator propriè dicitur, qui publico iudicio accuſauerit. cæterum aduocatus non proprie præuaricator dicitur. quid ergo de eo fiet, ſiue priuato iudicio, ſiue publico præuaricatus ſit, hoc eſt prodiderit cauſam? hic extra ordinem ſolet puniri, ff. de præuar. l. prima.

Sciendũ eſt, ꝙ hodie iis, q ꝑuaricati ſunt, pęna iniũgit̃ extraordinaria, ff. e. l. ſcďa.

Præuarica-

Præuaricationis iudicium aliud publicum, aliud moribus inductū est. nam si reus accusatori publico iudicio iō pscribat, ꝙ dicat se eodē crimine ab alio accusatum & absolutum cauetur lege Iulia publicorum, ut non prius accusetur, ꝗ de prioris accusatoris præuaricatione constiterit, & pronunciatum fuerit. huius ergo præuaricationis pronunciatio publici iudicii intelligitur. Quod si aduocato præuaricationis crimen intendatur: publicum iudicium non est. nec interest, publico an priuato iudicio præuaricatus dicatur. Si ideo quis accusetur, ꝙ dicatur crimen iudicii publici destituisse: iudiciū publicum non est: qa neq; lege aliqua de hac re cautum est: neq; per senatusconsultū, quo pęna quinq; librarum auri in desistentem statuit, publica accusatio inducta est, ff. eo. l. tertia.

Si is, de cuius calumnia agi prohibetur, præuaricator in causa iudicii publici pronunciatus sit: infamis erit, ff. eo. l. quarta.

Accusator de præuaricatione conuictus, postea ex lege non accusat. ff. eo. l. quinta.

Ab imperatore rescriptum est, vt in criminibus, quæ extra ordinem obiiciuntur, præuaricatores eadem pœna adficiantur, qua tenerentur, si ipsi in legem commisissent, qua reus per præuaricationem ablocutus est, ff. eo. l. pen.

In omnibus causis, præterquam in sanguine, qui delatorem corrupit, ex senatusconsulto pro uicto habetur, C. eo. l. fin.

DE RECEPTATORIBVS. Tit. XIX.

PEsimum genus est receptatorum, sine quibus latere nemo diu pōt & præcipitur, ut perinde puniantur, atq; latrones. impari causa habendi sunt, quia cum adprehendere latrones possent, pecunia accepta uel subrectorum parte, demiserunt, ff. de recepta. l. prima.

Eos, apud quos adfinis, vel cognatos latro conseruatus est: neq; absoluendos, neq; seuere admodum puniendos. non enim par eorum est delictū, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt, ff. eo. l. fin.

DE EFFRACTORIBVS. Tit. XX.

DE his, qui carcere effracto euaserunt, summendum supplicium Diui Fratres Aemilio Tironi rescripserunt. Saturnius etiam probat in eos, qui de carcere eruperunt: siue effractis foribus, siue conspiratione cum cæteris, qui in eadem custodia erant: capite puniendos, quod si per negligentiam custodum euaserint: leuius puniendos, ff. de effracto, l. prima, in princ.

EXPILATAE HAEREDITATIS. Tit. XXI.

SI quis alienam hæreditatem expilauerit: extraordinariè solet coerceri per accusationem expilatæ hæreditatis, sicut in oratione Diui Marci cauetur, ff. de expil. hær. l. prima.

Si expilatæ hæreditatis crimen intendatur: præses prouinciæ cognitionem suam accommodare debet, ff. eo. l. secunda, in prin.

Expilatæ hæreditatis crimen intendi potest ante aditam hæreditatem, vel post aditam, scilicet antequam res ab hærede possessæ sunt. quamuis ad exhibendum agi posit, si qui uindicaturus exhiberi desideret palā sit, d. l. secūda, §. apparet.

Diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt electionem esse, vtrum quis velit, cri-

men expilatæ hæreditatis extra ordinem apud præfectum vrbi, vel apud præsides agere: an hæreditatē à possessorib. iure ordinario vindicare, ff. eo. l. tertia.

Expilatæ hæreditatis crimen loco deficientis actionis intendi consueuisse, non est iuris ambigui, C. eo. l. fin.

Res hæreditatis omnium hæredum fuisse communes. & ideo eum, qui expilatæ hæreditatis crimē obiecit, & obtinuit, ēt cohæredi ꝓfuisse videri, ff. eo. l. quarta.

Expilatæ quidem hæreditatis crimen intentare non potes, quando cōis arcæ reb. inspectis claues traditas cohæredi profitearis. sed cum de his exibendis apud iudicem quæreretur, rationem compensationis induci non oportuit. exhibitis enim quæ desiderant̄, suis iudicibus directa qō relinquenda est, C. eo. l. prima.

Vxor expilatæ hæreditatis crimine idcirco non accusatur, ff. eo. l. pen.

Aduersus uxorem, quæ socia rei humanæ atq; diuinæ domus suscipitur, mariti diem suum functi successores expilatæ hæreditatis crimen intendere. non possunt. ideo res, quas per eandem abesse conquæreris, cōpetenti in rem actione, vel si dolo malo fecerit, quominus res mobiles possideret, ad exhibendum persequere. fructus autem rerum, quas mala fide tenuit, licet expilatæ hæreditatis non teneatur crimine suos non facit: sed extantes quidem vindicari, consumptos uerò condici posse, proculdubio est. C. eod. l. quarta.

Si aui tui hæreditatem adiisti expilatæ hæreditatis crimine aduersus nouercam, quondam tuam experiri non prohiberis, C. eo. l. tertia.

Expilatæ hæreditatis crimen aduersus uitricum adito præside prouinciæ persequi non prohiberis. C. eo. l. secunda.

Obtentu expilatæ hæreditatis emolumentum legatorum maxime suspensa cognitione legatariis auferri non oportet, C. eo. l. pen.

STELLIONATVS. Tit. XXII.

Actio stellionatus, neque publicis iudiciis, neq; priuatis actionibus continetur, ff. stellio. l. prima.

Stellionatus, vel expilatæ hęreditatis iudicia accusationem quidem habent, sed non sunt publica, ff. de extraord. crim. l. tertia.

Stellionatus accusatio inter crimina publica non hr̄, C. eo. l. tertia.

Stellionatus iudicium famosum quidem non est, sed coercitionem extraordinariam habet, ff. eo. l. secunda.

Stellionatus accusatio ad præsidis cognitionem spectat, Stellionatum autem obiici posse his, qui dolo quid fecerunt, sciendum est, s. & si aliud crimen non sit, quod obiiciatur. quod. n. in priuatis iudiciis est de dolo actio, hoc in criminibus stellionatus persecutio. vbicunq; igitur titulus criminis deficit, illic stellionatus obiiciemus, maximè autem in his locum habet, si quis fortè rem alii obligatam dissimulata obligatione per calliditatem alii distraxerit, uel permutauerit, vel insolutum dederit. nam hæ omnes species stellionatum continent, ff. eod. l. tertia, in princ.

Sed, & si quis merces supposuerit, vel obligatas auerterit, vel corruperit: æque Stellionatus reus erit. Idem si quis imposturam fecerit, vel collusionem in necem alterius: Stellionatus poterit postulari. & ut generaliter dixerim, deficiente titulo criminis, hoc crimen locum habet, nec opus est species enumerare, d. l. tertia. §. sed & si.

Pœna Stellionatus nulla legitima est, cum nec legitimum crimen sit. soleut autem ex hoc extra ordinēm plecti, d. l. tertia, §. pœna.

Qui

Qui merces ſuppreſsit, ſpecialiter hoc crimine poſtulari poteſt, dicta.l. tertia, §.finali.

De periurio, ſi ſua pignora eſſe quis in inſtrumento iurauit, crimen Stellionatus fit, & ideo ad tempus exulat, ff.eod.l.finali.

Improbum quidem & crimino ſum fateris, eaſdem res pluribus pignoraſſe, diſsimulando in poſteriorem obligationem, quod eædem aliis pignori tenerentur. Verum ſecuritati tuæ conſules ſi oblato omnibus debito criminis inſtituē di cauſam peremeris, C.eod.l.prima.

Si pater tuus in te donationem contulit, & cum emancipatus eſſes traditionibus dominium corporum in te tranſtulit, poſteaque creditorem ſortitus, quaſdam earum rerum ſine voluntate tua velut proprias ſuas obſtrinxit: Ius tuum non læſit: nec tamen iniuria Stellionatus crimine petetur cum ſciens alienam rem te non conſentiente, velut propriam ſuo nexuit creditori, C.eod.l.ſecunda.

Ignorantia creditoris, cui res pridem apud alios obligatæ pignoris ſiue hypothecæ iure obligantur, non ſine periculo capi conſueuit. etenim huiuſmodi fraudes ad extraordinariam criminis executionem ſpectare, ac ſtellionatus commiſſum ſeuerisime eſſe uindicandum, ſæpe reſcriptum eſt. proinde ſiue ignorantiam tuam debitor circumuenire tentauerit, ſeu obligatione rite perfecta, participato fraudis conſilio, per ſubiectum quaſi anteriorem perſonam diſpendium tuum ad occultam compendium ſuum trahere pertentat: adire ſuum iudicem potes, congruentem iuri ac debitæ religioni ſententiam relaturam, C. eod.l.finali.

DE TERMINO MOTO.
Titulus XXIII.

TErminorum auulſorum non multa pecuniaria eſt, ſed pro conditione admittentium coercitione tranſigendum eſt. ff. de Termi. moto.l.prima.

Diuus Hadrianus reſcripſit. quin peſsimum factum ſit eorum, qui terminos finium cauſa poſitos protulerunt: dubitari non poteſt, de pœna tamen modus ex conditione perſonæ & mente facientis magis ſtatui poteſt, nam ſi ſplendidiores perſonæ ſunt, quæ conuinciuntur non dubiæ occupandorum aliorum finium cauſa id admiſerunt, & poſſunt in tempus, vt cuiuſque patiatur ætas relegari ideſt ſi iunior in longius ſi ſenior reſciſius. ſi vero alii negocium geſſerunt, & miniſterio functi ſunt: Caſtigari, quod ſi per ignorantiam aut fortuito lapides furati ſunt ſufficiet, eos uerberibus decidere, ff. detulit.moto.l.ſecunda.

Lege agraria. quam C. Cæſar tulit aduerſus eos, qui terminos ſtatutos extra ſuū gradum finesve mouerint dolo malo pecuniaria pœna conſtituta eſt, nam in terminos ſingulos, quo ſe eiecerint locove mouerint quinquaginta aureos in publicū dari iubet, & eius actionem petitionem ei qui uolet eſſe iubet, hi quoque qui finalium quæſtionum obſeruādarum cauſa faciem locorum conuertūt vt ex arbore arbuſtum, aut ex ſylua nouale, aut aliquid huiuſmodi faciunt pœna plectendi ſunt pro perſona & conditione ac factorum violentia, ff. eodem.l.finali.

Hi quoque qui finalium quæſtionum obſtruendarum cauſa facilem locorum conuertunt: ut puta ex arbore arbuſtum, aut ex ſylua nonale, aut aliquid eiuſmodi

faciunt

ciunt pœna plectendi sunt pro persona,& conditione,& factorum , uiolentia, ff.eod.l.tertia.§.finali.

Eos qui terminos effoderunt extraordinaria animaduersione coerceri debere præses prouinciæ non ignorabit, C.de accus.l.prima.

AD SENATVSCONSVLTVM AGI OPORTEAT. Titulus XXIIII.

QVæstiones eorum criminum,quæ legibus aut extraordinem coercentur,ubi commissę uel inchoatæ sunt, uel ubi reperiuntur, qui rei esse perhibentur criminis perfici debere satis notum est,C.vbi de crim.agi op,l.prima.

AD SENATVSCONSVLTVM TVRPILIANVM ET DE abolicionibus criminum. Tit. XXV.

ACcusatorum temeritas tribus modis detegitur,& tribus pœnis subiicitur.aut enim calumniantur,aut præuaricantur,aut tergiuersantur.ff.ad S.C.Turpil.l.prima.in prin.

Calumniari est falsa crimina intendere,præuaricari , uera crimina abscondere tergiuersari,in vniuersum ab accusationem desistere, d.l.prima.§.calumniari.

Calumniatoribus pœna lege Remmia irrogatur: sed non vtique qui non probat quod intendit, protinus calumniari uidetur nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere,qua mente ductus ad accusationem processerit. & si quidem eius iustum errorem repererit: absoluit eum,si verò in euidenti calumnia eum deprehẽderit: erit legitimam pœnam ei irrogat.quorum alterutrum ipsis verbis pronuntiationis manifestatur.nam si quidem ita pronuntiauerit, NON PROBASTI: pepercit ei.si autem pronunciauit, CALVMNIATVS ES: condemnauit eum.& quamuis nihil de pœna subiecerit tamen legis potestas,aduersus eum exercebitur.nam ut Papinianus respondit. facti quidem quæstio in arbitrio est iudicantis: pœnæ vero persecutio non eius voluntati mandatur sed legis authoritati reseruatur,d.l.prima.§. calumniatoribus.

Quæri potest si ita fuerit interlocutus, LVCIVS TICIVS TEMERE VIDETVR ACCVSASSE, an calumniatorem pronuntiasse uideatur:& Papinianus temeritatem facilitatis ueniam continere,& inconsultum calorem calumniæ vicio carere: & ob id hunc nullam pœnam subire oportere, d. l. prima. §. quæri potest.

Incidit in hoc Senatusconsulto,& qui accusatorem submitit,aut instigat, aut qui mandat aliqui,& instruit eum ad accusationem capitalem,dando probationes allegando excusationes: & merito: nam diffendendo crimini,quod mouet, & eximendo se periculo calumniæ vel desertionis,meritò calumniantis, & desistentis pœnæ subiici debuit: nisi subornatus accusator probauerit crimẽ quod intendere suscepit.nec interest, per se maudauit accusationem, an per alium uerum hunc,qui hoc ministerio vsus est: ad mandandam accusationem non ex verbis,sed ex sententia Senatusconsulti puniri,Papinianus respondit. submissus.n.accusator similiter eodem Senatusconsulto plectitur: idest, propter hoc

solum

solum punitur, quod ministerium alieni timoris receperit, d.l.prima.§.incidit.

Ex in priuatis & extra ordinariis criminibus omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur, ff.eod. l.tertia.

Quæsitum est, an is, qui libello principi dato falsum se obiecturum minatus est, si non obiecisset, Turpiliano Senatusconsulto teneretur. Paulus respondit, verbis Senatusconsulti Turpiliani eum, de quo quæritur, non contineri, ff. eodem.l.quinta.

Calumniæ causa puniuntur, qui in fraudem alicuius librum, uel testimonium, aliudve quid conquisisse, vel conscripsisse, vel in iudicium protulisse dicuntur, ff.eod.l.sexta.§.fi.

Eos de quorum calumnia agi non permittitur, si destiterint, non incidere in pœnam huius Senatusconsulti, constitutionibus cauetur, ff.eodem. l. in Senatus. 15.§.eos de quorum.

Quærebatur, an hi, qui ab accusatione tempore exclusi essent, in Senatusconsultum Turpillianum inciderent? Respõdit Macer non oportere dubitari, calũnia non puniri eos, qui præscriptione temporis exclusi, causam adulterii perferre non potuerunt, ff.eod.l.quærebatur, xi.

Calumnia eo tempore cöerceri solet, quod de causa præsente accusatore iudicatur. & ideo postquam de causa iudicatum est, contra consuetudinem calumniam accusatoris puniri desideras, C.de calumni.l.prima.

Mater inter eas personas est, quæ sine calumniæ timore necem filii sui vindicare possunt. idque beneficium Senatusconsulti, & in aliis publicis iudiciis Seruatum est. Sed & extraneus hæres, qui suspicionem, quam de morte sua debuisse defunctus cauit, exsequitur, hoc nomine à calumnia excusatus est: cum inter voluntariam accusationem, & officii necessitatem hæredis multum intersit, C. eod.l.secunda.

Qui non probasse crimen, quod intendit, pronuntiatur si calumniæ non damnetur: detrimentum existimationis non patitur. non, n. si reus absolutus est, ex eo solo etiam accusator, qui potest iustam habuisse veniendi ad crimen rationem, calumniator credendus est, C.eod.l.tertia.

Culumniæ pœna in paternæ mortis accusatione cessat, C.eod.l.quarta.

Qui calumniatores pronuntiantur in publicorum iudiciorum quæstione non in priuatis disceptationibus periclitari solent, C.eod.l.quarta.

Non prius quisquam ad examen iudicis iubetur adduci, quàm solemnibus satisfecerit, qui nititur finem doloris adserere, cum iuxta formam iuris antiqui ei, qui cæperit arguere, aut vindicta proposita sit, si vera detulerit: aut supplicium, si fefellerit, C.eod.l.septima.

Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit, licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii, C.eod.l.fi.

Constitutionibus principum comprætiensum est: eos, qui accusationem alienis nominibus præsumpsissent, delatorum numero esse ducendos: atque ideo calumniosum caput & personam iudicio irrite deletationis infamiæ supplicium sequatur. quo posthac singuli vniuersique cognoscant licere in eo, quod non possit ostendi, iudicum animos commoueri, C.eod.l.octaua.

Fallaciter incusantibus, maximè post exhibitionem accusari, nullius iuris color, veluti deriuata excusatione, proficiat: non publica quidem abolitio, non priuata talibus proficiat subueniatq; personis, non specialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale subducat, C.eod.l.penul.

Præua-

Præuaricatorem esse eum ostendimus, qui colludit cum reo, & translaticie muneri accusandi defungitur, eo quod proprias quidem probationes dissimularet, falsas vero rei excusationes admitteret, ff. eod. l. prima. §. præuaricatorem.

De tergiuersatore.

Si quis ab accusatione citra abolitionem desisterit, punitur, ff. ad S.C. turp. d. l. prima. §. si quis.

Suspecti tutoris accusatio pro tribunali tantum examinari potest, & nullus alius de huius quæstione, quam præses pronuntiare potest: & tamen, qui ab ea destitit, Senatusconsulto non tenetur. Item si dicat aliquis in Senatusconsultum incidisse Turpillianum præsidis est super ea re notio, & tamen contra desertorem Senatusconsulti non interuenerit coercitio, qui enim dicit, quem in hoc Senatusconsultum incidisse, accusator non est, d. l. prima, §. suspecti.

Diuus Hadrianus, Fuluio caro rescripsit proconsuli Cretæ. tutorem, qui pupilli causa instituerat accusationem, defuncto pupilio, cuius causa accusare cæperat non esse cogendum accusationem implere, ff. eod. l. Diuus, 14.

Reus condemnatus prouocauit, deinde accusator destitit. an in hoc Senatusconsultum incidit? prope est, vt incidisse videatur, quia prouocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatio, d. l. prima, §. si.

Mulier, quę falsi crimen iniuriæ propriæ post interpositam denunciationem desistens omisit, ex S.C. Turpilliano teneri non videtur, ff. eo. l. quarta, in princi.

Si fæmina suam suorumque iniuriam exequatur, cum ipsa pacto contra vetitum destituisse profiteatur: in Senatusconsulti Turpilliani pænam eam incidisse, certi iuris est, C. eod. l. quinta.

Ab accusatione destitit, qui cum aduersario suo de compositione eius criminis, quod intendebat, fuerit locutus. Animo ab accusatione destitit, qui adfectum & animum accusandi deposuit. Destitisse videtur, qui intra præfinitum accusationis à præside tempus reum suum non peregerit. Nuntiatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis adsistere iubentur, ff. eod. l. sexta, in prin.

Si stellionatus, quis obiecerit, vel expilatæ hæreditatis crimen & destituit, pœnā Senatusconsulti Turpilliani non subibit, sed officio iudicis culpa eius coercebitur, ff. eod. l. septima, §. si.

In Senatusconsultum Turpillianum incidunt, qui subiecissent accusatores, aut subiecti postulassent, nec peregissent reos: aut aliter, quam abolitione facta, destitissent: quique chirographum ob accusandum dedissent, pactionemve aliquam interposuissent. hoc autem verbum NEC PEREGISSENT, ad vniuersos suprascriptos pertinere dicendum est, ff. eod. l. in Senatus. 15. in princ.

Si propter mortem rei accusator destiterit: non potest hoc Sanatusconsulto teneri, quia morte rei iudiciū soluitur, nisi tale crimen fuit, cuius actio & aduersus hæredes durat, ueluti maiestatis. Item in accusatione repetundarum est: quia hæc quoque morte non soluitur. Cæterum si postea quàm accusator destitit, reus decesserit: non ideo magis delictum accusatoris releuatur. nam eum, qui semel destitit, si postea paratus accusare sit, non esse audiendum, Diuus Seuerus, & Antonius statuerunt, d. l. in Senatus. §. si propter.

Qui post inscriptionem ante litem contestatam, anno vel biennio agere non potuerunt, variis præsidum occupationibus, vel etiam ciuilium officiorum necessitatibus destricti: in Senatusconsultum nō incident, d. l. in Senatus. §. qui post.

In Senatusconsultum incidisse videtur, qui crimen publici iudicii detulit, & causa criminis

ſa criminis ordinata, ideſt inſcriptionibus depoſitis,& fideiuſſore de exercenda lite præſtito,eoque,qui accuſatur.ſub cuſtodia officii facto, non impetrata abolitione,ab executione criminis deſtitit, C.ad S.C. Turpillianum.l.prima.

Si pro eo,qui in crimen ſubſcripſit,fidem tuam adſtrixiſti, isque deſtitit. & commiſſa ſtipulatio eſt: non vltra quantitatem,quam ſpopondiſti,obligatus es:eo, qui deſtitit,infamia nihilominus,notando, & extra ordinem ſecundum iudicialem motum puniendo,C.eod.l.ſecunda.

Quamuis eum ordinem ſcriptura contineat,vt primo abolitio criminis poſceretur, & tunc de hinc omnibus placitis obtemperaretur: non obſeruantibus tamen aduerſariis pactorum fidem, inſtaurare accuſationem minime potes, a qua ipſe deſtitiſti,C.eod.l.tertia.

Si his,de quo ſupplicas,contra parentes veſtros deſertam (vt dicis) accuſationē cœperit perſequi præſcriptio illi in iudicio præſidis deſtitutæ rei poterit, opponi,C.eod.l.quarta.

In executionibus criminum obtinuiſſe videtur,illos deſtitiſſe, qui animum accuſationis implendæ prorſus deſeruerunt. Cum igitur aliis ex cauſis, vel ſimplicitatis,ratione,nec dum te ad finem vindictæ perueniſſe,preces tuæ teſtentur: poteris poſt poſita formidine impedimenti ſuper aliquantulo ſilentio inſtitutam accuſationem ſecundum leges perferens, quàm probabis tibi debitam, vindictam reportare,C.eod.l.fin.

De abolitionibus criminum.

Abolitio priuatim à præſide poſtulari ac impetrari ſolet, item pro tribunali non de plano,nec præſes hanc cognitionem alteri demandare poteſt, ff. ad S. C. Turp.& de abolitio.l.prima.§.abolitio.

Si plura crimina idem eidem intulerit: ſingulorum abolitionem debet petere.alioquin prout quid admiſerit,eius nomine Senatuſconſulti pœnam patietur, d.l.prima.§.ſi plura.

Poſt abolitionem idem crimen ab eodem in eandem inſtatuari non poteſt, ff.eo. l.quarta.§.poſt.

Si quis repetere velit crimen publica abolitione interueniente: eodem iure repetit,quo accuſabat neque enim poſſunt præſcriptiones obiici ei, quæ ante reorum abolitionem non ſunt obiectæ,& ita Diuus Hadrianus ſcripſit, ff.eodem. l.ſeptima,in prin.

Abolitio aut publicè fit ob diem inſignem, aut ob publicam gratulationem, vel ob rem proſperè geſtam. Aut priuatim actore poſtulante,ff.eod. l. octaua. nona.& l. ſeq in prin.

Tertio genere lege fit abolitio,mortuo accuſatore, uel ex iuſta cauſa impedito, quo minus accuſare poſsit,ff.eod.l.aut priuatum.x.verſi.tertio genere.

Abolitione autem publicè facta non retractabitur in iudicio repetendo de mariti iure. Triginta dies repetendi rei Diuus Traianus vtiles eſſe interpretatus eſt ex die ſcilicet,quo feriæ finitæ ſunt & Senatus cenſuit ea dies cedere, quibus quiſque reum ſuum repetere poſsit. Hoc autem repetendi rei tempus non aliter cedit,quàm ſi accuſator quoque potuit adire,d.l.aut priuatū.§. abolitionē.

Si interueniente publica abolitione ex Senatuſconſulto (vt fieri adſolet) vel ob lætitiam aliquam, vel honorem domus diuinæ, vel ex qua alia cauſa, ex qua

Senatus

Senatus censuit abolitionem reorum fieri, nec intra dies præstitutos reum repetierit: dicendum est, cessare Turpillianum S.C. nec enim videtur desistere, qui exemptum reum non defert eximitur autem reorum abolitione interueniente, ff. eod. l. si interueniente. 12.

Quamquam prius reum quis detulerit, & post abolitionem, antequam reus repeteretur, alia abolitio superuenerit: non ex superiore, sed ex secunda abolitione dies triginta computantur, ff. eod. l. in Senatus. 15. §. fi.

Imperatores Antoninus, & Verus Augusti Iulio Seuero rescripserunt, cum satis diu litem traxisse diceretur, inuito aduersario non posse eum obolitionem accipere. item rescripserunt, cum in crimine capitali abolitionem, vt in re pecuniaria, petitam esse diceretur: restaurandam esse nihilominus cognitionem & si non probasset hoc, quod proponeret, non impune eum laturam, ff. e. l fin.

præses prouinciæ, si perspexerit abolitionem ad omnia crimina, quæ mota sunt, pertinentem à se impetratam: ne semel finita instaurentur, intercessione authoritatis suæ prospiciet. supplicatione vero porrecta mutui principali, præfata abolitione sopitum crimen ab eadem persona reuocari potest, C. de abolitionibus, l. prima.

Abolitio præsentibus partibus causa cognita non à principe, sed à competenti iudice postulari debet: idest, si per errorem, seu temeritatem, seu calorem ad accusationem prosiluerit. Hoc enim accusator explanans, abolitioni locum faciet sin autem per deceptionem, vel pecuniis à reo corruptus, ad postulandam abolitionem venit: redemptæ miserationis vox minime admittatur, sed aduersus nocentem reum inquisitione facta pœna competens ingeratur. Hi autem, qui suas suorumque iniurias defendunt, & qui cognatos suos in accusationem deduxerunt: omnimodo abolitionem petere non prohibentur, C. e. l. secunda.

Fallaciter incusantibus accusationis abolitio non dabitur. sin autem sincera mente accusationem instituerit, & reus aliquid iniuriæ inscriptionibus illatæ tolerauerit, idest, si uel carceres sustinuerit, vel tormenta, uel verbera, vel catenas: abolitio non petetur: nisi forte ille, qui hæc passus est, suum consensum ad petendam abolitionem accommodauit. Quando autem reus nihil tale passus est postquàm fuerit officii custodiæ traditus, intra dies triginta accusatori petenti, etiam inuito reo, dari permittitur, post hoc tempus, nisi reus consentiat, censetur non esse tribuendam Quod si plebeiorum, qui conscii, & participes criminum nō erant, testimonii gratia corpora fuerint lacerata uerberibus, tormētisque uexata abolitionem etiam dearum partium consensu petitam iubetur uigore iudicis denegari, & crimen propositum, cuius examen tormentis iam cœperat agitari. Sin autem testibus tormenta minime sunt illata: etiam sic abolitio non dabitur in illis criminibus (vt inuiolata maiestate aut patria oppugnata, uel prodita, aut peculatus admisso, aut sacramētis desertis, omnia quæquæ iure, uetere continentur) in quibus iudex non minus accusatorem ad docenda, quæ detulit, quàm reum ad purganda, quæ negat, debet vrgere, C. eodem, l. finali.

DE GENERALI ABOLICIONE. Tit. XXVI.

L Vcius Ticius Seiũ reũ falsi fecit,& prius, q̃ ꝓsequaret̃,indulgentia reorũ crimina abolita sunt. quæritur si postea eum iterato reum nõ fecerit,an in Turpilianum. S. C. inciderit? Modestinus respondit abolitionem reorum,quæ publicè indulgetur,ad hoc genus criminis non pertinere,ff. ad S. C. Turpillianum.l.penul.

Qui potentatus & vis aliorumq; criminum reum fecit, si post abolitiouem ex forma solita reorum factam,& post edicta proposita intra diem statutũ repetere supersederit,persequi crimina volens,nõ est audiendus,C. de gen. abol.l.prima.

Cum eo tempore,quo indulgentia principis crimina extinxit, accusatio à te instituta non fuerit,publicæ abolitionis præscriptio cessat,C. eod.l. penul.

Indulgentia quos liberat,notat;nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit,C.eod.l.fi.

An ad eos,qui hodie de iudiciis publicis extra ordinem cognoscunt,Senatusconsultum pertineat,quæritur. Sed iam hoc iure ex sacris cõstitutionibus vtimur: ut pertineat,ita ex singulis causis singulæ pœnæ irrogentur, ff. ad Turpil. l. in Senatus.xv.§ an ad eos.

DE REQVIRENDIS, VEL ABSENTIBVS DAMNANDIS. Tit. XXVII.

D Iui Seueri & Antonini Magni rescriptum est,ne quis absens puniatur,& hoc iure utimur,ne absentes damnentur neq; enim inaudita causa quenquam damnari æquitatis ratio patitur.si autem grauius quis puniatur,hoc casu non est irroganda in absentem pœna,sed absens requirendus adnotandus est,ut copiã sui præstet. Præsides aũt prouinciarum circa requirendos adnotatos & hoc debent,facere ut eos, quos adnotauerint,edictis adesse iubeant ut possit innotescere,q̃ adnotati sint. Sed & literas ad magistratus,ubi consistunt,mittere, ut per eos possit innotescere, requirendos eos esse adnotatos,& ex hoc annus computatur ad se purgandos sed & Papinianus libro decimosexto Responsorum scripsit,requirendum adnotatũ,si prouinciæ ꝑsidẽ intra annũ adierit,& satis obtulerit, non esse locũ mãdatis,ut bona fisco uindicentur,nam & si intra annũ mortuus sit,criminis cã expirat,& perit,& bona eius ad successores transmittuntur, ff. de req. r. reis. l.prima.

Anni spatium ad occupanda bona eius, qui requirendus adnotatus est,pertinet. Sed si per uiginti annos fiscus bona eius non occupauerit postea præscriptione,uel ab ipso reo,uel ab hæredibus eius submouebitur,quamcunq; enim quæstionem apud fiscum (si non alia sit propria præscriptio) uiginti annorum silentio præscribi,diui Principes uoluerunt,ff.eod.l.secunda,& tertia.

Annus exinde cõputãdus est,ex quo ea adnotatio,uel edicto,uel ẽt literis ad magistratus factis publicè innotuit.ergo & uiginti annorũ tꝑs exinde fisco numerat̃, ex quo adnotatio publicè innotuit. In summa sciẽdũ est,nulla tꝑis ꝑscriptione cãæ defensione submoueri eum,qui requirendus adnotatus est, ff. e.l. quarta.

Mandatis cauetur,intra annum requirendorũ bona obsigari,ut si responderint,& se purgauerint,integrũ rẽ suam habeant.si neq; responderint,neq; qui se defendant,habuerint,tunc post annum bona in fiscum cogantur.& intra annum medio tꝑe mouentia si q̃ sunt (ne aut mora deteriora fiant,aut aliquo modo intereant) uenire debere,ꝓciumq; eorũ indeposito esse,diui Seuerus,& Antoninnus sanxerunt. Sed & diuus Traianus inter mouẽtia fructus quoq; haberi rescripsit. curandum est autem, ne quid ei qui profugit,medio tempore à debitoribus eius soluatur,ne per hoc fuga eius instruatur,ff.eod.l.fin.

Cum absenti reo grauia crimina intentantur. sententia festinari nõ solet, sed adnotari, vt requiratur: non vtiq; ad pœnam, sed vt potestas ei sit purgandi, se si potuerit. Postquam vero requirendus factus intra annum redierit: si se crimine purgauerit: res arbitrio iudicis signatas recipiat. Sin vero intra id tempus reuersus post intentionem suam fuerit defunctus: si nec dum se purgauerit: ad hæredes proprios res transmittat, C. eod. l. prima.

Quicunq; ex eo die, quo reus fuerit in iudicio petitus, intra anni spatium voluerit adesse iudicio: res eius fisco vindicentur. Et si postea repertus nocens, fuerit depræhensus: seueriori sententiæ subiugetur. Sed & si argumentis euidentibus & probatione dilucida innocentiam suam purgauerit: nihilominus facultates eius penes fiscum remaneant, C. eod. l. penul.

In pecuniariis causis edictum contra latentem propositum existimationem eius non lædit. criminalis vero programmatis tenor hanc tantam ferat de iure censuram, vt inter reos adnotati non tantum patrimonium debeat transferre, sed & famæ existimationem lædere, C. eod. l. fin.

Ex nouella constitutione. cxxxiiij.

Cum contingerit adulteria raptusque mulierum, aut cædes aut quæcunq; alia crimina, in prouinciis admitti iubetur vt prouinciarum præsides oĩa secundum leges vindicent: & ipsos qui deliquerunt, non alios pro aliis capiant aut ex regionibus, vnde qui deliquerunt, ducunt originem, alium, pro alio comprehendant damnumve importent ipsorum prædiis. Sed neq; propter eum, qui deliquit, oppignerationes faciant, aut de criminis persecutione lucri sui causa transigant, aut delinquentium bona sibi lucri faciant. Nam vt rei legitimas sustinere pœnas debẽt, ita ne vtiquam damnum, aut lucrum. ex hoc prouenire iudicibus eorumq; hominibus debet ne quando nimia bonorum auiditate deprehendantur, vel iniuste aliquos affecisse supplicio vel delinquentes vendidisse pecunia. Nam si quid hęc contra factum fuerit, tam ipsæ prouinciæ præses omne exinde damnum iniuria affectis obueniens resarciet, & tormentis subiectus, tradetur in exilium: quam etiã adsessor eius consimile sustinebit supplicium, si his, quæ à pręside geruntur, contra leges scripto consenserit, sed & cohors eius, atq; alii, qui lucri sui gratia. in talibus ipsi ministerium præbuerunt, non solum dispẽdia compellentur iniuria oppressis restituere, verum ẽt vt horum authores, legitimis subditi suppliciis tradentur in exilium. Nouel. const. cxxxiiii. §. cum vero alias vt nulli iud. liceat coll. ix. const. ix.

Cæterum si quis eorum, qui de criminibus postulati rei sunt, vel latitet, vel illam prouinciam in qua crimen, contraxit reliquerit iubetur vt legitimis à præside edictis euocetur, & nisi obtẽperauerit, illa contra ipsum procedant, quę legibus sunt definita. At si compertum fuerit quod in alia degat prouincia iubetur vt eius prouinciæ præses, in qua huiusmodi delictum admitti contingerit, publica vtraq; epistola ad illius prouinciæ p̃sidem, in qua ꝑsona, q̃ id peccatum in se admisit, degit. Ille vero q publicas accepit literas, suo ꝑiculo & cohortis suæ talẽ cõpræhendat, & eũ ad ꝓuinciã p̃sidẽ transmittat in qua deliq̇t, legibus exp̃sla subiturũ supplicia. Sed & si is, qui publicã accepit epistolã, omisso id ipsum animo fecerit, aut cohortales eius consiliũ prodiderint, aut ĩperata facere neglexerint: tunc & ipsum præsidem tres auri libras, & item cohortem eius alteras tres pro pæna soluere iubetur. siue autem pręses, siue aliquis de eius cohorte lucri causa talem personam non præhenderit aut præhensum non transmiserit, &

hoc

hoc fecisse conuinctus erit: denudatus cingulo in exilium traditur, d. Nouel. cxxxiiii.§.cæterum si quis.

DE CVSTODIA ET EXHIBITIONE REORVM. Titulus XXVIII.

DE custodia reorum proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, uel fideiussoribus committenda, uel etiam sibi. hoc autem uel pro criminis quod obiicitur, qualitate uel propter honorem, aut propter amplissimas facultates, uel pro innocentia personę, uel pro dignitate eius, qui accusatur facere solet, ff. de custod. reorum. l. prima.

Si quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quo dignus claustris carceris & custodiæ squalore videatur: auditus apud acta, cum de admisso constiterit, pœnam carceris sustineat, atq; ita post modum eductus apud acta audiatur ita enim quasi sub publico testimonio commemoratio admissi criminis fiet: vt iudicibus immodice sæuientibus freni quædam temperies adhibita videatur, C. eod. l. secunda.

Diuus Pius ad epistolam Antiochensium Græce rescripsit: non esse in vincula cõiiciendam eum, qui fideiussores dare paratus sit: nisi si tã graue scelus admisisse eum constet, vt neque fideiussoribus, neque militibus commiti debeat, verũ hanc ipsam carceris pœnam ante supplicium sustinere, ff. eod. l. tertia.

Si confessus fuerit reus: donec de eo pronuntietur, in vincula publica coniiciendus est, ff. eod. l. quinta.

Carceri præpositus, si pretio corruptus, sine vinculis agere custodiam, vel ferrum vel venenum in carcerem inferri passus est: officio iudicis puniendus est. Si nescit, ob negligentiam remouendus est, officio, ff. eod. l. carceri, octaua.

Ne quis receptam custodiam sine causa dimittat, mandatis cauetur si quos ex his, qui in ciuitatibus sunt celeriter & sine cã solutos à magistratibus cognoueris: vinciri iubebis, & his, qui soluerint, multam dices, nam cum scierint sibi quoq; molestiæ futurum magistratum, si facile soluerint vinctos, non indifferenter de cætero facient, ff. eod. l. ne quis, x.

Non dubiũ est, quin cuiuscunq; prouinciæ sit homo, qui ex custodia producitr cognoscere debeat is, qui ei præest, in qua prouincia agit. Illud à quibusdã obseruari solet: vt cũ cognouit, & constituit: remittat illum cum elogio ad eum, qui prouinciæ præest, vnde is homo est. quod ex cã faciendum est, ff. eo. l. nõ est, xi.

Milites, si amiserint custodias ipsi in periculum deducunt. nam Diuus Hadrianus Statilio secundo legato rescripsit: quoties custodia militibus euaserit, exquiri oportere, vtrum nimia negligentia militũ euaserit, an casu: & vtrum vnus ex pluribus, an vnà plures: & ita demum adficiendos supplicio milites, quibus custodia euaserit, si culpa eorum nimia deprehendatur. alioquin pro modo culpæ in eos statuendum si paganos euaserit custodiam, idem exquirendum est, quod circa militum personas explorandum relatum est, ff. eod. l. milites. 12.

In eos, q cũ recepti essent in carcerẽ, cõspirauerãt, vt ruptis vinculis, & effracto carcere euadant, amplius quàm cá, ex qua recepti sunt reposcit, constituendũ est, & quamuis innocentes ex eo crimine inueniantur propter quod impacti sunt in carcerem: tamen puniendi sunt. eos vero, qui conspirationem eorum detexerint, reuelandos, ff. eod. l. penul.

Non est facilè tyroni custodia credenda. nam ea perdita: is culpæ reus est, qui eã

ei commiserit. nec vni, sed duobus custodia committenda est: qui si negligentia amiserint, pro modo culpæ vel castigantur, vel militiam mutant. quod si leuis persona custodiæ fuit: castigati restituuntur. nam & si miseratione custodiã quis dimiserit: militiam mutat. fraudulenter autem si fuerit versatus in dimittenda custodia: vel capite punitur, vel in extremum gradum militiæ datur. Interdum venia datur. nam cum custodia simul cum altero custode simul fugisset: alteri venia data est. Sed si custodia se interfecerit, vel p̃cipitauerit: militis culpæ adscribitur, & castigabitur. quod si ipse custos custodiam interfecerit homicidii reus est. ergo si casu custodia defuncta dicatur. testationibus id probandum est, & sic venia dabitur. solet præterea amissa culpa custodia (si tamen intersit eam adprehendi) tempus causa cognita militi dari ad eam requirendã, adplicito ei alio milite, ff. eod. l. fi.

Ad commentariensem receptarum personarum custodia obseruatioque pertineat: nec putet hominem abiectum atque vilem obiiciendum esse iudicii, si verus modo aliquo elapsus fuerit, nam ipsum iubetur eiusmodi pœna consumi, qua obnoxium docebitur fuisse, qui fugerit. si vero commentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit: adiutorem eius pari iubetur inuigilare cura, & eadem statuitur legis se veritate constringi, C. eod. l. quarta.

De exhibendis reis.

In quacunq; causa reo exhibito, siue accusator existat, siue eum publicæ sollicitudinis cura produxerit: statim debet quæstio fieri, vt noxius puniatur, innocens absoluatur. quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum præsentia necessaria videatur, id quidem debet quàm celerrimæ procurari. Interea vero reũ exhibitũ non per ferreas manicas & inhærentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas (si criminis qualitas etiam acerbitatem catenarum postulauerit) vt & cruciatio desit, & permaneat sub fida custodia. Nec vero sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus, sed vsurpata luce vegetari ac subleuari: & vbi vox geminauerit custodiam, in vestibulis carcerum, & salubribus locis recipiatur. atq; reuertente iterum die ad primum solis ortum ilico ad publicum lumen reduci, ne pœnis carcerum perimatur: quod innocentibus miserum, noxiis non satis seuerum esse dinoscitur. Illud etiam obseruabitur, ut neq; iis, qui statorum funguntur officio, neq; ministris eorum liceat crudelitatẽ suã accusatoribus vẽdere, & innocentes intra carcerum septa leto dare aut subtractos audientiæ lõga tabe consumere. Non enim existimationis tantam, sed etiam periculi metus iudici imminebit, si aliquem vltra debitum tempus inedia aut quocunque modo aliquis statorum exauserit, & non statim eum penes, quem officium custodiæ est atq; eius ministros capitali pœna subiecerit, C. eod. l. prima.

Qui exhibendi postulati sunt: propter aliã causam alterius criminis, quod ante admissum est, rei non recipiuntur ex Senatuscõ sulto, quod in priuatis quoq; causis & hominibus sub fideiussore factis obseruatur: nisi ex hoc temporalis actio in periculum cadat, ff. de custod. & exhibit. l. secunda, §. fi.

Si quis reum criminis, de quo satisdedit, non exhibuerit, pœna pecuniaria plectitur tamen si dolo non exhibeat, ẽt extra ordinem esse dãnandum existimatur. Sed si neq; in cautione, neq; iu decreto præsidis certa quantitas comprehensa est, ac ne consuetudo quidem ostenditur, quæ certam formam habeat: præses de modo pecuniæ, quæ inferri debet, statuet, ff. eod. l. quarta.

Diuus Hadrianus rescripsit non esse vtique epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos

damnatos ad præsidem remiserint. idem & de irenarchis præceptum est: quia non omnes ex bona fide elogia conscribere compertum est. Sed & caput mandatorum extat, quod Diuus Pius, cum prouinciæ Asiæ præesset, sub edicto proposuit, vt irenarchę, cum apprehēderint latrones, interrogent eos de sociis, & receptoribus, & interrogationes literis inclusas atque obsignatas ad cognitionem magistratus mittant. igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi sunt: & si per literas missi fuerint, uel etiam per irenarchas perducti. & sic Diuus Pius & alii principes rescripserunt: ut etiam de his, qui requirendi adnotati sunt, non quasi pro damnatis, sed quasi re integra quæratur, si quis erit, qui eũ arguat. & ideo iam quis adhibita quæstione fecerit: iuberi oportet venire irenarcham, & quod scripsit, exequi, & si diligenter ac fideliter hoc fecerit: collaudandum eum. si uerò parum prudenter, non exquisitis argumentis simpliciter denotare, irenarcham minus retulisse. sed & si quid maligne interrogasse, aut non dicta retulisse pro dictis eum compererit: vt vindicet in exemplũ, ne quid, & aliud postea tale facere moliatur, ff. eod. l. sexta.

Solent præsides prouinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos, ubi factores agere dicuntur, desiderare, vt cum persecutionibus ad se remittantur, & id quoque quibusdam rescriptis declaratur, ff. eod. l. septima.

De militibus ita seruatur, vt ad eum remittantur, si quid deliquerint, sub quo militabant, is autem, qui exercitum acceperit, etiam ius animaduertendi in milites colligatos habet, ff. eod. l. de militibus. nona.

Quoniam vnum carceris conclaue permistos secum criminosos includit: lege sancitum est, vt etiam si pœnæ qualitas permissione iniungenda est, sexu tamen dispares diuersa claustrorum tutamina habere iubetur, C. eod. l. tertia.

De his, quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione sancitum est, vt aut conuictum velox pœna subducat, aut liberandum custodia diuturna non maceret: iubetur autem vt intra tricesimum diem semper commentariensis ingerat numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem, ætatemque victorum. Quod si hæc prætermiserit, officium quidem viginti libras auri ærario iubetur inferre: iudicem vero desidem, ac resupina ceruice tantum titulum gerentem extorem, impetrata fortuna, decem libris auri multandum esse censetur, C. eod. l. fin.

DE PRIVATIS CARCERIBVS INHIBENDIS. Titulus XXIX.

IVbetur nemini licere vbicunq; domi priuati carceris exercere custodiam viris clarissimis omnium prouinciarum rectoribus daturis operam vt nefandissimorum hominum arrogantia modis omnibus opprimatur. Nam quicunque prouinciæ moderator maiestatis crimen proculdubio incursurus est, qui cognito huiusmodi scelere, læsam non vindicauerit maiestatem, primatibus insuper officiorum eiusdem criminis laqueis constringendis, qui simul atque nouerint memoratum interdictum fascinus in quocunque loco committi, proprios iudices de opprimendo nefandissimo scelere nō protinus cauerint instruendos. Nam illud perspicuum est: eos, qui hoc criminum genus commiserint, pro veterum etiam legum & constitutionum tenore, tanquam ipsius maiestatis violatores, vltimo subiugandos esse supplicio, C. de priuat. carcer. l. vnica.

VT INTRA CERTVM TEMPVS CAVSA CRIMINALIS terminetur. Titulus XXX.

QVisquis accusator reum in iudicium subscriptione detulerit, si intra statutum tempus accusationem cœptam persequi supersederit, vel quod est contumatius vltimo die adesse neglexerit: quarta bonorũ omnium parte multatus aculeos consultissimæ legis incurrat, scilicet manente infamia, quàm veteres iusserant sanctiones, C. vt intra certum temp. l. prima.

Nouerint iudices cuilibet a culmini honorive p̃sidentes necessariis vtriq; parti (si petantur) dilationibus non negatis, præcedentibus scilicet inscriptionibus, intra certum tempus criminales causas limitandas, quo emenso, subeat accusator, qui destitit, pœnam legibus constitutam. & si persona vilior fuerit, cui damnũ famæ non sit iniuria: pœnam patiatur exilii: nisi forte intra statutas temporis metas consensus partium abolitionem poposcerit iudicum autem debet esse diligentia, vt si nulla rationibus lis à reo vel accusatore dilatio postuletur: vrgeant talium causarum notionem non expectatis moris, C. eod. l. secunda.

Criminales causas omnimodo intra duos annos à contestatione litis connumerandos finiri censemus, nec vlla alia occasione ad ampliora produci tempora, sed post biennii excessum, minime vlterius lite durãte, accusatum absolui. Sciẽtibus iudicibus eorumq; officiis, quod si litigatoribus admonentibus ipsis litis introductionem vel examinationem distulerint: pœna vicenarum librarum auri ferientur, C. eod. l. fin.

DE POENIS. Titulus XXXI.

QVoties de delicto quæritur, placuit non eam pœnam subire quem debere, quàm conditio eius admitti eo tempore, quo sententia de eo fertur. Sed eam quàm sustineret, si eo tempore esset sententiam passus cum deliquisset, ff. de pœnis, l. prima. in prin.

Generaliter placet, in legibus publicorum iudiciorum vel priuatorum criminum, qui extra ordinem cognoscunt præfecti, vel præsides, vt eis, qui pœnam pecuniariam egẽtes colludunt, coercitionem extraordinariam inducant, d. l. prima. §. Generaliter.

Rei capitalis damnatum sic accipere debemus, ex qua causa damnato vel mors, vel etiam ciuitatis amissio, contingit, ff. eod. l. secunda. In prin.

Constat, postquàm deportatio in locum aquæ & ignis interdictionis successit: nõ prius amittere quem ciuitatem, quam princeps deportatum in insulam statuerit, d. l. secunda. §. constat.

Eum accipimus damnatum, qui non prouocauit. cæterum si prouocet: nondum damnatus videtur. Sed & si ab eo, qui ius damnandi non habuit, rei capitalis quis damnatus sit: in eadem causa erit. damnatus enim ille est, vbi damnatio tenuit, d. l. secunda § eum accipimus.

Relegati, siue in insulam deportari debent locis interdictis abstinere, & hoc iure vtimur, vt relegatus interdictis locis non excedat. alioquin in tempus quidem relegato perpetuum exilium, in perpetuum relegato insule relegationis, in insulam relegato deportationis, in insulam deportato pœna capitis irrogatur. & hæc ita, siue quis non excesserit in exilium intra tempus, intra quod debuit: siue etiam

ue etiam alias exilio non obtemperauerit. nam contumacia eius cumulat pœnam: & nemo poteſt commeatum remeatumve dare exuli, niſi Imperator ex aliqua cauſa, ff. eo. l. quarta.

Abſentem in criminibus damnari non debere Diuus Traianus Iulio Frontoni reſcripſit. ſed nec de ſuſpitionibus debere aliquem damnari, Diuus Traianus Adſidio Seuero reſcripſit. ſatius enim eſſe impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. Aduerſus contumaces vero, qui neque denuntiationibus, neque edictis præſidum obtemperaſſent, etiam in abſentes pronuntiari oportet, ſecundum morem priuatorum iudiciorum. poteſt, & quis defendere hæc non eſſe contraria. quid igitur eſt? poſito melius ſtatuitur, in abſentes pecuniarias quidem pœnas, vel eas, quæ exiſtimationem contingunt (ſi ſæpius admoniti per contumaciam deſunt) ſtatui poſſe, & vſque ad relegationē procedi. uerum ſi quid grauius irrogandum ſit, puta capitis pœnam, non eſſe abſentibus irrogandam, ff. eo. l. quinta, in prin.

In accuſatorem autem abſentem nonnunquam grauius ſtatuendum, quam Turpilliani S. C. pœna irrogatur, dicendum eſt, d. l. quinta, §. in accuſatorem.

Nec diù apparitorum praua admodum venaliſq; perfidia impunè in publica commoda deſæuiat, etiam in eos abſentes pro competenti ultionē debet conſurgi, C. eo. l. ne diu. 21.

Refert & in maioribus delictis, conſulto aliquid admittatur, an caſu. & ſanè in omnibus criminibus diſtinctio hæc pęnam, aut iuſtam eligere debet, aut temperamentum admittere, d. l. quinta, §. fin.

Si quis fortè ne ſupplicio adficiatur, dicat ſe habere, quòd Principi referat ſalutis ipſius cauſa: an remittendus ſit ad eum, uidendum eſt. & ſunt pleriq; præſidum tam timidi, ut etiam poſt ſententiam de eo dictam pœnam ſuſtineant, nec quidquam audeant. alii omnino non patiuntur quidquam tale allegantes: nonnulli neque ſemper, neque nunquam remittunt, ſed inquirunt quid ſit, quod allegare Principi velint, quidque pro ſalute ipſius habeant dicere: poſt quæ aut ſuſtinent pœnam, aut non ſuſtinent. quod videtur habere mediam rationem. cæterum (ut vera fertur opinio) prorſus eos non debuiſſe poſteaquàm ſemel damnati ſunt, audiri, quidquid allegent. quis enim dubitat, eludendæ pœnæ cauſa ad hæc eos decurrere? magiſque eſſe puniendos, qui tam diu conticuerunt, quod pro ſalute Principis habere ſe dicere iactant? nec enim debebant, tam magnam rem, tam diu reticere, ff. eo. l. ſexta, in princ.

Cum reis manifeſta probatione conuictis ſpacium temporis antè ſententiam datur, facultas ſupplicandi, vel quibuſdam malignis artibus, tàm præſidū, quàm officialium pœnas euitādi crimino ſiſsimis patet: cum & in homicidii crimine & in aliis detectis grauiorib. cauſis, ultio differenda non ſit, C. eo. l. cū reis, 18.

Si uindicari in aliquos ſeuerius contra Principis conſuetudinem pro cauſæ intuitu iuſſerit non ſtatim vult Princeps eos, aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam: ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpēſa ſit. reos ſanè excipiat uinciat quæ cuſtodia, & excubiis ſolertibus uigilanter obſeruat, C. eod. l. ſi vindicari, 20.

Si quos commitum vel legati ſui reos proconſul inuenerit: utrum punire eos debeat, an ſucceſſori ſeruare, quæri poteſt. ſed multorum extant exempla, qui nō tantum officialium ſuorum, ſub ſe agentium, pœnæ adferunt, quòd quidem ideo faciendum eſt, vt exemplo deterriti minus delinquant, ff. de pœnis, l. ſexta, §. ſi quos.

Prægnantis

Prægnantis mulieris consummendæ damnatæ pęna differtur, quoad pariat. & quidem ne quæstio de ea habeatur obseruatur, quandiu prægnans est, ff. eodem, l. tertia.

Perspiciendum est iudicanti, ne quid durius, aut remissius cōstituatur, quàm causa deposcit. nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria adfectanda est: sed perpenso iudicio, prout quequæ res postulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis proniores ad leuitatem iudices esse debent: in grauioribus pœnis seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi, ff. eodem, l. perspiciendum, xi. in princ.

Qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, vt non prius capitalem in quempiam promat seueramque sententiam, quàm in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimine, aut sua confessione, aut certè omnium qui tormentis, vel interrogationibus fuerint deditì in unum conspirantes, concordãtesq; rei finem, cum victus sit: & sic in obiecto flagitio deprehensus, ut uix etiam ipse ea, quæ commiserit negare sufficiat, C. eo. l. qui sententiam, 16.

Delinquitur autem aut proposito, aut impetu, aut casu. Proposito delinquunt latrones, qui factionem habent. impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, vel ad ferrum venitur. casu verò, cum in uenando telum in feram missum hominem interficit, ff de pœnis, l. perspiciendum, §. delinquitur.

Quod ad statum damnatorum pertinet: nihil interest iudicium publicum fuerit, necne, nam sola sententia, non genus criminis spectatur, ff. eodem. l. quod ad statum. 12.

Hodie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem: ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat, ff. eo. l. hodie, 13.

Aut facta puniuntur, ut furta, cædesq;: aut dicta, ut conuicia. & in fide aduocationes: aut scripta, ut falsa, & famosi libelli: aut consilia, ut coniurationes, & latronum conscientia, quosq; alios suadendo iuuisse sceleris est instar. Sed hæc quatuor genera cōsideranda sunt septem modis: causa persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu, ff. eo. l. aut facta, 16. in prin.

Causa, vt in verberibus, quæ impunita sunt à magistro allata, vel parente: quoniã emendationis, non iniuriæ gratia uidentur adhiberi. puniuntur, cum quis per iram extraneo pulsatus est, d. l. aut facta. §. causa.

Persona dupliciter spectatur: eius, qui fecit: & eius, qui passus est, aliter enim puniuntur ex iisdem facinoribus, qui in parentem ausus est, quàm qui in extraneum; in magistratum uel in priuatum. in huius rei consideratione ætatis quoque ratio habeatur, d. l. aut facta, §. persona.

In personis illud constitutum est: vt qui maiore pœna adficitur, quam legibus statuta est, infamis non fiat, ff. eo. l. in seruorum, x. §: in personis.

Impuritas delicti propter ætatem non datur, si modo in ea quis sit, in quam crimen quod intenditur cadere potest, C. eo. l. septima.

Locus facit, ut idem, vel furtum, vel sacrilegium sit: & capite luendum, vel minore supplicio, d. l. aut facta, §. locus.

Tempus discernit effractorem, vel furem diurnum à nocturno, d. l. aut facta, §. tempus discernit.

Qualitate: cum factum, vel atrocius, vel leuius est: ut furta manifesta à nec manifestis discerni solent, rixæ à grassaturis, expillationes à furtis petulantia à uiolentia. qua de re maximus apud Græcos orator Demosthenes sic ait: Non enim

plaga

plaga iram contumeliamve concitauit, sed ipsa facti indignitas: neque tam ingenuis graue est cædi, quamquam graue sit, quàm per contumeliam cædi si quidem multa is, qui alium cædit, admittere potest, quorum magnam partem is qui verberibus adfectus est, habitu corporis, vultu, uociferatione, nunc ut contumeliam inferens, nunc vt inimicum se gerens, nunc pugnum ducens, nunc in malam cædens, alteri renuntiare ac representare nequit. hæc ipsa mouent. hæc de statu mentis deturbant homines propudii ac suggillationis non assuetos, d.l. aut facta. §. qualitate.

Quantitas discernit furem ab abigeo. nam qui vnum suem subripuerit, ut fur coercebitur: qui gregem, vt abigeus, d.l. aut facta. §. qualitas.

Euentus spectetur, vt à clementissimo quoque facta: quamquam non minus lex eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quā eum, qui occidit, puniat & ideo apud Græcos exilio uoluntario fortuiti casus luebantur, vt apud præcipuum poetarum scriptum est.

Quo puerum me tempore vestras duxit ad ædes.
Ex Opœnte pater, dira pro cæde patrata
Ob talos nempe ira percitus, Amphidamantis
Cum gnatum imprudens simul inuitusque peremi.
Quanndo me paruulum existentem Menœtius ex Opunte
Duxit ad vestram domum paricidium ob triste
Die illo, cum filium occidi Amphidamantis.
Imprudens, inuitus. circa talos iratus, d.l. aut facta. §. Euentus.

Euenit, vt eadem scelera in quibusdam prouinciis grauius plectantur: ut in Africa messium incisores, in Misia vitium, ubi metalla sunt, adulteratores monetæ. Nonnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbētur, quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus sit, d.l. aut facta, §. fi.

Genera pœnarum.

Nunc genera pœnarum nobis enumeranda sunt, quibus præsides adficere quenquam possint. & sunt pœnæ, quæ aut uitam adimant, aut ciuitatem auferant, aut exilium, aut coercitionem corporis contineant: Veluti fustium admonitio flagellorum, castigatio, uinculorum verberatio, ff. de pœnis, l. sexta, §. finali. cum l. sequenti.

Aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depositionem, aut alicuius actus prohibitionem, ff. eo. l. aut damnum, 8. in prin.

Vita adimitur, vtputa si damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertatur. sed animaduerti gladio oportet, non securi, vel telo, vel fusti, uel laqueo, vel quo alio modo. Proinde nec liberam morti facultatem concedendi ius præsides habent. multo minus vel veneno necandi. Diui tamen fratres rescripserunt, permittentes liberam mortis facultatem, d.l. aut damnum, §. uita adimititur.

Capitalium pœnarum ferè isti gradus sunt. summum supplicium esse uidetur ad furcam damnatio, item viui crematio. quod quamquam summi supplicii appellatione meritò continetur: tamen eo, quod postea id genus pœnæ adinuentum est, posterius primo uisum est. item capitis amputatio, ff. eodem. l. capitalium, 28. in princ.

Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias, uel prædæ causa incenderint intra oppidum: plerunque & uiui exuruntur. qui vero casam, aut uillam: aliquo lenius.

lenius. nam fortuita incendia, si cum euitari possent, per negligentiam eorum, apud quos orta sunt, damno vicinis fuerunt: ciuiliter exercentur: vt qui iactura adfectus est, damni disceptet, vel modicè vindicaretur, d.l. capitalium, §. incendiarii.

Transfugæ ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores, aut viui exuruntur, aut furca suspenduntur, ff. eo. l. si quis. 38. §. transfugæ.

Authores seditionis & tumultus populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut in insulam deportantur, d.l. si quis, §. authores.

Relinquitur pœna in metallum hoc loco pro differētia inter humiliores, & honestiores, & iudex utetur pœna subrogata, quia damnatio in metallum hodie non exercetur.

Qui abortiuum, aut amatorium poculum dant, & si dolo non faciant, (tamen quia mali exempli res est) humiliores in mettallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. quod si eo mulier, aut homo perierit: summo supplicio adficiuntur, d.l. si quis, §. qui abortiuum.

Testamentum, quod nullo iure valet, impunè supprimitur. nihil est enim, quod ex eo, aut petatur, aut consistere posit, d.l. si quis, §. testamentum.

Qui viui testamentum apperuerit recitauerit, resignauerit: pœna Corneliæ tenetur: & plerunq; humiliores, aut in metallum damnantur, aut honestiores in insulam deportantur, d.l. si quis, §. qui viui.

Iudices pedanei, si pecunia corrupti dicantur, plerunque à præside, aut curia submouentur, aut in exilium mittunt, aut ad tēps relegantur, d.l. si quis, §. Iudices.

Moris est, aduocationibus quoq; præsides interdicere, & nonnunquam in perpetuum interdicunt, nonnunquam ad tempus vel annum metiuntur, vel etiam tempore, quo prouinciam regunt. nec non ita quoque interdici potest alicui, ne certis personis adsit. potest & ita interdici cui, ne apud tribunal præsidis postulet: & tamen apud legatum, vel procuratorem non prohibeatur agere. si tamen apud legatum prohibitus fuerit postulare: per consequentias, nec quidem apud præsidem relicta erit illi postulandi facultas, ff. eo. l. moris, 9. in prin.

Nonnunquam non aduocationibus, cui interdicitur, sed foro. plus est autem foro quàm aduocationibus interdicere: siquidem huic omnino forēsibus negociis accommodare se non permittitur. solet autem ita vel iuris studiosis interdici, vel aduocatis, vel tabellionibus, siue pragmaticis. solet, & ita interdici, ne instrumenta omnino forment, neve libellos concipiant, vel testationes consignent. solet & sic, ne eo loci sedeant, quo in publico instrumenta deponuntur, archio fortè, vel grammatophilatio solent & sic, ut testamenta ne ordinent, vel scribant, vel signent. Erit & illa pœna ne quis negociis publicis interueniat. hic enim priuatis quidem interesse poterit, publicis prohibetur. hic enim priuatis qnidem interesse poterit, publicis prohibebitur: ut solent, quibus sententia præcipitur publicis abstinere, d.l. moris est, §. nonnunquam.

Sunt autem & aliæ pœnæ: puta si negociatione quis abstinere iubeatur, vel ad conductionem eorum, quæ publicè locantur, accedere, ut ad vectigalia publica. Interdici autem negociatione plerunque, vel negociationibus solet. Sed damnare, vt quis negocietur, an posit, videamus. & sunt quidem hæ pœnæ, si quis generaliter tractare velit ī ciuiles: inuitum hominem iubere facere, quod facere non potest. Sed si quis specialiter tractauerit: potest esse iusta causa compellendi cuius ad negociationem. quod si fuerit, sequenda erit sententia, d.l. moris est, §. sunt autem.

Quædam delicta pagano, aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogant: militi vero grauiorem: nam similes artem ludricam fecerit, capite puniendum Menander scribit, ff. eo. l. quædam, 14.

Cogita-

Cogitationis pœnam nemo patitur, ff. eod. l. cogitationis, 18.

Si pœna alicui irrogatur: receptum est commentitio iure, ne ad hæredes transeat. cuius rei illa ratio uidetur: esse quod pœna constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem constitui videtur, definit, ff. eo. l. si pœna, 20.

Eorum, qui relegati, vel deportati sunt ex causa maiestati, statuas detrahendas sci re debemus, ff. eo. l. eorum, 24.

Deportatorum in insulam ab eo, cui id faciendi, ius erat bona fisco uindicantur: relegatorum autem non nisi sententiam specialiter adempta fuerint, C. eodem, l. octaua.

Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit: aliquatenus pęna eius subleuanda erit, sic etiam constitutum est: non eo modo puniendos eos esse, qui longo tempore in reatu agant: quam eos, qui in recenti sententiam excipiunt, ff. eodem, l. si diutino tempore, 25.

Mandatis principalibus, quæ præsidibus dantur, cauetur, ne quis perpetuis vinculis damnetur. idque & Diuus Hadrianus rescripsit, ff. eo. l. mandatis, 35.

Incredibile est, quod allegas, liberum hominem vt vinculis perpetuis contineretur esse damnatum, C. eo. l. sexta, in princ.

Omnes, quos damnationis conditio diuersis exiliis destinatos metas temporis præstituti in carceris implesse custodia deprehenderit, solutos pœna vinculisque laxatos, custodia liberari præcipitur, nec formidare miserias ullas exilii. sit satis immensorum cruciatuum semel luisse supplicia: ne hi, qui diu priuati sunt auræ communis haustu, & lucis aspectu. non intra breue spacium catenarum ponderibus prægrauati, etiam exilii pœnam sustinere iterum compellantur, C. eodem. l. 23.

Non potest quis sic damnari, ut de saxo præcipitetur, d. l. si diutino, §. fin.

Crimen uel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. namque unusquisque ex suo admisso sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur. idque Diui Fratres Hierapolitanis rescripserunt, ff. eo. l. crimen, 26.

Ne quis pro coertione delicti, vel pistoribus vel cuicunq; alteri corpori (cum alterius sit corporis addicatur, sed unusquisq; pro crimine, in quo fuerit deprehensus motum congrue seueritatis excipiat, C. eo. l. ne quis, 19.

Ibi est pœna, vbi & noxia est propinqui familiares, procul a calumnia sunt, quos reos sceleris societas nõ facit, nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt, C. eo. l. sancimus, 22.

Si præses vel iudex ita interlocutus sit, VIM FECISTI: Siquidem ex interdicto: non erit notatus, nec pœna legis Iuliæ sequetur. si uero ex crimine: aliud est, quòd si non distinxerit præses, utrum Iulia publicorum, an Iulia priuatorum: tunc ex crimine erit æstimandum. sed si vtriusq; legis crimina obiecta sint: mitior lex, idest priuatorum, erit sequenda, ff. eo. l. si præses, 32.

In dardanarios propter falsum mensurarum modum ob utilitatem popularis annonæ pro modo admisi extra ordinem vindicari placuit, ff. eodem. l. in dardanarios, 37.

Cicero in oratione pro Cluentio Auito scripsit: Milesiam quandam mulierem, cum esset in alia, quod ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam, sed & si qua uisceribus suis post diuortium (quod prægnans fuit) vim intulerit, ne iam inimico marito filium procrearet: ut temporali exilio coerceatur, ab optimis Imperatoribus rescriptum est, ff. de pœnis, l. Cicero, 39.

Intelligas diuortium, nunc separatio thori, secundus ius canonicus.

Metrodorum,

Metrodorum, cum hostem fugientem sciens susceperit, in insulam deportari decretum est: Philoctetem, quod occultari eum non ignoraas, diu dissimulauerit, in insulam relegari placet, ff. eo. l. metrodorum, 40.

Sanctio legum, quæ nouissimè certam pœnam irrogat iis, qui legis præceptis nō obtemperauerint: ad eas species pertinere non uidetur, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est. nec ambigitur in cætero omni iure speciem generi derogare, nec sanè uerisimile est, delictum vnum eadem lege variis æstimationibus coerceri, ff. eo. l. sanctio, 41.

Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, q̃ exasperandæ, ff. eo. l. pen.

Diui Fratres Arunthio Siloni rescripserunt: non solere præsides prouinciarū ea, quæ pronunciauerunt, ipsos rescindere. Vetinæ quoq; Italicensi rescripserunt: suam mutare sententiam neminem posse, idque insolitum esse fieri. si tamen de se quis mentitus fuerit, vel cum non haberet probationum instrumenta, quæ postea repererit, pœna afflictus sit: nonnulla extant principalia rescripta, quibus uel pœna eorum minuta est, uel integram restitutio concessa est. sed id duntaxat à principibus fieri potest. De decurionibus & principalibus ciuitatum, qui capitale quid admiserant, mandatis cauetur, ut si quis id admisisse videatur, propter quod relegandus extra prouinciam in insulam sit: Imperatori scribatur adiecta sententia à præside. Alio quoque capite mandatorum in hæc verba cauetur. SI QVIS EX PRINCIPALIBVS ALICVIVS CIVITATIS LATRONICIVM FECERINT, ALIVDVE QVOD FACINVS, VT CAPITALEM POENAM MERVISSE VIDEANTVR, COMMISERINT: VINCTOS EOS CVSTODIES, ET MIHI SCRIBES, ET ADIICES, QVID QVISQVE COMMISERIT, ff. e. l. diui, 27.

Pœnam suam dictam sententia præsidi prouinciæ reuocare non licet, C. eodem. l. pœnam. 15.

Rectores prouinciarum conueniri præcipitur, ut ii qui pro suo crimine pœnam ex libi sub certo tempore spatio subire decreti sunt exacto præfinito tempore, ne claustris carceralibus, nec in locis quibus exules versati sunt teneantur, C. eod. l. penul.

Præses vltra administrationis suæ tempus interdicere alicui arte sua vti non potest, ff. eod. l. finali, in prin.

Quibus admisso decurionum honorem amisit, non potest in pœnis euitandis decurionis filii honorem vindicare, d. l. finali, §. fin.

His, qui conficiendi naues incognitam ante peritiam barbaris tradiderint capitales supplicium proponi decernitur, C. eod. l. fin.

Ex Nouel. const. cxxxiiij.

Imperator Iustinianus interdixit ne vtraq; manus alicui, aut etiam vterq; pes amputetur, aut huiusmodi supplicia inferantur, perque resoluantur artus, quando quidem artuum resolutio grauior est, quàm vtriusque manus amputatio. Quapropter iussit vt si quid huiusmodi delicti admittatur, propter quod leges delinquentibus mortem inferunt: pro tenore legum is ipse pœnas sustineat. Si vero eiusmodi delictum fuerit, quod morte dignum non sit: alia ratione castigetur, aut mittatur in exilium. Si delicti qualitas amputationem membri exigat: vna duntaxat manus amputetur, Nouel. const. cxxxiiii. §. quia vero.

Pro

Pro furto autem prorſus noluit, vt vllum membrum amputetur, aut mors irrogetur, ſed alia ratione caſtigatio procedat. Fures vero appellamus eos, qui clam & ſine armis talia delinquunt. Eos enim qui violenter graſſantur, vel cum armis, vel ſine armis, ſiue in domo, ſiue in via, ſiue in mari; legibus comprehenſas ſuſtinere pœnas voluit, d. nouell. conſt. §. pro furto.

Vt autem non ſolum corporales pœnæ, ſed etiam pecuniariȩ moderationes fiant, ſanciuit ſi illi, qui in iudicio poſtulantur de criminibus in quibus leges publicationem bonorum, aut mortem definiunt, conuincantur aut condemnentur, ne bona ipſorum, vel magiſtratibus, vel eorum cohortibus lucro cedant, ſed neque ſecundum veteres leges addicantur fiſco, ſed ſi quidem deſcendentes habeant, vt hi bona obtineant, exceptis iis, quæ per tale ipſis delictum acceſſerunt, ſi nulli deſcendentes ſubſint, ſed aſcendentes, vſque ad tertium gradum & ipſi obtineant, d. nou. conſt. §. vt autem.

Sin vero qui ita damnati ſunt, vxores habeant, omnibus modis iuſsit, vt hæ tàm dotem, quàm donationem nuptialem capiant. Sed & ſi ſine dote huiuſmodi perſonis fuerint in matrimonio, legibus definitam portionem ex uniuerſo damnati patrimonio capiant, ſiue liberos habeant, ſiue non, d. nouell. conſtitu. §. ſin autem.

Quod ſi neminem prædictorum habeat is, qui deliquit; tunc fiſco bona eius addici uoluit. In his tamen, qui per duellionis crimine damnati ſunt, veteres leges conſeruantur, d. nouel. conſt. §. quod ſi neminem.

Ex conſtitutione Friderichi ij. de ſtatutis, & collatione, x.

Nauigia quocunque locorum peruenerint, ſi quo caſu contingente rupta fuerint vel alias ad terram peruenerint: tam ipſa nauigia, quàm nauigantium bona illis integra reſeruantur ad quos ſpectabant, antequam nauigia huiuſmodi periculum incurriſſent: ſublata penitus omnium locorum conſuetudine, quæ huic aduerſatur ſanctioni: niſi talia ſint nauigia, quæ piraticam exerceant prauitatem, aut ſint chriſtiano nomini inimica. Tranſgreſſores autem huic conſtitutionis bonorum ſuorum publicatione multentur. & ſi res exigeret, eorum audacia iuxta hoc mandatum modis aliis compeſcat, d. nouell. conſtitu. Friderichi. §. nauigia.

DE RE MILITARI. Tit. XXXII.

Militum delicta, ſiue admiſſa, aut propria ſunt, aut cum cæteris communia. vnde & perſecutio aut propria, aut communis eſt. proprium militare delictum eſt, quod quis vti miles admittit. dedere ſe militem, cui non licet, graue crimen habetur: & augetur (ut in cæteris delictis) dignitate, gradu, ſpecie militiæ, ff. de re. militar. lege ſecunda.

Desertorem auditum ad suum ducem elogio præses mittet, præterquàm si quid grauius ille desertor in ea prouincia, in qua est repertus, admiserit. ibi.n. eum plecti pęna debere, vbi facinus admissum est, Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, ff. eo. l. tertia, in princ.

Pœnæ militum huiusmodi sunt: castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus deiectio, ignominiosa missio nam non torquentur, d. l. tertia, §. pœnæ.

Emansor est, qui diu uagatus ad castra regreditur, d. l. tertia, §. emansor.

Desertor est, qui per prolixum tempus euagatus reducitur. Is qui exploratione emanet hostibus insistentibus, aut qui à fossa tunc recedit: capite puniendus est, d. l. tertia, §. desertor.

Qui stationis munus relinquit, plusquam emansor est, itaque pro modo delicti, aut castigatur, aut gradu militiæ deiicitur, d. l. tertia, §. qui stationis.

Si præsidis, vel cuiusvis præpositi ab excubatione. quis desistat: peccatum desertionis subibit. si ad diem commeatus quis non veniat: perinde in eum statuendum est, ac si emansisset, vel deseruisset, pro numero temporis: facta prius copia docendi, num fortè casibus quibusdam detentus sit, propter quos venia dignus videatur, d. l. tertia, §. si præsidiis.

Qui militiæ tempus in desertione impleuit, emerito priuatur, d. l. tertia, §. qui militiæ tempus.

Si plures simul, primo deseruerint, deïnde intra certum tempus reuersi sint: gradu pulsi in diuersa loca distribuendi sunt. sed tironibus parcendum est. qui si iterato hoc admisserint: pœna competenti adficiuntur, d. l. tertia, §. si plures.

Is, qui ad hostem confugit, & rediit: torquebitur, & in furcam dãnabitur: quamuis milites, nihil eorum patiantur. Et is, qui uolens transfugere apprehensus est, capite punitur. sed si ex improuiso, dum iter quis facit, capiatur ab hostibus: inspecto vitæ eius præcedentis actu, venia ei dabitur. & si explecto tempore militiæ redeat: vt veteranus restituetur, & emerita accipiet, d. l. tertia, §. is qui ab hostem.

Milles, qui in bello arma amisit, vel alienauit, capite punitur: humanæ militiam, mitat. Qui aliena arma subripuit: gradu militiæ pellẽdus est, d. l. tertia, §. miles.

In bello, qui rem à duce prohibitam fecit, aut mandata non seruauit: capite punitur, etiam si res bene cesserit, si quis agmen excesserit: ex causa vel fustibus ceditur, vel mutare militiam solet. nec non, & si quis uallum transcendat, aut per murum castra ingrediatur, capite punitur, si vero quis fossam transiliit: militia reiicitur, d. l. tertia, §. in bello.

Qui seditionem atrocem militum concitauit, capite punitur. si intra uociferationem, aut leuem querelam seditio mota est: tunc gradu militiæ deiicitur. Et cum multi milites in aliquod flagitium conspirent, vel si legio deficiat: auocari militia solet, d. l. tertia, §. qui seditionem.

Qui præpositum suum protegere noluerint, vel deseruerint: occiso eo, capite puniuntur, d. l. tertia, §. fin.

In insulam deportatus si effugiens militiæ se dedit, lectus dissimulauit: capite puniendus est, ff. de re mil. l. quarta, §. in insulam.

Temporarium exilium voluntario militi insulæ relegationem adsignat: dissimulatio, perpetuum exilium, d. l. quarta, §. temporarium.

Ad tempus relegatus si explecto spacio fugæ militiæ se dedit: causa damnationis quærenda est, vt si contineat infamiam perpetuam, idem obseruetur. si transa-

ctum

ſtum de futuro ſit: & in ordinem redire poteſt, & honores petere militiæ non prohibetur, d.l.quarta,§.ad tempus.

Reus capitalis criminis voluntarius miles ſecundum Diui Traiani reſcriptum capite puniendus eſt: nec remittendus eſt eo, vbi reus poſtulatus eſt: ſed vbi accedente cauſa militiæ audiendus eſt. ſi dicta cauſa ſit, vel requirendus adnotatur, d.l.quarta,§.reus.

Ignominia miſſus iudicem ſuum remittendus eſt, nec recipiendus poſtea volens militare, licet fuerit abſolutus, d.l.quarta,§.ignominia.

Adulterii vel aliquo publico damnati inter milites non ſunt recipiendi, d.l.quarta,§.adulterii.

Non omnis, qui litem habuit, & ideo militauit, exauthorari iubetur: ſed qui eo animo militiæ ſe dedit, vt ſub obtentu militiæ precioſiorem ſe aduerſario faceret. nec tamen facilè indulgendum eſt exrra ordinem iudicationis, qui negocium, ante habuerunt ſed ſi in tranſactione accidit, indulgendum eſt. Exauthoratus eo nomine, non utique infamis erit: nec prohibendus lite finita militiæ eiuſdem ordinis ſe dare alioquin, & ſi relinquat litem, vel tranſigat, retinendus eſt, d.l.quarta,§.non omnis.

Qui poſt deſertionem in aliam militiam nomen dederunt, legive paſsi ſunt: Imperator reſcripſit, & hos militariter puniendos. Grauius autem delictum eſt detrectare munus militiæ, quàm adpetere. nam & qui ad dilectum olim non reſpondebant, vt proditores puniebantur, ſed mutato ſtatu militiæ receſſum à capitis pœna eſt, quia plerunque voluntario milite numeri ſupplentur, d.l. quarta,§. qui poſt deſertionem.

Qui filium ſuum ſubtrahit militiæ belli tempore, exilio & bonorum parte multandus eſt. ſi in pace fuſtibus cædi iubetur, & requiſitus iuuenis, vel à patre poſtea exhibitus, in deteriorem militiam dandus eſt. qui enim ſe ſollicitauit ab alio, veniam non meretur, d.l.quarta,§.qui filium.

Eum, qui debilitauit filium dilectu per bellum indicto, vt inhabilis militiæ ſit præceptum Diui Traiani deportauit, d.l.quarta,§.eum qui.

Edicta Germanici Cæſaris militem deſertorem faciebant, qui diu abſfuiſſet, ut is inter remanſores haberetur, ſed ſiue redeat quis, & offerat, ſe ſiue deprehenſus offeratur: pœnam deſertionis euitat. nec intereſt, cui ſe offerat, vel a quo deprehendatur. leuius itaque delictum emanſionis habetnr. Examinantur autem ſem per cauſæ emanſionis, & cur, & vbi fuerit, & quid egerit: & datur uenia ualetudine, adfectioni parentum & adfinium, ſed & ignoranti adhuc diſciplinam tironi ignoſcitur, d.l.quarta,§.fin.

Non omnes deſertores ſimiliter puniendi ſunt: ſed habetur & ordinis, & ſtipendiorum ratio, & gradus militiæ vel, loci, & muneris deſerti, & anteactæ uitæ. ſed & numeri, ſi ſolus, vel cum altero, vel cum pluribus deſeruit, aliudve qđ crimen deſertioni adiunxerit. Item temporis, quo in deſertione fuerit: & eorum, quæ portea geſta fuerunt: ſed ſi fuerit ultro reuerſus, non cum neceſsitudine, non erit eiuſdem ſortis, ff.de re mil.l.qæinta, in prin.

Qui in pace deſeruit, eques, gradu pellendus eſt, pedes militiam amittat. in bello idem admiſſum capite puniendum eſt, d.l.quinta,§. qui in pace.

Qui deſertioni aliud crimen adiungit, grauius puniendus eſt. & ſi furtum factū ſit, veluti alia deſertio habebitur, & ſi abigeatus, vel quid ſimile acceſſerit, d.l. quinta,§.qui deſertioni.

Deſertor ſi in urbe inueniatur, capite puniri ſolet. alibi adprehenſus ex prima de-

ſertione reſtitui poteſt, iterum deferendo capite puniendus eſt, d.l. quinta, §. deſerto.

Qui indeſertione fuit, ſi ſe obtulerit: ex indulgentia Imperatoris in inſulam deportandus eſt, d.l. quinta, §. qui indeſertione.

Qui captus, cum poterat redire, non rediit: pro transfuga habetur. item eum, qui in præſidio captus eſt in eadem conditione eſſe certum eſt. ſi tamen ex improuiſo, dum iter facit, aut epiſtolam fert, capiatur quis: veniam meretur, d.l. quinta, §. qui captus.

A barbaris remiſſos milites, ita reſtitui oportere Hadrianus reſcripſit, ſi probabunt ſe captos euaſiſſe, non ſtransfugiſſe. ſed licet hoc liquidò conſtare non poſsit argumentis tamen cognoſcendum eſt, & ſi bonus miles ante exiſtimatus fuit: prope eſt, ut adfirmationi eius credatur. ſi remanſor, aut negligens ſuorum, aut ſegnis, aut extra contubernium agens: non credatur ei, d.l. quinta, §. à barbaris.

Si poſt multum temporis rediit. Qui ab hoſtibus captus eſt, & captum eum non transfugiſſe conſtiterit: vt ueteranus erit reſtituendus, & præmia & meritum capiet, d.l. quinta, §. ſi poſt.

Qui transfugit, & poſtea multos latrones adprehendit, & transfugas demonſtrauit poſſe ei parci, Diuus Hadrianus reſcripſit. ei tamen pollicenti ea nihil permitti oportere, d.l. quinta, §. fin.

Omne delictum eſt militis, quod aliter, quàm diſciplina communis exigit, committitur, veluti ſegnitiæ crimen, vel contumaciæ, vel deſidie, ff. de re. milit. l. ſexta, in prin.

Qui manus intulit præpoſito, capite puniendus eſt. augetur autem petulantiæ crimen dignitate præpoſiti. contumatia omnis militis aduerſus ducem, uel præſidem, capite punienda eſt, d.l. ſexta, §. qui manus.

Qui in acie fugam prior fecit ſpectantibus militibus, propter exemplum capite puniendus eſt, d.l. ſexta, §. qui in acie.

Exploratores, qui ſecreta nunciauerunt hoſtibus, proditores ſunt, & capitis pœnas luunt. ſed & caligatus, qui metu hoſtium languorem ſimulauit, in pari cauſa eis eſt, d.l. ſexta, §. exploratores.

Si quis commilitonem vulnerauerit, ſiquidem lapide: militia reiicitur. ſi gladio: capital admittit, d.l. ſexta, §. ſi quis.

Qui ſe vulnerauerit, vel alias mortem ſibi conſciuit: Imperator Hadrianus reſcripſit, ut modus eius rei ſtatutus ſit: ut ſi impatientia doloris, aut tædio uitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit: non animaduertatur in eum, ſed ignominia mittatur. ſi nihil tale prætendat: capite puniatur. Per vinum, aut laſciuiam lapſis capitalis pœna remittenda eſt, & militiæ mutatio irroganda, d. l. ſexta, §. qui ſe vulnerauerit.

Qui præpoſitum ſuum non protexit, cum poſſet: in pari cauſa factori habendus eſt. ſi reſiſtere non potuit, parcendum ei, ſed & eos, qui præfactum centuriæ à latronibus circumuentum deſeruerunt, animaduerti placuit, d.l. ſexta, §. fina.

Proditores, vel transfugæ plerunque capite puniuntur, & exauthorati torquentur. nam pro hoſte non pro milite habentur, ff. de re mil. l. ſeptima.

Qui excubias palatii deſeruerit, capite punitur. ſed ex cauſa deſertionis reſtitutus in militiam, non aliter medii temporis ſtipendium & donatiua accipit, niſi hæc ei liberalitas principalis ſpecialiter indulſerit, ff. eodem lege, qui excubias, x.

Irreueren-

Irreuerens milles non tantum à tribuno, vel centurione, ſed etiam à principali coercendus eſt. nam eum, qui centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, uetres notauerunt. ſi uitem tenuit: militiam mutat. ſi ex induſtria fregit, vel manum centurioni intulit: capite punitur, ff. de re mili. l. milites, §. irreuerens, 13.

Eius fugam, qui cum ſub cuſtodia vel in carcere eſſet, diſceſſerit: in numero deſertorum non computandum, Menander ſcripſit, quia cuſtodiæ refuga, non deſertor militiæ eſt. Eum tamen qui carcere effracto fugerit, etiam ſi ante non deſeruerit, capite puniendum, Paulus ſcripſit, dicta. l. milites agrum. 13. §. eius fugam.

Deſertorem, qui à patre ſuo fuerit oblatus, in deteriorem militiam Diuus Pius dari iuſsit: ne uideatur (inquit) pater ad ſupplicium filium obtuliſſe. item Diui Seuerus & Antoninus eum, qui poſt quinquennium deſertionis ſe obtulit, deportari iuſſerunt. quod exemplum & in cæteris ſequi nos debere, Menander ſcripſit, d. l. milites, §. fin.

Qui commeatus ſpacium exceſsit, emanſoris vel deſertoris, loco habendus eſt: habetur tamen ratio dierum, quibus tardius reuerſus eſt: item temporis, nauigationis, vel itineris. & ſi ſe probat ualetudine impeditum, vel a latronibus detentum, ſimilive caſu moram paſſum (dum tamen non tardius à loco ſe profectum probet, quam ut occurrere poſsit intra comeatum) reſtituendus eſt, ff. eo. l. qui commeatus, 14. in princ.

Arma alienaſſe, graue crimen eſt: & ea culpa deſertioni exequatur, vtique ſi tota alienauerit. Sed & ſi partem eorum: idem eſt, niſi quod intereſt. nam ſi tibiale, vel humerale alienauit: caſtigari verberibus debet. ſi uero loricam, ſcutum, galeam gladium: deſertori ſimilis eſt. Tironi in hoc crimine facilius parcitur: armorumq; cuſtodi plerunque ea culpa imputatur, ſi arma militi commiſit non ſuo tempore, d. l. qui commeatus, §. arma.

Ex cauſa deſertionis notatus, ac reſtitutus, temporis quod in deſertione fuit, im pendiis expungitur, quod ſi ratio conſtiterit, neque deſertorem fuiſſe apparuerit omnia ſtipendia citra temporis finem redduntur, ff. eo. l. pen.

Qui metu criminis, in quo reus iam fuerat poſtulatus, nomen militiæ dedit: ſtatim ſacramento ſoluendus eſt. Miles turbator pacis capite punitur, ff. eodem, l. finali.

Veteranorum priuilegium intercetera etiam indelictis, habet prærogatiuam, ut ſeparentur a cæteris in pœnis, nec fuſtibus cæditur, ff. de ueteran. l. prima.

Honor veteranis etiam in eo habitus eſt, vt liberi eorum, vſque ad primum duntaxat gradum alia pœna non afficiantur, ſed in inſulam relegentur, C. de pœnis, l. quinta.

Milites prohibentur prædia comparare in his prouinciis, in quibus militiam exercent, præterquam ſi paterna eorum fiſcus diſtrahat. nam & hanc ſpeciem Seuerus & Antoninus remiſerunt, ſed & ſtipendiis implectis emere permittuntur. fiſco autem vindicatur prædium illicitè comparatum, ſi delatum fuerit, ſed & ſi nondum delata cauſa ſtipendia implecta ſint, vel miſſo contigerit: delationi locus non eſt, ff. de re mil. l. milites, nona, in prin.

Milites ſi hæredes extiterint: poſsidere ibi prædia non prohibentur, d. l. milites, §. finali.

Milites agrum comparare prohibentur in ea prouincia, in qua bellica opera peragunt: ſcilicet ne ſtudio culturæ militia ſua auocentur. & ideo domum comparare non prohibentur, ſed & agros in alia prouincia comparare poſſunt. cæte-

rum in ea prouincia, in qua propter causam prelii uenerunt, ne sub alieno quidem nomine eis agrum comparare licet, alioquin fisco uindicabitur. Is autem, qui contra disciplinam agrum comparauerit: si nulla de ea re quæstione mota missionem acceperit: inquietari prohibetur, ff. eo. l. milites, 13. in prin.

Illud constat: præscriptionis huius commodum ad eos, qui ignominiæ causa missi sunt, non pertinere: quod præmii loco veteranis concessnm intelligitur. & ideo & ad eum, qui causaria missus est, potest dici pertinere, cum huic quoque præmium præstatur, d. l. milites, §. illud.

Missionum generales causæ sunt tres: honesta, causaria, ignominiosa. Honesta est, quæ tempore militiæ impleto datur. Causaria, cum quis uitio animi, vel corporis minus idoneus militiæ renuntiatur. Ignominiosa causa est, cũ qs propter delictum sacramento soluitur. & is, qui ignominia missus est, neque Romæ, neque in sacro comitatu agere potest. & si sine ignominiæ mentione missi sunt, nihilominus ignominia missi intelliguntur, d. l. milites, §. missionum.

Officium regentis exercitum non tantum in danda, sed etiam in obseruanda disciplina constitit. Paternus quoque scribit, debere eum, qui se meminerit armato præesse, parcissimè comeatum dare: equum militarem extra prouinciã duci non permittere: ad opus priuatum, piscatum, venatum, militem non mittere. nam. n. disciplina Augusti, ita cauetur. ET SI SCIO FRABILIBVS OPERIBVS EXERCERI MILITES, NON ESSE ALIENVM: VEREOR TAMEN, SI QVIDQVAM PERMISERO, QVOD IN VSVM MEVM TVVM FIAT: NE MODVS IN EA RE NON ADHIBEATVR, QVI MIHI SIT TOLERADVS, ff. eo. l. officium, 12.

Officium tribunorum est, vel eorum, qui exercitui præsunt, milites in castris continere, & ad exercitationem producere, claues portarum suscipere, uigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum pbare, fraudem mensorum coercere, delicta secundum suę authoritatis modum castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere, d. l. officium, §. officium.

DE APPELLATIONIBVS IN CRIMINALIBVS CAVSIS. Titulus XXXIII.

ADdictos supplicio, & pro criminum immunitate damnatos nulli per vim atq; usurpationem vindicare ac tenere. quibus in causa criminali humanitatis consideratione (si tempora suffragantur) interponęnda prouocationis copia non negatur, vt ibi diligentius examinetur vbi contra hominis salute per errore, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse instituta, ea conditione vt si proconsul non tam ad clementiam Principis, quàm ad amplissimas potestates sciant esse referendum. eorum enim de his plenum debet esse iudicinm, qui (si ita res est, & crimen exegerit) rectius possint punire damnatos, C. de appel. l. additos. 29.

Non tantum ei, qui ad supplicium ducitur prouocare permittitur, verum alii quoque nomine eius. non tantum si ille mandauerit, verum qnisq; alius prouocare voluerit. neque distinguitur vtrum necessarius eius sit, nec ne. humanitatis enim ratione omnis prouocans audiri debet ergo & si ipse acquiescat sententiæ. nec quærimus, cuius intersit. Quid ergo si resistat, qui damnatus est aduersus prouocationem, nec uelit admitti eius appellationem perire festinans,

adhuc

adhuc defferendum est supplicium,ff.de appel.l.sexta.

Constitutiones, quæ de recipiendis necne,appellationibus loquntur,vt nihil noui fiat:locum non habent in eorum persona, quos damnatos statim puniri publicè interest:vt sunt insignes latrones uel sedicionum concitatores,vel duces factionum,ff.eod.l.16.

Si quidem in insulam deportandum adnotauerit præses prouinciæ,& Imperatori scripserit,vt deportetur uideamus,quando sit prouocandam:vtrum cum imperator scripserit,an cum ei scribitur? & tunc appellandum est cum recipi eum præses iubet, sententia prolata Imperatori scribendum, ut deportetur.cæterũ uerendum est,ne sero sit,vt tunc prouocetur : cum Imperator insulam ei adsignauerit comprobata.n.sententia præsidis,tunc solet insulam ei adsignare.Rursus illud verendum est : si mendaciis apnd Principem onerauit eum, quem deportandum laborabat:intercludi illi uiam prouocandi. Quid ergo est recte dicetur humanitate suggerendi,ut & hoc & illo tempore non frustra prouocaretur:quia non aduersus Principem, sed aduersus iudicis calliditatem prouocauit simili modo & in decurione erit probandam,quem punire sibi præses prouinciæ permittere non debet:sed recipere eum in carcerem,& Principi scribere de pœna eius,ff.quando appel.sit.l.prima,in pri nc.

Si pro eo,qui capite puniri iussus est,necessaria,persona appellet:an tertia die audiri possit,Paulus dubitat.Sed dicendum est,hanc quoque personam ut in propria causa,secunda die appellare debere:quia qui sua interesse dicit,propriam causam defendit,ff.eod.l.secunda,§.finali.

Obseruare curabis,ne quis homicidarum,ueneficorum,maleficorum , adulterorum , itemque eorum , qui manifestam uiolentiam commiserunt , argumentis conuictus,testibus superatus,uoce etiam propria uitium scelusque confessus , audiatur appellãs sicut.n.hoc obseruari dispositũ est, ita æquum est,vt testibus productis,instrumentisque prolatis,aliisque argumentis præstitis si sententia contra eum lata sit,& ipse,qui condemnatus est,aut minime voce sua confessus sit,aut formidine tormentorum territus,contra se aliquid dixerit : prouocandi licentia ei non denegatur,C.Quorum appel.non recip.l.secunda.

Finis Libri Quinti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS. I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Sextus, & vltimus, totius operis.

DE CASTRENSI PECVLIO.
Titulus I.

Titulus de Castrensi peculio hic sequitur quia alio commodiori loco collocari non potuit: & eo magis quia in pandectis est post Titulum de RE MILITARI *sed quia illæ pertinet ad Materiam Criminalem, & est ultimus Titulus Quinti Libri huius operis. Ponitur primus Titulus huius sexti qui est quædam appendix totius operis.*

PECVLIVM castrense est, quod à parentibus, vel cognatis in militia agenti donatum est: vel quod ipse filiusfamilias in militia adquisiuit, quod nisi militaret, adquisiturus non fuisset. nam quod erat & sine militia adquisiturus non fuisset. nam quod erat, & sine militia adquisiturus, id peculium eius Castrense non est, ff. de castrensi pecul. l. castrense. xi.

Si mulier filio viri militi ad castrenses vel militares fortè res comparandas reliquerit pecuniam: vtique castrensi peculio ea, quæ comparantur, adnumerari incipiunt, ff. eod. l. tertia.

Ex nota Marcelli constat, nec patribus aliquid ex castrensibus bonis filiorum deberi, ff. eod. l. ex nota. x.

Miles præcipua habere debet, quæ detulit secũ in castra, concedente patre. Actionem persecutionemque castrensium rerum semper filius ètiam inuito patre habet, ff. eod. l. quarta.

Si paterfamilias militiæ tempore, vel etiam post missionem, adrogandum se præbuit: videndum erit, ne huic quoque intelligatur earum rerum permissa administratio, quas ante adrogationem in castris adquisierit: quamuis, constitutiones principales de his loquantur, qui ab initio, cum essent filiifamiliarum, militauerint. quod admittendum est, d. l. quarta. §. si pater.

Miles filiusfamilias à commilitone, uel ab eo, quem per militiam cognouit, hæres

res institutus, etiam citra iussum patris suo arbitrio rectè pro hærede gerit, ff. eodem.l.quinta.

Hæreditatem castrensi peculio non videri quæsitam responsum est, quam frater patruelis in alia prouincia stipendia merens, fratri patrueli, cum quo nunquam militauit, reliquit. sanguinis etenim ratio, non militię causa meritum hæreditatis accipiendæ præbuerat, ff.eod.l.Dotem.16.§.fi.

Si forte vxor uel cognatus, uel quis alius non ex castris notus filiofamilias donauerit quid, vel legauerit, & etiam expresserit nominatim, vt in castrensi peculio habeat: Dubitat Vlpianus an possit à castrensi peculio aggregari: & nó putat: veritas. n. spectatur, an vero castrensis notitia vel adfectio fuit. non quod quis finxit, ff.eod.l.si forte.8.

Pater, qui dat in adoptionem filium militem, peculium ei auferre non potest, qđ semel iure militię filius tenuit. qua ratione nec emancipando filium, peculium ei aufert, quod nec in familia retento potest auferre, ff.eod.l.pater.12.

Si quando ex eo peculio filius rem alienam bona fide tenebit: an pater eius in rē vel ad exhibendum actionem pati debeat, vt cæterorum filiorum nomine, quæritur. Sed uerius est, cum hoc peculium à patris bonis separetur: defensionis necessitatem patri non imponendum peculii nomine, quod in castris adquisiuit, confecisse dicetur, de peculio actionem pati. Etsi sponte patiatur, ut quilibet defensor satisdato filium insolidum, non peculiatenus defendere debebit: sed & eius filii nomine non aliter mouere actionem potest, quàm si satisdederit, eum ratam rem habiturum, ff.eod.l.ex castrensi.18.§ fin.

De hæreditate ab adgnato commilitone data Scæuola dubitabat: quia potuit & ante notus & amicus dare potuit & non dare, nisi commilitium charitatem auxisset. nobis itaque uidetur: si ante commilitium factum sit testamentum: non esse peculii castrensis eam hæreditatem si postea: contra, ff. eod.l. de hæreditate penul.in prin.

Diuus Hadrianus rescripsit in eo, quem militantem vxor hæredem instituerat, filium extitisse hæredem, ff.eod.l. Diuus.13.

Pater, militię filios familias reuerso, quod donat, castrensis peculii non facit, sed alterius peculii, perinde ac si filius nunquam militasset, ff.eo.l.pater.15.in princ.

Si stipulanti filio spondeat: siquidem ex causa peculii castrensis: tenebit stipulatio. Cæterum ex qualibet alia causa non tenebit. Si pater à filio stipulatur: eadem distinctio seruabitur, d.l.pater, §.si stipulanti.

Dotem filiofamilias datam, uel promissam, in peculio castrensi non esse, responsum est: nec ea res contraria uidebitur ei, quod diui Hadriani temporibus filiumfamilias militem vxori Hæredem extitisse placuit, & hæreditatem in castrense peculium habuisse. nam hęredibus aduentitio iure quæritur: dos autem matrimonio cohærens oneribus eius ac liberis communibus, qui sunt in aui familia, confertur, ff.eod.l.dotem.16.in prin.

Si castrense peculium maritus habeat: in quantum facere potest, condemnabitur quia etiam non castrensibus creditoribus ex eo peculio magis est eum cogi respondere, ff.eod.l.7.

Filiusfamilias militis si peculium apud patrem remansit, sine testamento filio defuncto, pater ipsi hæres non fit: sed tamen hæres his fiet, quibus filius fuit, ff. eodem.l.prima.

Si filiusfamilias miles decesserit, siquidem intestatus: bona eius non quasi hæreditas, sed quasi peculium patri deferantur. Si autem testamento facto: hic

pro

pro hæreditate habetur castrense peculium, ff. eodem. l. secunda.

Proponebatur filiusfamilias miles testamento facto extraneum hæredem scripsisse, deinde superstite decessisse: pater deliberãte hærede instituto ipse diem functus: deinde hæres institutus repudiasse hæreditatem: quærebatur, ad quem castrense peculium pertinere. Respondit Vlpianus castrense peculium filiifamilias. siquidem testatus decessisset, quasi hæreditatem deferri hæredi scripto, siue extraneum scripsisset hæredem, siue patrem. Sed cum nihil de peculio decernit filius, nonnunc obuenisse patri, sed non esse ab eo profectum creditur. In proposito cum hæres non adiit hæreditatem, retro dicimus peculium patris bonis accessisse vnde posse dici, etiampatris bona aucta per hanc repudiationem, nec esse nouum, vt ex post facto aliquis successorem habuisse videatur. nam & si filius eius, qui ab hostibus captus est, decesserit patre captiuo: viuo siquidem pater regrederetur, quasi filiusfamilias, peculium haberet enimuero si ibidem pater decesserit, quasi paterfamilias legitimum successorem, habebit, & retro habuisse credetur eius successor. ea quoque, quæ medio tempore filiusfamilias iste quæsiit, non hæredi, patris, sed ipsi filio quæsita videbuntur, ff. eodem. l. proponebatur. 9.

Filiusfamilias miles si captus apud hostes vita fungatur: lex Cornelia subuenit & scriptis hæredibus quibns cessantibus, iure pristino peculium pater habebit, ff. eod. l. filius. 14. in prin.

Pater, qui castrense peculium intestati filii retinebit, æs alienum intra modum eius & annum vtilem iure prætorio soluere cogitur. Idem si testamento scriptus hæres extiterit, perpetuo ciuiliter vt hæres conuenitur, ff. eod. l. pater. 17. in principio.

Pater a filio milite, vel qui militauerat, hæres institutus testamenti causam omisit & castrense peculium possidet legitimi hæredis exemplo cogetur ad finem peculii perpetuo legata præstare, quod si filius post annum, quam militare desiderat, iure communi testamento facto vita decessit: ratione falcidiæ retinebitur quarta: cæterum si testamenti causam pater omisit, cum peculium creditoribus soluendo non esset: nihil dolo videbitur fecisse, quamuis temporis incurrat compendium, d. l. pater qui, §. finali.

Filiusfamilias paganus de castrensi peculio fecit testamentum, & dum ignorat patri se suum hæredem estitisse, decessit. non potest uideri pro castrensibus bonis testatus, pro paternis. intestatus decessisse, quamuis id in milite etiá nunc rescriptum sit: quia miles ab initio pro parte testatus, & pro parte intestatus potuerat mori. quod ius iste non habuit testamentum. necessario ergo castrensis peculii hæres scriptus vniuersa bona habebit: perinde ac si pauperimus facto testamento decessisset, ignorans locupletatum se ex negocatione alio loco, ff. eod. l. penul. §. filiusfa.

DE CAPTIVIS, ET DE POSTLIMINIO. Titulus II.

De hoc Titulo pars est descripta in prima & tertia parte reliqua hic ponitur quod fieri potest cum & in pandectis sit positus libro. xlix. Nam quamuis secuti simus institutionum ordiuem attamen quantum potuimus non prætermisimus pandectarum ordinem.

Eos, qui ad hostibus capiuntur, vel ab hostibus deducuntur, iure postliminii reuerti, antiquitus placuit. An qui hostibus debitus reuersus, nec à nobis receptus

ceptus est, ciuis Romanus fit: inter Brutum & Scæuolam variè tractatum est. & consequens est, vt ciuitatem non adipiscatur, ff. de cap. & postli. l. quarta.

Si deportatum ab insula hostes cœperunt: redemptus quibus casibus rediit in eã causam veniet, in qua futurus esset, si captus non fuisset. deportabitur igitur, ff. eo. l. in bello, 12. §. si deportatum.

Postliminii ius competit, aut in pace, aut in bello. in bello: cum hi, qui nobis hostes sunt, aliquem ex nostris cœperunt, & intra præsidia sua deduxerunt. nam si in eodem bello is reuersus fuerit: postliminium habet: idest, perinde omnia restituuntur ei iura, ac si captus ab hostibus non esset. Ante, quàm in præsidia deducatur hostium, manet ciuis. tunc autem reuersus intelligitur, si aut ad amicos nostros peruenit, aut intra præsidia nostra esse cœperit, ff. e. l. quinta, in prin.

In pace quoque postliminium datum est: nam si cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospicium, neque fœdus amicitiæ causa factum habemus, hi hostes. quidem non sunt. quod autem ex nostro ad eos præuenerit, illorum fit idẽ, quæ est & si ab illis ad nos, aliquid perueniat. hoc quoque igitur casu postliminium datum est, d. l. quinta, §. in pace.

Captiuus autem si à nobis manumissus fuerit, & peruenerit ad suos, ita demum postliminio reuersus intelligitur, si maluit eos sequi, quam in ciuitate nostra manere. & ideo in Attilio Regulo, quem Carthaginenses Romam miserunt, responsum est, non esse eum postliminio reuersum, quia iurauerat Carthaginem se reuersurum, & non habuit animum Romæ remanẽdi, d. l. quinta, §. captiuos.

Nihil interest, quomodo captiuus reuersus est, utrum dimissus, an ui uel fallacia potestatem hostium euaserit, ita tamen, ut si ea mente uenerit, vt non illo reuerteretur. nec enim satis est corpore domum quem rediisse, si mente alienus est. Sed & qui victis hostibus recuperantur, postliminio rediisse existimantur, ff. eod. l. nihil. 26.

In bello postliminium est, in pace etiam his, qui in bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprehensum. Quod ideo placuisse Seruius scribit, quia spẽ reuertendi ciuibus in virtute bellica magis, quàm in pace Romam esse uoluerunt, ff. eod. l. in bello. 12. in prin.

Postliminium est ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, inter nos ac liberos populos, regesque, moribus, legibus constitutum nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum hoc si rursus recipiamus dicimur postliminio recipere idque naturali æquitate introductum est, vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is vbi in fines suos rediisset, pristinum ius suum reciperet, ff. eod. l. postliminium. 19. in prin.

Postliminio rediisse videtur, cum in fines nostros intrauerit, sicuti amittitur, vbi fines nostros excesserit. Sed & si in ciuitatem sociam amicamve, aut ad regem, socium uel amicum venerit, statim postliminio redisse uidetur, quia ibi primum nomine publico tutus esse incipiat, d. l. postlimio, §. postlimio.

Postliminium hominibus est, cuiuscunque sexus conditionisve sint, dicta. l. postlimium, §. finali.

Qui, captiuus, de quo in pace cautum fuerat, uel rediret, sua uoluntate apud hostes mansit, non est ei postea postliminium, ff. eod. l. si captiuus. 20. in prin.

Redemptio facultatem redeundi præbet, non ius postliminii mutat, dicta. l. si captiuus, §. finali.

Bona eorum, qui in hostium potestatem præuenerint, atque ibi decesserint, siue testamenti factionem habuerint, siue non habuerint, ad eos pertinent, ad quos perti-

pertinerent, si in potestate hostium non peruenissent. idemque ius in eadem causa omnium rerum iubetur esse lege Cornelia, quæ futura esset, si hi, de quorum hæreditatibus & tutelis constituebatur, in hostium potestate non peruenissent, ff. eod. l. bona. 22. in prin.

Si quid bello captum in præda est, nec postliminio rediit. PAVLVS. Imò si in bello captus pace facta demum refugit, deinde renouato bello capitur: postliminio rediit ad eum, à quo priore bello captus erat: si modo non conuenerit in pace vt captiui redderentur, ff. eod. l. si quid. 28.

Si id, quod nostrum hostes cœperunt, eius generis est, vt postliminio redire possit, simul atque ad nos redeundi causa profugit ab hostibus, & infra fines Imperii esse cœpit postliminio eum redisse existimandum est. eod. l. fi.

Si me tibi adrogandum dedissem, emancipato me reuersum ab hostibus filium meum loco nepotis tibi futurum constat, ff. eod. l. si me. 13.

Cum cognatos tuos nondum postliminio regressos affirmes, sed adhuc in rebus esse humanis, & bona eorum fraudibus diuersæ partis dissipari: interpellatus rector prouinciæ prouidebit eum sub obseruatione consueta constituere, qui stipulante seruo publico satis idoneæ dederit, C. eod. l. tertia.

Nec nos prçteriit hæreditatem eius quam incognitum erat ab hostibus interfectum an captum esse a filio adiri non potuisse, quoniam eorum bona qui in hostium potestate rediguntur, eo domum tempore successionis iure acquiri possunt, cum captos apud hostes mortuos esse cognoscitur. Nec super facultatibus eius, cuius incerta vita ac fortuna fuit transigi, uel iudicari potest. Vnde postea quàm apud hostes matertera uestra fac munus' suscepisse innotuit, tunc uobis licentia permittitur agnoscendæ successionis: non officientibus iis quæ perperam gesta sunt superiorem gradum obtinentis, successionis compendium ad uos pertinet, C. eod. l. quarta.

Captum ab hostibus filium patre mortuo, medio tempore lex Cornelia reuersum si in potestate patris tempore quo capiebatur fuit facit hæredem. Vnde siue ex testamento ad te, siue ab intestato successionem patris tui pertinere apud præsidem prouinciæ probaueris: restitui tibi res hæreditarias iubebit: si non tantum postquam reuersus eis tempus effluxit, quantum intẽtionem tuam temporis prolixitate conquiescere faciat, C. eod. l. captum. ix.

Ab hostibus captis, ac postliminio reuersis pro huiusmodi casu amissa, quæ in eadem causa quidem durant omnimodo directa: quæ vero per vsucapionem, vel liberationem ex bonis subtracta, uel non vtendo finita esse uidentur, intra annũ vtilẽ experientibus actione rescissoria restituuntur, C. e. l. ab hostibus. 18.

D'E VERBORVM SIGNIFICATIONE.

A

ABEST, qui extra continentia vrbis est, cæterum usque ad continentia, non abesse videtur, ff. de verb. sign. l. 173. in fin.

Abesse res videntur etiam hæ, quorum corpus manet, & forma mutata est. Et ideo si corruptæ redditę sint uel transfiguratæ videntur abesse quoniam plerunque plus est in manus precio quam in re, ff. de verb. sign. l. 13. §. primo.

Abesse

Abesse uidetur res, ut Labeo,& Sabinus existimant si uestimentum scissum redditur, uel res corrupta reddita sit: ueluti scyphi collisi, aut tabula rasa pictura quoniam earum rerum precium non in substantia sed in arte sit positum, ff. eodem. l. 14.

Abesse desinere res tunc uidetur, cum sic reddit in potestatem, ne amittere eius possessionem possimus ob hoc, quod furto pridem subtracta est, ff. eod. l. 13. §. desinere.

Abest,& ea res, quæ in rebus humanis non est, d. l. 13. §. fin.

Abesse res recte dicitur si Dominus rem, quæ sibi furto aberat ignorans emerit etiam si postea id ita esse scierit: quia uidetur res ei abesse cui precium abest, ff. eod. l. 14. §. item si Dominus.

Absentem accipire debemus eum, qui non est in eo loco in quo petitur non enim trans mare absentem desideramus & abesse non videtur qui ab hostibus captus est sed qui à latronibus detinetur, ff. eod. l. 199.

Abrogatur legi cum prorsus tollitur, derogatur legi si pars detrahatur, ff. de uerb. signifi l. 102.

Sì quis ita in testamento scripsit. SI QVID FILIO MEO ACCIDERIT HAERES DECEM DATO: Mortuo filio legatum debetur licet enim aliqua accidant & viuis, sed uulgi sermone etiam mors significatur, ff. eo. l. 163. §. si quis.

Accipere aliud est: aliud capere cum effectu accipitur, accipere etiam si quis non sic accipit, ut habeat. Ideoque non uidetur quis capere, quod est restituturus. Sicut peruenisse proprie illud dicitur, quod est remansurum, ff. de uerb. signifi. l. 71.

In omnibus temporalibus actionibus, nisi nouissimus totus dies compleatur non finit obligationem, ff. de obligationibus & actionibus. lege, in omnibus. l vi.

Actionis uerbo non continetur exceptio, ff. eod. l. actionis. ix.

Actionis uerbo etiam persecutio continetur, ff. eod. l. actionis. 34.

Actionis verbum & speciale est,& generale: nam omnis actio dicitur, siue in personam siue in rem sit petitio, sed plerunque actiones personales solemus dicere, petitionis autem uerbo in rem actionis significari uidentur. persecutionis uerbo extraordinariæ persecutiones continentur: utputa fideicommissorum, & si quæ aliæ sunt quæ non habent iuris ordinarii executionem, ff. eodem. l. pecuniæ. clxxviii. §. Actionis.

Aduena est, quem Græci appellant accolam, ff. eod. l. 239. §. aduena.

Inter adulterium & stuprum hoc interest, quòd adulterium in nuptam stuprum in viduam committitur, sed hoc uerbum indiferenter utimur, ff. dę uerb. sign. l. 101, in prin.

Aes alienum est, quod nos aliis debemus, æs suum est, quod alii nobis debent, ff. eod. l. 113. §. penul.

Etiam aureos numos ęs dicimus, ff. eod. l. 159.

Quædam aguntur, quædam geruntur, quædam contrahuntur, Et actum quidem generale uerbum est siue uerbis siue re, quid agatur, ut in stipulatione, uel numeratione, contractum autem ultro citroque obligationem dicimus, ueluti emptionem, uenditionem, locationem, conductionem, societatem gestum rem significat sine uerbis factam, ff. de uerb. sig. l. 19.

Ager est locus, qui sine uilla est, ff. eodem l. ager, 27. in princip.

Alienationis uerbum etiam vsucapionem continet. Vix est enim ut non uideatur alienare qui patitur usucapione. Is quoque alienare dicitur, qui non vtendo amisit seruitutem. Qui uero occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare: ueluti qui hæreditatem omittit optionem intra certum tempus datam non amplectitur, ff. de uerb. signifi. l. 28.

Alienatum non propriæ dicitur, quod adhuc in Dominio uenditoris manet: uenditum tam recte dicetur, ff. eod. l. 67. in prin.

Amicos appellare debemus, non leui uotitia coniunctos, sed quibus fuerunt iura eum patrefamilias, honestis familiaritatis quæsita rationibus, ff. de uerb. sign. l. 223. §. amicos.

Amisisse rem uidetur, qui aduersus nullum eius persequendæ actionem habet, ff. eod. l. 14. in fine.

AMPLIVS VERBVM, ad eum quoque pertinet, cui nihil debetur: sicuti ex contrario minus solutum uidetur etiam si nihil esset exactum, ff. de verborum signifi. l. 82.

Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur & consuetudo loquendi id ita esse declarat ANTE DIEM DECIMVM CALENDARVM. POST DIEM DECIMVM CALENDARVM. neutro enim sermone vndecima dies significatur, ff. eod. l. 132. in prin.

Anniculus non statim ut natus est, sed ccclxv. die dicitur incipiente plane non ex acto die: qui annum ciuiliter non ad momenta temporum sed ad dies numeramus, ff. eod. l. 134.

Illa uerba ARBITRATV LVCII TITII FIERI, ius significant, ff. eodem. l. illa uerba. 68.

Armorum appellatio non tantum utique scuta & gladios, & galeas significat: sed & fustes & lapides, ff. de uerb. sign. l. 41.

Artemonem non esse partem nauis uerius est quamuis malus pars nauis sit, quia plerique naues sine malo inutiles essent: ideoque pars nauis habetur artemon autem magis additamentum quàm pars nauis est, ff. de uerborum significatio. 242. in princ.

Hæc uerba ILLAE AVT ILLAE: non solum disiunctiuo sed etiam subiunctiue orationis sunt. Disiunctiuum est ueluti cum dicimus, AVT DIES AVT NOX EST: quorum posito altero, necesse est tolli alterum: item sublato altero, poni alterum. ita simili figuratione uerbum AVT potest esse subdisiunctiuum. subdisiunctiui autem genera sunt duo: unum, cum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut possit neutrum esse: ueluti cum dicimus, AVT SEDET, AVT AMBVLAT. nam ut nemo potest utranque simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is, qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrum esse, vt possit esse utrumque: ueluti cum dicimus, OMNE ANIMAL AVT FACIT AVT PATITVR. nullum enim animal est, quod nec faciat, nec patiatur. at potest simul & facere & pati, ff. de uerborum significatione, lege. 124.

B

Cum bis sexto Kalendis est: nihil refert utrum priore an posteriore die quis natus sit: & sic deinceps sexto Kalendas eius natalis dies est nam id biduum pro uno die habetur, sed posterior dies intercalatur, non prior. ideo quo anno intercalatum non est, sexto Kalendas natus, cum bis sexto Kalendas est, priorem diem Natalem habet, Cato putat mensem intercalarem addititium esse: omnesque dies eius pro momento temporis obseruat, extremoque diei mensis Februarii tribuit Quintus Mutius mensis autem intercalaris constat ex diebus viginti octo, ff. de uerb. sig. l. 98.

Bonorum appellatio aut naturalis aut ciuilis. Naturaliter bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est quod beatos faciunt, beare est prodesse. In bonis autem nostris computari sciendum est, non solum, quæ Dominii nostri sunt. Sed & si bonafide à nobis possideantur vel superficiaria sint æquæ bonis annumerabitur. etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus, nam hæc omnia in bonis esse uidentur, ff. eod. l. 49.

Bona intelliguntur cuiuique quæ deducto ære alieno supersunt, ff. de verborum significatione l. 39.

Bona propria dici non possunt quæ plus incommodi quam commodi habent, ff. eodem l. 83.

Bonæ fidei emptor esse uidetur, qui aut ignorauit eam rem alienam esse: aut eum, qui uendidit, ius putauit vendendi habere, puta procuratorem, aut tutorem esse, ff. eod. l. bonæ. 109.

Bonorum appellatio, sicut hæreditatis vniuersitatem quandam & ius accusationis, & non singulares res demonstrat, ff. de uerb. sig. l. 208.

Boues magis armentorum, quàm iumentorum genere appellantur, ff. de verb. significat. l. 89. in prin.

C

Si calumnietur & moretur, & frustretur, inde calumniatores appellari sunt, qui per fraudem, & frustrationem alios vexarent litibus inde & cauillatio dicta est, ff. de uerb. sig. l. 233. in prin.

Cœpisse quis intelligitur quamuis alii acquisiit, ff. eod. l. 140.

Capitalis latine loquentibus licet omnis causa existimationis videatur: tamen appellatio capitalis mortis uel amissionis ciuitatis intelligenda est, ff. eodem. l. 103.

Cautum intelligitur siue personis siue rebus cautum sit, ff. eodem. lege, 188. in fine.

Cauillationis natura hæc est, ut ab euidentur ueris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidentur falsa sunt perducatur, ff. de uerborum sign. l. 177.

Censeri est constituere & præcipere. vnde etiam dicere solemus, cēseo hoc facias,

& ſemet aliquid cenſuiſſe inde cenſoris nomen uidetur eſſe tractum, ff. eodem.l.cxi.

Cæterorum & reliquorum appellatione etiam omnes continentur, ut puta ſi cui optio equi legata eſt cæteri Sempronio, nam ſi non optat omnes ad Sempronium pertinebunt, ff. de uerb.ſig.l.160.

CEDERE diem ſignificat incipere deberi pecuniam VENIRE DIEM, Vbi ergo purè quis ſtipulatus fuit: & ceſsit, & venit dies. Vbi in diem: ceſſit dies, ſed nondum venit. Vbi ſub conditione: neque ceſsit, neque venit dies pendente adhuc conditione, ff. eod.l. Cedere diem. 213.

Cognoſcere inſtrumenta eſt relegere, & recognoſcere diſpungere eſt conferre accepta & data, ff. de verb. ſig.l.56.

Collegarum appellatione hi contiuentur qui ſunt eiuſdem poteſtatis, ff. eodem.l.173.

Collegium tres faciunt, ff. eod.l.85.

Commendare nihil aliud eſt, quàm deponere, ff. eod.l.186.

Conditionales creditores dicuutur & hi, quibus nondum competit actio, eſt autem competitura: uel qui ſpem habent ut competat, ff. de uerb. ſign.l.54.

Oratio quæ neque coniunctionem, neque diſiunctionem habet: ex mente pronũtiantis, vel diſiuncta, uel coniuncta accipitur coniunctio enim nonnunquam pro diſiunctione accipitur? vt in illa ſtipulatione, MIHI HAEREDIQVE MEO: TE HAEREDEMQVE TVVM, ff. eod.l.28. & 29.

Coniuncta ſæpe pro diſiunctis accipiuntur, & diſiuncta pro coniunctis, interdum ſoluto pro ſeparatis. Nam cum dicitur Agnatorum, gentiliumque QVAE pro ſeparatione accipitur At cum dicitur. SVPER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE tutor ſeparatim ſinę pecunia dari non poteſt. Et cum dicimus QVOD DEDI aut DONAVI. Vtraque continemus cum vero dicimus. QVOD EVM DARE FACERE OPORTET, quod uis eorum ſufficit probare. Cum vero dixit prætor ſi DONVM MVNVS OPERAS REDEMERIT. Si omnia impoſita ſunt certum eſt omnia redimenda eſſe, Ex re ergo pro coniunctis habentur & ſi quædam impoſita ſunt, cætera non deſiderabuntur. Item illa uerba, OPE CONSILIO: ſeparatim accipiuntur: quia aliud factum eſt eius qui OPE aliud eius, qui CONSILIO: Furtum facit. Sin.n. alii condici poteſt, alii non poteſt, Et ſanè eo peruentum eſt, vt nemo OPE uideatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit, nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit, ff. de ver. ſign.l.53.

Coniunctio triplici modo intelligitur. aut.n. re per ſe coniunctio contingit, aut re & uerbis, aut verbis tantum, nec dubium eſt, quin coniuncti ſint, quos & nominum & rei complexus iungit: uelutì TITIVS ET MAEVIVS EX PARTE DIMIDIA HAERAEDES SVNTO VEL TITIVS MAEVIVSQVE HAEREDES SVNTO, VEL TITIVS CVM MAEVIO EX PARTE DIMIDIA HAEREDES SVNTO. videamus autem ne etiam ſi hos articulos detrahas, ET QVAE, CVM interdum tamen coniunctos accipi oporteat: uelutì LVCIVS TITIVS PVBLIVS MAEVIVS HAEREDES SVNTO EX PARTE, DIMIDIA, hæredes ſunto uel ita: PVBLIVS MAEVIVS, LVTIVS TITIVS HAEREDES SVNTO, SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA

HAERES ESTO: VT TITIVS ET MAEVIVS VENIANT In partem dimidiam, & re & uerbis coniuncti uideantur, LVCIVS TICIVS EX PARTE DIMIDIA HERES ESTO SEIVS EX PARTE QVA LVCIVM TITIVM HAEREDEM INSTITVI HAERES ESTO SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO Iulianus dubitari posse ait, tres semisses facti sint an Titius in eundem semissem, cum C. Seio institutus sit? sed eo quod Sempronius quoque ex parte dimidia scriptus est, ueri similius esse, in eundem semmissem duos coactos, & coniunctim Hæredes scriptos esse, ff. eod. l. triplici, 142.

In contentionibus contrahentium uoluntatem potius, quàm verba spectari placuit. Cum igitur ea lege fundum vectigalem municipes locauerint, vt ad hæredem eius, qui suscepit, pertineret: ius hæredum ad legatarium quoque transferri potuit, ff. eod. l. in conuentionibus. 219.

Continentes prouincias accipimus eas, quæ, Italiæ coniunctæ sunt vt puta Galliam: Sed & prouinciam Siciliam inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto Italia diuiditur, ff. de uerborum. significatione. lege. 99. §. continentes.

CONTRAXERVNT VERBA GESSERVNT, non pertiuent ad ius testandi, ff. eod. l. 20.

Coram Titio aliquid facere iussus: non uidetur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat: non uidetur coram eo fecisse scire autem, non etiam uelle is debet. nam & inuito eo recte fit, quod iussum est, ff. eod. l. 209.

Creditores accipiendos esse constat eos, quibus debetur, ex quacunque actione, uel persecutione. Quod si natura debeatur: non sunt loco creditorum. Sed si non sit mutua pecunia, sed contractus, creditores accipiuntur, ff. de verborum. signifi. l. 10.

Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur qui pecuniam crediderint, sed omnes quibus ex aliqua causa debetur. ff. eod. l. xi. & xii. & ff. de acti. & obli. 42. in fine.

Creditoris loco accipitur si cui ex empto vel ex locato, vel ex alio contractu debetur sed & si ex delicto debeatur. Quod si ex populari causa ante litis contestationem rectè dicetur creditoris loco non esse, postea esse, ff. eod. l. xii.

Creditoris est qui exceptione perpetua submoueri non potest, qui autem temporalem exceptionem timet similis est conditionali creditori, ff. eodem, lege. lv.

CVM COMMODVM ERIT DOTIS FILIAE MEAE TIBI ERVNT AVREI CENTVM, non statim secutis nuptiis debentur centum: At si dixerit CVM POTVERO ad id quod actum est redigenda res est proprius tamen est in ambiguo ut intelligatur promissum quod deducto ære alieno potero: potest etiam illa accipi significatio, cum salua dignitate mea potero: quæ interpretatio magis accipienda est, si ita promissum est: CVM COMMODVM ERIT, hoc est cum sine incommodo meo potero, ff. de verb. signifi. l. cxxv.

Inter illam conditionem CVM FARI POTVERIT ET POSTQVAM FARI POTVERIT. multum interest. Nam posteriorem scripturam vberiorem esse constat: CVM FARI POTVERIT artiorem, & id tantummodo tempus significare, quo primum fari posit, ff. de uerb. sig. l. ccxvii.

Conditionem ita demum, ILLVD FACITO IN DIEBVS: ſi nihil prætereà fuiſſet adiectum in biduo conditionem impleri oportet, d. l. 217. §. fin.

D

Debitor intelligitur à quo inuito exigi pecunia poteſt, ff. de verb. ſig. l. cviii.

Debuit, uerbum omnem omnino actionem comprehendere intelligitur, ſiue ciuilis, ſiue honoria, ſiue fideicommiſſaria fuerit, ff. eod. l. clxxviii. §. fin.

Dediſse intelligendus eſt etiam is, qui permutauit, uel compenſauit, ff. eodem. l. dediſse. 76.

Deteſtari eſt abſenti denuntiare, ff. eod. l. xxxix. §. fin.

Deteſtatio eſt denunciatio facta cum teſtatione, ff. eod. l. Deteſtatio, 40. in prin.

Dimiſſoriæ litteræ dicuntur, quæ uulgo dicuntur, apoſtoli, dimiſsoriæ autem dictæ, quod per eas cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur, ff. eodem. l. dimiſsoriæ. cvi.

Vinaria vaſa proprie vaſa torcularia placet eſse, dolia autem & ſerias tam diu in ea cauſa eſse, quàm diu vinum haberent: cum ſine vino eſſe cœperint, deſinere in eo numoro eſſe: quoniam ad alium vſum transferri poſſunt: veluti ſi frumentum in his addatur. Eādem cauſam amphorarum eſſe vt cum vinum habeant, tum in vaſis uinariis: cum inanes, ſint tunc extra numerum vinariorum ſint: quia aliud in his condi poſsit, ff. de verb. ſig. l. ccvi.

Hæc verba CVI REI DOLVS MALVS ABFVERIT gn̄aliter comprehendunt omnem dolum, quicunque in hanc rem admiſſus eſt, de qua ſtipulatio eſt interpoſita, ff. eod. l. lxix.

Donationis verbum ſimpliciter loquendo omnem donationem comprehendiſſe videtur, ſiue mortis cauſa ſiue non mortis cauſa fuerit, ff. eod. l. lxvii.

Donari videtur. quod nullo cogente iure conceditur, ff. eod. l. lxxxii.

Inter Donum, & Munus hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Dono à Donādo dicitur Munus eſt donum cum cauſa: ut puta natalitium nuptiarum, ff. de uerb. ſig. l. cxciiii.

Si quis ſic dixerit, uti intra diem mortis eius aliquid fiat: ipſe quoque dies, quo, quis mortuus eſt, numeratur, ff. eod. l. ſi quis. cxxxiii.

Inter edere, & reddi rationes multum intereſt nec is, qui edere iuſſus ſit, reliquum reddere debet. nam & argētarius edere rationem uidetur etiam ſi quod reliquum ſit apud eum non ſoluat, ff. eod. l. lxxxviii. §. inter edere.

E

ERIT verbum interdum etiam præteritum, nec ſolum futurum tempus demonſtrat, quod eſt nobis neceſſarium ſcire. & cum codicilli ita confirmati fuerunt: QVOD IN CODICILLIS SCRIPTVM ERIT: vtrum ne futuri temporis demonſtratio fiat an etiam præteriti, ſi ante ſcriptos codicillos quis relinquat, quod quidem ex voluntate ſcribentis interpretandum eſt, quemadmodum autem hoc uerbum Eſt non ſolum futurum, ſed interdum præteritum tēpus ſignificat: ita & hoc uerbum ERIT non ſolum futurum, ſed interdum etiam præteritum tempus demonſtrat, nam cum dicimus LVCIVS TI-

TIVS SOLVTVS EST OBLIGATIONE: & præteritum, & præſens ſignificamus, ſicut hic, LVCIVS TITIVS ALLIGATVS EST: & idem fiet, & cum ita loquimur, TROIA CAPTA EST. non enim ad præſentis facti demonſtrationem refertur is ſermo, ſed ad præteritum, ff. de verborum ſignific.l.cxxiii.

EXACTAE PECVNIAE verbum non ſolum ad ſolutionem referendum eſt, verum etiam ad delegationem, ff.de verb.ſig.l.clxxxvii.

EX LEGIBVS verbum ſic accipiendum eſt, tàm ex legum ſententia, quàm ex verbis, ff.eo.l.ſexta, in fine.

Exhibet, qui præſtat eius de quo agitur, præſentiam. nam etiam qui ſiſtit, præſtat eius, de quo agitur, præſentiam. Nec tamen exhibet, qui mutum, aut furioſum, aut infantem exhibet. non enim poteſt videri eius præſtare præſentiam cum nemo ex eo genere præſens ſatis aptè appellari poteſt, ff.eo.l. fi.in prin.

F

Fabros tignarios dicimus non eos duntaxat, qui tigna dolarent, ſed omnes, qui ædificarent, ff.eo.l.fieri, ccxxxv.§.fabros.

Licet inter geſta & facta videatur quædam eſſe ſubtilis differentia: attamen nihil inter geſtum & factum intereſt, ff.eo.l.verb.ſig.l.lviii.in prin.

Faciendi verbo, reddendi etiam cauſa continetur, ff.eo.l.clxxv.

Verbum facere omnem omnino faciendi cauſam complectitur: donandi, ſoluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi, ff.eo.l.ccxviii.

Facere oportere, & hanc ſignificationem habet, vt abſtineat quis ab eo facto, quod contra conuentionem fieret: & curare, ne fiat, ff.eo.l.clxxxix.

Falſum tutorem vere dici, qui tutor non eſt. ſiue habenti tutor datus ſit, ſine non: ſicut falſum teſtamentum, quod teſtamentum non eſt: & modius iniquus, qui modius non eſt, ff. de verb.ſig.l.ccxxi.

Familiæ appellatione liberi quoque continentur, ff.eo.l.xl.

Fœminarum liberos in familia earum non eſſe palam eſt: quia qui naſcuntur patris non matris familiam ſequuntur, ff.eo.l.xcvi.

Familiæ appellatio variè acepta eſt. in res, vtputa in l. xii. tabularum his verbis. ADGNATVS, PROXIMVS FAMILIAM HABETO, Ex ea familia inquit, in eam familiam, & hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat familiæ appellatio refertur ad corporis cuiuſdam ſignificationem, quod aut iure proprio familiam dicimus, plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut natura, aut iure ſubiectæ, vtputa patremfamilias, matremfamilias filiumfamilias, filiamfamilias: quique deinceps vicem eorum ſequuntur, vtputa nepotes, & neptes, & deinceps. pater autem familias appellatur, qui in domo dominium habet: recteque hoc nomine appellatur, quamuis filium non habeat. nō enim ſolam perſonam eius, ſed & ius demonſtramus. denique & pupillum patremfamilias appellamus: & cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei ſubiecta fuerunt, ſingulas familias incipiunt habere: ſinguli enim patrumfamiliarum nomen ſubeunt. idemque eueniet in eo, qui emancipatus eſt. nam & hic ſui iuris effectus, propriam familiam habet. communi iure familiam dicimus omnium adgnatorum. nam & ſi patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habent: tamen omnes, qui ſub unius poteſtate fuerunt, rectè eiuſdem familiæ

miliæ appellabuntur,qui ex eadem momo & gente proditi sunt. Item appellatur familia plurium personarum, quæ ab eiusdem vltimi genitoris sanguine proficiscuntur:sicuti dicimus familiam Iuliam,quasi à fonte quodam memoriæ.mulier autem familiæ suæ & caput & finis est,ff.de verb. sign. l.cxcv.

Ferri propriè dicimus, quæ quis suo corpore baiulat: portari ea, quæ quis in iumento secum ducit:agi ea,quæ animalia sunt,ff.eo.l.ccxxxv.in prin.

Filii appellatione omnes libros intelligimus,ff.eo.l.84.

Filii appellatione sicuti filiumfamilias contineri sæpe responsum est, ita & nepos vester comprehendi: & patris nomine auus quoq; demonstratur,ff.eo.l.cci.

Verba ista: QVIS QVIS MIHI ALIVS FILIVS FILIIVE HAERES SIT. filia continetur,quia Labeonis sententia qui verborum figuram secutus est, vera non est.sed Proculi qui mentem testantis secutus est vera est, ff. de verborum significat.l.cxvi.

Filiarum nomen & in posthumam cadit: quamuis posthumæ nomen non bene cadat in eam,quæ iam in rebus humanis est,ff.de verb.sig.l.clxiiii.in prin.

Si ita scriptum sit: FILIO FILIISQVE MEIS HOSCE TVTORES DO: masculis duntaxat tutores datos.quoniam a singulari casu,hoc est filio,ad pluralem videretur transisse,continentem eundem sexum, quem singularis prior positus habuisset.sed hoc facti,non iuris habet quæstionem. potest enim fieri, ut in singulari casu de filio senserit, deinde plenius omnibus liberis prospexisse in tutore dando voluerit.quod magis rõnabile esse videt̃,ff.eo.l. seruius.cxxii.

Frugem pro reditu appellamus non solum pro frumentis, aut leguminibus. verum & pro eo,quod ex vino vel ex syluis cæduis cretæfodinis, lapidicinis capitur.Item fruges omnes sunt quibus homo vescatur falsum est.Non enim carnes aut aues,ferasve,aut poma fruges dicimus: frumentum autem idest,quod arista in se teneat.lupinum vero & fabas fruges potius dicimus, quia non arista.sed siliqua continentur,ff.de verb.sig.l.lxxvii.

Fundum eum rectè dicimus nostrum esse, etiam cum vsusfructus alienus est, qa vsusfructus non dominii pars, sed seruitus est, vt uia & iter nec falso dictum est,meum esse,cuius non potest ulla pars dici alterius esse hoc & Iulianus,& est verius,ff.eo.l.rectè dicimus,xxv.in prin.

Fundi appellatione omne ædificium & omnis ager continetur. sed in vsu vrbana ædificia ædes rusticæ villæ dicuntur.locus vero sine ædificio in vrbe area, ñ si autem ager appellatur. idemque ager cum ædificio fundus dicit̃,ff.eo. l. ccxi.

Fundus à possessione,vel agro,vel prædio,quid distet quæstio est.fundus,est omne,quidquid solo tenetur. Ager est species fundi,qui ad usum hominis comparatur.possessio ab agro iuris proprietate distat.quidquid enim adprehendimus,cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus possessio ergo usus est,ager proprietas loci est.Prædium utriusque suprascriptæ rei generale nomen est.nam & ager, & possessio, huius appellationis species sunt,ff.eo.l.quæstio,cxv.

Fundum,qui vendidit,pomum recepit, nuces, & ficus, & uuas, duntaxat duracinas,& purpureas,& quæ eiusdem generis essent,quas non uini causa habemus, quas Græci comestibiles appellant,recepta uideri,ff.eo.l.qui fundum,ccv.

Fraus aliud est, aliud pœna. fraus enim sine pœna esse potest, pœna sine fraude esse non potest.pœna est noxæ uindicta, fraus & ipsa noxa dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio. inter multa autem & pœnam multum interest. cum pœna generale nomen sit,omnium delictorum coercitio, multa speci alis pe-

ctati:

ctati, cuius animaduersio hodie pecuniaria est. pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis, & existimationis irrogari solet. & multa quidem ex arbitrio eius venit, qui multam dicit: pœna non irrogatur, nisi quæ qua lege, vel quo alio iure specialiter huic delicto imposita est. quinimo multa ibi dicitur, vbi specialiter pœna non est imposita. Item multam is dicere potest, cui iudicatio data est. magistratus solos & præsides prouinciarum posse multam dicere, mandatis permissum est. pęnam autem vnusquisque irrogare potest, cui huius criminis siue delicti axecutio competit, ff. eo. l. aliud, cxxxi.

G

Generi appellatione, & neptis & proneptis, tàm ex filia, quàm ex filio editorum, cæterarumque maritos contineri manifestum est, ff. de verb. sig. l. cxxxvi.

Gestum: rem significat sine uerbis factum, ff. eo. l. xix. in fine.

Glandis appellatione omnis fructus continetur exemplo Græci sermonis apud quos omnes arborum species fructus arborei appellantur, ff. de verborum signific. l. ccxxxvi. in fine.

Glans caduca est, quæ ex arbore cæcidit, ff. eo. l. xxx. §. item.

H

Habere apud se quis videtur, de quo habet actionem. habetur enim quod peti potest, ff. eo l. cxliii.

Habere duobus modis dicitur: altero iure dominii: altero obtinere sine interpellatione id quod quis emerit, ff. de verb. sig. l. clxxxviii.

Hæreditas nihil aliud est, quam succesio in uniuersum ius, quod defunctus habuit, ff eo. l. nihil, xxiiii.

Hæredis appellatio non solum ad proximum hæredem, sed & ad vlteriores refertur. nam & hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione continetur, ff. eodem, l. hæredis, lxv.

Hæredem etiam per multas succesiones accipi. sciendum est, nam paucis rpeciebus hæredis appellatio proximum continet: veluti in substitutione impuberis, QVIS QVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM FILIO MEO HAERES ESTO: vbi hæredis hæres non continetur, quia incertus est, ff. eo. l. lxx. in pri.

Hæc verba IS AD QVEM EA RES PERTINET, sic intelliguntur: vt qui in vniuersum dominium iure ciuili succedit continetur, dict. l. sciendum, §. hæc verba.

Hæreditas non potest dici eius, qui apud hostes pecesit, quia seruus decesit, ff. eodem, l. tertia, §. fin.

Hæreditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hæreditatem, iuris enim nomen est, ff. eo. l. hæreditatis, cxix.

Hæreditatem lege obuenire non in propriæ quis dixerit, & eam, quæ ex testamento defertur: quia lege duodecim tabularum testamentariæ hæreditatis confer uantur, ff. eod. l. lege, cxxx.

Hæreditatem totam contineri virilis appellatione interdum dicendum est, ff. eod. l. virilis, cxlv.

Hæreditas

Hæreditas delata intelligitur, quàm quis posſit adeundo conſequi, ff. eodem, l. delata, 151.

Hæredis appellatione omnes ſignificari ſucceſſores credendum eſt, & ſi uerbis non ſint expreſſi, ff. eo. l. hæredis, 170.

Hæreditas nomen iuris eſt, quod & acceſſionem, & deceſſionem in ſe recipit. Hæreditas autem vel maximè fructibus augetur, ff. eo. l. pecuniæ, 178. §. hæreditas.

Ex illa PARTE TVM, QVEM EI HAEREDEM ESSE OPORTET, hæredis hæredibus bonorũ poſſeſsio non defertur. Item in ſubſtitutione his verbis, QVIS QVIS MIHI HAEREDES ERIT, proximus hæres tantum ſignificatur: imò non tantum proximus hæres, ſed etiam ſcriptus, ff. eod. l. ex illa, 227.

Verbis legis duodecim tabularum, VTI LEGAS SIT, SVAE REI ITA, IVS ESTO, latiſsima poteſtas tributa videtur, & hæredes inſtituendi, & legata dandi tutelas, quoq; conſtituendi, ſed interpretatione coanguſtatum eſt, vel legum, vel authoritate iura conſtituentium, ff. eo. l. uerbis, 120.

Hominis appellatione, tàm fœminam, quàm maſculum contineri non dubitatur, ff. de uerbor. ſigni. l. 152.

Hoſtes hi ſunt, qui Principi, aut quibus Princeps publicè Bellum decreuit. Cæteri latrones, aut prædones ſunt, ff. eod. l. 118.

Hoſtes quos nos appellamus, eos ueteres per duelles apellabant, per eam adiectionem iudicantes cum quibus Bellum eſſet, ff. eo. l. 234. in prin.

I

Impenſæ neceſſariæ ſunt, quæ ſi factæ non ſint, res aut peritura, aut deterior futura ſit. Vtiles impenſas eſſe Falcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, non deteriorem eſſe non ſinant, ex quibus reditus mulieri adquiratur, ſicuti arbuſti paſtinatione ultra, quàm neceſſe fuerat in his impenſis, & piſtrinum, & horreũ inſulæ dotali adiectum plerunque dicimus. Voluptariæ ſunt, quæ ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent; ut ſunt uiridia, aquæ ſalientes, incruſtrationes, loricationes, picturæ, ff. de uerb. ſig. l. 79.

Incertus poſſeſſor eſt, quem ignoramus, ff. eo. l. 39. §. fin.

Incola eſt, qui in aliquam regionem domicilium ſuum contulit, quem Græci accolam appellant, nec tantũ hi, qui in oppido morantur, incolæ ſunt: ſed etiam qui in alicuius oppidi finibus, ita agrum habent, ut intra eam, ſe quaſi in aliquam ſedem recipiant, ff. eo. l. pupillus, 239. §. incola.

Indicaſſe eſt detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, & conuiciſſe, ff. eo. l. 197.

Inſtrumentorum appellatione, quæ comprehendatur, per quàm difficile erit ſeparare. quæ enim propie ſint inſtrumenta, propter quæ dilatio danda ſit, inde dignoſcemus. ſi in præſentia perſonæ, quæ inſtruere poſsit, dilatio petatur (puta qui actum geſsit, licet in ſeruitute, uel qui actor fuit conſtitutus) putemus uideri inſtrumentorum cauſa peti dilationem, ff. eo. l. continentes, 99. §. inſtrumentorum appellatione.

Ita datum conditionem, ILLVD FACITO IN DIEBVS: ſi nihil præterea fuiſſet adiectum in biduo conditionem impleri oportet, ff. eo. l. 117. §. fin.

Itineri faciendo uigintimillia paſſuum in dies ſingulos peragenda, ſic ſunt accipienda, ut ſi poſt hanc dinumerationem minus, quàm uiginti millia ſuperſint, integrum diem occupent, ueluti ſi uiginti unum millia ſunt paſſus, biduum eis,

atribuetur;

atribuetur, quæ dinumeratio, ita demum facienda erit, si de die non conueniatur, ff. eod, l. tertia, in princ.

In stratum omne vestimentum, quod iniiciatur, continetur: neq: enim dubium est, quin stragula vestis sit omne pallium instratum inuictum ergo uestem accipiemus, non stragula: in stractu omnem stragulam vestem, ff. eo. l. 45.

Si quis sic dixit, VTI INTRA DIEM MORTIS ALIQVID FIAT: ipse quoq; dies, quo quis mortuus est numeratur, ff. de verb. sig. l. 223.

Quid aliud sunt, Iura prædiorum. quam prædia qualiter se habentia: vt bonitas salubritas amplitudo, ff. de verb. sig. l. 86.

L

Lata culpa est nimia negligentia, idest non intelligere, quod omnes intelligunt, ff. eod. l. 213. §. fin. & l. latæ, 223. in prin.

Magna negligentia culpa est: magna culpa dolus est, ff. eo. l. magna, 226.

Liberationis verbum eadem vim habet, quàm solutionis, ff. eo. l. liberationis, 47.

Liberam appellatione continentur, non tantum qui sunt in potestate, sed omnes, qui sui iuris sunt: siue virilis, siue fœmini sexus sunt, exue fœminis descendentes, ff. de uerb. sign. l. 56. §. fi.

Maiorum appellatio, & ad nepotes extenditur, ff. eod. l. 104.

Liberorum appellatione nepotes, & pronepotes cæteriq;, qui ex his descēdunt, continentur. hoc enim omnes liberorum appellatione lex duodecim tabularum comprehendit. Toties enim leges necessarium ducunt cognationem singularum nominibus vti, veluti FILII NEPOTES, PRONEPOTES, cæterorumve, qui ex his descendunt: quoties non omnibus, qui post eos sunt, præstitum uoluerint: sed solis his succurrent, quos nominatim enumerant. At vbi non personis certis, non quibusdam gradibus præstatur, sed omnibus, qui ex eodem genere orti sunt: liberorum appellatione comprehenduntur. sed & Papyrrus ait, prædio cum uillico & contubernali eius, & filiis legato, nepotes quoque ex filiis contineri: nisi uoluntas testatoris aliter se habeat. filii enim appellatione sæpe, & nepotes accipi, multifariam placuit. Diuus quoq; Marcus scripsit, non uideri sine liberis defunctum, qui nepotem suum hæredem reliquit. præter hæc omnia natura nos quoq; docet parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & uoto uxores ducunt, filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, contineri. nec enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quàm filii appellare. Etenim idcirco filios filiasve concipimus, atq; edimus, ut ex prole eorum, eorumve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus, ff. eod. l. 220.

Sine liberis non est, cui vel vnus filius vnave filia est. hæc enim enuntiatio, HABET LIBEROS semper pro pluratiuo numero profertur, sicut & pugilares codicilli. Nam quem sine liberis esse, dicere non possumus: hunc necesse est, ut dicamus liberos habere, ff. eo. l. non est, 148. & l. sequen.

Si porteutosum, vel morstrosum, vel debilem mulier ediderit, vel qualem visu, vel vagitu nouum, non humanæ figurę, sed alterius magis animalis, quàm hominis partum: magis est, vt hæc quoque patribus prosint. nec enim est, quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt, statutis obtemperauerunt: neque id, quod fataliter accessit, matri damum iniungere debet, ff. eod. l. 135.

Lignorum

Lignorum & carbonum appellatione materia non continetur. non enim lignorum gratia habuit. ticiones vero & alia ligna cocta ne fumum fiant, neq; ligno, neq; carboni, sed suo generi adnumerabimus quia magis est, vt proprium genus habeatur sulfurata quoq; de ligno æquè eadem habebunt appellationem ad faces quoq; parata non erunt lignorum appellatione comprehensa, nisi hęc fuerit uoluntas. idem etiam de nucleis oliuarum, sed & de balanis est, vel si qui alii nuclei sunt. de pinu autem integri strobili ligni appellatione continebuntur, ff. de verb. sig. l. 167.

Pali, & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt: & ideo lignorum appellatione non continentur, ff. eo. l. 168.

Litis nomen omnem actionem significat, siue in rem siue in psonam sit, ff. eo. l. 36.

Littus est, quousque maximus fluctus à mari peruenit: idque Marcum Tullium aiunt, cum arbiter esset, primum constituisse, ff. eo. l. 96.

Littus publicum est eatenus, quàm maximè fluctus exestuat, idem iuris est in lacu, nisi is totus priuatus est, ff. eo. l. littus, 112.

Locuplex est, qui satis idonee habet pro magnitudine rei, quàm actor restituendam esse petit, ff. eo. l. 234. §. locuplex.

Locus est non fundus, sed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid est & plerunque locum sine villa accipimus. cæterum adeo opinio nostra, & constitutio locum à fundo separat, vt & modicus locus posit fundus dici, si fundi animo eum habuimus non etiam magnitudo locum à fundo separat, sed nostra affectio: & quælibet portio fundi poterit fundus dici, si iam hoc constituerimus. nec non & fundus locus constitui potest. nam si eum alii adiunxerimus fundo: locus fundi efficietur. Loci appellationem non solum ad rustica, verum ad urbana quoque prædia pertinere, Labeo scribit. sed fundus quidē suos habet fines: locus uerò latere potest, quatenus determinetur, & definiatur, ff eod. l. locus, 60.

M

Magistri appellantur hi, quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis, q̄ cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus quibus præsunt debent: quin etiam & ipsi magistratus per deriuationem à magistris cognominantur, vnde etiam cuiuslibet disciplinæ præceptores magistros appellamus à monendo uel monstrando, ff. de verbo. sign. l. 57.

Maior pars cuiusq; diei est horarum septem primarum dies non supremarum, ff. eod. l. secunda, in fine.

Maiore parte anni possedisse quis intelligitur etiam si duobus mensibus possederit: si modo aduersarius eius, aut paucioribus diebus, aut nullis possederit, ff. de verbor. signifi. l. 156.

Matrem familias accipere debemus eam, quæ honestè vixit, Matrem enim familias a cæteris fœminis mores discernunt, atq; separant. Proinde nihil intererit, nupta sit an uidua, nam nuptiæ non faciunt Matres familiarum, sed boni mores, ff. eo. l. 46. §. matremfamilias.

Mercis appellatio ad res mobiles tantum pertinet, ff. eo. l. 66.

Meorum & tuorum appellatione actiones quoque contineri dicendum est, ff. eodem, l. meorum, 91.

Mille

Mille passus non à muro vrbis, sed a continentibus ædificiis numerandi sunt, ff. de verbor. signifi. l. 154.

Minus soluit, qui tardius soluit, nam & tempore minus soluitur, ff. eo. l. 12. §. fina.

Minus solutum intelligitur etiam si nihil est solutum, ff. eo. l. 32.

Minus soluisse non potest videri is, in quem amplioris summæ actio non competit, ff. eodem, l. 117.

Morbum esse temporalem corporis imbecillitatem uerum est: uitium uero perpetuum corporis perpetuum impedimentum. Veluti si talum excussit, ita luscus vtique uitiosus est, ff. de uerb. sig. l. 101. §. uerum.

Morbus sonticus est, qui cuiq; rei nocet, ff. eo. l. 113.

Mortui, qui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur: quia nunquam liberi appellari potuerunt, ff. eo. l. qui, 129.

Mortis tempore fuisse intelligendus est, qui in utero relictus est, ff. eodem, l. intelligendus, 153.

Mouentium item mobilium appellatione idem significamus: si tamen apparet, defunctum animalia duntaxat, quæ se ipsa mouerent, mouentia vocasse, ff. de verborum significa. l. 93.

Mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur, ff. eo. l. 13. in prin.

Mulier ea cum moreretur, creditur filium habere, quæ exciso utero edere possit. nec non etiam alio casu mulier potest habere filium, quem mortis tempore non habuit, vtputa eum, qui ab hostibus captus remeauit, ff. eod. l. etiam, 141.

Munus publicum est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos vniuersosq; ciues remque eorum Imperio magistratus extraordinario peruenit, ff. eod. l. pupillus, 239. §. munus.

Munus tribus modis dicitur. uno donum, & inde munera dici dari militive. altero onus, quod cum remittatur, uocationem militiæ munerisq; præstat: inde immunitatem appellari. tertio officium, unde munera militaria, & quosdam milites munifices uocari. igitur & municipes dici, quod munera ciuilia capiant, ff. eodem l. munus, xviii.

Munus propriè est, quod necessario subimus, lege, more, Imperiove eius, qui iubendi habet potestatem. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate, iure, officio, sed sponte præstantur, quæ si non præstentur, nulla reprehensio est: & si præstentur, plerunq; laus inest, sed in summa in hoc uentum est, ut non quodcunque munus, id & donum accipiatur. at quod donum fuerit, id munus recte dicatur, ff. eodem, l. munus, 214.

Municipes intelligendi sunt, & hi, qui in eodem municipio nati sunt, ff. eodem, l. municipes, 228.

N

Natorum appellatio & ad nepotes extenditur, ff. eo. l. natorum, 104.

Negantibus duobus uerbis, quasi pmittit lex magis, q̃ prohibet, ff. de uer. si. l. 237.

Noualis est terra præcisa, quæ anno cessauit, quam Græci noualem agrum vocãt. Integra autem est, in qua nondum dominus pascendi gratia pecus immisit, ff. eod. l. sylua, 30. §. noualis.

Nominis appellatione res significatur, ff. eo. l. quarta.

Nominis & rei appellatio ad oẽm cõtractũ, & oblõnẽ ptinet, ff. eo. l. sexta, ĩ prin.

Notionem accipere debemus, & cognitionem, & iurisdictionem, ff. de verborum signifi. l. 99. in princ.

Noxæ appellatione omne delictum continetur, ff. de verb. sig. l. 238. § fin.

Nurus appellatio etiam ad pronurum & vltra porrigenda est, ff. de verb. sig. l. 50.

Nuptiæ primæ significantur hoc sermone DVM NVPTA ERIT, ff. eodem, l. boues, 89. §. hoc sermone.

O

Opere locato, vel conducto, his verbis significari Labeo ait, id opus, quod Græci, affectum vocant, non opus, idest, ex opere facto corpus aliquod perfectum, ff. eod. l. quinta, §. opere.

Oportebit verbum, tàm præsens, quàm futurum tempus significat, ff. de verbor. sign l. verborum, 8. in princ.

OPORTERE verbum non ad facultatem iudicis pertinet, qui potest vel pluris, uel minoris condemnare, sed ad veritatem refertur, ff. eo. l. uerbum, 37.

Oppidum ab ope dicitur, quod eius rei causa mænia sunt constituta, ff. eodem, l. 239. §. oppidum.

Qui vti optimæ, maximæq; sunt ædes tradit, non hoc dicit seruitutem illis deberi: sed illud solum ipsas ædes liberas esse, hoc est nulli seruire, ff. de ver. si. l. 90.

Si cum fundum tibi darem legem ita dixi, VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, & adieci, ius fundi deterius factum non esse per dominum præstabitur, amplius eo præstabitur, nihil si prior pars, qua scriptum est, VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, liberum esse significat, eoque si posterior pars adiecta non esset, liberum præstare debere: tamen inferiore parte satis me liberatum puto (quod ad iura attinet) ne quid aliud præstare debeam, quam ius fundi per dominum deterius factum non esse, ff. eo. l. 126.

Non tantum in traditionibus, sed & in emptionibus, & stipulationibus, & testamenti adiectio hæc VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, hæc significat, vt liberum præstetur prædium non ut ẽt seruitutes ei debeant, ff. eo. l. 169.

Illa verba OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, vel in eum cedere possunt, qui solus est, sic & circa edictum prætorii. Supremæ tabulæ habentur etiam solæ, ff. eodem, l. 163. in princ.

Ornamenti appellatione signatorius, anulus non continetur, ff. de uerbo. sig. l. 74.

Ostentum est omne contra naturam cuiusque rei genitum factumq;. duo autem genera sunt ostentorum: vnum quoties quid contra naturam nascitur: tribus manibus fortè, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est. Alterum cum quid prodigiosum videtur; quæ Græce visiones quodammodo prodigiosæ vocantur, ff. eo. l. 38.

P

Palàm est, coràm pluribus, ff. de verb. sig. l. 33.

Parentis appellatione non tantum pater, sed etiam auus & proauus & deinceps omnes superiores continentur, sed & mater, & auia, & proauia, ff. eo. l. 51.

Peperisse falsum est eam, cui mortuæ filius extractus est, ff. eo. l. 132. § fin.

Paries est, siue murus, siue materia est. Itē via est, siue semita, siue iter est, ff. e. l. 157.

Partis appellatione res pro indiuiso significatur, nam pro diuiso, quod nostrum sit, id non partem, sed totum esse Seruius non in eleganter partis appellatione vtrunque significari affirmat, ff. eo. l. 25. §. fin.

Pecuniæ verbum non solum numeratam pecuniam complectitur verum omnem omnino pecuniam, hoc est omnia corpora. Nam corpora quoque pecuniæ appellatione contineri, nemo est, qui ignoret, ff. eo. l. 178. in prin.

Pecuniæ nomine, non solum numerata pecunia, sed etiam omnes res, tàm soli, quàm mobiles, & tàm corpora, quàm iura continentur, ff. eo. l. 222.

Propemodum tantum quis pecuniæ relinquit, quantum ex bonis eius refici potest; sic diximus centum aureorum habere, quo tantum in prædiis cæterisque similibus rebus habent. Non idem est in fundo alieno legato. quamquam is fundus hæreditaria pecunia comparari potest: nec quisquam eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit, quidquid ex ea parari potest, ff. eodem, l. 88.

Cùm stipulamur QVANTA PECVNIA EX HAEREDITATE LVCII TITII AD TE PERVENIT: res ipsas, quæ peruenerunt non precia earum spectare videmur, ff. eo. l. cum stipulamur, 97.

Pellicem Antiqui eam habebant, quæ cum uxor non esset cum aliquo tamen viuebat, sed nunc vero nomine amica paulo honestiore concubina appellatur. C. E. Læcus scribit pellicem nunc vulgo uocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat quosdam eam, quæ uxoris loco sine nuptiis ī domo sit, ff. eo. l. 144.

Penes te amplius est, quam apud te. Nam apud se est, quod qualiter à te teneatur, penes te est, quod quodammodo possidetur, ff. eo. l. 63

Perfecisse ædificium is videtur qui ita consumauit, vt iam in usu esse possit, ff. eodem, l. 139. in fine.

PERIISSE verbo & scisum, & factum, & viruptum continetur, ff. eo. l. 9.

Pernoctare extra urbem intelligendus est, qui nulla parte noctis in urbe est. Per enim totam noctem significat, ff. eo. l. 166. in fine.

PERTINERE verbum latissimè patet. Nam & eis rebus petendis aptum est, quæ Dominii nostri sunt, & eis, quas iure aliquo possidemus, quamuis nō nostri Dominii sint, PERTINERE ad nos etiam ea dicimus, quæ in nullo eorum causa sint, sed esse possint, ff. eo. l. 181.

Verba hæc IS AD QVEM EA RES PERTINET sic intelliguntur, vt qui in vniuersum Dominium succedit contineatur, ff. de verb. sig. l. 70 §. fin.

Peruenire propriè illud dicitur, quod est remansurum, ff. de verbor. significa. l. 71. vel 74. in princip.

Peruenisse rectè ad te dicitur, quod per te ad alium peruenerit, vt in hæreditate per filium patri eius adoptiuo adquisita responsum est, ff. eo. l. 171.

Peruenisse ad hæredem nihil intelligitur, nisi deducto ære alieno, ff. eo. l. 165.

Plebs est cæteri ciues sine senatoribus, ff. eo. l. plebs, 238. in prin.

PLVRISVE Hæc adiectio non infinitam pecuniam continet, sed modicam ut taxatio hæc SOLIDORVM DECEM PLVRISVE ad minutulam summam referatur, ff. eod. l. 192

Hæc enuntiatio QVAE SVNT PLVRI AVREORVM TRIGINTA: simul & quantitatis, & æstimationis significatiua est, ff. de uerb. sig. l. 232.

Plumbum, quod tegulis poneretur ædificii esse, ait Labeo: sed id, quod hypæthrhi tegendi causa poneretur, contra esse, ff. eo. l. malum, 242 §. plumbum.

Pœna si qua est, multa est: si qua multa est, pœna est. PAVLVS. vtrunque eorum falsum est. namque harum rerum dissimilitudo, ex hoc quoque apparet, quod de pœna prouocatio non est. simulatque enim victus quis est, eius maleficii, cuius pœna est statuta, statim ea debetur. At multæ prouocatio est: nec ante debetur, quàm aut non est prouocatum, aut prouocator victus est: nec aliter quàm si is dixit, cui licet dicere. Ex hoc quoque earum rerum dissimilitudo apparere poterit, quia pœnæ certæ singulorum peccatorum sunt: multæ contra, quia eius iudicis potestas est quátam dicat: nisi cum lege est constitutum, quantam dicat, ff. eod. l. si qua. 244.

Portionis nomen non semper dimidiam, significat, sed prout adiectum est. potest enim iubere aliquis & maximam partiri: potest & uicesimam & tertiam & put libuerit, sed si non fuerit portio adiecta dimidia pars debetur, ff. eo. l. 164. §. 1.

Portus appellatus est conclusus locus, quo importantur merces, & inde exportantur, eaque nihilominus statio est conclusa, atque munita. Inde angiportum dictum est, ff. de verb. sig. l. 59.

Proprietatem interdum quoque verbum possessionis significat: sicut in eo, qui possessiones suas legasset responsum est, ff. eo. l. 48.

POTESTATIS verbo in persona magistratuum Imperium significat in persona liberorum patria potestas, ff. eo. l. 215.

Pratum est, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus est: Ex eo dictũ quod paratum sit ad fructum capiendum, ff. de verb. sig. l. 32. 31.

Prædia dicimus aliquorum, esse non vtique communiter habentium ea, sed vel alio, aliud habente, ff. eo. l. 96. in fine.

Præuaricatores eos appellamus, qui causam aduersariis suis donant, aut ex parte actoris in partem res cedunt. à varicando enim præuaricatores dicti sunt, ff. eodem, l. ccxii.

Princeps bona concedendo vr̃ etiam obligationes concedere, ff. eo. l. princeps, 21.

Probum & obprobrium idem est. Proba quædam natura turpia sunt, quædam ciuiliter, & quasi morte ciuitatis: vtputa furtum, adulterium, natura turpe est. Enimvero tutelæ damnari hoc non natura probrum est, sed more ciuitatis. nec enim natura probum est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere, ff. eodem, l. xlii.

Inter proiectum & immissum hoc interest, quod proiectum esset id, quod ita proueheretur, vt nusquam requiesceret: qualia mœniana, & subgrundæ essent immissum autem, quod ita fieret, vt aliquo loco requiesceret, veluti, ligna, trabes, quæ immitterentur, ff. eod. l. 242. §. primo.

Pronunciatum & statutum idem dici potest: promiscue enim & pronunciasse, & statuisse solemus eos dicere, qui ius habent cognoscendi, ff. eo. l. 46. in princ.

Prouinciales eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent: nõ eos qui ex prouincia oriundi sunt, ff. eo. l. 190.

Proximus est, quẽ nemo antecedit, supmus est, quẽ nemo seqtur, ff. de ver. sig. l. 92.

Proximus agnatus intelligit̃ etiam, qui solus est, quem nemo antecedit, ff. eodem, l. x. §. primo, & l. 115.

Bona ciuitatis abusiuè publica dicta sunt. sola enim ea publica sunt, quæ Populi Romani sunt, ff. eod. l. 15.

Inter publica habemus non sacra, nec quæ publicis vsibus destinata sunt, sed si qua sunt velut ciuitatum bona, ff. eo. l. 17.

Publicanum appellamus eum, qui vectigal Populi Romani conductum habet.

Nam

Nam publica appellatio in compluribus causis ad Pop.Rom. respicit. ciuitates enim priuatorum loco habentur,ff.eo.l.16.

Pueri appellatione etiam puella significaẗ: nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu,ff.de verb.sig.l.163.§.pueri.

Puerum contrario nomine puellæ dicimus: Et cum ætatem puerilem demonstramus,ff.eo.l.204.

Pupillus non est,qui in utero est,ff.eo.l.16.

Pupillus est, qui cum impubes est, desiit in patris potestate esse, aut morte, aut emancipatione,ff.eo.l.pupillus,239.in princ.

Q

Si quis uerbum,tam masculos,quàm fœminas complectitur,ff.de uer.si.l. prima.

Pronunciatio sermonis in sexu masculino ad utrunque sexum plerunque porrigitur,ff.eo.l.195.

R

RECTE PRAESTARI. verba hoc significatur ne quod periculum vel damnū ex ea re stipulator sentiret,ff.eo.l.71.aut 75.in fine.

RECTE EAM REM RESTITVI: verba in stipulatione posita fructus continent. RECTE enim verbum pro uiri boni arbitrio est,ff.eo.l.73.

REDDENDI verbum quamquam significatum habeat retro dandi recipit tamē & per se dandi significationem,ff.eo.l.94.

REI appellatio latior est,quam pecuniæ, quia etiam ea, quæ extra computationem patrimonii nostri sunt continet: cum pecuniæ significatio ad ea referatur,quæ in patrimonio sunt,ff.de verb.sig.l.quinta,in prin.

REI appellatione & causæ & iura continentur,ff.eo.l.23.

REI appellatione pars etiam continetur,ff.eo.l.appellatione,72.

Rem amisisse videtur,qui aduersus nullum eius persequendæ actionem habet, ff. eodem,l.14.§.fin.

Reliquorum appellattio potest,& vniuersos significare,ff.eo.l.potest,95.

Inter hæc verba, QVANTI RES ERIT, vel QVANTI EAM REM ESSE PARET, nihil interest. in utroque enim clausula placet ueram rei æstimationem fieri,ff.eo.l.inter,179.

Hæc verba, QVANTI EAM REM PARET ESSE, non ad id, quod interest,sed ad rei æstimationem referuntur,ff.eo.l.hæc verba,193.

In restitutione plus est,quàm in exhibitione.nam exhibere est præsentiam corporis præbere.restituere est etiam possessorem facere,frunctusque reddere. pleraq; præterea restitutionis verbo continentur,ff.eod.l.plus est,22.

Restituere is intelligitur,qui simul & causam actori reddit quam is habiturus esset,si statim iudicii accepti tempore res ei reddita fuisset.idest vsucapionis causam & fructuum,ff.eo.l.35.

Restituere videtur is, qui restituit, quod habiturus esset actor si controuersia ei facta non esset,ff.eo.l.75.

Vt opus FACTVM RESTITVATVR cū ptor ait ēt dānū datū actor cōseq. dēt, uerbo.n. RESTITVTIONIS oīs utilitas actoris cōtinetur.ff.de ver.sig.l.lxxxi.

Restituit non tantum, qui solum corpus, sed etiam qui omnē rem conditionemq; reddita causa præstat, & tota restitutio iuris interpretatio est, ff. eo. l. ulti. §. fina.

Roma continentibus ædificiis finitur, quod latius patet, vrbis vero appellatio muris, ff. eo. l. secunda, in princ. & l. 87.

Nam Romam non muro tenus existimari ex consuetudine quotidiana potest intelligi cum dicamur nos Romam ire etiam si extra vrbem habiteremus, ff. eodem, l. 87. §. nam Romam.

Romæ Aedificia fieri etiam ea uidentur, quæ in continentibus ædificiis fiant, ff. eodem, l. 139.

Romæ nati intelliguntur, qui in continentibus vrbis nati sunt, ff. eo. l. 144.

In Rutis cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili tectoriove non continentur, ff. eod. l. in rectis, 241.

S

Satisdationis appellatione interdum etiam repromissio continebitur, qua contentus fuit is, cui satisdatio debebatur, ff. eo. l. satisdationis, l. 61.

Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur, ff. eo. l. sequester. cx.

Sylua cedua est, quæ succisa rursus ex stipibus, aut radicibus renascatur, ff. de verborum sign. l. 30. in princip.

Sylua pascua ea est, quæ pascuis pecudum destinata est, d. l. xxx. §. fin.

Singulari appellatione frequenter vtimur in usu iuris cum plura generis eiusdem significare volumus: nam & multum hominem venisse Romam, & piscem vilem esse dicimus. Item in stipulando satis habemus de hærede cauere. SI EA RES SECVNDVM ME, HAEREDEMVE MEVM IVDICATA ERIT: Et rursus QVOD OB EAM REM TE HAEREDEMVE TVVM: nempe æque & si plures hæredes sint continent stipulatione, ff. de ver. si. l. 158.

Stracturam loci alicuius ex tabulis factis, quæ æstate tollerentur, & hyeme ponerentur, ædium esse, ait Labeo quoniam perpetui usus causa paratæ essent: neq; ad rem pertinere, quod interim tollerentur, ff. eo. l. 242. §. stracturam.

Statuæ adfixæ basibus structilibus, aut tabulæ religatæ catenis, aut erga parietem adfixæ, aut si similiter cohærent lychni: non sunt ædium. ornatus enim ædium causa parantur, non quo ædes perficiantur. Item Labeo ait, prothyrum quod in ædibus fieri solet, ædium est, ff. eo. l. statuæ, 245.

Soceri & socrus appellōne auū quoq; & auiā vxoris, vel mariti cōtinet, ff. e. l. 146.

Soluendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest soluere, ff. eo. l. 144.

Solutum minus intelligitur etiam si nihil esset solutum, ff. eo. l. minus, 32.

Si ita à te stipulatus fuero, QVANTO MINVS A TITIO CONSECVTVS FVERO TANTVM DARE SPONDES? non solet dubitari, quin si nihil à Titio fuero consecutus, totum debeas, ꝙ Titius debuerit, ff. eo. l. si ita, 150.

Solutum non intelligimus eum, qui licet vinculis leuatus sit, manibus tamen tenetur, ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico, sine uinculis seruatur, ff. de verb. sig. l. 48.

Solutionis uerbo satisfactionem quoque omnem accipiendam placet, soluere dicimus eum, qui id facit, quid facere promisit, ff. eod. l. solutionis, 176.

Verbum

Verbum SOLVTO MATRIMONIO DOTEM REDDI, non tantum diuortium sed & mortem continet ut eo pacto, nullo casu remaneret dos apud maritum, ff.eod.l.cum quærebatur,240.

Spadonum generalis appellatio est: quo nomine tam hi, qui natura spadones sunt, item thlibiæ thlasię, sed & si, quod aliud genus spadonum est continentur, ff.eod.l.128.

Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas vtriusque sexus. Item eorum qui ornamentis Senatorum vtuntur, ff.de uerb.sig.l.100.

Sponsio appellatur non solum quæ per sponsi interrogationem fit, sed omnis stipulatio promissioque, ff.eod.l.7.

Stipendium à stipe appellatum est, quod per stipes idest modica res colligatur. Idem hæc etiam tributum appellatur. Et sanè appellatur à contributione tributum, uel ex eo, quod militibus tribuatur, ff.eod.l.27.

Stipula illecta est, spicæ in messem deiectæ, nec dum lectæ, quas rustici cum vacauerint colligunt, ff.eod.l.30.§.1.

Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est. Nam veteres subsignationis uerbo pro subscriptione vti solebant, ff.eod.l. 39. in prin.

In substitutione, qua ei, qui supremus morietur, hæres substituitur: rectè substitutus, & unico intelligitur exemplo duodecim tabulorum, ex quibus proximus adgnatus & solus habetur, ff.eod.l.162.in prin.

Quod dicimus eum, qui nasci speratur pro superstite esse: tunc uerum est cùm de ipsius iure quæritur aliis autem non prodest nisi natus sit, ff.eod.l.231.

Suum verbum. Ambiguum est utrum de toto, an de parte significet. Et ideo, qui iurat suum non esse adiicere debet, neque sibi commune esse, ff. de uerb. sign. l.239.§.fin.

T

Tabernæ appellatio declarat omne vtile ad habitandum ædificium nempe ex eo quod tabulis clauditur, unde Tabernacula & contubernales dicti sunt, ff.de verbo.sig.l.183.cum l.seq.

Tabernam instructam sic accipimus, quæ & rebus, & hominibus ad negotiationē paratis constat, ff.eod.l.instructam,185.

Terra integra autem est, in qua nondum dominus pascendi gratia pecus immisit, ff.eod.l.30.§.integra.

Telum uulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, ut & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: dictumque ab eo, quod in longinquum mittitur, Gręca voce figuratum ab eo, quod est longe & hanc significationem inuenire possumus & in Græco nomine nam quod nos telum appellamus, illi telum appellant, ff. eod.l.si cauilletur,233.§.telum.

Ter enixa uidetur etiam, quæ tergeminos peperit, ff. eod.l.137.

Territorium est vniuersitas agrorum intra fines cuiusque ciuitatis, quod ab eo dictum quidam aiunt quod magistratus eius loci intra eos fines terrendi, idest summouendi ius habent, ff.de uerb.sig.l.239.§.penul.

Transacta finitave, intelligere debemus non solum de quibus controuersia fuit, sed etiam, quæ sine controuersia sunt possessa, vt sunt iudicio terminata, transactione

factione posita longioris temporis silentio finita, ff. eod. l. 229. cum l. seq.

Tigni appellatione in lege duodecim tabularum omne genus materiæ, ex qua ædificia constant, significatur, ff. eod. l. tigni, 62.

Intestatus est, non tantum, qui testamentum non fecit, sed etiam cuius ex testamẽto hæreditas adita non est, ff. eod. l. intestatus, 64.

Cum in testamento scriptum esset, ut hæres in funere, aut in monumento duntaxat aureos centum consumeret: non licet minus consumere si amplius vellet; licet, neque ob eam rem contra testamentum facere uidetur, ff. eod. l. cum in testamento, 202.

Tugurii appellatione omne ædificium, quod rusticæ rei magis custodiendæ conuenit quàm quod Vrbanis ædibus significatur. Offilius vero ait tugurium tecto, tanquam tegularium, esse dictum: vt toga, quod ea tegamur, ff. de uerb. signifi. l. 180.

V

Venenum, qui dicit, adiicere debet vtrum malum, an bonum sit, nam & medicamenta venena sunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam eius cui adhibitum esset, mutat: cum id, quod nos venenum appellamus, Græci venenum, ff. eod. l. qui venenum, 236.

Vestis appellatione tam virilis quàm muliebris & Scenica, etiam si tragica aut cytharedica sit, continetur, ff. de uerb. sig. l. 127.

Verbo uictus continentur, quæ esui, potui, cultuique corporis, quæque ad viuendum homini necessaria sunt uestem quoque victus habere vicem Labeo ait. Et cætera quoque quibus tuendi curandive corporis nostri gratia vtimur ea appellatione significantur, ff. eod. l. 43. cum l. seq.

Viduam non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem quæ uirum non habuisset appellamus: quia vidua sic dicta est, quasi vicors, vesanus qui sine corde aut sanitate esset: similiter vidua dicta est sine duitate, ff. eo. l. 242. §. vidua.

Vinctus, aut in uinculis non est is, qui in carcerem clausus est: nisi corpori eius vincula sint adhibita, ff. de verb. sig. l. 216.

Vinculorum appellatione uel priuata uel publica vincula significantur: custodiæ uero tantum publica custodia, ff. eod. l. 224.

Verbum viuere non ad cibum tantum pertinet, sed vestimenta & stramenta continet sine his. n. nemo viuere potest, ff. de verb. sig. l. 234. in fine.

Vrbana prædia omnia ædificia accipimus: non solum ea, quæ sunt in oppidis, sed & si fortè stabula sunt, vel alia meritoria in villis, & in vicis, vel si prætoria voluptati tantum deseruientia, quia Vrbanum prædium non locus facit, sed materia. Proinde hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum est in Vrbanorum appellatidne contineri. Planè si plurium horti in reditu sunt (vinearii fortè, uel etiam olitorii) magis hæc non sont Vrbana, §. eod. l. 198.

Vrbs ab vruo appellata est. Vruare est aratro definire. Et Varus ait vruum appellari curuaturam aratri, quod in Vrbe condenda adhiberi solet, ff. eodem. l. 239. §. vrbs.

Vendidit, qui fundum, & pomum recepit, nuces & ficus & vuas duntaxat duracinas,

nas,& purpureas,& quæ eius generis essent, quas non vini causa habemus, ff. eodem.l.205.

DE REGVLIS IVRIS. Tit. IIII.

A

ABSENTIA eius,qui Reipublicæ causa abest:neque ei,neque alii damnosa esse debet,ff.de reg.iur.l.cxl.

Absurdum est plus iuris habere eum, cui legatus sit fundus quàm hæredem aut ipsum testatorem si uiueret, ff.eo.l.160.§.absurdum.

Actionem qui habet ad rem recuperandam,ipsam rem habere videtur,ff.eod.l.15.

Accipitur pro facto in omnibus causis id, in quo per alium mora est, quo minus fiat,ff.eod.l.39.

Actiones plures. Quoties concurrunt eiusdem rei nomine: vna tantum quis experiri debet,ff.de reg.iur.l.nemo.43.§.actiones.

Si in duabus actionibus alibi summa maior alibi infamia est: præponenda est causa existimationis. Vbi autem æquiparantur famosa iudicia: & si summam disparem habeant: pro paribus tamen accipienda sunt,ff.eod.l.104.

Actionem quis non habeat,nihil interest,ipso iure, an per exceptionem infirmetur,ff.eod.l.nihil.112.§.actionem.

Actionem cum prætor dat in hæredem,quatenus ad eum peruenit: sufficit, si uel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti,ff.eod.l.127.

Actiones,nunquam,præsertim pœnales de eadem re concurrentes,alia aliam cōsumit,ff.eod.l.130.

Actiones,quæ morte aut tempore omnes pereunt, semel inclusæ iudicio, saluæ permanent. Nam uidetur perfectè cuiuscunque id esse, quod ex casu auferri potest,ff.eod.l.omnes,139.

Actiones cui damus,eidem & exceptionem competere multo magis,quis dixerit ff.eod.l.inuitus,clvii.

Actori non debet licere,quod reo non permittitur,ff.eod.l.41.in prin.

Actus legitimi,qui non recipiunt diem uel conditionem: veluti emancipatio,acceptilatio,hęreditatis aditio, datio tutoris: in totum uitiantur, per temporis uel conditionis adiectionem. Nonnumquam tamen actus suprascripti tacitè recipiunt,quæ aperte comprehensa vitium adferunt. Nam si acceptum feratur, ei qui sub conditione promisit: ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur,si obligationis conditio extiterit,quæ si uerbis nominatim acceptilationis comprehendatur,nullius momenti faciet actum,ff.eod.l.77.

Accepisse potest videri si quis obligatione liberatus sit. Non tamen potest uideri accepisse, qui stipulatus potest exceptione submoueri, ff. eodem.l.si quis, 115.§.accepisse.

Alienare qui potest inuitis: multomagis,& ignorantibus,& absentibus potest,ff. eodem.l.26.

Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem,ff.eodem.l.119.

Aliena rei nemo expromissor idoneus videtur,nisi si cum satisdatione, ff.eodem. l.ex.§.nemo.

Alieno

Alieno nomine nemo lege agere poteſt. Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat, ff. eod. l. 123.

Alienare cum quis poſsit, poterit & conſentire alienationi. Cui autem donare non conceditur: probandum erit, nec ſi donationis cauſa conſenſerit, ratam eius voluntatem habendam, ff. eod. l. 165.

Alienam rem qui defendit, nunquàm locuplex habetur, ff. eod. l. 166.

Amittere non uidetur rem, cuius propria non fuit, ff. eod. l. 83.

In ambiguis orationibus maximè ſententia ſpectanda eſt eius, qui eas protuliſſet, ff. eodem. l. 96.

In totum omnia quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi uera & certa ſcientia perfici poſſunt, ff. eod. l. 76.

Generaliter probandum eſt ubicunque in bonæfidei iudiciis confertur in arbitrium Domini uel procuratoris eius condicio, pro boni viri arbitrio hoc habēdum eſt, ff. eod. l. 22.

B

In omnibus cauſis id obſeruatur, ut vbi perſonæ conditio locum facit beneficio ibi deficiente, ea beneficium quoque deficiat ubi uero genus actionis id deſiderat, ibi ad quemuis perſecutio eius deuenerit non deficiat ratio auxilii, ff. eod. l. inomnibus, lxviii.

Beneficium inuicto non datur, ff. eod. l. 69.

Beneficium quaſi uiuenti Cæſar dedit, non uidetur Principem iam defuncto conceſsiſſe quem tamen modum eſſe, ff. eod. l. 191.

Bonafides non patitur, vt bis idem exigatur, ff. eod. l. 57.

Bonafides tantundem poſsidenti præſtat, quantum ueritas, quoties lex impedimento non eſt, ff. eod. l. 136.

Bonæfidei poſſeſſor eſt, Qui authore iudice comparauit, ff. eod. l. 137.

Bonamfidem in contractibus conſiderari æquum eſt, C. de obligat actio, l. 4.

In bonis non eſt, qnod euincitur, ff. eod. l. 190.

C

Calore iracundiæ quidquid uel fit, uel dicitur: non prius ratum eſt quam ſi perſeuerantia apparuerit iudicium animi fuiſſe, ideoque breui reuerſa vxor nec diuortiſſe uidetur, ff. eod. l. 48.

Caucionis plus in rem eſt, quam in perſonam, ff. eod. l. 25.

Capere non videtur id quiſque, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere, ff. eod. l. 51.

Cauillationis ea eſt natura, quā Græci acerualē, Item ſyllogiſmum appellant, ut ab euidenter ueris per breuiſsimas mutationes diſputatio ad ea, quæ euidenter falſa ſunt, producatur ff. eod. l. 65.

Cauſę ubicunque cognitio eſt, ibi prętor deſideratur, ff. eod. l. 105.

Non capitur, qui ius publicum ſequitur. Non uidentur, qui errant, conſentire, ff. eod l. nihil, 116. §. non capitur.

Cœpiſſe non uidetur, qui per exceptionem à petitione remouetur, ff. e. l. 13.

Commmoda cuiuſque rei eum, ſequi eum ſecundum naturam eſt, quem ſequuntur incommoda, ff. eod. l. x.

Condem-

Nemo qui condemnare poteſt, abſoluere non poteſt, ff. eod. l. 37.

Qui contrahit cum alio, uel eſt, uel debet eſſe non ignarus conditionis eius, hæredi aũt hoc imputari non poteſt, cũ non ſpõte cũ legatariis cõtrahat, ff. e. l. 19.

Circumuentio alterius alii non præbet actionem, ff. eod. l. 49.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam: mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negocia geſta, ff. eod. l. 50.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam, dolum tantum: depoſitum, & precarium, dolum & culpam; mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutela, negocia geſta. in his quidem & diligentia. Sed & ſocietas & rerum communio dolum & culpam recipit: Sed hæc ita; niſi ſi quid nominatim conuenit, uel plus, uel minus in ſingulis contractibus nam hoc ſeruabitur, quod initio conuenit (legem. n. contractui dedit) excepto eo, quod Celſus putat, non ualere, ſi cõuenerit; ne dolus præſtetur. hoc. n. bonæfidei iudicio contrarium eſſe, & ita vtimur. Animalium, uero caſus, morteſque, quæ ſine culpa accidunt; rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præſtantur, ff. de reg. iur. l. 23.

Conuentione priuatorum, quidquam immutandum non eſt; quamuis obligationum cauſæ pactione poſsint immutari, & ipſo iure, & per pacti conuenti exceptionem: quia actionum modus, vel lege uel per prætorem introductus priuatorum pactionibus non infirmatur: niſi tunc, cum inchoatur actio, inter eos conuenit, ff. eod. l. 27.

Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt. Cæterum ſi dolus & calliditas interceſsit, de dolo actio competit eſt, ff. eod. l. 47.

Cognitionem cauſę omnia quæcunque deſiderant, per libellum expediri non poſſunt, ff. eod. l. 71.

Conditio iniqua non debet alteri per alterum inferri, ff. eod. l. 74.

Conſilium ſuum nemo poteſt mutare in alterius iniuriam, ff. eod. l. 75.

Contractibus inſeruntur, quæ dubitationis tollendæ cauſa, ius commune non lædunt, ff. eod. l. 81.

Conditio deterior non ſolet fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quam ſi non eſſent, ſed plerunque melior, Nemo enim perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litis conteſtationem hæredi quoque proſpicitur, & heres tenetur ex omnibus cauſis, ff. eod. l. 86. & 87.

Conſenſui nihil tam contrarium eſt, qui & bonæfidei iudicia ſuſtinet, quàmuis atque metus, quem comprobare, contra bonos mores eſt, ff. eod. l. 115.

Conſentire non uidetur, qui errant, d. l. 116. §. non uidetur.

Conditionem parem eſſe oportet eius, qui quid poſsideat, uel habeat, atque eius cuius dolo malo factum eſt, quo minus poſsideret, uel haberet, ff. eod. l. 150.

In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum, quibus ſucceſſerunt non tantum in id quod peruenit, verum etiam in ſolidum tenentur, hoc eſt, vnuſquiſque pro ea parte qua hæres eſt, ff. de reg. iur. l. Ad ea, 157. §. in contractibus.

In condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant, ff. eod. l. 173.

In coniunctionibus ſemper non ſolum quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit, ff. eod. l. 197.

Conſtitu-

Constitutionibus, quibus ostenditur hæredes pœna nõ teneri, placuit, si viuus cõuentus fuerat, etiam pœnæ persecutionem transmissam videri, quasi lite contestata cum mortuo, ff. de obl. & action. l. constitutionibus, 33.

Creditor nihil dolo facit, qui suum recipit, ff. de reg. iur. l. 129.

Creditores non fraudantur, cum quid non adquiritur à debitore, sed cum quid de bonis deminuit, ff. eod. l. 134.

Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit, ff. eod. l. 158.

Culpa, est immiscere se rei ad se non pertinenti, ff. eod. l. 36.

Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest, ff. eod. l. 50.

D

Damnum si retro nemo facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet, ff. eodem. l. 151.

Damnum sentit, quod quis ex culpa sua, non intelligitur damnum sentire, ff. eodem. l. 203.

Data non uidentur, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt, Qui iussu iudicis aliquid facit, non uidetur dolo malo facere quia parere necesse habet, ff. eod. l. 167.

Dat is damnum, qui iubet dare, eius uero nulla culpa est, cui parere necesse sit quod pendet, non est pro eo, quasi sit, ff. eod. l. 169.

Debere qui negant se, nemo ex iis, prohibetur etiam alia defensione, uti nisi lex impediat. Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine: vna tantum quis experiri debet, ff. eod. l. 43.

Defendere non uidetur, non tantum qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem, ff. eod. l. 52.

Debitor esse is desinit, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem, ff. eod. l. 66.

Ex delicto suo meliorem suam nemo conditionem facere potest, ff. eo. l. non fraudantur, 134. § primo.

Delictum cum par est duorum: semper oneratur petitor, & melior habetur possessionis causa: sicut fit, cum, de dolo excipitur petitoris, neque enim datur talis replicatio petitori, AVT SI REI QVOQVE IN EA RE DOLO ACTVM SIT Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit, ff. eodem. l. seq.

Deiecit, & qui mandauit. Ratihabitio mandato comparatur, In contractibus quibus doli præstatio, uel bona fides inest: hæres in solidum tenetur, ff. eodem. l. 152. §. primo.

Destitisse habere non potest videri, qui nunquam habuit, ff. eod. l. 208.

Definitio omnis in iure ciuili periculosa est, rarum est enim, ut non subuerti possit, ff. eod. l. 202.

Deportationis sententia ea sola aufert, quæ ad fiscum perueniunt, ff. eod. l. 97.

Dolo nullus uidetur facere, qui suo iure vtitur, ff. eod. l. 55.

Pro Dotibus in ambiguis respondere melius est, non est nouum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt, ff. eod. l. 85.

De

Debet natura is quem iuregentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus, ff. eodem, l.lxxxiiii.§.is natura.
De domo sua nemo extrahi debet, ff.eo.l. 103.
Dolo qui fecit semper, quòminus haberet: pro eo habendus est, ac si haberet, ff. eodem, l.ad ea.157.§.semper.
Domum suam reficere vnicuique licet: dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet, ff.eod.l.61.
Donari videtur, quod nullo cogente iure conceditur, ff.eo.l.82.
Donandi cui ius est, eidem & uendendi, & concedendi ius est, ff.eo.l.163.
Dolo facit, qui petit, quod redditurus est, ff.eo.l.173.§.tertio.
Dolo nemo vr̃ in esse, qui ignorat causam, cur non debeat petere, ff.eo.l.177.§.i.
Dolum tutoris, neq; interdicto, neq; in cæteris causis pupillo nocere oportet, siue soluendo est, siue non est, ff.eo.l.198.
Dolo carcere non potest, qui Imperio magistratus non paruit, ff.eo.l.199.
Doli exceptio non solet nocere his, quibus uoluntas testatoris non refragatur, ff.eod.l.19.§.primo.
In dubiis semper benigniora præferenda sunt, ff.eo.l.56.
Dubia in re benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quàm Tutius, ff.eod.l.192.§.primo.

E

Ea, quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi, ff. eodem l.162.
Ea, quæ in partes diuidi non possunt, solida singulis hæredibus debentur, ff. eod.l.192.
Eius est actionem denegare, qui posit & dare, ff.eod.l.102.§.eius.
Effectus cuius omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent, ff. eod.l. 143.
Emptorem plerunque eadem debet esse causa circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris, ff.eod.l.156.§.plerunque.
AEquitas speranda sit in omnibus quidem, maxime tamen in iure, ff.eod.l.90.
Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est, ff.eod.l.53.
Ex promissor nemo alienæ rei idoneus uidetur, nisi cum satisdatione, ff. eod. l. 110 § nemo alienatione.
Expressa nocent, non expressa non no cent, ff.eod.l.195.
Ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet, ff.eod.l.149.

F

Factum, neque pacta, neque stipulationes posse tollere uerum est, quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut vtilem actionem, aut factum efficere posit, ff.eod.l.31.

Factum suum, non aduersario suo nocere debet. Non videtur vim facere, qui iure suo vtitur, & ordinaria actione experitur. in pœnalibus causis benignius interpretandum est, ff. eod. l. 155.

Factum à iudice, quod ad officium eius non pertinet ratum non est, ff. eod. l. 170.

Facere qui potest, vt possit conditioni parere: iam posse uidetur. Quod quis, si velit, habere non potest id repudiare non potest, ff. eod. l. 174.

Fauorabiliores, rei potius, quàm actores habentur, ff. eod. l. 125.

Fœminæ ab omnibus officiis ciuilibus uel publicis remotæ sunt, & ideo nec iudices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec curatores existere. Item impubes omnibus officiis ciuilibus debet abstinere, ff. eod. l. 2.

Filiusfamilias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris uidetur, ff. eod. l. 93.

Ferè in omnibus pœnalibus iudiciis, & ætati, & imprudentiæ succurritur, ff. eodem. l. 108.

Fieri quod debet qui non facit: uidetur facere aduersus ea, quæ non facit, at qui facit, quod facere non debet: non uidetur facere, id quod facere iussus est, ff eod. l. 121.

De fraude generaliter cum disputatur, non quid habeat actor, sed quid per aduersarium habere non potuit, considerandum est, ff. eod. l. 78.

Fraudis interpretatio semper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur, ff. eod. l. 79.

Fraudare nemo uidetur eos, qui sciunt & consentiunt, ff. eod. l. 145.

Fructus rei est, uel pignori dare licere, ff. eod. l. 72.

Furiosorum in negociis contrahendis alia causa habita est: alia eorum, qui fari possunt, quamuis actum rei non intelligerent. nam furiosus nullum negotium contrahere potest pupillus omnia tutore authore agere potest, ff. eod. l. 5.

Furiosi, vel eius, cui bonis interdictum sit, nulla volentas est, ff. eod. l. 40.

Furiosus absentis loco est, & ita Pomponius scripsit, ff. eodem lege. 124. §. Furiosus.

G

Gladii potestatem, sibi datam nemo potest, uel cuiusuis alterius coercitionis, ad alium transferre, ff. eod. l. 70.

H

Hæres non vult esse, qui ad alium transferre voluit hæreditatem, ff. eod. l. 6.

In hæredem toties damus actionem de eo, quod ad eum peruenit: quoties de dolo defuncti conuenitur, non toties ex suo, ff. eod. l. 44.

Hæredem eiusdem potestatis iurisque esse, cuius fuit defunctus constat, ff. eodem lege. 59.

Hæreditas

Hæreditas nihil aliud est, quam succeſsio in uniuerſum ius, quod defunctus habuerat, ff. eod. l. 62.

In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio: ueluti furti, damni iniuriæ, iniuriarum, vi bonorum raptorum, ff. eodem l. 111. §. iu hæredem.

Hæredi ſuo nemo relinquit, plus commodi, quam ipſe habuit, ff. eod. l. 120.

Hæredis loco habentur, hi qui in uniuerſum ius ſuccedunt, ff. eodem. l. 128. §. hi qui, 1.

Hæreditas omnis quamuis poſtea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur, nunquam creſcit ex poſt facto preteriti æſtimatio, ff. eod. l. 138.

Hæres in ſolidum tenetur, in contractibus, quibus doli præſtatio, uel bona fides ineſt, ff. eod. l. 152. §. in fine.

Hæreditatem ſi nemo ſubiit: omnis uis teſtamenti ſoluitur, ff. eod. l. 181.

Hæredum omnia ferè iura perinde habentur, ac ſi continuo ſub tempus mortis hæredes extitiſſent, ff. eod. l. 193.

Hæredes qui per ſuſſetionem, quamuis longiſsimam defuncto hæredes extiterũt non minus intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes extiterint, ff. eodem. l. 194.

Honeſtum non omne, quod licet eſt, in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus, ff. eod. l. 144.

I

Ignorantiæ, qui in alterius locum ſuccedunt, iuſtam habent cauſam, an id, quod peteretur, deberetur. Fideiuſſores quoque non minus, quàm hæredes, iuſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi cum eo agitur, non etiam ſi agat. nam planè, qui agit, certus eſſe debet: cum ſit in poteſtate eius, quando velit, experiri: & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere, ff. eod. l. 42.

Iuris plus in alium nemo ad alium transferre poteſt, quàm ipſe haberet, ff. eodem. l. 54.

Improbus non poteſt videri, qui ignorat, quantum ſoluere debeat, ff. eod. l. 99.

In eo, quod plus ſit, ſemper ineſt & minus, ff. eod. l. 110.

In toto & pars continetur, ff. eod. l. 113.

Imperitia culpæ adnumeratur, ff. eod. l. 132.

Quæ impoſsibilia ſunt, dari uel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adiectis habentur, ff. eod. l. 135.

Inuitus nemo rem cogitur defendere, ff. eod. l. 156. in prin.

Impoſsibilium nulla obligatio eſt, ff. eod. l. 185. §. fin.

Inuito non præſtatur, quod cuique pro eo, tribuitur, ff. eodem lege. 156. in fine. §. quod.

Inſtitutio, quæ ab initio inutilis fuit, ex poſt facto conualeſcere non poteſt, ff. eodem l. 210.

Iuſſu iudiciis qui aliquid facit, non videtur dolo malo facere: quia parere neceſſe habet, ff. eod. l. 167.

Iussu alterius soluitur, quod pro eo est, quasi ipso solutum esset, ff. eod. l. 180.

L

Legata, quæ mortuis nobis ad hæredem nostrum transeunt: eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus: aliter, atque quod stipulati sumus, nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam si liberatis nobis potestate Domini conditio existat, ff. eodem. l. 18.

Lex vbi duorum mensium fecit mentionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est, ita enim, Imperator Antoninus, cum diuo patre suo rescripsit, ff. eod. l. 101.

Ex liberalitate sua qui conueniuntur, Diuus Pius rescripsit eos, in id, quod facere possunt, condemnandos, ff. eod. l. 28.

Librarius in transcribendis stipulationis verbis si errasset: nihil nocere, quo minus & reus & fideiussor teneatur, ff. eod. l. 92.

Lites contestatas ex omnibus causis sciendum est, & in hæredem similesque successores transire, ff. de obli. & actio. l. 57.

In eo, quod uel is, qui petit, uel is, à quo petitur lucri facturus est, durior causa est petitoris, ff. eod. l. xxxiii.

Arrianus ait, multum interesse, quæras, vtrum aliquis obligetur, an aliquis liberetur, vbi de obligatione quæritur propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, adnegandum ubi deliberando, ex diuerso ut facilior sis ad liberationem, ff. de obli. & actio. l. Arrianus. 47.

Lucri ratio uertitur: quoties in utriusque causa, is præferendus est, cuius in lucro causa tempore præcedit, ff. eod. l. 98.

De lucro cum quæritur duorum, melior est causa possidentis, ff. eodem lege. 126. §. cum.

M

Mercem cum quis in diem stipulatus, fideiussorem acceperit; eius temporis æstimatio spectanda est, quo satis acceperit, ff. de oblig. & act. l. cum quis. 22.

Minus est actionem habere, quàm rem, ff. eod. l. 204.

Moram facere non videtur, qui sine dolo malo ad iudicium prouocat, ff. eodem. l. 63.

Mora sua vnicuique nocet, quod & in duobus reis promittendi obseruatur, ff. eodem. l. 173. §. Vnicuique.

Mora nulla intelligitur ibi fieri, ubi nulla petitio est, ff. eod. l. 88.

Mulieribus tunc succurrendum est, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur, ff. eod. l. 110. §. mulieribus.

Mutandum & si nihil facile sit ex solennibus: tamen ubi æquitas euidens poscit, subueniendum est, ff. eod. l. 183.

Naturale

N

Naturale nihil tam est, quàm eo genere quodque dissoluere, quo colligatum est, ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur, ff. eod. l. 35.

Naturæ ęquum iure est, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem, ff. eod. l. iure, 206.

Necessitudinis æstimatio est infinita, ff. eod. l. 176. §. infinita.

Non nolle eius est, qui potest uelle, ff. eod. l. 3.

Nostrum quod est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, ff. eodem, lege, 11.

Non debet, cui quod plus est, licet quod minus est, non licere, ff. eod. l. 21.

Non est nouum, vt quæ semel vtiliter constituta sunt, durent: licet ille casus extiterit, à quo initium incipere non potuerunt, ff. eod. l. 85. §. primo.

Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest: ita ex pluribus causis idem possit esse nostrum, ff. eod. l. 159.

Non nuptias concubitus, sed consensus facit, ff. eod. l. 30.

Non capitur, qui ius publicum sequitur, ff. eod. l. 116. §. primo.

Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere potest, ff. eodem. lege. 109.

Quod nullius esse potest, id ut alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere, ff. eodem. l. 182.

O

In obligationibus omnibus, in quibus dies non ponitur, pręsenti die debetur, ff. eodem. l. 14.

Obligati[illegible] si quis liberatus sit, potest uideri accepisse, ff. eod. l. 115.

Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus, ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrunque in contrarium actum est, ff. eod. l. 153.

In obscuris semper, quod minimum est, sequitur, ff. eod. l. 9.

In re obscura melius est fauere repetitioni quàm aduentitio lucro, ff. eodem. l. xli. §. in re.

Obligatur nemo ideo, quia recepturus est ab alio quod præstiterit, ff. eodem. lege. 171.

Obligationes, quæ non propriis viribus consistant, neque officio iudicis, neque prætoris Imperio, neque legis potestate confirmantur, ff. de obliga. & actioni. lege 26.

In obscuris inspici, solet, quod uerisimilius est, aut quod plerunque fieri solet, ff. eodem. l. 114.

Occasio est Rapienda, quam præbet benignius responsum, quod factum est, cum in oscuro sit, ex adfectione cuiusque capit interpretationem, ff. eod. l. 168.

Omnia, quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt, ff. eod. l. 100.

P

Paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando, quisquam alteri cauere potest, ff. eod.l.73.§.fin.

Priuatorum conuentio iuri publico non derogat, ff.eod.l.45.§.priuatorum.

In pari causa possessor potior haberi debet, ff.eod.l.128.

Pœna ex delicto sicuti defuncti hæres teneri non debet: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset, ff.eod.l.38.

Pœnæ nomine, quod a quoque exactum est, id eidem restituere nemo cogitur, ff. eodem.l.46.

Pœnalia iudicia semel accepta in hæredes transmitti possunt, ff.eod.l.164.

Perfecte non videtur cuiusque id esse, quod ex casu auferri potest, ff.eod.l.139.

Plerunque fit, ut etiam ea, quæ a nobis abire possint: perinde in eo statu sint, atque si non essent eius conditionis, ut abire possint: & ideo quod fisco obligamus, & uindicare interdum, & alienare, & seruitutem prædio imponere possumus, ff.eod.l.205.

Pignus neque depositum, neque precarium, neque emptio neque locatio rei suæ consistere potest, ff.eod.l.45.

In pœnalibus causis benignius interpretandum est, ff.eod.l.155.

Permutatio temporaria ius prouinciæ non innouat, ff.eod.l.203.§.primo.

Peti nihil potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolui possit: & cum soluendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito, peti non potest, ff.eodem.l.186.

Prægnantem vxorem si quis reliquit: non uidetur sine liberis decessisse, ff. eodem.l.187.

Prædo nemo est, qui precium numerauit, ff.eod.l.126.

Pro possessore damnatur, quia pro possessione dolus est, ff.eod.l.131.

Priuilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt, quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt, ff.eod.l.196.

Principalis causa cum non consistat plerunque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent, ff.eod.l.178.

Pupillus pati posse non intelligitur, ff.eod.l.110.§.secundo.

Pupillus nec uelle, nec nolle in ea ætate (nisi adposita tutoris authoritate) creditur, nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas necessaria est, ff.eodem.l.189.

Q

Quatenus cuiusque intersit, in facto, non in iure consistit, ff.eod.l.24.

Quoties æquitatem desiderii naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur: iustis decretis res temperanda est, ff.eod.l.85.§.quoties.

Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias, ff.eod.l.141.

Qui tacet, non fatetur: sed tamen uerum est, eum non negare, ff. eod. l. 142.

Quod ipsis, qui contraxerunt, obstat: & successoribus eorum obstabit, ff. eo. l. 143.

Quicquid per uim fit, aut in uis publicæ, aut in uis priuatæ crimen incidit. Deiecit, & qui mandat, ff. eo. l. 152.

Quoties per eum, cuius interest conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur: perinde habetur ac si impleta conditio fuisset, quod & ad legata, & hæredum institutiones perducitur: quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret, ff. eodem, l. 161.

Quod factum est, cum in obscuro sit: ex affectione, cuiusque capit interpretationem, ff. eod. l. 168. §. primo.

Quod pendet, non est pro eo, quasi sit, ff. eo. l. 169. §. quod.

Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest, ff. eo. l. 174. §. 1.

Qui succedit in ius dominiumve alterius, iure eius uti debet, ff. eo. l. 177.

Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt, ff. eo. l. 188. §. 1.

Quoties nihil sine captione inuestigari potest: eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis, ff. eo. l. 200.

R

Raro ea, quæ accidunt, non temere in agendis negociis computantur, ff. eo. l. 64.

Refertur ad uniuersos, quod publicè fit per maiorem partem, ff. eo. l. 160. §. 1.

Repetitioni in re obscura melius est fauere, quam aduentitio lucro, ff. eodem, l. 41. §. primo.

RESTITVAS verbum cum lege inuenitur: & si non specialiter de fructibus additum est, tamen & fructus sunt restituendi, ff. eod. l. 173. §. restituas.

Res iudicata pro ueritate accipitur, ff. eo. l. 207.

S

Sanguinis iura nullo iure ciuili dirimi possunt, ff. eo. l. 8.

Semper qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur, sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est: obstringitur mandati actione, ff. eo. l. 60.

Sermo quoties duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior est, ff. eod. l. 67.

In stipulationibus semper & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est. vnde si non appareat, quid actum est: erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo si neque regionis mos appareat, quia uarius fuit? ad id, quod minimum est, redigenda summa est, ff. eo. l. 34.

In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus, ff. eod. l. 144.

Singulis non est concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi, ff. eo. l. 176.

Socii mei socius, meus socius non est, ff. eo. l. 47. §. socii.

Solutum est cum amplius, quam debebatur, cuius pars non inuenitur, quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione, ff. eodem, l. 84.

Soluendo nemo dubitat, videri eum, qui defenditur, ff. eo. l. 95.

Per speciem derogatur in toto iure generi: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est, ff. eod. l. 80.

Specialia semper generalibus insunt, ff. eo. l. 147.

Successio quoties duplici iure defertur alicui: repudiato nouo iure, quod antè defertur, supererit vetus, ff. eo. l. 91.

Cum quis successerit in alicuius locum, non est æquum, ei nocere hoc, quod aduersus eum non nocuit, in cuius locum successerit, ff. eod. l. 156. §. cum quis.

In hos sermones DVODECIMO ANNO, ET POST DVODECIM ANNOS multum interest, & ita loqui solemus DVODECIMVS ANNVS EST, cum quantumlibet ex duodecimo anno nouisset, aut præteriisset, ff. de manumiss. testamento, l. si ita, 41. §. & in hos sermones.

T

In paganis ius non patitur eundem & testato, & intestato decessisse: earumque rerum naturaliter inter se pugna est, ff. eo. l. septima.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur, ff. eo. l. 12.

In testamento, quæ ita sunt scripta, vt intelligi non possunt: perinde sunt, ac si scripta non essent, ff. eo. l. 73. §. qui.

Ex testamento omnia quæ proficiscuntur, ita statum euentus capiunt, si initium quoque sine vitio cæperint, ff. eod. l. 201.

In testamento cum tempus adiicitur; credendum est pro hærede adiectum: nisi alia mens fuerit testatoris: sicut in stipulationibus promissoris gratia tempus additur, ff. eod. l. 17.

In testamento vbi pugnantiam inter se inueniũtur neutrum ratũ est, ff. eo. l. 188.

Timoris uani iusta excusatio non est, ff. eo. l. 184.

Tutela quo redit eo, & hæreditas peruenit, nisi cum fęminæ hęredes intercedunt, ff. eod. l. 73. in princ.

Tutorem nemo potest dare, cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si uixisset, ff. eo. l. 73. §. primo.

V

Vbi non uoce, sed præsentia opus est: mutus, si intellectum habet, potest uideri respondere. idem & in surdo hic quidem responderi potest, ff. eo. l. 124.

Vbi verba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum, ff. eo. l. 110. §. 2.

Velle non creditur, qui obsequitur Imperio patris, ff. eo. l. quarta.

Venditio imaginaria non est precio accedente, ff. eo. l. 16.

Vendere aliud est, aliud est vendenti consentire, ff. eo. l. 160. in prin.

In uenditione contrahenda ambiguum pactum contra uenditorem interpretandum est. Ambigua aũt intẽtio, ita accipiẽda est, ut res salua sit actori, ff. e. l. 172.

Qui vetante prætore fecit, hic aduersus edictum fecisse propriè dr̃, ff. eod. l. 102.

Quod vitiosum est initio, non potest tractu temporis conualescere, ff. eo. l. 29.

Vi factum id uidetur esse, qua de re quis, cum prohibetur, fecit clàm, quod quisq; cum controuersiam haberet, habiturumve se putaret, fecit, ff. eo. l. 73. §. secũdo.

Vitiare

Vitiare scripturas non solent, quæ abundant, ff. eo. l. 94.

Vim non uidetur facere, qui iure suo utitur, & ordinaria actione experitur, ff. eodem, l. 155. §. primo.

Vni duo pro solido hæredes esse non possunt, ff. eod. l. 141. §. primo.

FINIS TITVLI.

PRætermissæ sunt aliquæ leges, quæ debuerant describi suis locis, & hic erit annotatione desiderentur.

Ex titulo, ff. de obligationibus & actionibus.

Verbis obligatio contrahitur, &c. ff. de oblig. & actionib. l. prima, §. verbis.

Non describitur totus iste, §. quia si error non occurrisset minus esset descriptus, Sed Parte Quinta, Libro Secundo, Titulo Primo, post allegationem institu. dictum fuisset pro concordanti, & ff. de obliga. & actionibus, l. prima, §. verbis.

Ex maleficio nascuntur obligationes, &c. ff. eod. l. quarta.

Non describitur tota Lex ratione supradicta, Sed Parte Quinta, Titulo Primo, post allegationem Institu. debet addi & ff. de oblig. & actionib. l. quarta.

Si quis absentis negocia, &c. ff. eod. l. quinta, in prin.

Non describitur ratione iam dicta, Sed Parte Quinta, Libro Quarto, Titulo Primo, post allegationem Insti. dictum fuisset, & ff de oblig. & actionib. l. quinta in princ.

Tutelæ quoque iudicio &c. d. l. quinta, §. Tutelæ,

In eadem Quinta Parte, Libro Quarto, & Titulo Primo ad Rubric. de Tutoribus, post allegatio. Instit. dictum fuisset, & ff. de oblig. & actio. l. quinta, §. Tutelæ.

Hæres quoque qui Legatorum, &c. d. l. quinta, §. hæres.

In eadem Parte, & Libro, & Titulo, additum fuisset, & ff. de oblig. & actio. l. quinta. §. hæres quoque.

Is quoque qui non debitum &c. d. l. quinta, §. his quoque.

In eadem Parte, Libro & Titulo additum fuisset, & ff. de de oblig. & actio. l. quinta, §. is quoque.

Si iudex litem suam &c. d. l. quinta, §. si iudex.

In eadem Parte, Libro Septimo, Titulo Ptimo, post allegationem Instit. dictum fuisset, & ff. de obligationibus, l. quinta, §. si iudex.

Is quoque ex cuius cenaculo &c. d. l. quinta, §. is quoque, ex cuius.

In eadem Parte, Libro Septimo, Titulo secundo, post allegationem Inst. dictum fuisset, & ff. de obligat. & actio. l. quinta, § is quoque ex cuius.

Item exercitor nauis, aut Cauponæ &c. d. l. quinta, §. fin.

In eadem Parte Quinta, Libro Septimo, Titulo secundo, §. fin. post allegationem Insti. dictum fuisset, & ff. de oblig. & actio. l. quinta, §. fin.

Ex promissione dotis non videtur lucratiua causa esse; sed quodammodo creditor, aut emptor intelligitur, qui dotem petit, porrò, cum creditor vel emptor ex lucratiua causa rem habere cœperit, nihilominus integras actiones retinet, sed ex contrario, qui non ex lucratiua causa rem habere cœpit eandem non prohibetur, ex lucratiua causa petere, ff. eo. l. ex promissione, 19.

Hæc potest collocari, in Sexta Parte, Libro Secundo, Titulo xxij.

Si a furioso, cum cum compotem mentis esse putarem, pecuniam quasi mutuam acceperim,

acceperim, ea quæ in rem meam versa fuerit: conditio furioso adquiritur. nam ex quibus causis ignorantibus nobis actiones adquiruntur, ex iisdem etiam furiosi nomine incipit agi posse, & si forte cum creditor fuerat fraudandi eius causa debitor alicui rem tradiderit. idemque erit, si legetur ei, vel si fideicommissum ei relinquatur. Item si alienam pecuniam credendi causa quis dederit deinde compos mentis esse desierit: postea consompta ea, conditio furioso adquiritur. & qui negocia furiosi gesserit, negociorum gestorum ei obligatur, ff. eod. l. si à furioso, 24.

Hæc lex potest collocari Parte Sexta, Libro Primo, Titulo Secundo.

Si ita à te stipulatus sim, SI FVNDVM NON DEDERIS, CENTVM DARE SPONDES? sola centum stipulatione sunt, in exsolutione fundus, sed si nauem fieri stipulatus sim, & si non feceris, centum: videndum, vtrum duæ stipulationes sint pura & conditionalis, & existens sequentis conditio non tollat priorem, an uero transferat in se, & quasi nouatio prioris fiat. quod magis verum est, ff. eod. l. obligationum, 44. in fine.

Iste, §. potest collocari Parte Quinta, Libro secundo, Titulo Primo, vbi de condioionali stipulatione tractatur.

Obligamur, aut re, aut verbis, aut simul vtroque, aut consensu, aut lege, aut iure honorario, aut ex necessitate, aut ex peccato. Re obligamur, cum res ipsa intercedit. Verbis, cum præcedit interrogatio, & sequitur congrua responsio. Re & verbis pariter obligamur, cum & res, & interrogatio intercedit, consentientes in aliquam rem, consensu obligari necessario ex uoluntate nostra uidemur. Lege obligamur, cum obtemperantes legibus aliquid secundum præceptum legis, aut contra facimus. Iure honorario obligamur, ex his, quæ edicto perpetuo, vel magistratu fieri præcipiuntur, uel fieri prohibentur, ff. eod. l. obligamur, 52. in princ.

Etiam nudus consensus sufficit obligationi, quamuis verbis hoc exprimi posit. Sed & nutu solo pleraque consistant, d. l. obligamur, §. fin.

Ista lex debet esse in Parte Quinta, Titulo primo.

In honorariis actionibus, quæ rei persecutionem habent, hæ etiam post annum non dantur, nec in hæredem dandæ sunt: ut tamen lucrum ei extorqueatur. sicut fit in actionem doli mali, & interdicto vnde vi, & similibus, illæ autem rei persecutionem continent, quibus persequimur quod ex patrimonio nobis abest. ut cum agimus eum bonorum possessore debitoris nostri. Item publiciana, quæ ad exemplum uindicationis datur: quia contra ius ciuile datur, ff. eodem, l. in honorariis, 35.

In duumuiros & Rempubli. etiam post annum actio datur ex contractu magistratuum municipalium, d. l. in honorariis, §. fin.

Debet esse parte vi. lib. vi. Titulo Quarto.

Ex Titulo de appellationibus.

Curator iuuenis aduersus tutoris hæredes iudicio expertus, appellationem interposuit. cum impleslet autem vicesimumquintum annum ætatis iuuenis, etiam in militia ageret, exequi appellationem desiit. Quæritur, regressus à militia, utrum ipse appellationem explicare deberet: an uero curatorem in rem

conueniri

conueniri oporteret? Et responsus est ipsum militem causam ad se pertinentem exequi debere, ff. de appell. & relati. l. 24. §. curator.

Tutor si in negocio pupilli prouocauerit, vel curator in adulti, hæres eius, antequàm reddat rationes, appellationis causam persequi debet. Nam post redditas rationes, neque ipse tutor, neque curator appellationis merita probare cogetur, ff. de appell. & relat. l. 27.

Potest esse in Parte Septima, Libro Tertio, Titulo xviij.

Composuerat Author Titulum Quartum, Libri Secundi, Partis Tertiæ, & deinde iisdem uerbis: & octauum animo componendi vnicum non tamen facta hac emendatione impressio secuta est ipso absente, ideo coniuncta esse deberent.

Finis Totius Operis.

R E G I S T R V M.
Septimæ Partis.

Omnes sunt Terniones.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.

GRAC

Compen

Juris Can

Tom. 2.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm